

A propos de ce livre

Ceci est une copie numérique d'un ouvrage conservé depuis des générations dans les rayonnages d'une bibliothèque avant d'être numérisé avec précaution par Google dans le cadre d'un projet visant à permettre aux internautes de découvrir l'ensemble du patrimoine littéraire mondial en ligne.

Ce livre étant relativement ancien, il n'est plus protégé par la loi sur les droits d'auteur et appartient à présent au domaine public. L'expression "appartenir au domaine public" signifie que le livre en question n'a jamais été soumis aux droits d'auteur ou que ses droits légaux sont arrivés à expiration. Les conditions requises pour qu'un livre tombe dans le domaine public peuvent varier d'un pays à l'autre. Les livres libres de droit sont autant de liens avec le passé. Ils sont les témoins de la richesse de notre histoire, de notre patrimoine culturel et de la connaissance humaine et sont trop souvent difficilement accessibles au public.

Les notes de bas de page et autres annotations en marge du texte présentes dans le volume original sont reprises dans ce fichier, comme un souvenir du long chemin parcouru par l'ouvrage depuis la maison d'édition en passant par la bibliothèque pour finalement se retrouver entre vos mains.

Consignes d'utilisation

Google est fier de travailler en partenariat avec des bibliothèques à la numérisation des ouvrages appartenant au domaine public et de les rendre ainsi accessibles à tous. Ces livres sont en effet la propriété de tous et de toutes et nous sommes tout simplement les gardiens de ce patrimoine. Il s'agit toutefois d'un projet coûteux. Par conséquent et en vue de poursuivre la diffusion de ces ressources inépuisables, nous avons pris les dispositions nécessaires afin de prévenir les éventuels abus auxquels pourraient se livrer des sites marchands tiers, notamment en instaurant des contraintes techniques relatives aux requêtes automatisées.

Nous vous demandons également de:

+ *Ne pas utiliser les fichiers à des fins commerciales* Nous avons conçu le programme Google Recherche de Livres à l'usage des particuliers. Nous vous demandons donc d'utiliser uniquement ces fichiers à des fins personnelles. Ils ne sauraient en effet être employés dans un quelconque but commercial.

+ *Ne pas procéder à des requêtes automatisées* N'envoyez aucune requête automatisée quelle qu'elle soit au système Google. Si vous effectuez des recherches concernant les logiciels de traduction, la reconnaissance optique de caractères ou tout autre domaine nécessitant de disposer d'importantes quantités de texte, n'hésitez pas à nous contacter. Nous encourageons pour la réalisation de ce type de travaux l'utilisation des ouvrages et documents appartenant au domaine public et serions heureux de vous être utile.

+ *Ne pas supprimer l'attribution* Le filigrane Google contenu dans chaque fichier est indispensable pour informer les internautes de notre projet et leur permettre d'accéder à davantage de documents par l'intermédiaire du Programme Google Recherche de Livres. Ne le supprimez en aucun cas.

+ *Rester dans la légalité* Quelle que soit l'utilisation que vous comptez faire des fichiers, n'oubliez pas qu'il est de votre responsabilité de veiller à respecter la loi. Si un ouvrage appartient au domaine public américain, n'en déduisez pas pour autant qu'il en va de même dans les autres pays. La durée légale des droits d'auteur d'un livre varie d'un pays à l'autre. Nous ne sommes donc pas en mesure de répertorier les ouvrages dont l'utilisation est autorisée et ceux dont elle ne l'est pas. Ne croyez pas que le simple fait d'afficher un livre sur Google Recherche de Livres signifie que celui-ci peut être utilisé de quelque façon que ce soit dans le monde entier. La condamnation à laquelle vous vous exposeriez en cas de violation des droits d'auteur peut être sévère.

À propos du service Google Recherche de Livres

En favorisant la recherche et l'accès à un nombre croissant de livres disponibles dans de nombreuses langues, dont le français, Google souhaite contribuer à promouvoir la diversité culturelle grâce à Google Recherche de Livres. En effet, le Programme Google Recherche de Livres permet aux internautes de découvrir le patrimoine littéraire mondial, tout en aidant les auteurs et les éditeurs à élargir leur public. Vous pouvez effectuer des recherches en ligne dans le texte intégral de cet ouvrage à l'adresse `http://books.google.com`

Digitized by Google

ALGER .S.J.



Digitized by Google

X 662 / 203

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SYLLOGES EPISTOLARUM

A

VIRIS ILLUSTRIBUS SCRIPTARUM

TOMUS III.

QUO

NICOLAI HEINSII, J. FR. GRONOVII, ISAACI VOSSII, JANI VLITII, ARNOLDI SLICHTENHORSTII, VINCENTII FABRICII, EZECHIELIS SPANHEMII, ET HADRIANI WALLII

EPISTOLAE

MAXIMAM PARTEM MUTUAE EXHIBENTUR.



BIBLIOTHÈQUE S. J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNIS FREDERICI GRONOVI
ET
NICOLAI HEINSII
EPISTOLAE.
MUTUAE.

EPISTOLA I.

J. FREDERICUS GRONOVIUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Lidem.

Deſideratiſſimas literas tuas, o magnum maximo Parenti decus, heri tandem ab Elzeviriis accepi. His mandes licet, ſi quid recte curatum velis. Non traho reſponſum, nulla elegantia aut eruditione, haereditariis tibi, ſolo affectu commendabile. De Heſychio maximas ago gratias & ſimilem, immo omnem operam, tibi ſpondeo: Elzeviiris ſatis faciam. Palmaria Illuſtriſſimi viri emendatio probabilitate ſua me percuſſit, ſimul domum redii, melleos ſermones veſtros ruminans, & complicatas mentis notiones evolvi. Recordabar *ceſtrosphendonae* mentionem apud Livum extare, quaeque de ea & *ceſtro* (idem enim eſt,) annotavit Turnebus. Cui pulcherrime convenit illud *turbo*, pro rotatione, quae uſum habuit in miſſione iſtius teli. Sic *turbinem cataſtae* dixit [1] Statius noſter, pro circuitione ſervorum in cataſta, qua utebantur, dum ſpecularentur emptores corpora. De quo ritu ex Menandro & Luciano opportune notavit Caſaubonus ad Suetonium. Verba Statii ſunt in Epicedio in Glauciam:

Non te barbaricae verſabat turbo cataſtae,
Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,
Compoſitoſque ſales meditataque verba locutus,
Quaeſiſti laſcivus herum tardeque paraſti.

Ita ſine dubio ſcribendum conjectaveramus, & reperimus firmatum a MSo Senenſi. Romanus codex & traduces ejus Pariſienſes ed. *turba* habent. At caeteri

1 Vid. Diatrib. Statianae Cap. XVI.

Digitized by Google

teri a Politiano *verna*. Quod ne sensum quidem habet. Et puto voluisse Politianum *versabant*, *verna catastae*: Ut *verna sit* ipse Glaucia. Sed nihil opus tricari. *Cestus* semper putavi scribendum esse, nec dubito illud *caestus* ab imperitis magistris esse, qui superioribus seculis in latinam linguam jure suo impotenter atque impudenter usi sunt. Etiam alibi in [2] Statianis nostris cum reverentia reprehenderamus lapsum summi viri, qui primaevam & *Castigo* notionem esse putat loro vel cesto caedere. Verum est, ἀπὸ τοῦ καστοῦ, quo utebantur Dores pro κηστοῦ, *Castigo* deduci, sed ut natura prior lori usus ad cingendum, quam ad puniendum; ita & significatio & *Castigo* prior pro vincire, stringere, quam verberare. Retinuit proprietatem illam divinus Statius noster, cum ait: *nodis & castigata jubarum Libertas*. Eidem *tori castigati* nihil aliud, quam Tacito, ni fallor, in Germania sua, *stricti artus*. Unde egregium Martialis locum explicavimus, in quo frustra fuerunt interpretes. Sed non vacat nunc Diatriben nostram describere. Tu videbis aliquando publice, aut apud nos privatim, si honore visitationis nos dignaberis. Hesychii locus omnino etiam suspectus mihi; sed dolui te hoc asserere, qui docere nos potueras, quae facile erat haurire ex tripode, quam domi habes. Illum locum: [3] *Et quas percoquit Ebosia cannas:* eodem modo, quo Scaliger, emendat Gevartius: sed si tu vera videre vis, inspice Plinianas excercitationes τοῦ πάνυ Salmasii, qui felicissime in illum locum incidit. Gruteri notas ad Sylvas habeo omnes, & cum lubet, copiam tibi inspiciendi faciam, ut ipse judices. Nam nos nihil dignum illo viro ibi deprehendimus. Thomsoni non vidi, neque scio illum quicquam egisse in Papinio, nisi quod judicium suum de unico loco cum Cl. Scriverio communicavit, isque cum Gevartio: ubi nos tamen in alia omnia imus. Verba sunt in Kalendis Decembribus; *dum refero diem beatum Laeti Caesaris ebriamque partem*. Inspice Gevartium & vide, an invenias ibi, quod placeat. Alia ejus si habes, est tuae comitatis, nos eorum non habere ignaros, & simplicitatis nostrae est agnoscere & laudare beneficium tuum. Excerpta Codicis Florentini, cujus Wouwerius in epist. ad Scaligerum meminit, curiosissima habemus ab A. V. Lindenbrogio transmissa. Habes epistolam indignam elegantia tua Charisinque, sed dignam festinatione & jejunitate nostra; a qua nihil placiturum tibi sperabis. Οψιμαθεῖς enim sumus, & fortunae iniquitate, furta potius sunt, quae profecimus, si quid profecimus, quam legitimi otii ad horum studiorum dignitatem amplitudinemque diligentes labores. Parentem tuum, incomparabilem virum, submisse officioseque saluto, & ne nostri obliviscatur aut promissi, te ἐπίκτην constituo. De Fabricio grata fuere, quae tu amanter. Si quod ad eum literarum daturus, ne time nobis committere, qui utrique haec & majora officia lubentes debemus. Scriverium, Boxhornium, Bodecherum, illa urbis & Academiae vestrae primaria lumina, salvere jubeo. Tibi me totum devoveo, & oro obsecroque, ut identidem de tuo amore suavissimis literis tuis me commonefacias, excitesque languorem nostrum doctrina & nitore tuo. Vale; charissimum pectus &

2 Diatrib. Cap. XIV. 3 Vid. Diatrib. Cap. XIV.

& bene ago. Ampliss. Grafwinkelius secessum rorestrem petiit. Grotium simul videro, mandatum peragam. Iterum vale, decus nostrum. Hagae Prid. Eid. Octobr. Anno CIƆIƆCXXXVI.

Ad Cl. Golium nuper literas misi, quas crediderat mihi Caecil. Puteanus. Eae an curatae sint, inquire, nisi molestum est, & praestantissimum virum a me saluta. Ambitiosis titulis abstine, quaeso, cum rescripseris. An non sufficit amicum appellasse? Nomen cum scripseris, omnia scripseris. Certe vos Gallique ridere soletis Germanos, qui pinguedine linguae nostrae & ambitione Latinam conspurcant.

EPISTOLA II.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

STRAATENIUM, cujus doctrinam rarissimasque dotes Fama, quae istiusmodi nihil in occulto esse patitur, jampridem mihi commendaverat, quod amicitiis nostis adnexuisti, immensas tibi gratias scribo, mi Heinsi. Et si scivissem ibi agere, occupassem eum, tibique ultro id muneris injunxissem, ut tantum ingenium mihi conciliares. Sunt enim majora, ob quae juvenum istum admiror, quam quae tu in eo laudas, studium Criticum. Si enim Criticum esse (videor intelligere illud vestrum tam subtile) est emendationes malle, quam lepores captare, pro eruditione morbum & insaniam contrahere, male sentis de amicis tuis, quos Criticos judicas, aut certe ego nolim hac mercede Criticus esse. Nec tibi, puto, amicis opus est, qui Anticyra indigent. De correctiuncularum captatoribus judico tecum; atque in consensu nostro laetor. Ego a prima aetate in lectione veterum id potissimum habui, ut mei mores emendarentur, non ut apices & puncta librorum. Si interim frequenter legendo eo profecimus, ut genium capere Scriptoris, ipsumque sua mente & stilo donare possem, in lucro deputavi. Barbari sunt, qui non puram aquam atque ingenuam, quam turbidam sordibusque permixtam bibere malunt. Sed nihil infelicius magistris, qui in literis & syllabis consenuerunt, pulicum saltus metiuntur, & ut punctum vel lineam visu comprehendant, quod negant fieri posse Mathematici, operam perdunt. Philosophia est, illa antiqua & mascula, quae Philosophum virum bonum putabat, (quales ex hodiernis moribus ubi fient?) historia, civilis prudentia: quare veteres, & intelligere eos, & recte de illis judicare amamus: hae mihi literae sunt, in quibus quam parum hactenus profecerimus, nemo modestius, quam ipsi agnoscimus: neque enim eruditus sum, neque ut habear, laboro, qui non didici primariam artem nostrorum hominum, verba dare seculo & famae illudere. Sed illic omiseram poene juris Caesarei studium, cui & olim initiati sumus, & quod nunc toti repe-

 timus,

timus, poſtquam deſtertuimus eſſe, quos vocas, Critici, & lepores (ita dicis quidem: ſed, pace tua, erras: cuniculi erant vel gallinagines) captare, quam emendationes maluimus. Haec patria tua, poſtquam in eam tot noſtrae naufragiis ejecti ſumus, mutare me rationem ſtudiorum coegit, dum inani ambitione doctos, quos colebam, devincire ſatago. Nunc aetas & dies me monent, uti, quam hactenus munivi viam, pleno gradu carpam. Haec poene graviora epiſtola: ſed duxit me eo filum tuum, quod ſequor & relego: tum cupio a te, adoleſcente mei amantiſſimo, quemque ex merito diligo, & quem cito praecipuis luminibus hujus aetatis per veſtigia paterna aemulum certis notis auguror, cum forte faſtidies, quem nunc, ut ſcribis, dicere amicum vereris (quod tamen abominor) propius noſci. Ob catalogum bibliothecae valde te amo. Ne metue, ut aliquando ad vos excurramus, bruma imminente. Nec enim, ſive aeſtus, ſive rigor nos impedit, quo minus ſimus officioſi: & cum per ocium indicem illum perluſtraverimus (quod nunc nondum licuit) ita forte accendetur cupido noſtra, ut carere veſtra nequeamus. Riſi ſane, ut frontem ferirem, in illis, quae narras de nobiliſſima gente, quam ſic ſua ſacinora decent. Illud apud Statium: *& flexae Balearicus actor habenae*, miror te mirari. Virgilius, Silius, Lucanus ita loquuntur. Et ratio in manifeſto eſt. Ne dicam, *habenam* ſimpliciter pro loro apud Latinos legi. *Guntherus* poëta eſt primus, quos ſcimus Germanorum ex Helicone perenni fronde coronam retuliſſe. Editus eſt una cum Othone Friſingenſi & Radewico a P. Pithoeo Baſileae an MDLIXIX. Etiam inter Germanicarum rerum ſcriptores a I. Reubero Hanov. 1619. cum notis J. Spigelii. C. Ritters hufius cum notis Tubingae ante quadraginta fere annos eundem publicavit. Conſtitueram ego quoque aliquando in honorem noſtrae gentis, tum, quod etſi vitia ſui aevi non effugit, appareret tamen in eo & vis ingenii & imitatio optimorum Poëtarum: ne dicam de hiſtoria, in quam cum Othone Friſingenſi & Radewico ille unicus eſt: ne dicam, quod artes aulae Papalis prodit pulcherrime, Caeſariſque majeſtatem & jus aſſerit, ut non interſit boni publici iſtum ſcriptorem perire. Eſt autem corruptiſſimus adhuc, & plurima jam notaveramus, anno praecipue, cum Amſterodami ejus mihi copia eſſet. Sed bonum factum, quod conſilium illud abjeci: quae enim de hoc ſcriptore noſtraque opera judiciorum ludibria fuiſſent apud eos, quibus Silius Statiuſque, quoſtquam nos illis non male fecimus, eviluerunt. Iſthoc precio omnibus omnino manus abſtineamus, ne cum illos recenſuerimus, ut recenſeantur jure habeantur indigni. Decem autem libros ſcripſit Guntherus, ſub nomine *Ligurini*, quia res Frederici I. Imp. in Liguria geſtas canit. Bodecheri poëmata avide exſpecto. Ampliſſ. Graſwinkelius a vobis reverſus, & ſuis Gratiis plenus, & veſtris inebriatus, ingratiis me in Heliconem traxit, & non ſatis habens male tornatos verſiculos expreſſiſſe, abſente me & inſcio ad Bodecherum miſit. Ego hîc me non jacto, nec poëta εὐχομαι εἶναι. Perinde ergo eſt mihi, ſive placuerint optimo amico noſtra propter affectum, ſive dedignetur purpurae ſuae centonem hunc adjungere. Metus eſt, ne contagione ipſius chartae noſtras ad piper tuſque ſequantur, aut doctiſſimorum vatum

Digitized by Google

sum dehonestentur cantus; quem belle praeveniet, si tardipedi deo illas delegabit. Ad Fabricium cum scripseritis, tuto ad me mittite. De Casauboni ad Polyandrum epistolis, etsi eas jam haberemus, exosculor curam tuam. Mallem in iis ad Scriverium hoc faceres: quas quod ille dixit penes Elzeverium esse, negat Elzevirius se quicquam illarum rerum scire. Sed moror te, mi Heinsi. Vale & me ama. ✝ Θεσσάλου Parentem tuum a me officiosissime saluta. Hagae a. d. XIV. Kal. Decembr. Anno CIↃIↃCXXXVI.

EPISTOLA III.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & elegantissime Heinsi, non constitueram prius ad te aliquid literarum dare, quam adjungere possem ad incomparabilem parentem tuum, quibus & habitum animi mei post incredibilem vestram erga me comitatem & prothymiam contestarer, & de promissa ad Statium meum dissertatiuncula modeste eum monerem. Id quod non licebit, nisi cum deferbuerint paullum sedaverintque negociola, quae me undique circumstrepunt, quamquam adhuc usque dum reversus sui, totos dies nihil agendo, aut nesciendo potius quid egerim, comsumpserim. Sed rupit destinationem meam fasciculus Fabricii nostri, qui nudius tertius mihi redditus est, ille ipse, quem epistola, quam apud vos resignabam, minata fuerat. Descripseram ipsi verba epistolae tuae, ubi de ipso loquebaris, ut hoc velut condimento temperarem horribilem nuncium, quem sui pertinacis silentii hic precium tulerat. En redhostimentum; has inclusas una cum poëmatio. Accessere dein tuae quoque humaniſſimae, una cum excerptis Claudiani MS. hem strenuitatem! At ego ignavus adhuc ne cogitare quidem potui de solvendis promissis. Ita distineor. Et jam ad alterum illum operam tuam (ut jocatur Comicus) velocem, non corbitam promittis. Quid dicam, mi Heinsi, meus ocellus, meum corculum: amo te, amplector te, si recludere posses secreta pectoris mei, aut si tantisper, specularis materia ei obducta esset, ut intimas fibras introspicere posses, videres immani incendio amoris erga te nos ardere: in quo equidem conflagrare & absumi cupio. Sed quid attinet verbis uti, quae tanta reperire non possum, quantopere me uris. Spectemur itaque agendo. Epistolam Dn. Pontani avide desidero. Mone itaque praestantiss. Boxhornium, & salvere jube. Comelinum rogo ut adeas, & sermonem injicias de Poëmatibus, Satiraque in Poëtas Fabricii, & quid responderit, ad me perscribas. Velim quoque ut in Suida quaeras, si faciat mentionem. Meleagri istius, cujus epigrammata Graeca exstant, ut sciri possit, qua aetate vixerit. Nam cum totam Anthologiam percurrerim non inveni epigramma; inde

inde argumentum instituere possem ejus rei, Aut quaere potius a Parente tuo, qui certior nobis autor sexcentis Suidis. Invenio in scidis MS. duo epigrammata, in quibus eodem in argumento eorundem prorsus sensuum verbis cum Statio meo utitur, quae fortasse inseram chartis meis. De Claudiano cunctationi ignosce, quam tot caussae cauſſantur. Propediem tamen saxo promissa appareant. Gevartii ad Rutgersium epistolam, quam describere constitueram, inter sarcinulas meas inveni, quod nesciebam, an scires: volebam autem ut scires bene custodiri, & ad te remissum iri, simul descripsero. Divinum Parentem tuum, verendam amitam, dulcissimam sororem officiosiss. saluto. Nobilissimos item Plousium & Stratenium; tum Scriverium, Bodecherum, cujus poëmata videre gestio. Omnium erga me, dum istic fui, humanitas manet alta mente reposita. Vale & me ama, amor meus & ad

Αιὲν ἀριζεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων
Te pater Aeneas & avunculus excitet Hector.

Scripsi ὡς τάχος, Hagae a. d. x. Kal. Febr. Anno CIↃIↃCXXXVII.

Manilio Susii Scaliger jam usus est. Vide in Comm. pag. 106. MS. liber non fuit alius, quam Gemblacensis. Sed generosus animus, qui tantum docebat nos, quae nemo poterat alius, multa minuta praetermisit. Discrucior mihi proprium librum deesse: duplicatur enim labor, si in aliam chartam & Manilii verba, & MS. lectionem, & Scaligeri notam conjicere debeam. Tibi tamen gratias ago, quod, ut petieram, licet frustra, apud illum librorum scrutarium (ignosce καταχρήσει) inquirere voluisti.

EPISTOLA IV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

AMantissime frater: Quae ad Martialem observasti, sane quam grata fuerunt. Profecto non est cujusvis emendare veteres autores; minime vero omnium, qui haec studia comtemnunt, aut pro levibus, & quae aliud agendo tractantur, habent: τέχνης γάρ ἐσιν, ὥσπερ καὶ ἄλλότι, καὶ οὐκ ἐνδέχεται ὅταν τύχῃ ἐπιπαρέργως μελετᾶσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον μηδὲν ἐκείνῳ πάρεργον ἄλλο γίνεσθαι, ut in alia re eleganter dixit Thucydides. Quare vides ex sensus infirmitate, aut imperitia, aut denique securitate & nimia opinione sui, quae plerumque elegantia ingenia corrumpit, hujusce modi judicia proficisci. Quae ferimus lubentes, & censemus maximum praemium nostrorum laborum esse, quod aliter censemus. Tu vero perge, corculum nostrum, cum haereditario tibi genii vigore diligentiam conjungere. exinde enim praeclarum illud & insigne, quod in magnis viris admiramur, existit. Lib. III. ep. pen. *ludere* procul dubio rectum est, ut vidisti. Agnoscis tamen in illo *laedere* indicem vetustae scripturae, quae *loedere* erat,

erat, ut *moerus* pro *murus*. Lib. IX. 71. *Res est magna cacare Mathon*, memini etiam me in optimo Pirkaimeri codice invenisse. Et putabam tunc scripsisse Martialem: *vacare*. Hoc est, quietum esse, nec ejusmodi recitationis aut alius operis avocatione fugere sensum morbi. Alludit enim ad Tranquillitatem mentis, quam perpetuo in ore habent e porticu Philosophi, qui dolorem esse malum summum negant: aut quietem, quam jactant magistri illius ex hortulo discipuli. Quare totam illam Philosophiam *quietis magisterium* appellat Tertullianus, quod imprudenter in *pnicis magisterium*, quamvis docte, mutavit illustris Scaliger, uti legisti in Rutgersii variis. lib. v. cap. 1. Lib. v. Ep. 20. *Flammaris togae* non dubito recte conjecisse Scriverium, ut *palmaris*, *pegmaris*. Nec semel observavi in vet. lib. T. & R. confusa. Sic promiscue *Latiaris* & *Latialis* invenies. Lib. v. Ep. 62. *Procuratorem vultu qui praeferat aequo*, vehementer movet salivam. *Aequo* est prorsus simili, respondenti. Non tam a procuratore requiritur, ut aequus sit, quam ut diligens & acriter mitatur pro eo, cujus res agit. Lib. VI. Ep. 41. *Quietat lauro fauces & tempora vinctus*. erat etiam in cod. Pirkaimeri. Sed non capio τὸ *Lauro*. *Lauâ* siquidem manifestum est focale intelligi. Quaerendum. Lib. VI. Ep. 85. *Praemia quinta* haut dubie Martialis est. Quas ad Fabricium habes, ad me mitte: sed per amicum, ut circumcidamus sumptus. Notarem tibi, ubi Christenius habitaret, sed non est onerandus vir humanissimus hoc munere, qui nec Fabricium familiarem habuit, nec scit, quo destinare eas Hamburgi debeat. Ego verò rationes cum ipso habeo & eorum nummulorum, quos expendit pro iis, quae ad me mittuntur, & pro iis, quae ego ad ipsum. Gaudeo, & ejus nomine maximas tibi gratias ago, quod Elzevirium permovistis, ut non negaret Fabricio operas suas: & curabo, quantum in me est, ne Fabricius sibi desit. Leviuna monebo de libris MSS. ubi videro. Sed jocone an serio dicam? non duco in hoc censu Thebaidem Statii, quam ego semper habui, & qua adhuc utor; is liber pro opera, quam nos publico impendimus, & pro liberalitate atque amicitia *Bodecheri nostri* meus debebat esse. Sed tibi, charissime, nihil invidebo. Itaque ubi contulero, si voles, tibi tradam. Est autem liber non valde magni pretii: recens quippe & chartaceus, nec ex optimo descriptus. Apud Claudianum nihil mutandum, non bene judicas. Sed ea, quae defendendi ejus loci caussâ dicere poteramus, require in Bernartii notis ad lib. 1. Thebaid ibi: *si me de matre cadentem Fovisti gremio*. Et adde L. Quod certatum est. 3. Cod. de posthumis haered. instituen. ubi haec verba: *sancimus, si vivus perfecte natus est, licet illico, postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis decessit* &c. Ritus vulgatissimus est, & observatus millies. Incomparabilem patrem tuum, Scriverium, Bodecherum, Boxhornium, Stratenium, Plosium item, & totam domum vestram officiose saluto. Salve dimidium animae meae, locum Dionysii Longini περὶ ὕψους, quem mutilum Scaliger allegat ad Propertium, integrum a te mihi describi petieram. Fac quaeso, quando est otium. Vale. Hagae Prid. Non Februar. Anno CIↃIↃCXXXVII.

EPI-

EPISTOLA V.

J. FR. GRONOVIUS

Jano Bodechero Bamingio.

Leidam.

ECce tibi, Cl. & amiciſſime Bodechere, epiſtolam ad Fabricium meam, illaſque, quas Heinſius ad me heri miſit. Boxhornii librum penes me retinui, donec per amicum mittere poſſim. Duplo erit majus vecturae pretium, ſi tabellario is liber commendetur, quam quo Hamburgi emitur. Quare ſic mittere eſſet magis cogere Fabricium, ut librum emat, quam gratificari ei librum. Interim in meis commendavi ipſi affectum Cl. Boxhornii, & indicavi penes me illud munus adſervari, donec commode & ſine immodico ejus ſumptu hinc mitti poſſit. Plura alias. Vale. Hagae VI. Id. Febr. Anno CIↃIↃCXXXVII.

Nic. Heinſio.

Propediem tuis reſpondebo diligenter. Nunc ſcito locum Dionyſii περὶ ὕψους citari a Scaligero p. 284. edit. Comelin. Ad Elegiam, quae incipit: *Diſce quid Exquilias*, ad verſum: *Nanus & ipſe ſuos breviter curvatus.* Mutilum citat Scaliger, integrum vellem cum praeced. & ſeq. periodo deſcribi.' Inſpice etiam ſodes Electa Gevartii poſtremis illis capitibus, in quibus Cruceum exagitat, an agat de loco in Epiced. Glauciae: *Et nunc heu! vittis & frontis honore ſoluto.* Ubi Cruceus ſcribit: *frondis.* Puto notare hoc Gevartium, nec tamen ſatis reminiſcor. Si facit, ſenſum verborum ejus quaeſo perſcribe. Vale cariſſimum caput, & propediem meas accuratas exſpecta. Saluto omnes noſtros.

EPISTOLA VI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime juvenum, Tuas & Stratenii literas Amſterodamo redux domi meae reperi, utraſque gratiſſimas. De autore de Somniis & prodigiis, ſomnio viſa mihi ſimilia quae ſcribis: adeo miror, & quid judicem adhuc mecum diſputo. Tu accuratius me docebis, ubi evolveris, & invenies hominem doceri facilem. De meis quid dixerit aut finxerit Zuerius, neſcio. Certe unas perbreves Lamairio dederam tibi perferendas, atque is curatas mihi retulit: eaſque te hactenus deſideraſſe video. Sed jactura eſt levis, & quae ibi per-

Digitized by Google

perſtrinxeram, tam parvi momenti ſunt, ut ipſe, quae fuerint, curare deſierim, itaque nec memoria revocem. Probaſſe me cenſuram tuam in poëmatio Fabricii recordor. Et τὸ *Thyrſida* ipſe quoque notaveram: alterum non animadverteram. Judicium Herculis tui Maguſani, & Pariſienſis magiſtri eodem loco haberi debere addideram, nempe inter eos, qui non debent inter ſeria nominari. *Luxus* tamen in Statio recte defendit alter contra Lipſium. De loco *Dionyſii* immenſas tibi gratias ſcribo. Et opportune tuas accepi, cum eopſe momento chartae, in quibus allegaveram cum, typographo repraeſentandae eſſent. Nec minus, quod de Statii loco in Electis inquiſiviſti, tibi debeo. Quod incidis ſpem meam de diſſertatione epiſtolica tui parentis, id dolori, an pudori mihi fuerit, neſcio. Ego, mi Heinſi, nunquam ita frontem perfricarem, ut peterem tantam noſtri rationem haberi. Hoc tu & ille optime noſtis, ſiquidem tanti ſum viſus vobis, ut mores meos inſpicere volueritis. Sed cum ille ultro id obtuliſſet, non tam in meum, quam ampliſſ. Graſwinkelii honorem, cupide accepi, atque poſtea per te, per amicos alios, qui propiore apud eum gradu, quam nos, merito ſunt, monere atque inſtare non deſii, ut eo magis me devinciri quoque oſtenderem. Sed numquam adeo fui inſipiens, ut non a graviſſimis ejus curis hujus promiſſi fidei male metuerem; aut Suffenus, ut me dignum arbitrarer, adverſum quem tantum affectus incomparabilis viri teſtimonium publice exſtaret. Nos, ſi quiſquam mortalium, ſemper pede noſtro nos menſi, ſatis habemus fructuum ex amicitia magnorum virorum, ſi diſcere ab ipſis poſſimus: id conſecuti gaudemus in ſinu, nec magnas cogitationes concipimus. Honorem & plauſum accipiant illi, qui veſtigia ipſorum de proximo adoraturi, locumque eorum apud jam naſcentem poſteritatem tuituri ſperantur. Quare & ultro peto, ne maximus pater tuis illas leves curas graviſſimis iſtis occupationibus, quarum fructus non unus vaniloquus, & parum Latinus poëta, non ineptus, inerudituſque Gronovius; ſed totum Chriſtianum nomen maximos exſpectat, praevertat, aut interponat: neve doctiſſimas meditationes ſuas cum affaniis noſtris, quae velut ſolſtitialis herba decident, nec ad poſtumi aevi curam pertinebunt, perire velit. Ego is ſum, qui ſemper: qui de nemine ſentiat humilius, quam ſe ipſo: qui majora non affectet, quam meretur, aut conſequi dignus ſit: qui a ſimulatione, ambitione neque alieniſſimus: qui in ſola virtute decus quaerat: qui tui patris divina ſcripta, velut oraculorum volumen, cum horrore & religione ſemper legit; ipſum quod videre, quod amicitia complecti potuit, ob hoc unum in hoc exoſiſſimum alias ob calamitates & flagitia publica ſeculum incidiſſe teſtatus eſt: qui denique te magnis paſſibus ad arduam illam gloriam exilientem ſuſpicere & amare toto pectore coepit. Talem ſi redamare vel extrema linea poteſtis, abunde gloriae erit: aliis, qui majoribus dotibus affectum veſtrum pignerant, grandius praemium non invideo, nec vos diſtinguere amicos prohibeo. Pulcherrimum tuum epigramma ſic mihi mentem pertentavit, ut memoriae commendaverim. Omnia praeclara, arguta, erudita. Unum illud, *poſt Cypridis altum*, emendari a te velim, Etſi enim Latinum non negem: tamen triviale eſt, & in

ore omnibus etiam barbaris, instita pannucia potius, quam tam culta purpura digna. Vides quam ingenuus sim, quam blandiri nolim. Et tamen, si tu aliter censebis, me quoque ita censuisse negabo. Quae ad Martialem notas, alias excutere ocium erit. Laudo interim diligentiam tuam. Operae in opusculo nostro gnaviter pergunt. Sed dum Amsterodami fui, tria folia, quae interea excusa sunt, tot sunt conspurcata mendis, ut totius editionis me immane quantum poeniteat. Sed nolo luctari contra fortunam meam. Donati verba sunt in prologo Adelphorum, *In dividendis actibus fabulae idemidem memiserimus: primo paginarum dinumerationem, neque Graecos, neque Latinos servasse, quum ejus distributio est.* Sic ea citantur ab autore quodam. Velim eam periodum cum sequenti mihi describas, si sic satis intelligi posse videtur. Ignosce autem, quod tantopere abutor comitate tua, ut semper novam aliam operam tibi imponam. Quoties hoc audeo, toties novo tibi chirographo me obsignasse illud jus puta, quod semel in me meaque tibi dedi omnia. Vale, dulcissimum pectus, & me solito amore complectere. Nobilissimo Stratenio propediem respondebo. Salveant omnes nostri. Hagae a. d. VII. Kal. Mart. Anno CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA VII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Laudat.

Cum Harissimum pectus, quamvis ultimus in scribendo fuerim, & sic merito tuas exspectem, tamen cum haec occasio incideret, & pagellae quaedam superfluae in manibus mihi essent nugarum mearum, quae eduntur, non potui omittere, quin tibi eas velut praecocem quendam fructum offerrem, atque ante omnes alios vel orexim earum concirem, vel fastidium moverem. Quod posterius nimio magis metuo, quam spero prius, qui applausum ingenii mei non pejus, quam Eumolpus ille, cui pro carminis recitatione jactus lapidum rependebantur, novi. Quod in prioribus dixeram, tria folia absente nobis foedum in morem, vel sine more potius, mendis conspurcata esse, ejus exemplum hîc vides. Interim ut, qua poteram, tanto malo mederer, duas pagellas resecandas curavi, quae caeteras turpitudine antistabant, sic ut nec vola, nec vestigium sani sensus appareret. Unum monere in summa festinatione debeo, nolle me, ut judicium Criticum in Ouidii locum, qui p. 81. citatur, exerceas. Nescio, quid mihi in mente fuerit, quum eum adjeci. Etsi enim is sensus, qui in vulgata est, ab homine pertinaci possit defendi, ut subintelligatur ad primum versum verbum substantivum, tamen τὸ *Gerebam* multo rotundiorem sensum reddit. Caetera quocunque loco habueris, circum haud interdum, dum modo me ames, & hanc festinationem affectus nostri boni consulas. Sive

enim placebunt tibi, volui imprimis placere ei, quem sine pari amo: sive damnabuntur, facile patior mea redargui ab eo, qui me & multimodis errantem vel ideo ab affectu suo non excludet, ut tueatur judicium, quod de me habuit, antequam in conscientiam imperitiae meae ruditatisque veniret. Vale, mi Heinsi. Maximum parentem tuum, vestrosque, & omnes, quos noscis, sine fuco & fallaciis amare, a me saluta. Raptissime, adstante nobilissimo adolescente illo, qui has feret, atque ad vos jam proficiscitur. Hagae v. Kal. Mart Anno CIↃIↃCXXXVII.

Nolim te has pagellas ostendere Cl. Scriverio. Satis mature ille viderit, cum totus liber editus fuerit. Cum perlegeris, quod commodo tuo fiat, remitte. Poteris epistolam tradere in aedes Mairii, neque enim tanti sunt hae chartae, ut propemodum duplicetur laturae pretium, si per tabellarium mittantur. Vides me discere Batavam parsimoniam.

EPISTOLA VIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

QUas nuper, praesente Pavio, subito expedieram, ipsique commendaveram, pridem redditas tibi existimo. Eo ipso die tua ultima mihi tradebatur. Sed quia jam non modo vespera erat, & serum diei, sed plane ad concubiam, ipsaque prima luce posteri se abiturum fuerat minatus, non potui repetere illas, & una fidelia duos parietes incrustare. Me a vobis desideratum esse laetor, tantum, quantum modo desideratum esse doleo. Vellem autem, o voluptas mea, non hilaritati tantum vestrae tum sodalem me fuisse, sed licere mihi omnes meas fortunas miscere tecum, & aetatem una agere. Non mente possum concipere magnitudinem & mensuram fructuum, quos alter in alterum conferremus. Ostenderemus ignavis illis, quid esset serio tractare studia, quid ambitioni & lucro vota sua donare. Sed hoc, quia difficilia nobis fata negant, jungamur tamen, qua possumus, mi Heinsi: & invicem nostrarum vigiliarum rationes reddamus. Nec sic desperandum habebimus de amplis fructibus. Cum nuper Amstelodami essem, accepi a Vossio utendos MSC. Claudiani libros de raptu Proserpinae, & Statii Achilleida. Non credis, quantum ibi bonarum rerum reperierim. Et posset sine plurimis locis Scriptor ille emendatior reddi: posset non contemnenda diatribe ad eum parari ex illis subsidiis, quae jam habemus, si otium nobis esset, aut alia studia impetum nostrum ad literas juvandas non inhiberent. Alias igitur de hisce cogitabitur. Heri etiam ex schedis, quas tu transmisisti, egregium locum constitui, qui misere affectus est. Eum proxime tuae censurae subjiciam. Satis acceptum habeo, si unicam talem observationunculam extudere possem, quae [illegible] ho-

hoſtes potius literarum, Critici in coelum abirent, & illic quoque τὰ πάντα fierent. Nunc iſti οἷοι πέπνυνται, οἱ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. Autorem de ſomniis videre aveo, & ſimul accepero, totum vel in tuam gratiam devorabo. De conjecturis tui maximi Parentis, ὃς μόνος ἤδη τάτ' ἐόντα, πρό τ' ἐόντα, vide ut promiſſa appareant. Poſſum interim differre votum meum de altera epiſtola ad illum temporis articulum, qui ei commodiſſimus. Hercules noſter, non τριέσπερος ille, ſed quem genuit, quoties voluit natura jocari, in binis, quas poſtremas ad me dedit, immania monſtra in Poeta meo confecit, aut fecit potius. Satis ipſi, puto, nugamur, (& credis hoc nobis, qui ſpecimen vidiſti) nec opus habemus, ut aliorum confeſſis nugis miſeram chartam commaculemus. Itaque, qua fieri potuit modeſtia, quid mihi de illis videretur, in reſponſione ſignificavi. Non ſpero me offenſurum hominem, quod nolim, vel ſaltim ob illud amicitiae nomen, quod toties inter nos iteratur. Itaque nec haec quiſquam per te, o corculum meum, ſciat. De Donati loco magnas ago gratias. Nunc caetera ad Martialem avide exſpecto. Jampridem locum deſignavi, ubi, quid tuo amori operae debeam, publice teſter. Si tu tamen hactenus te demittis, ut ſuſtineas, ſecus ac volebat Ennianus ille Hector, ab homine illaudato laudari. Utcunque ſit, noli deſinere meritis tuis nos tibi obligare, vel ea ſola cauſa, quod te amo, illa aeſtimo, nec tuum affectum auro ullo contra carum habeam. Sed o lepidum caput; profecto divinus fuiſti, cum petiiſti, ut ſimul aliquid a Fabricio literarum acciperem, tecum communicarem. Ecce enim, quas nudius tertius accepi. Ubi vides illum conſentire mecum largiter de praeſtantia ingenii tui. Illud, quod ſupponis, *poſt bella Diones*, magis placet, quam, *vulnus amoris*. Itaque hoc tantiſper probabo, dum aliud viſum tibi fuerit. Vale, decus meum, & amore tuo dignari me perge. Literas Fabricii cum aliis, quas promiſiſti, remittere poteris. Iterum vale & ſalve cum omnibus charitatibus tuis. Hagae Poſtrid. Kal. Mart. Anno CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA IX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

TUas, ὦ φίλτατον κάρα, ſimul legi, ſtatim reſponſum parabam. Sed verbis & ſenſibus defectus diu luctabar cum infantia mea, quam adaugebant: ipſum tempus, cum nimirum ſumpta modo coena calor ſtomachi, in coquendis cibis occupatus, mentis ignem impediret, & deinde nimis beati nuncii epiſtolae tuae, qui ruina incidentis inopinati gaudii totum animum meum oppreſſerunt. Si unquam putaſti cadere in anguſtias mentis meae veram aeſtimationem tuorum erga me meritorum, nunc licet ampliſſimum mihi beneficium imputes. Ego poſtquam chartulas iſtas miſeram, vehementi eram in metu,

metu, & millies culpavi praecipitem confidentiam meam, quae sic nuditatem jejunitatemque meam oculis tuis objiceret. Sed consolabatur me amor tuus, & sperabam, quoniam id non petiissem, non fore, ut parenti tuo eas monstrares. Tu vero commendatione & gratia tua tantum illis gratiae apud τὸν πάνυ ἥρωα addidisti, ut non placere modo sibi verbis testaretur, sed & splendidam hederam crucio illi (ut cum Lucilio loquar) vino adornaret. Et tu secutus exemplum imperasti etiam dominis tuis, ut laudes nostras, quae nullae sunt, canerent. In quo, si tunquam, vere certe Poeta fuisti. Sed sine joco, immensas tibi pro his tantis meritis tuis gratias tibi scribo: nec tam vicem redditam tibi puto, quod nostris chartis nomen tuum intexi gaudes, quam novo me vinculo obligari, sive tu de meo, sive ego de tuo affectu & ingenio publice testimonium perhibeam. Etiam utcunque intempestivus studii; ut jam dixi, tamen hoc, quod vides, ad parentem tuum velut ex pumice expressi, quod hac sola fiducia mitto, quia, quibus nos non valemus, iis te momentum apud illum fore scio. Autorem de somniis & excerpta ad Martialem primo quoque die percurram. Nunc enim somnum capere malo, & somnia videre, quam legere. Et certe jam intempesta nox est. Quare non possum neque me, neque te diutius morari. De loco Claudiani proxime. Illud *Cypridis aestum* valde placet, cogitaveram: *Quid mirum, gratae si sana est Cypridis usu:* Sed tuum praeferatur. Quae caetera scribis, talia sunt ut deliberem. Sed iterum admonent me cadentes pupillae. Vale, mi Heinsi. & cura, ut propediem Hippocrenen vestram bibam. Hagae a. d. v. Non. Mart. civilem: nam naturalis jam ante quinque horas & dimidiam mortuus est. Anno CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA X.

J. FR. GRONOVIUS.

Nic. Heinsio.

Leidam.

MI Heinsi, Ecce hic ad Scriverium literas. Petii ambitiose, ut aut librum ad me mittat, aut ipse excerpat, aut tibi excerpendum tradat. Vides, quam frontem perfricuerit mihi humanitas tua, quae fecit, ut omnia me apud te posse existimem. Quod tibi in me quoque jus esse volo. Sed si me intelligis, non tam te onerare, quam sub nomine tuo & umbra, si minus forte Scriverius mihi factum velit, ab ipso ignorante magnum beneficium accipere cupio. Hoc est, ut tu quidem id te muneris suscepisse simules, clam autem librum ipsum ad me ocius mittas. Ego tunc posthabitis omnibus illum percurram, & quae opus erit, enotabo. Biduum unum ea res, non ultra, me detinebit. Interim tu subducere te ejus oculis potes, usque dum usus fuero & remisero, ne te interrogando cruciet. Haec secreta sunt, non nisi intimorum. In quo censu te duco, & magnorum regum superare me divitias

uno hoc existimo. Vale, decus meum, & me dimidium meum suspensum tene. Si fiducia nobis est laborum nostrorum, si spes memoriae apud posteritatem, non frustra nostri curam gesseris. Iterum Vale, & saluta tuos, hoc est, meos. Hagae VIII. Id. Mart. Anno CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA XI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

MI Heinsi, habes hîc iterum promissas illas ad Scriverium, quas recta ad ipsum misissem, nisi tu hoc sumptu, hac molestia ultro te affici voluisses. Serius uno die, quam constitueramus: quam brevem moram facile ignosceres mihi, si scires, quam imprudenti paene duo illi intermedii dies exiissent. Nunc post varias anhelationes & discursus quietior istas raptim exaravi. Quibus quod deest elegantiae & suavitatis, hoc tu delenifico ore tuo supplebis. Cupio omnino ab omnibus, qui ad Statium notare aliquid volent, aut poterunt, vel potuerunt, quae communicare mecum voluerint, accipere. Qualia enim cunque multorum erunt, servient mihi ad cogitandum. Sed praestantiss. Scriverius, non dubito, quin multa egregia jam olim observarit ad majora illa opera Poëtae mei, Thebaida dico & Achilleida. Constitutum autem mihi est, proferre & ostendere scriptorem illum, in quo semel non infeliciter rudimenta meorum ad litteras juvandas conatuum posuisse videor. At etsi minime id mihi nunc ocium: tamen suffurabor, quantum potero, subsicivarum horarum aliis studiis, ut eandem operam expendam toti Statio. Nec profecto paucorum dierum ea res, & nosti, nihil unquam nos properaturos, nec cruda, sed quantum quidem nostri ingenii (quod quam exiguum sit, agnosco sane) calore fieri potest, percocta daturos. Eximium Zuerium salvere jubeo. [1] Locus in Pietate Abascantii ὑπουλος est, sed & mendum, puto, & medicinam invenimus. Scribendum est:

Paudere, quis centum valeat frenare maniplis
Intermissus equos; quis praecepisse cohorti;
Quem deceat clari praestantior ordo tribuni,
Quisnam frenigerae signum dare dignior alae.

Quatuor illustria militiae Romanae munera ponit: praefectum equitum legionariorum, praefectum cohortis, tribunum, & praefectum alariorum. Primus ille *frenare* dicitur *centum equos intermissus* (vel *intermixtus*) *maniplis*, id est, centuriis. Nam *manipulos* & *centurias* pro iisdem ponit Vegetius Lib. II. c. XIV. Ac etsi vetustiores distinguere videantur, tamen hoc constat, & *manipulas* & *centurias* peditum esse, ut *turmas* & *alas* equitum. Ille praefectus intermissus maniplis *frenat*, id est, ducit, centum equos. Nam cohors equitum legionariorum

[1] Vid. Diatrib. Cap. XLVII.

rierum C & XXX non excedebat. Veget. lib. II. c. VI. Statius autem numerum rotundum posuit. Hoc non tantum placebat τῷ πάνυ Salmasio, sed etiam in parte eidem in mentem venerat. Nam ea ipsa vespera, qua vos discedebatis, eum domum reverterem, obvium eum ad hospitium suum deduxi, & de hoc loco sermonem injeci. Et certum quidem erat utrique de equite legionario, seu qui legionibus immixtus erat, intelligendum esse locum, quod cum optimo amico nostro, te praesente, dicerem, fidem mihi abdicabat; de verbis autem comperendinabamus. Postero die, cum iterum ad eum visissem, antequam conjecturam margini codicis mei adscriptam ei ostenderem, dixit mihi, omnino *Maniplis* scribendum esse. Nam τὰ *eques* retineri posse putabat. Cujus posterioris emendationculae periculum ego in me recipio. Exquire, quaeso, judicium amici nostri, & una cum tuo mihi perscribe. Ob hunc unum saltim locum non frustra me in Statio fuisse puto. Sed minus ociose garrio. Vale charissimum caput, & saluta omnes vestros. Hagae Prid. Id. Mart. Anno CIƆIƆCXXXVII.

EPISTOLA XII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Laidam.

MI Heinsi, γλυκύπικρον illud, quod in Amore esse ajunt οἱ τῶν ἐρωτικῶν μύσται, abunde exhibuerunt mihi, sic tamen gratissimae, literae tuae. Vehementer me angit error ille in recensenda maximi Patris tui conjectura. Ego Deum testor & meam conscientiam, me eam numquam accepisse aliter, & sic jam tum, cum apud vos essem, margini codicis mei adscripsisse. Vitium aurium mearum esse reor. Sed puto me satisfacturum vobis, si consilium meum vobis aperiam de hoc errore emendando: deleri enim non potest, cum illa pagina die sabbati perfecta sit. In omissis ponam post verba illa: [1] *ideo corrigebat:* conjecturam veram, cum explicatione, quam in literis videro: hisque ficta personâ adjiciam; *Erat ὁ δεῖνα, qui scriberet:* ut istius intelligatur illud, *Quod t. c. praeceps furat A. morum.* Utcunque enim non forte sit Statii hoc, *praeceps morum*, tamen dictionem ejus valde resipit, & eruditum est. Sed oeconomia Poëmatii aliud quid exigit. Sic puto commode subterfugere nos posse, ne errasse videamur, & conferre in operas, quasi illi partem praetermisissent. Quae praeterea scripsi de domestico Phoebo tuo, haud muto. Excuso potius, quod cum ille sit supra laudes & ingenium meum, nec ἐκ παρόδου magna nomina sint salutanda, adeo intemperans affectus fuerit meus, ut praeconium ejus mea infantia deterere ausus sim. Illud immensum quantum me exhilaravit, quod serio nunc in Ovidium incumbere te scribis.

1 Vid. Diatrib. cap. 29. & Omissa, pag. 409.

scribis. Euge, euge, mi Heinsi, incumbe ὅλος καὶ πᾶς in hanc curam, nec desiste, priusquam μέγατι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι in lucem protuleris. Incitarem te multis, nisi ipsum te tibi optimum ἐπείκτην delegandum haberem. Et vides sane quam pauci sint tuae & meae aetatis, quibus literae vere aliquid debiturae sunt. Ubi sunt illi Heinsii, Grotii, Dousae, Meursii, Scriverii, Putschii, qui primaevi tempore fere eodem, heroibus tunc viventibus, subnascebantur? At nunc eo res rediit, ut omnes intelligere se, quae omnium minime, putent, cum revincuntur non intelligere, contemnant. Et fere ubique de compacto res agitur, ut in Velabro oleariis. Erigamus ergo capita supra plumbeas illas animas, & veram studiis dignitatem asseramus. Quae non in mutatione literae aut syllabae, ut calumniantur, sed in cognitione linguarum, antiquorum rituum, historiarum, praeceptorum Sapientiae consistit. Haec cum conjuncta sunt, & lectio diligensque labor ingenio & judicio non destituitur, existit inde praeclarum illud egregium, posse de unoquoque Scriptorum veterum, non quod audieris ab alio, sed quod senseris, judicium ferre, genium uniuscujusque penetrare, mentem & oeconomiam abditam saepe & in recessu conditam eruere, phrasin agnoscere, locos corruptos restituere. Quae verae Critices munera sunt, & erant olim apex literarum. At vide, quo degeneraverimus imperitia & ignavia. Quod nisi diligentissimi & doctissimi faciebant, arrogat sibi quisque, & autorem, quem nunquam, nisi nunc, inspexit, sub censuram suam revocat, emendando corrumpit. Illos, qui hoc faciunt, mirum non est contemnere literas, cum quas numquam, nisi primis labris gustarunt, se autem plene penetrasse arbitrantur, ubi apud vere doctos venerint, nescire se sentiunt, & hîc nunquam se nisi infeliciter se jactare experiuntur. Sed vides, quo me effundam, velut legitimo more tecum garrio. Magno Salmasio cur te ego commendem, nulla caussa est, nisi jussum tuum. cum tua gratia & ipsius humanitas facillime sine ullo medio utrumque conciliare possint. Faciam tamen, quia jussisti, simul atque illum videro. Locum Ovidii optime intelligis, & memini quidem simile quid legisse: sed locus nunc non incidit. Ubi memoria redierit, erunt ut semper κοινὰ τὰ τῶν φίλων. Vale, charissimum caput, & me ama. Hagae Postrid. Id. Mart Anno CIƆIƆCXXXVII.

EPISTOLA. XIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

MI Heinsi, Casauboni Epistolam recte accepi, ut & proxime conjecturas humanissimi viri, quas ad me misisti. Utrique magnas ago gratias. De ipsis quid mihi videatur, alias otiosior scribam. Illud pervenustum & jucundum mihi

mihi accidit, quod ille meas emendationes, quas penes eum protuli, mihi pro suis redonat. Ut ecce in Hercule Surrentino correxeram: [a] *Seu tibi dulce manu Lybycas nodare palaestras.* Ubi vulgo, *nudare*, & similiter locum in lib. II. Achilleidos. Utrumque jam ante mensem excusum est, & videbis pag. 138. & 139. Scis autem p. 182. partem fuisse, quam nuper transmiseram. Et testis mihi esse quoque potest Salmasius, ad quem in Galliam anno eandem transscripsi. Memini Amsterodami in aedibus fratris homini optimo, cum primum de Statio emendando nescio quid mihi in mentem venisse narrarem, jactasse hanc correctiunculam, ut gustum ei darem, & spem de conatu nostro facerem. Nunc ille mihi eam remittit, sed ut decebat mutatis ansis, nam pro *manu*, legit etiam *manum*. Hoc est frequentissimum dicendi genus apud Statium corrumpere. Sic Via Dom. *Hi siccant bibulas manu lacunas.* In Thebaid. *levare manu mensas.* Alibi, *manu componere succos*, & denique; *vires que modosque Imperii tractare manu.* Sic etiam *nodare manu palaestras.* Quod videbis me monuisse p. 222. ad Comam Earini, ubi hoc modo elegantem locum correxi, Sed transeant haec. Bene fecisti, quod verba Chronici MS. ad me scripsisti. Scito duos Statios fuisse: alterum sub Nerone Statium Ursulum Tholosatem (itaque pro *Toletanus* scribe in Chron. tuo: *Tholosanus*,) & P. Papinium Statium sub Domitiano. Ille Rhetor, hic Poëta noster. Hos duos multi confuderunt, atque hinc cognomen SURCULI, quod in MS. Cod. Statio tribuitur. Idque monuerat ad Eusebium Scaliger. Ex cujus nota, plusculis additis, exstruxit Diatriben suam de nomine Statii Gevartius. Quod tamen nos elegantissimo viro objicere nolumus. Dixeram, me simile quid legisse illi in Ep. Sapphus: *e nostro crescit moerore.* Ecce hoc est apud Statium lib. VIII. Theb. extremo de Tydeo: *laevaque receptum Spectat atrox hostile caput, glisci tque tepentis Lumina torva videns. Glisc ere* enim, ut scis, *crescere* est. Vide locum integrum, & placebit tibi. *Usque metu micuere sinus*, mutandum non puto. Metalepsis est. *Sinus* ponuntur pro pectoribus, pectora pro corde. Nosti autem *paventibus & exterritis* cor micare. Horatius: *Evoe recenti cor trepidat metu.* Sic apud Comicum; *cor meum coepit facere artem ludicram*, id est, micare, salire. Hoc si placet tibi, fac sciam, quaeso. Maximi enim facio judicium tuum, praesertim in illo Scriptore, in quo non nego diligentia te nos superasse: & nusquam tamen Herculea supinitate in legendis veteribus usi sumus. Vale, decus nostrum, & festinationi, quam totum hoc epistolium praefert, ignosce. Sed ecce oblitus poene fueram, quod primo loco volebam positum, quae priore epistola ad Ovidium promittis, te communicaturum mecum, fac, quaeso, quam primum. Non vivit, cui laetius videatur ista maturi ingenii tui messis. Iterum Vale, & saluta vestros. a. d. VII. Kal. April. Anno CIↃIↃCXXXVII.

Risi cum legerem, quae de Commelino addis. Memento, quaeso, Scaligeri Poet. In altero Catalogo auctionis Dordracenae invenio Scaligerum ad Festum

C

[a] Diatrib. Cap. XXV.

ſtum. Eum, ſi copia tibi, emendum cures velim meo nomine. Hoc nuper fueram oblitus. Nam de utroque rogaverat me amicus, qui Catalogos illos in mea manu viderat. In pervigilio Veneris quid fit? edet Scriverius Epiſtolam ſuam? addectne etiam, ut dixiſti, animadverſiones ſuas.

EPISTOLA XIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

MI Chariſſime Heinſi, vix dimiſeram priores meas, cum poenitere me coepit feſtinationis meae, quae procul dubio valde impolitas & ludibrium tibi debituras effuderat. Nunc vero ad inſtar Horatiani illius, egomet mi ignoſco. Et quidem juſtiſſima cauſſa. Quid enim ſupererat mihi praeſidii adverſus tam atrocem accuſationem, qua coelum miſces & maria, ut homini amantiſſimo, immo mancipio tuo, crimen quaereres & gravem invidiam conflares? Ego vero vellem, tam eſſem otioſus, ut ad ſingula diſertae criminationis tuae capita, ſi non facundiae tuae elegantia, multis tamen verbis reſpondere mihi liceret. Sed profecto nec in poſterum ita de me judicabis, quaſi quicquam ex amuſſitato ingenio tuo proficiſci poſſit, quod ingratum ſit mihi, & ſilentio vindicandum, nec talem querelam, ſeu potius horrendum carmen occines mihi, cum diem diffidero, ſiquidem molem & ruinam occupationum cogitabis, quae in caput hoc deſidunt. Libellum meum corrigendi ſcis, omnem moleſtiam totamque uni mihi incumbere. Acceſſerunt nuper Caſauboni epiſtolae, alterum munus. Nam cum amem id opus, & quam curatiſſime velim edi, aliis hominibus fidere non poſſum. Ecce enim, narrabat mihi Salmaſius, cum hic eſſet, veniſſe ad ſe hominem, qui corrigendis illis pagellis praefuerat, quae ibi editae ſunt, & conqueſtum eſſe, in foliis quae miſiſſem, multa fuiſſe ſoloeca & non Latina. Vides qualem naſuti ejuſmodi & grammaticaliter (ignoſcat mihi genius tuus) modo docti mortales licentiam ſumant? quam poſtea ſumpturi eſſent in corrumpendis, quae non caperent? Ac hoc jam ille fecit, qui ex Codice parentis tui illas ad Scal. & ad τὸν πάνυ Parentem tuum deſcripſit. ſi autographis deſtitueremur, turpiſſimum opus futurum eſſet. Inter haec non poſſumus tamen omittere ſtudia noſtra, quae nunc ordinaria fecimus. Accinunt enim mihi quotidie Hamburgenſes mei. *Frange puer calamos:* &, *Quid tibi cum Phoebo, quid cum Permeſſide nuda.* Et, *nummos habet arca Minervae.* Sequuntur ſalutationes, quae poſt diſcurſus varios ita ſaepe laſſum veſpera domum remittunt, ut me laborum humanorum pigeat, & ſaepe his turbis exemptus eſſe malim. Itaque vix pagellis, quas domi adhuc habeo e Diatribe mea, ultimam imponere manum, & indices conficere ſuſtineo. Inter haec omnia, mi Heinſi, tum demum verum pretium me temporis habere mei puto, cum

veli

vel de te cogito, aut tuas lego, aut ad te scribo. Cave igitur putes, unquam ita me distringi posse, ut tuae mihi fastidio sint. Contrarium experiris, & si tibi non credis, at crede mihi attestanti per amicitiae nostrae, per communium Divarum genium, nihil te aut tuis gratius mihi esse. Ovidium ecce hîc mitto: unde cum excerpseris, quae libuerit, ad me remittes. Si quid interdum explicavi, aut conatus sum illustrare, hoc animo excusandi leges. Sunt enim ipsi quinque anni, cum ista contulimus. Itaque prodetur ubique jejunitas mea. Si quid putas me in literis profeciisse, interea temporis factum est. Diatribae folia xv. perfecta sunt; restant octo fere, quae post mensem, spero, absoluta erunt. Nesciebam initio tantum me nugari potuisse. Sed cum primum inciperetur praelo libellus dari, omni ingenii contentione in eam curam incubui, egregiamque accessionem addidi. Habeo & nunc quae jam destinata erant suis locis, sed marceo, & cum manu languet animus. Etiam sic satis dedimus ineptiarum, certe Gevartium mole superavimus. Divinationes summi Parentis tui (quem officiosissime saluto) e Scriverii charta descriptas habes. Urge, si me amas, epistolam, quam mihi promisit. Nec enim dubito multa ibi fore, quae discere velim, antequam liber meus prodeat: Scriverio, quaeso, amicissimam dicas salutem, eique meo nomine serias gratias agas. Nec deerimus nos, quaecunque exinde sumemus, ea fateri candide, cujus studio debeamus. Si quid ad Thebaida & Achilleida notavit, vide omnibus modis, ut ex unguibus ejus extorqueas. Vale, mi Heinsi, & me ama. Nobilissimum Statenium saluto peramanter, cujus omnia, quae nuperrime perscripsit, vehementer mihi placuerunt. Et propediem respondebo. Salveant omnes amici. Hagae Proprid. Kal. Apriles Anno CIↃIↃCXXXVII.

Vide imprudentiam meam. Poene fueram oblitus, quod primum erat. Accepi a V. Fabricio nostro responsum. Ibi haec leguntur: *Nic. Heinsius merum mel, merum nectar effundit. Dii boni! quanta ejus ingenii felicitas? Malim unum istum in Ollum Scazontem, quam ducentos* [1] *N. Quamquam studium & conatum hominis amicissimi improbare non est meae verecundiae. Velim Nicolaum meum per te scire, jucundissimam mihi fuisse, quam scripsit, epistolam, Cui ego coram respondebo. Saltem interea sperare me omnia de editione Poëmatum meorum ex voto confore. Exemplar ipse afferam. Stat enim sententia ad vos in itinere excurrere. Id velim quoque Elzevirios sciri. Constitui omnino non edere versiculos meos, si ab Elzeviriis excudi nequeunt.* Haec tu tibi scito. Certe non ostende N. quem putas a Vincentio nostro designari. Ovidium, cum usus fueris, quaeso mox remittas. P. significat codicem Pirckhaimeri, qui & Tristia habebat & de Ponto. Nam ad libros Amorum, de arte, de remed. ad Epistolas Heroidum scelerata manus in charta singulari scripta jam olim mihi subduxit. MS. designat in lib. de Ponto meum codicem, chartaceum & non magni precii. Bodecheri epistolam curavi ea ipsa vespera, qua accepi. Hoc ipsi significa, & ad omnia officia me ei paratissimum. Dominum de Zuylichem quinquies adivi. Quinquies aut domo absentem aut non vacantem inveni. Nec ipsius haec culpa est, sed mea infeli-

1 Bodecheri.

Digitized by Google

felicitas. Itaque jamdudum piget me moleſtiſſimi ambitus. Video ſummos illos viros ita diſtrictos eſſe, ut literularum mearum curam habere ipſis impoſſibile ſit. Et neſcio quomodo non placent, qui admittunt ſalutatores, non quia amant, ſed quia eos illorum miſeret. Interim excuſationem habeo, ſi poſthac conquieſcam, nec officio meo, nec commendationi maximorum virorum defui. Sed haec te ſolum ſcire ſatis eſt.

EPISTOLA XV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Laidam.

CHariſſime Heinſi, pervenimus in Epiſtolis Caſauboni ad illas binas, quibus admiratur ingenium & eruditionem *Munſteri Hypobolimaei*. Dubito, an velit maximus Parens tuus in ordine caeterarum cum inſcriptione EIDEM poni, an vero adhuc uti diſſimulatione. Quoniam enim omnibus notum eſt, etiam pueris, qui nondum aere lavantur, alium divini iſtius & incomparabilis ſcripti autorem eſſe non potuiſſe, non ultra video, cur induenda ſimulatio ſit. Interim voluntas ejus mihi κανὼν erit. Rogo itaque ut roges, quid fieri velit. Fieri enim commode poteſt, ut ſub finem τ ad D. H. jungantur hac inſcriptione; N. N. SATIRAE AUTORI. Sed neceſſe eſt, ut aut hodie, aut cras mane reſponſum habeamus, nec enim reſtabunt paginae, in quibus operae occupentur tantiſper, ſi praetereundae non ſunt. Meas in Ovidii partem accepiſſe te puto. Promiſeram Dn. Boxhornio aliquid nugarum mearum ad Taciti Agricolam. Et faciam large propediem, cum paululum reſpiravero ab iis, quae me nunc intendunt. Interim cum iſta pagella Diatribae nudius tertius abſolveretur, qua locum, in quo miſere omnes ferc interpretes haerent, non infeliciter pertractaſſe per occaſionem viſi ſumus, ſervavi hanc portiunculam, ut inſpiciendam mitterem. Dabis ergo ei cum humaniſſima ſalutatione. Sive placuerit, ſive diſplicuerit, utatur arbitrio ſuo. Ego in tot nugis meis ſive hîc quoque mihi ſimilis fuerim, ſive σοφρονίσεόν τι ἐμαυτοῦ ſapuerim, ciccum haud interduim. Amet me, ut ego illum. Tu ante omnes, mi Heinſi, ita valeas. Salveant amici. Raptiſſime. Hagae III. Non. April. Anno 1637.

EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLA XVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

SAlve, dulce decus meum. Nobiliſſimum, quem narras, juvenem nullus vidi. Tuas autem gratiſſimas mihi neſcio quis e togatorum proſapia attulit. Nollem apud τὰ δῆνα enunciaſſe te, quae familiarius garriveram. Non ea id factum fini, ut ille reſciſceret; ſed ut penes te conſtaret fides mea, quam ſemper teſtatiſſimam tibi cupio. Forte enim perluſtraveras oculo fugitivo ſchedam illam, & poteras mirari, ſi in Diatribe vidiſſes poſtea (ſi tamen horas tuas tam male collocare putes, ut vili ſcripto impendas) non eo loco nomen illud apparere. Nihil tamen a te peccatum, nec id magnopere curo. Tribuat ſibi quiſque, quod velit, per me non invideo. Qui jure, is conſcientia ſolus fruatur, cujus apud bonos abunde magnum pretium eſt. De φλυαρίαις δ τῷ καλθέντι μαθητεύοντι vere tu, opinor, ſenis. Ut ille ubique ſuus eſt! ut ubique jactat ἢ λεοντὴν τοῦ ἀφ' Κύμης θηρός. Itaque & τὰ νῦν καλθέντα judicium tuum confirmarunt. πάντα γὰρ πέρξ κ' οὐδὲν. Noſti caetera. Sed & iſtius pauca ſunt, quae ad partes vocare poſſim, ut non in alia omnia me ire ſubjiciam. Itaque majorem partem ſilebo. Privatim quidem interdum ego, quando hoc ſeculum jubet vim facere naturae noſtrae, palpum obtrudere illis, qui volunt, poſſum, & βύασινα ἔπη loqui: publice librum, cum Satirico, ſi malus eſt nequeo laudare & poſcere, aut ἄλογα τ' ἀκριτομύθων conjectanea ſub εὐσοχίας nomine celebrare. Ibi enim non ambitionis aut ſermonis temporarii, ſed boni publici una cura atque poſteritatis unica ratio ducitur. Cujus quantam reverentiam habuerint omnes, qui aetatem ferre ſcripta ſua vellent, tu optime noſti, eruditiſſime juvenum, quare deſino tinnire nimium. Quae ad Ovidium notas, elegantia ſane viſa ſunt: & hortor, ut gravius hanc palaeſtram deluctere. Iis, quae meis identidem literis aſperſi, utaris ut tuis, ſi tamen quicquam ibi ingenio tuo dignum. Tenuia enim fuere pleraque omnia, & quae ut recte, nec me intercedente, judicas, quae, inquam, etiam puer videre poſſet. Illud ſerio te rogo, ne quicquam proferendum exiſtimes, quod improbes. Cui enim uſui umbram te fingere, contra quam humeros ejectes. In illis, quae publici juris facta ſunt, alia ratio eſt, nec hîc impedio, quo minus eadem libertate in nos graſſeris, qua ipſi alios caſtigavimus, quandoquidem aliter haec ſacra non conſtant. Et ab amico reprehendi monerique malim, quam ab iniquis indigne traduci. Fabricium ſcito, ſi Deus volet, propediem nobis adfore, ſed ut tranſeat, non ut maneat. Ipſe unas adhuc meas exſpectane ſe poſſe ſcribebat, ſi feſtinarem reſpondere, quod feci. Arnobium Elmenhorſtii & Gevartii Electa his diebus deſiderabam. Eos ſi ex τριμυγίσι Parentis tui aut

praestantiss. Boxhornii (utrumque officiose saluto) bibliotheca per amicum (nam per rhedarios aut nautas non cupio, nec tanti est) transmitteres mihi, gratissimum faceres. Vale, charissimum pectus, & me ama. Hagae a. d. IV. Id. April. Anno CIↃIↃCXXXVII.

Diatribae folia XIX. excusa sunt. Restant fere septem aut octo. Apparet tela longior, quam initio credebam. Itaque facile II. adhuc menses operae his nugis insidebunt.

EPISTOLA XVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

CHarissime Heinsi, exspectas forsan, ut reponam tibi exemplum illud, paene dixerim, male-tractationis, quod in me statuisti, postquam justissimis de caussis longius aliquanto silentium traxissem. Sed ego te mihi facile excuso, quem tam assiduum accubium esse Nasoni puto, ut officii obliviscaris. Unde aliquando magnum ad me quoque fructum rediturum spero, qui tor egregiis speciminibus didici, qui docere ea opera nos possis. Accedit, quod nunc major in praecordiis desaevit dolor, qui ut priorem istum refricat, ita tanti facere me non sinit, quin in hoc omni affectu defigas. Hodie enim prope currum obvius mihi *Fr. Vossius* nuntiat, *Fabricium* Leidae fuisse, jussum sibi, ut id mihi indicaret nudius tertius, ut si vellem eum salutare, propere Lugdunum excurrerem: non enim ibi, nisi unum diem mansurum: se quidem ante triduum ad aedes nostras venisse, sed neminem natum praesto fuisse, quem compellaret. Quid quaeris? quasi fulmine percussus obstupui, nec verba reperire potui, quibus responderem. Quod hoc iter, vel potius, quae fuga est? Fabricium in Batavia fuisse, & me insalutato discessisse? At saltem cum Amsterodami octiduum haereret, verbulo significasset mihi, se adesse, aut quando Leidae se reperturus essem, non pepercissem negociis meis, neque sumptui, ut charissimum caput viderem. At si nos tanti non fuissemus, aut Haga, ut huc veniret, saltem vidisset magnum illum [1] fautorem suum, cui poëmata inscripsit. Si quicquam haberem, quo fraudarem cogitatione ista animum, quodcunque esset, facile admitterem, nunc nihil habeo, quod dicam, nisi me angi & torqueri, & aegerrime hanc injuriam ferre. Nec volo, ut labores de isto scrupulo mihi eximendo. Illud facito potius, scribe, quid dixerit, quod consilium ejus fuerit, aut quae ratio in posterum studiorum. Nihil enim accipiam, quo hanc scabitudinem pectori detergeam, tempus solum sufficit huic leniendo dolori. Libris, quos emi cupieram, quid factum est? quid respondes de illo, quem Lindenbrogius petierat: nam ego quidem humanitate amicissimi

1 Constantinum Hugenium.

Digitized by Google

cissimi abutor viri, cui tam longo tempore non respondeo. Item de aliis, quae in prioribus requisiveram, quorum nunc non meminisse sinit animus, in ista sola cogitatione defixus. Liber meus proxime umbilicum pervenit. Restat solus index, quem non perficere potuerunt operae, quia numeris deficiuntur, quos sequente hebdomade accepturi sunt. Nunc igitur praefatio & carmina in praelo sunt. Tu salve, mi Heinsi, & me ama. VIII. Kal. Majas Anno CIↃIↃCXXXVII. Raptissime.

EPISTOLA. XVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

MI Heinsi, ante hebdomodas, puto, tres aut quatuor a te petieram, ut in auctionibus, quae instabant, emeres, vel emi curares meo nomine, Jul. Scaligerum de re Poëtica, & Josephi in Festum castigationes. Ejus quid factum sit, haveo scire. Urget enim amicus ille, cui hoc negocii receperam. Libellum meum nunc plane fidem faciunt mihi operae intra tertiam hebdomadem fore absolutum. Duo enim modo folia ad indicem restant, quem nescio an prius excudendum dabo, quam praefationem & ἐυφημίας vestras, cum perficere non possim, nisi omnia illa folia domi habeam. Salutabis itaque humanissimum *Bodecherum* meo nomine, & monebis eum, si suam quoque hederam ibi legi volet, ut opus maturet. Quod ideo addo, ut contester gratum fore mihi officium amicissimi viri, quod non semel obtulit, non quod ambitiose prensem istiusmodi laudes, quas non mereri me fateor simpliciter, aut doctissimos homines importuna mea flagitatione ad eam necessitatem adigere velim, ut *nomina sua parietarias* herbas faciant. MS. Cyprianum post paucos dies ad Dn. *Boxhornium*, quem salutabis meo nomine, destinabo. Dixeram *Vossio* filio in bibliotheca Leidensi esse Vellejum *Fr. Nansii* manu adnotatum. Eum ille inspicere magnopere cupit, si per vestram humanitatem liceat. Et, puto, caussam reperimus eo facilius, quae Ovidio tuo servire possent, ex bibliotheca eorum nanciscendi, quam non spernes, credo. Si itaque ad me librum illum commoda occasione per amicum mittes, curabo ut, quod faciet lubentissime, vicem reddat. Epistolae τῦ πάνυ Patris tui de locis Statii controversis ecquam spem nobis gravissimae ejus curae relinquunt? Libris de Ponto & Tristibus ubi usus fueris, velim haut gravatim ad me remittas. Vides in inclusa scida libellorum indices, quos me sibi hîc emere jussit *Lindenbrogius* noster. De tribus habeo, quid respondeam. Primum hîc invenire non possum: Gratum, ajo, facies, si in bibliopoliis vestris explorabis, numquid ille ibi, & quo pretio venalis sit. Vale, charissimum caput & me ama. Hagae a. d. IV. Kal Majas Anno CIↃDCXXXVII.

Fabri-

Fabricius noſter viae ſe jam commiſit, & credo, propediem hîc aderit. Morabitur ejus iter, quod Embdam, Groningam, & alias vicinas illis urbes viſere conſtituit. Scedulam Lindenbrogii, cum reſcribes, remitte

EPISTOLA XIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Hagam.

Chariſſime Rerum, ad tuas jamdudum reſpondiſſem, niſi hactenus me ſuſpenſum tenuiſſet *Commelinus*, cui ſcedulam illam Lindenbrogii tradideram. Is nunc demum mihi dixit librum iſtum nuſquam apparere. Deinde conveni *Elzevirium*: ut videas, quam tua mihi curae ſint; Exemplar hîc nullum habet, ſed Francofurto expectat. Itaque hac in re utilis tibi eſſe non potui. Neſcio an ad riſum magis, quam iracundiam me compulerit ſcelus illud forenſe. Dignus eſt, qui Sileno ſtupidiſſimo Deorum a clunibus ſit. Non tamen inultus feret, ſi & tu & Cl. *Lindenbrogius*, cui etiam officia mea deferes, ita volunt. *Zuerius* & ego furore unius aut alterius Jambi vindicabimus *Morſium* ab iſtiuſmodi beſtiis. Nec Scriverius deerit. Si nomen nebulonis non latuerit, fortaſſe immortalitatem ab iis ſperare poterit, quos maxime contemnit. Miſeret me tamen miſerrimi *Morſii* & patriae tuae, quae poſt tot illuſtres animas, tam inſulſos porcos producit. Sed valeant haec. *Fabricius* hîc fuit, abiit, nobis inſalutatis. Quam aegre hoc feram, tecum cogita. Caeterum Ploſius totam rem narrabit tibi. Poëmata ſua hîc reliquit. *Bodecherus* heri Haga reverſus eſt. Illum hodie conveni. Si diem aut alterum expectare potes, carmen promittit, ſin minus, excuſari percupit. Quidquid erit, brevi fac, ſciam. Velim etiam ſcire, an Cyprianum totum conţuleris. Hoc mandavit mihi *Zuerius*; Si partem tantum, fac item ſciam. Nam nos eadem in re ſudaremus. Tu feſtinationi meae ignoſces. Jam enim me expectat *Bodecherus*, cui me totum addixi. Vale, mi frater & omnibus me commenda. Raptiſſime. Lugd. Bat. May. CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA XX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

CHariſſime Heinſi,' jampridem reſpondiſſem tuis, ſiquidem argumentum aliquod, quo capi te ſperaſſem, obveniſſet. Nam iram ſane tuam in Ibin probare

probare non possum. Ignosce pro affectu mutuo quaedam liberius dicenti. Vides quam Camarinam moverit amicus noster optimus, dum sordidissimo atque vilissimo vindicandi genere verba pauca nequiuscula, non dicam ab eo profefecta, qui adeo fibulam linguae imponere non novit, ut saepius stultitiam suam prodat, castigarit. Prorsus fecit inconsulte: nec meum hoc judicium est, sed omnium honestorum & gravium virorum, qui quidem cunque eam rem cognovisse mihi auditi sunt. Primum est sapientis, hominum male feriatorum sermonibus caussam non dare. Hoc si habere non possis, nihil dignius, quam bene agendo & rumusculos istos subrostranos strenue contemnendo refutare. Sed haec melius procul dubio audies ex τῷ πάνυ Parente tuo: cui quantopere displicuerit amici nostri temeritas, non nescire te arbitror. Cura igitur, ne corrumpas ipse famam, quam de te fecimus, qui amamus, & Pater tuus credit, te, cum conflictui proxime non adesses, ideo accessisse, ut pacis mediusque belli athletas illos, alterum verberando, vapulando alterum strenuum, instar Agonothetae,

Ὃς χείρωσιν ἔχει εἰρήνης ὅπλον ἀμοιβὸς,

dissolveres ac pacares. Hoc sane omnibus, qui crediderunt, magis decorum visum est, quam ipsa pugna. Hanc paginam, si displicet tibi, comburere potes. Quamquam quid mea? non enim hoc a me, opinor, petent amici mei, ut iras eorum semper secundem. Non amici hoc est, sed stimuli, sed Furiarum. Silium recte accepi, & mox, ubi usus fuero, remitto. De illo, quod praeterea mandas, memor ero: tu modo telam, quam incepisti, gnaviter detexe, & sile. Miseras aliquando epistolas aliquas *Casauboni* ad Hoeschelium. Eas, quia forte tum occupatior eram, ubi inter schedas meas reposuerim, exputare nequeo. Nec tum eadem ex caussa inspicere ocium erat, haberemusne illas in numero nostro, nec ne. Nunc imprudentibus nobis supervenit hora, qua edendae essent, si quidem aliae sunt ab illis, quas habemus. Earum ergo principia & diem ponam hîc tibi, uti videre & agnoscere possis, sintne inter nostras: & si non sint, ocius vel ipsa autographa huc mittere: *nisi enim hodie allatae fuerint*, in ordine non poterunt collocari, & operae sufflaminari se non patientur. Ocyus, quaeso, hoc perfice, mi Heinsi, & si quidem aliae sunt, quas miseras, cura, ut hodie eas habeamus. Si hodie nullas a te accepero, putabo in his illas contineri, & nihil mihi novi exspectandum. Epistolam ad Scaligerum, praefixam poëmatis ejus e Martiali versis, nactus sum nuper apud *Stratenium*, eam ergo etiam curabo suo tempore addi. Diatribe adhuc propter indices haeret. Vale suavissime rerum, & me ama. VIII. Kal. Jun. Anno CIƆIƆCXXXVII.

Quid censes de Ovidii loco lib. VI. Fastor. vers. 435.

Autor in incerto est, res est Romana. tuetur
Vesta, quod assiduo lumine cuncta videt.

Vide in notis emendationem Scaligeri, quam si intelliges, eris mih magnus Apollo. Quid apertius, quam scribendum: *tuetur Vesta, quod assiduo lumine juncta videt*. In iisdem enim penetralibus ignis Vestalis & Palladium. τὸ *quod* non conjunctio,

sed pronomen est. Citamus alicubi locum illum, sed non emendamus, quod tamen facile fuisset, si mens non laeva fuisset. Si tu tamen aliter sentis, nec sciam.

EPISTOLA XXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Lugduni.

CHarissime Heinsi. Absit ut indigne tulerim liberam defensionem tuam. Meum excusare erat, qui prior libertatem in te ausus. Quicquid tamen scripsi, non tam causae ipsi, quam naturae meae lenitati, sive tu lenitudinem, aut ἀοργησίαν interpretari mavis, dedi. Tum vero a te me amari puto, quum plurima tibi in me licere pateris. Quod vere experiar, simul atque foetus meus, vel potius abortus, oculos tuos subierit. Cave enim, ne simpliciter & aperte ad me perscribas, quaecunque displicuerint tibi, aut non firmo talo stare videbuntur. Non est gratius mihi quicquam, quam liberrima de meis audire judicia, & ea ingenuitate tractari, qua ipse alios excepi. Nihil enim dedi gratiae, ut non libere ubique sententiam dicerem, & magnos etiam viros notarem. Si illis & mihi licet, cur non nobis reprehendere, quod ipsi nostrae aetatis aut profectus cum essent, aliis fecerunt? Constent interim ipsis sua merita, & noster erga ea cultus. Nec enim, quia magni viri sunt, desinunt esse homines, ut errare nesciant: nec, qui magnos viros in levi errore deprehendit, propterea major est. Veritas & antiquitatis cura omnibus sit major & vincat ubique. Interim in calumnias & sycophantias istorum hominum, qui coram omnia laudant, post tergum frigidam suffundunt, & bonos viri inferre naturae suae, idemque ipsi facere cogant, noli, quaeso, ita Heinsius, ita meus sis, noli unquam consentire. Multi enim multa reprehendunt: quorum censuras susque deque faciemus, nisi ubi peccasse nos in bonos autores ostenderint, aut istius reprehensiones speciem habuerint. Haec aut defendam, aut victus manus dabo. Scio enim & nobis plurima quotidie excidere, quae tutius latere poterant. Hac hebdomade, aut initio sequentis, certam fidem faciunt operae absolutum libellum fore. Potuisset citius: sed decedentibus quatuordecim fere diebus, negotiolorum tanta vis mihi incubuit, ut illam curam posthaberem: & illi mea incuria ad suam abusi sunt ignaviam, & aut aliud egerunt, aut feriatos habuerunt dies. MS. codicem tibi mitto: qui tamen quanti pretii sit, ipse nosti. Ego tamen bellae curiositati tuae deesse vel sic nolui. De epistolis Casauboni ignosce memoriae meae. Inveni nunc schedam tuam: ecce tres ad Elmenhorstium, quas ego ad Hoeschelium scriptas credideram. In conjectatiuncula ad Naonem vos dubitare, vellem ante scissem. Jam enim excusa est, & adjiciebam tribus vel quatuor verbis ad

omissa

amissa eapse momento, quo istas priores meas ad te exarabam. Videbo quid dicturus sis, quum ea, quae in ipso libello jam antea ad defensionem ejus attuli, legeris. Nec enim tam ingeniosam (certe nihil in ea est ingenii) quam veram puto. Sentit tamen unusquisque quod vult, quodque animum ejus probabilitate ejus percussit, ut ajebat Tullius. Maximo Parenti tuo, totique domui vestrae plurimam adscribo salutem. Nec non Cel. Scriverio, Boxhornio, Bodechoro. Vale, corculum meum, & me, ut fecisti hactenus, bona fide ama, Hagae a. d. III. Jun. CIↃIↃCXXVII.

Stratenius salutat te plurimum. Ipse ajebat se aliquid ad te literarum laturum. Si ad me miserit, una cum his accipies. Nondum enim miserat, cum has scripsissem. Ampliss. Graswinckelius, qui commodum claudenti epistolam intervenichat, vos salutat. De origine τῆ *Vesta* verissima magnus ille tuus Pater, noster doctor. De loco ipso, ut dixi, videbis postea. Iterum Vale, mi Heinsi. In Cypriano quid fit? pergitisne? & hic quoque amicus noster diligentiam tuam destituit? utinam tamdiu retineres illum, dum mihi aliquando ad vos excurrere elicebit, ut optio tibi esset.

EPISTOLA XXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

CHarissime Heinsi, Inclusas cum primo quoque tempore Ultrajecti oporteret esse, fiducia amoris nostri ausus sum hoc tibi negocii injungere, ut sine mora ad nautas deferri eas juberes. Id rogo, ne accipias in malam partem. Si te velis ulcisci, causam non dico, quin decuplo graviore onere me mactes, & habeas tibi ut asinum clitellarium, vel potius ut mulum Marianum. Magna agitur res mea, quare diem lunae, ante quem nullae hinc naves Ultrajectum proficiscuntur, exspectare non potui. Diatribe (Deo sit gratia) cum praeteritae hebdomadis fine absoluta est. Sed exemplaria adhuc nulla ab homine meo extorquere potui, praeter quatuor, quae non compacta, cum occasio forte ita ferret, ut sine sumptu possem, ad amicos nonnullos misi. Post pauculos tamen dies habebitis. Ille scelus nunc incipit similis esse ordini suo, hoc est, dum lucrum quaerat, omnem pudorem & honestatem exuere. XXV. exemplaria ausus est offerre mihi. Respondebam: Da potius nullum. Sic indicabo amicis meis, ut si velint, ipsi exemplaria emant, nunc si aliis dedero, & vix dimidiae parti eorum, quibus dare me oportet, satisfecero, omnes, quibus non dedero, inconciliabo. Videbo tamen quid futurum sit. Si perseverabit similis sibi esse, habeo paratam vindictae occasionem in epistolis Casauboni: quarum quidem ne paginam posthac excudendam dabo, nisi facta syngrapha constiterit mihi, quid labori meo futurum sit praemium. Interim etiam cum

damno noſtro officio non deerimus. Vale, ſuaviſſime rerum, & me ama. Salutandos omnes ſaluto, in primis qui domi veſtrae. Raptiſſime a. d. xv. Kal. Jul. Anno CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA XXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

MI Heinſi, Quod tam prompte literas, quas mandaveram tibi, curaſti, gratias ago. Licet hoc in tuum expenſi codicem referas. Semper bonus ratiocinator officiorum tecum ero: & utcunque tarde aut nunquam ſolvere potero, quae comitati tuae debere coepi, libenter tamen debebo, & nexus iſtius nomen non defugiam. Rumor ille de libro meo certe vos feſellit. Teſtem advoco conſcientiam, nemini exemplum dediſſe, praeter tria, quae *Chriſtenius*, cum nudius quartus hîc eſſet, accepit, non compacta: quorum unum haberet ipſe, Voſſio traderet alterum, tertium Pontano mitteret. *Sixtinus* enim, neſciebam, an nunc Amſterodami eſſet, quia ipſe alio commigraturum ſe dixerat. Nec illud feciſſem, niſi tam commodam occaſionem cis pluſculos dies me habiturum ſine ſumptu tranſmittendi deſperaſſem. Compactum vero nec dum ipſe habeo, nec ampliſſ. *Graſwinckelio* adhuc obtuli. Interim ne querare ulterius, en tibi exemplar, ut ex typographia exiit. In quo agnoſces amorem noſtrum, errores notabis, meque monebis candide, quae jejune ac frigide dicta ſunt, ignoſces. Ad τὸ πάνυ Parentem & amicos caeteros proxima ſeptimana exemplaria curabo. Cum nuper apud Senatorem *Schottum*, virum doctrina & virtutibus prorſus incomparabilem, ac eo majorem, quo ſe magis tegit, eſſem, rogabam, ut Senatori *Honerdo* me commendaret: tum enim nondum allocutus ſum; ſuſcepit pro facilitate ſua atque amore, quo immerentem complectitur. Diſcedenti excidit epigramma, quod antequam cum ipſo libro ei tradam, tuae limae committo:

Praeſidium legum, caſti pars magna Senatus,
Quo ſurgunt Batavae fulcra ſecunda rei,
Cui ſua non humilis plectra aſſignavit Apollo,
Datque cothurnatis verba ligare modis,
Quo magni Proceres & fortis libera Belgi
Majeſtas gaudet Regibus ore loqui:
Accipe, quos viridi Cyrrhae baſchatus in umbra
Plurimus & Pindi nocte dieque jugis,
Ad tua, Parthenope, panxi ſacraria, thyrſos,
Quae tuus haud ſtruxit civis inerte lyra.
Grande loci meritum, non his Amphionis arces,

Nec

Nec victrix certet sylva secuta Chelyn.
Atque o nostra tuae placeat, Rocbe maxime, menti
Religio, o dignus Orgia tanta feram!
Et mea, quae trepido saliunt nunc pectora motu,
Laetior in voti gaudia pulsus agat!
Cum dextra has capies, heu vilia pignora! chartas,
Et facilis dices: tu quoque noster eris.
Dum metuis, sperare licet. placuisse putabo,
Si legis, & falsa credulitate fruar.

Recense, qua opus est, emenda. Vale, corculum meum. Hagae. a. d. XIV. Kal. Jul. Anno CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA XXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

CHarissime Heinsi, in exspectatissimis literis unum ingratum fuit de te ipso, aeque ut nuper in aureis sermonibus ὁ πάνυ *Gronovii* nostri. Ex eo enim cognovi primum, quid foret causae, cur tamdiu tuis carerem: cognovi, & sentire mihi visus sum partem doloris tui, visus ipse querquero quati, diris ardoribus incendi, ventre moto inquietari. Sed bene, quod sanavit me epistola tua, nec invaletudinis meminit aliter, quam ut nunciaret mutatam. Ita abunde compensasti moram ipsam: tanti fuit non accipere epistolam me, quamdiu aegrotares. Nunc vero ex animo Deum precor, ut pristinum hoc bonum, quod recuperasti, & brevi intercapedine didicisti, quantum sit, proprium esse velit tibi, & in Nestoreos annos continuari, ut ab illis felicissimis *studiis tuis innumera in commune publicum profutura promanent*, & perficias, quod ego sum auguratus. Pro quo, ut gratias agas mihi, nihil est sane: qui jamdudum non haec modo, tum summis virtutibus hujus aetatis tuae, tum meritis erga me (ut propria tua recenseam, nec memorem, qui totius domus vestrae in me sit nexus) debebam. Caeterum hoc meum grati animi testimonium acceptum esse tibi, tamque benigne id te interpretari, id vero ego imitus laetor, & haut muto factum. Veniet, spero, dies, cum omen nostrum in rem praesentem conversum fuerit: nec erit tum quisquam, qui magis hoc ad se pertinere credet, quam ille ipse, qui dedit, & majore buccina fonabit laudes tuas, si tamen & ipse supra hanc imbecillitatem, quae nunc publicata est, aspirabit. Ipsum opusculum nostrum νεοτευχὲς, ἔτι γλυφάνοιο ποτίσδον placere potuisse tibi, non miror, qui nos ames, ut de nobis judicare non possis, quia affectus judicium tuum supplantet. Ego vero hunc ipsum affectum judicium interpretor, & sic fraudo diffidentem animum metu, quem pro foetu meo

habebam, hactenus, ut non inutili negocio in nostris manibus fuerit Statius. Nam ut aliquid supra caeteros egregium praestiterim, nunquam me sic amabo, ut mihi id persuadeatis. Nosco ingenioli mei vires, scio quam exigua doctrina, quam haec ipsa inter spinas quasi & tribulos diversarum occupationum aegerrime collecta mihi. Sed hoc statim in ipso exordio observabam, editores non nullos priores, qui istis rebus infinitis parasangis me superabant, industria caruisse. Ante duas hebdomades fere misi exemplum ad *Gevartium*, non ligatum, sed impactum, & accisum tamen, ut minor esset moles fasciculi. Si tam magno erit animo, ut stricturas liturasque nostras in lectiones suas concoquat, habebo certum amicum, quem posthac summa observantia colam. Sed hoc vix spero. Non respondebit, credo, mihi, sed post aliquot dies epistolam edet, ubi videbitis rejectiunculam interpretis Statiani. Hoc si faciet, & ego vivam, ostendam illi me *Cruceum* non esse: & augebitur forte uno atque altero folio liber meus. Oportebit enim defensionem exemplaribus, quae adhuc in taberna sunt, adjici. Sed haec somnia sunt. Ego saltim conscius sum mihi, me numquam injuria illum vellicasse, nec unquam ineptum, indoctum, inscitum, male de Statio meritum appellasse. Conjecturas ejus reprehendi: sed & aliorum, sed & amicorum, quos alias observo, veneror: quod in ipso limine sine fraude me facturum praedixi. Interim meos quoque errores libens agnoscam & emendari patiar. Quare te quoque, charissimum caput, oro, ut in quibus nos dormitasse offenderis, ne sinas nos medio die impingere: sed face ingenii tui dispellas tenebras nostras, & liberrime lapsus nostros castiges. Et videbaris sane innuere te hoc amici munus praestiturum, si exemplar ad manum haberes. Habebis nunc certe, quod ad τὸ ὑπόμεγαν Parentem tuum misi. De *Sauberto* gaudeo illum observantiam suam erga nomen vestrum tandem protulisse. Ego scio, quos olim sermones cum ipso de ea re, & magno illo opere, quod nunc exercet Elzeviriorum operas, jam tunc sperato, habuerim. Vir profecto est vere doctus, & pacis Ecclesiasticae amantissimus: cujus si consilia audirentur, plus pietatis, minus controversiarum in Ecclesia haberemus. Sed & laetor, quod meminit mei: quamquam verba illa pudori nostro gravia sunt. Vellem citius hujus mihi rei notitia fuisset. Scripsi enim ante paucos dies Altorfium, sive Noribergam, ad *Mich. Virdungum* pro impetrandis Casauboni ad Rittershusium epistolis, de sententia maxime illustris & maximi viri Domini de Tienhooven, qui ut opus illud promoveret, me de curandis illis literis securum esse jussit. Itaque illas ei nuper tradidi. potuissem commode adjicere ad Saubertum unas. *Fabricium* non miror cum Sabinis somniare, quod libenter vellet. Non aliter loquitur in iis, quas ad me misit: jubet etiam me mutare nonnulla in dedicationibus: quod satis fiet tempori, cum liber praelo subjicietur. Sed mihi senior Elzeverius, cum hîc esset, sine circuitione loquebatur, esse sibi adhuc permulta exemplaria prioris editionis, quae priusquam divendita sint, non posse se auspicari aliam. Scribebas te una cum tuis mittere ad me Fabricii literas: id oblitus credo, cum obsignasti tuas: neque enim illas vidi. Codices quod remittis, ago magnas

gnas tibi gratias. De illis Excerptis doleo me tibi non satisfacere. Crede mihi, meus amor, ab eo tempore, quo primum illa perscrutatus sum obiter, & incidi in locum illum, quem in omissis propositum vidisti, non fuit ocium mihi vel semel de illis cogitandi. Nisi vir ille, quem merito vereri & revereri me scis, aperte mihi interminatus esset sub amissione benevolentiae suae, ne cuiquam mortalium chartas illas (sunt enim ex quodam adversariorum libro abreptae) ostenderem, ipsas jam dudum tibi tradidissem. Dabo operam, ut commodissime fieri poterit, ut neutri vestrum injuriam faciam. Sed & Vossianos exspectabam dudum: videntur leviores facti abnegatione Velleji: sed palpabo, & serio admitar, ne hic quoque spes nostra destituatur. Folia de Somniis & Boethium hic habeo. Martialem addidissem, sed restant paucula in ultimis libris emendanda, quod ne heri aut nudius tertius facerem, impeditus fui. Propediem tamen eum recipies, & exonerabimus nos aliis quoque libris, quos nimis diu ex vestra bibliotheca & publica detineo. Cura ut valeas, mi Heinsi, τῶν δὲ ἀλλοίων ἀπαλλαττόμενοι δὲ Δίδ' ἐμῷ. Hagae a. d. VI. Jul. satis verbose, cum ita constituerem, sepositis omnibus hanc horam ociose tecum garrire. Anno CIↃIↃCXXXVII. Saluto Dn. Parentem tuum, Amitam, sororem, nobilissimum Ploossum.

EPISTOLA XXV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Latine.

CHarissimum pectus. Pudet toties allegare penes te nugales occupationes meas, cum praecipua occupatio ea esse debeat, & sit, respondere humanitati tuae, atque officio studioque erga te plenissime satisfacere omnibus. Sed *ita fieri solet, abripimur* a praesentibus etiam inviti, & absentium, quorum etiam non minor, immo vero major cura est, diem ingratis coginur diffundere. Tibi vero, si quam bilem in nasum conciit mora mea, placabit eam, spero, adjunctus τοῦτο liber, in quo tandem impetrabiles humanissimos illos homines habui. Eo uteris pro lubitu tuo, & quum satis fueris usus, ad me remittes. Ἐπιστολὴν Parentis tui χρυσῆν ἀντάξιαν recte accepi, & responsionem ad eas adjungerem, nisi gravissimas ejus curas interpellare vererer. Meam igitur praestabis vicem, & officiosissime salutato narrabis laetitiam meam, quae intimas mihi fibras pervenavit, simul eas legi. Eram tum forte in procinctu, ut adirem heroa *Graevianellum*, cum eo pransurus. Cui ut illas perlegi. cum ter perlegisset, quid senserit, quid dixerit, vos soli aestimare aequi estis, qui novistis, quam magna illa anima divinum virum, Parentem tuum, intelligat, admiretur, observet, quam te amet, amplectatur, & per eadem vestigia ad apicem gloriae grassantem videre gestiat. Epistolae Casauboni lentissime magno

gno dolore meo procedunt. Nec adigere quibuscumque admonitionibus hominem noſtrum poſſum, ut maturet. Semper adeſt aliquid cauſae, aut ſi multum boni, honeſtae promiſſiones, ſed quae rariſſime ad diem reſpondent. Miſi exemplum libri mei ad ampliſſ. *Cunaeum*, & eadem via affectum ipſius parare mihi per literas ſtudui. Velim captata occaſione judicium ejus explores, & mitiſſime admoneas, ſi permittant rationes occupationum ſummi viri, ut breviter ad meas reſpondeat. Saluta, quaeſo, nomine meo Scriverium, Boxhornium, Bodecherum, Ploſium, honeſtiſſ. amitam tuam & ſororem ſuaviſſimam. *Baudii* Amores quando apparebunt? quando Agricola Taciti? Nos in angendis Caſauboni epiſtolis quomodo laboremus, videbis ex adjectis, quas Dn. Parenti tuo, cum vacabit, oſtendes, & ad me remittes poſtea. Nolim pluribus, ne interpretentur iniqui vanam aliquam ambitionem, quaſi ideo eas oſtentem, quod optimi illi viri nimis me aeſtiment. Facerent hoc enim haud dubie iſti, quos dicis, aemuli: quos, quamvis paucos, neſcio quomodo comparaverim: qui nec quicquam aemulatione dignum in me agnoſcam, & ſi tale quid ſuſpicarentur alii, ita id abſcondam ac demittam, ut facile omnibus, quos odor aliquis eruditionis afflavit, qui me nunquam, loco cedam. Fabricii Poëmatis omnem bonam fortunam precor, ſed exiguam adhuc, immo nullam ſpem Elzevirii mihi dederunt. Niſi tua gratia aliquid effectum fuerit, jacebunt, credo, ad Kalendas Graecas, aut meae Diatribae fatum experientur, quae a nullo non Leidenſi, Amſterodamenſi, Hagienſi magnis auctoribus rejecta eſt: donec tandem bonus Mairius os ſibi ſublini pateretur. Si itaque, quod vix ſpero, aliquid aequi ab eis impetraveris, fac ſciam. Interim, quod fiat commodo tuo, partem operis inſpicere velim, propter nonnulla, quae ipſe Fabricius me perlegere juſſit. Erant his diebus mihi in manibus docti quidam Scriptores, quos in aliquot locis veterum ad Comitiorum rationem pertinentibus mire deprehendebam allucinatos. Ii etſi Gruchium allegabant, ut ſententiam ejus explicare magis viderentur, quam aliquid afferre novi, ipſum tamen Gruchium videre aveo. Si in veſtra bibliotheca eſt, mitte, quaeſo; ſed per amicum, non aurigas, non nautas. Nec enim feſtinamus. Cl. Boxhornio librum ſuum etiam remitto. Errat auctor p. 38. in loco Senecae lib. II. de Ira. Nihil verius Lipſiana ad illum locum nota, & poſſem eam ſexcentis exemplis probare. Vide illum, ſi operae eſt. Vale decus meum. Hagae VIII. Kal. Sextiles Anno CIↃIↃCXXXVII.

Noli, quaeſo, imitari ignaviam meam, ſed quoties vacat, & lubido eſt, ſcribe. Semper enim tuae mihi gratiſſimae veniunt. Ob cenſuram in epigrammatium valde te amo, & recte monenti ſtatim obtemperavimus. Scripſimus enim: *Quo ſurgunt Batavae.* Ante ſeptemdium valere nobis dicebat heros Ianus Grotius opiparo convivio apud patruum. Ibi ſaluti Heroum Leidenſium multae amyſtides in orbem iverunt. Hoc ſcire te volui.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA. XXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

CHariſſimum pectus, etſi nihil mihi antiquius, quam tua juſſa capeſſere & exſequi, tamen a reditu ſic implicitus fui, ſic diſtractus, ut otium ad Voſſium ſcribendi mihi defuerit. Neque enim reſpondere poſſum, quin judicem de illis, quae ille in Diatribe notare voluit. Hodie tamen, aut certe cras, id faciam, & ſtatim ut accepero Ovidios, ad te mittam. Vide infelicitatem meam. Heri obvius factus mihi *Cl. Grotius* ſalutem dicit a fratre ſuo Legato, & gratias agit ejus nomine pro munuſculo libelli mei. Caeterum illum mirari, quod literas ſuas ſatis, ut ipſe ſcribit, prolixas, in quibus de plurimis Statii locis ſententiam ſuam rogatus a me expoſuerat, non acceperim. Vide, inquam, damnum meum. Dum haec ſcribo, redditur mihi epiſtolium ipſius incomparabilis viri ad me, in quo de opuſculo noſtro judicat, & gratias agit. Vix me contineo, quin ad te mittam, ut hujus gaudii mei ſis particeps. Sed ſufficit vane cogitaſſe, ne etiam opere ipſo vanus ſim. Non ita pridem etiam reddita mihi, quam vides, *Fabricii* epiſtola. Ea cauſa tum ſtatim aliquid ad *Scriverium* exaravi. Cum eo tu de re tota loquere, & epiſtolam poſtea remittes. Vale, Corculum meum, & me ama. Scripſi raptiſſime. a. d. IV. Kal. Auguſti. Hagae. Anno CIↃIↃCXXXVII.

Τὸν πάνυ Parentem tuum officioſiſſime ſaluto, item omnes domeſticos veſtros, quibus etiam nunc gratias ago maximas pro nupera comitate. Heri veſperi coenabam genialiter cum ampliſſ. *Graſwinckelio*, ſolus cum ſolo. Omnia lepide, jucunde, multa memoria amicorum, plurima veſtri. Iterum vale, effundo enim haec adſtante nobiliſſ. *Pavio*, qui hanc feret.

EPISTOLA. XXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

CHariſſimum pectus, noli putare, tantam in me cadere negligentiam, ut obliviſcerer promiſſi mei, abſque amiciſſimo vander Mairio fuiſſet, quem omnino conventum volebam, antequam ad te ſcriberem. Itaque quater captatis temporibus ad aedes ejus acceſſi: ſed hominem domi deprehendere non potui, niſi quinta vice, die Saturni praeterito, cum tamen pauciſſimis, quod diſtringeretur aliis negociis, verbis cum eo locutus intellexi, nihil eum veterum

rum Cod. Ovidii habere, praeter quod penes me fuisset, tuque antehac habuisti. Interim non possum non laudare indefessum studium tuum in conferendis MSS. & V. C. quos ad institutum tuum profuturos putas. Nec profecto in hoc genere sine istiusmodi adminiculis quicquam feliciter tentatur. Ita omnes maximi viri eam viam sunt ingressi, eum laborem, idque taedium devoraverunt: & habes exemplum domesticum, quod in omnibus illustribus factis meritisque penes te allegandum. Vide in Horatium notas, vide in Senecam, in Maximum Tyrium, in alios: ubique vides MSS. & Cod. usum. Quique sola ingenii aut quantaecunque doctrinae ope hoc tentant, quid agunt aliud, quam siquidem vere docti sunt, ut plurimis in locis ingeniosas nugas ostendant, sin minus, omnium febrientium & mente emotorum ludibria somniaque superent? Ipse magnus *Scaliger*, quot in locis, in priore Manilii editione pedem impeditissimum habuit, per quae in posteriore, optimo illo Gemblacensi codice adjutus, quasi per planum pervagatus est. Et nos, quid veteres Statii codices nobis profuerint, allegare possumus: & tu, cum tua cum istorum hominum ἀυταγίτων commentis comparabis, tum vero demum luculentum fructum industriae tuae consequeris. Quare sic perge: nec dubito, quin exspectationem nostram, qui tantum ingenium, tantam eruditionem cum istis praesidiis conjunxeris, infinitis parasangis sis superaturus. Officium, quod mihi salutando τ πάνυ *Cunaeum* praestitisti, scito non tantum digne me aestimare; sed ejus fructum jam apparuisse. Eopse die, quo tuae mihi redditae, vir summus epistolam χρυσοῦ ἀυταξίαν ad me misit, pro qua praesens, si Deus voluerit, gratias agam. Constitui enim omnino hac hebdomade ad vos excurrere, & comitate vestra, qua toties me in ruborem dedistis, uti. Luctus vero tuus vehementer me conturbavit, & fecisset ambiguum consilii, nisi tu tamen me venire juberes. Cogitabam enim, ubi optima feminarum rebus humanis valere dixisset, Leidaene an Dordrechti, unde genus esse credebam: si Leidae, an non multiplicia hinc vobis negocia? si Dordrechti, an non vos eo excursuri? Si alterutrum, exspecto adhuc a te unas, quibus me tantisper domi manere jubeas, dum vos haec explicueritis. Sin eae non missae fuerint, die Jovis aut certe Veneris me cum bono Deo exspectate. Ovidii Codicem mitto, quem petieras. Vale, anima mea, & vestros saluta. Hagae v. Id. Sextil. CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA XXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

CHarissimum pectus, quod hactenus silui, facile cogitas, credo, nullam aliam fuisse causam, quam quod literas *Gerardi Vossii* & Ovidios expectarem. Unum

Unum librum, quem vides, ante quatriduum accepi, sed sine literis, quas eum tamen jam ante septimanam dedisse *Franciscidion* nuper mihi confirmavit. Igitur nescio, cur non Fastos una miserit. Illum statim, ut redditus, ad te misissem, nisi acutissimis dentium doloribus, quos uvas recenter nimium avide lurcando contraxeram, vexatus, omnem rerum mearum curam plusculos jam dies insuper habere fuissem coactus. Tu igitur hoc libro sine mora utere, & una cum altero edito dein ad me remitte. Non dubito, quin ubi illi ad dominos fuerint reversi, caeteros etiam facile simus extorsuri. Nec opus est, ut aut apud *Isaacum*, aut eos, unde hic sermo ad eum emanare posset, hos libros penes te esse fatearis. Ad *Scriverium* ante mensem scripsi: de suspicionibus, de quibus commodum injeceras, me purgavi: rogavi, ut Fabricianorum poëmatum edendorum curam sumeret. Ille nihil respondit, nec de libro meo judicium suum scripsit. Tu, si quid hujuscemodi ex sermonibus ejus cognovisti, cave de quoquam me habeas celatum: quod te per amicitiae nostrae sinceriſſimae genium oro. Si ab hoc viro auspicia editionis libri illius exspectanda sunt, miseret me optimi *Fabricii*, qui sub tam lentis maxillis erit. Velim etiam scire, an Palladium MS. ab eo impetrare potueris. Relegi non nulla observata per otium, & multa notavi mihi egregia, quae statim in ipsa collatione aestimare non potuimus. Quae etsi per se satis sint commendata, & vel uno libro veteri teste nitantur: tamen velim scire, an & altero codice possint confirmari. Epistolam *Fabricii*, quam dudum est, quod ad te misi, quin acceperis non dubito. Puto te tum cum Dom. Parente domo fuisse profectum, quum ista vobis reddita est. Eum pridem rediisse Leidam ex amplisſ. *Gransvinkelio* cognovi. Itaque illam, ubi commodum fuerit, remittes. In Epistolis *Casauboni* nunc graviter pergitur. Accepi etiam ante paucos dies egregium augmentum a *Rittershusii* filio. Scire cupio an redierit *Boxhornius*. Vale, amiciſſime mortalium, & me ama. Raptim a. d. XVII. Kal. Octobr. Anno CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA XXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObiliſſime & Chariſſime juvenum, indigne mecum agitur, quod de divino Scazonte Parentis tui ex aliorum potius sermonibus hîc, quam tuo missu, mihi fuit cognoscendum. Erubui sane & exarsi, ubi ea fama ad aures accidit meas: quippe qui primus videre & scire debuissem, ultimus credo omnium, qui hîc sunt, accepero. Haeccine est fides! haec memoria nostri? qui toties pollicitus es, quidquid vel a te hujusmodi ederetur, nunquam me ejus exsortem fore. Dispeream, nisi haec res me angit vehementer. Quid si

Digitized by Google

nunc poſcam ipſam elegiam, quam ante tot dies manu ſtipulata promiſiſti te ad me ſcripturum, ſimul atque Ovidium Voſſii accepiſſes! Haud dubie minus adhuc reperiam memorem. Et quaſi conjuraſſetis, ſilet etiam *Boxhornius* heros, quem non ita pridem literis ſcriptis ad eum rogavi, ut unum triduum concederet mihi uſuram MSS. Cypriani, quo nunquam ita ex certa cauſſa egere me ſenſi. Is tamen nec librum mittit, qui in pulpitis ejus jacet, & ut vetus parma vacat, nec reſpondet. Tu redimes noxam, quam contraxiſti, ſi non modo illius admirandi Scazontis exemplar mittes, ſed extorquebis etiam illi lento MS. Cyprianum: quem non deſidero, ſed διψῶ, & tamen paucarum horarum uſu exſtincta erit haec ſitis, illeque ad vos revertetur. Heros *Pilius* te officioſſime ſalutat, & jamdudum album ſuum exſpectat. Itaque rogare me juſſit, ut quod commodo fieret tuo, petitum melos feſtinares. Idemque ego rogo, & te veſtroſque omnes plurimum ſalvere jubeo. Vale, φίλτατον κόρα. Hagae Poſtrid. Kal. Octo. Anno CIↃIↃCXXXVII.

Si me amas, fac ut tria ad minimum exemplaria habeam Scazontis. Jam in eo ſum, ut ſcribam ad amicos quoſdam doctiſſimos & optimos in Germania viros. Iis nihil gratius praeſtare poſſum, quam hoc κειμήλιον mittere.

EPISTOLA XXX.

J. FR. GRONOVIUS.

Nic. Heinſio.

Leidam.

CHariſſimum pectus, cum cognati quidam & populares mei aliquot dies hîc haererent, inde in caſtra profecti poſt octiduum reverterentur, rurſumque ſubſiſterent, fieri non potuit, quin multum temporis officia ipſis praeſtando comburerem. Ita interjecti dies, & qui poſt advenerunt, cumulum quendam negotiorum, turbato ſtudiorum ordine, in caput meum jecerunt, ut tardior eſſe cogerer in literis ad te ſcribendis. Quod facilis, ut ſaepe ſolitus, condonabis mihi, qui ubicunque eſſem, aut quicquid agerem, ad te tamen animo anhelarem, & debiti mihi ipſe eram exactor moroſiſſimus. Habe nunc pagellas duas, quas in nugatorio ſcripto noſtro feci recudi, & tot quidem, exempla, ſi recte pono calculum, ut duo ipſe retinere domi veſtrae, caetera *Cunaeo*, *Scriverio*, *Boxhornio*, *Bodechero*, ſingulis cum ſalutatione officioſiſſima offeras, atque hoc factum ſic apud eos excuſes, uti ego apud te facio. Primum igitur, cujus viri amicitiam lucrari poſſum, quid opus ejus eum prima notitia noſtri nominis odium quaerere? Nec tamen ipſum modo vereor, ſed & multos magnos & eruditiſſimos in Gallia viros, quibus illam ſcriptionem (vide & mirare ſuavitatem ſummi viri) commendaſſe ſe ſignificat *Grotius* ὁ πάνυ, quos ea libertate indelectatos ſuſpicabar. Denique videbam me quoque non in re quidem, quod ſciam, circa rem tamen erraſſe. Excerpſeram enim iſta ex adver-

adversariis sine ulteriore obrussa, cum in ea ipsa prius negligenter conjecissem. Non sum is profecto, qui magnorum nominum insectatione famam parare unquam constituerit. Sed vitium hoc aetatis est: efferimur interdum impetu juvenili, qui tamen, ubi paulum se collegerit animus, frigescit, & repeto omni studio quaesitum morem, modestia potius & comitate, quam audacia & spiritu placere. Erat autem caussa, quod vir quidem doctissimus, ceu herbam parietariam, ubique traducit bonum *Wouwerium*, qui tamen nunquam eum laesit, & aliquibus certe in rem literariam meritis, si qua fuit sinistra de eo fama, apud aequos arbitros illam consopivit. Audi etiam rem lepidam. Heri accepi tandem a *Gevartio* literas longe humanissimas. Is munus sibi gratissimum fuisse Diatriben testatur, reprehensiones nostras magno animo fert, ingenium & eruditionem (ita loquitur: voluit dicere, diligentiam & conatum) aestimat, ad similem telam in Thebaida & Achilleida contexendam amice hortatur. Equidem non possum satis admirari hanc virtutem eximii viri, & quamprimum rescribam ei verbis plus quam byssinis, quaeque vel coelo possint deducere lunam. Tu vero has nemini ostende, ne aut invidiam lacessere, aut νεανικὸν καυχᾶσθαι videar, dum apud te, charissimum mihi caput, apud quem omnia mihi, ut tibi in me, licere cupio, simplicissime loquor. *Fabricio* nostro ut placeat molestissimorum mortalium, a quo genere pudendum est praestantium ingeniorum famam pendere, scelus, credo, ex his videbis. Ego quanto dolore conficiar, quod alia omnia acciderunt, quam ipse speraverat, non sane quam ego, dicere non possum. Tu si quid respondere ei voles, una cum iis, quas ad me scriptas dudum ad te misi, remitte. Vale, mi Heinsi, καὶ μέμνησο ἀεὶ ἀριστεύειν. Incomparabilem Parentem tuum, Amitam, Sororem, Plosium, si apud vos est, observante atque officiosissime saluto. Hagae. a. d. III. Non. Octobr. Anno CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA XXXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & charissime juvenum. Dum quotidie ad te scripturio & identidem interpellor, aliquot mihi dies non sine dividia effluxerunt. Simul vero nunc paululum temporis suffurari potui, non sustinui diutius videri omissior. Loci Ausonii, de quibus Freherum inspicere petieram te, & recepi i, hi sunt. vers. 32. & *bivio refluit munimine pontus.* Quid *bivium munimen*? Si nihil, consule, quaeso, domesticum oraculum: neque enim hîc spero quicquam a meis viribus. Major fiducia me habet in illo corruptissimo loco versu 35. *Non superante vado rapidos reparare meatus.* Sed conjecturam meam, immo veritatem, habebis, ubi quid *Freherus* ibi dixerit, perscripseris. Mi-

Digitized by Google

nore molimine opus est vers. 242. ubi *defensos* haud dubie pro *defensus piscis* scribendum. Item vers. 256. ubi *Dexter in obliquum* lego, pro *dextera*. vers. 297. *mediis concurrit fluctibus Echo.* Hiat sententia, nisi legas, ut puto scripsisse Ausonium: *mediis quae occurrit fl.* vers. 409. *Quique caput rerum.* Nihil hic vidit Vinetus, qui longis logis nescio de quibus regibus nescio quid nugatur: cum sit expeditissimus sensus & caetera in facili, si de se ipso loquentem Ausonium intelligas. De his, ergo patieris hoc oneris imponi tibi, o φίλτατον πάτερ, ut amplissimi illius quondam & magni viri commentarium consulas, & ipsius adnotata mecum communices. Cypriano facile nunc carerem: sed non mittam, nisi per amicum, ne sine caussa te gravem sumptu. *Plinius* noster te humanissime salutat. Ille, quo avidius exspectat nectar Pierium tuum, eo majore in dies versatur in metu, ne se (est enim homo optimus, & te tum ex merito tuo praecipue, tum etiam ex sensu meo, facit maximi, de se sentit humiliter, cum doctrinam tuam, ingenium, & spem respicit) minus eo dignum putes, eaque de caussa moreris. Ego vero non unum juravi juramentum pro simplicitate & candore animi tui, & me stiti fidejussorem tui promissi, ut aestum ejus pacarem. Nunc, puto, Dordrechti est. Nam intra triduum non vidi eum, quod ipse ad me non invisit, nec mihi multum fuit ocii. Quod ergo commodo fiat tuo, etiam etiamque volentem te rogabo, ut et meam fidem liberes, & tantum tui miratorem spe certissima fraudari non patiaris, Vale, πατρὸς τρισμεγίστου magna gloria, & me ama; Patrem vero cum amita & sorore a me humanissime officiosissimeque saluta. Raptim Hagae a. d. III. Id. Novemb. Martialibus Anno CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA XXXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

Non possum verbis eloqui, quantum apposueris tuae apud me gratiae, ὦ φίλτατον ἦτορ, quod de locis Ausonii adeo accurate sententiam ἐξ πάνυ *Preberi* inquirere, simul & mecum communicare voluisti. Atque eo quidem magis debeo tibi, quo plus molestiae in libro inveniendo exhaustum est tibi. Solum illud doleo, quod tantum temporis mea hominis infelicis caussa Themidi Palladique tuis periit. Hoc damnum puto maximum & vix excusabile, absque tua esset humanitate, quae tanti aestimat tot beneficia imputari mihi posse. Quod quidem lubentissimo me semper feceris, qui agnoscendo meritum tuum bonum ero nomen, & ingenua confessione debiti faciam, ut te non poeniteat operum talium. Video doctum illum virum nihil minus curae habuisse, quam ut tot corrupta in egregio Poëmatio illo loca emendaret. Nempe Scaligeri nomen

non obstitit illi, qui, quae reliquit ille, de his desperavit. Sed audebone porro id tibi munus imponere? Si patieris, velim inspicias, quid dixerit ad versum 115. de Dinocharis opere:

Spirat enim tecta testudine Cerus Achates
Afflictamque rapit ferrato crine puellam.

Neve tantum inquirendi, sed & judicandi tibi dem materiam, cense quae mihi conjectura in mentem venerit. Historia est apud Plinium lib. xxx. c. xiv. ex qua discimus *magnetem* fuisse, unde suspendit Arsinoen Dinochares. Nam *Achatem* subditicium esse vel inde patet, quod nemo unquam senserit, *Achatis* eam vim fuisse, ut ferrum traheret. Τὸ *Cerus* est ab ineptis hominibus, qui verbum *Spirare* non nisi vento convenire putarunt. Scribe: *testudine vera magnetis*. Illas vero literas *gn* ambiguum facere syllabam nosti. Ut in *Progne*, *Cygnum* priorem corripuerunt Naso & Horatius. Nihil frequentius Graecis, & aliquid diximus in diatriba. Graecis non μάγνης modo dicebatur sed & μαγνήτης, & μαγνῆτις, hoc fraudi bonis hominibus fuit. Est vero *magnetis* ambiguum vocabulum, & tum significat lapidem Herculeum, qui ferrum trahit, tum alium, simillimum argento, λίθον λευκὸν, de quibus abunde Salmasius ad Solinum. Hinc factum, ut *veram magnetida* dixerit, quasi excludens ab hoc nomine alteram notiorem, quae ambiguum id vocabulum fecit. Ita apud *Martialem*, *vera Gentiana*, *veri Sardonyches*, & similia. Dein leg. *Affictam*, ut habent MS. Cod. quod est *affixam*. Ita Lucretius: *Ficta vestigia*: pro *fixa*. Et Diomedes Grammaticus citat fragmen. Scauri; *Sagitta confictus*, de quo Cujacius in Observationum libris. Hoc examina, quaeso, nam mihi nescio quo modo hoc commentum placet. vs. 408. *Praefecturarum titulo meruere secundo*. Hîc una litera mutanda est. Quod cum non viderent boni Vinetus & Alciatus, mirifice hîc se torserunt. Quid Marquardus? vers. 411. *Par fuerit primis*. Aveo scire quid ille hîc. Liquet enim mihi scribendum: *Praefuerit primis*, & intelligendum de Ausonio, qui praeceptor Augusti fuit. vers. 412. pro *suum* scribendum, *Tum*. Sed consulatum cujus intelligit Freherus, Ausoniine an alterius cujusdam? hoc enim praecipuum est. Si prius, vidit aliquid: nam in posteriori ineptit vehementer Vinetus. Scribo haec Delphis redux, ubi identidem nunc contemplor exemplum humanae fragalitatis in optimo *Levio* nostro, qui vivus videnque moritur, nisi Deo (quod precor) visum aliter, nam homines quidem desperant. Eo excurreram quoque, cum Cl. *Boxhornius* hîc esset. Eum ergo salutabis meo nomine peramanter, & magnas ages ei gratias pro lectissimis epigrammatis. Non intelligo, quod scribis de *Fabio cunctatore*, quem ais horrenda moliri. Rogo te per amicitiam nostram, uti hoc aenigma solvas mihi. Nam mihi quidem sphynx domi non est. Ignosce, quaeso, meae tarditati, qui ἐκὼν ἀέκοντι θυμῷ hucusque responsum differre molestissimis curis sum coactus: ignosce etiam harum festinationi, quas lassus languensque effudi. Saluta vero meo nomine officiosissime maximum Parentem tuum, totam domum, Scriverium, Bodecherum. Vale, mi Heinsi, & graviter disce stare ac nosse civilia jura. Hagae a. d. III. Non. Decemb. Anno CIↃIↃCXXXVII.

De

De *Isaaco Vossio* gaudeo tuum conspirare cum meo judicium, opto, ut superstes sit ille Juvenis, qui profecto virum ostendet, & nomen, quod vestris adjungat posteritas. Irascor furenter tardigradis illis, qui faciunt, quo minus legam divinos versus tuos. Ne ignores felicitatem meam, emi heri in auctione Mairiana Xenophontem ex ed. Leunclavii V. Florenis. Arriani periplum ponti Euxini & Erythraei cum notis Stuckii 15 stuveris.

EPISTOLA XXXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & Charissime juvenum. Quibus occupationibus districtus fuerim, cum tuae mihi redderentur, vel hinc scias, quod totas viginti quatuor horas, hoc est, diem & noctem penes me fuerit desideratissimus tuus fasciculus, antequam solvere eum quiverim. Accessit cumulo negociorum *Suffridus Sixtinus*, cui morosissimo exactori officiorum adesse me oportuit, & duos vel tres dies, quos minime habebam vacuos, nihil fere agendo comburere. Hunc tamen fructum habui, quod cum recitarem ei divinum poëma, quo Parens tuus Diatribam meam ornavit, an oneravit potius nihil tale meritam (neque enim viderat) exclamantem audivi: Ille vir solus Poëta est. Ego vero proxime post illum te pono, postquam τριπόθητον illud γεῦμα tuum legere coepi. Nec enim refrixit admiratio mea, quam semel excitaveras, postquam sub conspectu & judicio positum illud diligentius expendi, sed immensum quantum crevit. Habeo tandem carmen, quale multos jam annos videre expetebam, sobrium, castum, generosum, excitatum, in quo ne Momus quicquam reprehendat, nam quae tu dicis, illa vero decent aetatem tuam, quae tum plurimum promittit, quando foecunda sensuum est. Ego vero quamvis, uti nosti, versiculos rarissime tento, & in hac parte plane sum infans, non potui tamen me continere, quin jussu tuo nescio quod futile epigramma in illum, quem dicis insulsum nudumque tuarum virtutum aestimatorem, effunderem. Accipe igitur Cluvieno dignum foetum, & te, hoc est, γονιμώτατον ποιητὴν, dum legis, obliviscere:

Te quoque, dum celeris tentas vestigia famae
Nominibus magni non peritura Patris,
Degeneri livor jamdudum dente lacessit,
Livor praeclaris umbra comesque viris.
Felix, cui tenerae properavit flore juventae
Ingenium laudes, & decora alta senum.
Credimus & similem patriis virtutibus isto
Te genus, Heinsiade, posse negare minus.

At

At tibi, mens atra ſqualet cui tabe veneni,
Quoque cares, vati non finit eſſe decus,
Comprecor, ut maneat ſententia, nec ſit in illo
Pectore, cui quondam, quod facis, eveniet.

Heros *Pilius* coelum tenere ſe arbitratur tanto tuo dono. Album tradidit, credo, famulo veſtro. Illud magnopere te rogo, ut apud τὸν πάππον Parentem me excuſes, quod dum hîc fuit, ſalutare eum non potuerim. Crede mihi, nihil me nunc magis cruciat. Duos habeo amicos, quibus nihil non debere volo, alterum vivum poene (ignoſcat mihi genius tuus) cadaver, alterum jam funus. Scito enim bonum *Levium* heri rebus humanis πολλὰ χαίρειν dixiſſe: jamque ſum in procinctu, ut eam Delphos, & triſtiſſimam haud dubie matrem mulceam. Horum vero iſta culpa eſt, hi me in pluribus jam pridem ſaepe remorantur. Sed ſpero praeſentem me ſubſerviturum orationi tuae; & quod tu nondum excuſaveris, coram expiaturum. Exiguum adhue penſum reſtat mihi in Graecis epigrammatis, quod ubi abſolvero, non regnum merear, ut iterum humanitatem hoſpitii veſtri non deguſtem. Cupio autem, quos ex bibliotheca habeo, libros comiter adferre. Et eo nunc ſum occupatior, quod aliquot dierum in dulciſſimo conſortio veſtro ocium lucrifacere laboro. Cl. *Grotius* te ſalutat, & magnas agit gratias, acturus majores, ubi illuſtre munus perlegerit & aeſtimaverit. Quid Bavius & Mevius judicaturi ſint, ciccum haud interduim. Explorabo tamen, quia jubes. Alter abeſt urbe: alterum nondum poſt illud tempus, quo videri id voluit, vidi. Die Mercurii, ſi Deo placuerit, aut Jovis ſequenti hebdomade me exſpecta. *H. Grotius* notas ſuas ad Statii Thebaida & Achilleida miſit, quas tamen nondum vidi, neque enim communicare eas vult optimus *Gulielmius*, priuſquam cum aliquo otio eas una expendere potuimus. Hunc fructum praecerpere ille geſtit. Vale, deliciae noſtrae, & ſaluta totam domum veſtram. Hagae III. Eid. Decemb. Anno CIↃIↃCXXXVII.

Clariſſ. Boxhornium ſalvere jubeo, & fortiter facere in expugnanda Breda, Tantum enim, quantum ille volet, credet Poſteritas.

EPISTOLA XXXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime & Chariſſime juvenum. Quanta me adegerit neceſſitas, ut ἰκὼν ἀίκοντι θυμῷ abrumperem dulciſſimum conſortium veſtrum, & referrem me ad gurguſtiolum meum, ex eo licet argumentere, quod tot dies abierunt, & nihil poſt diſceſſum ad te ſcripſi. Nihil autem ſcripſi, quod ita eſſem diſtrictus, ut ne adhuc quidem libros illos, quos tua & *Boxhornii* gra-

tiâ mecum huc attuli, inſpicere potuerim. Quod vero meum utendi illis deſiderium ſit, ne tu quidem ignoras. Secus nihil mihi fuiſſet antiquius, quam repetere grates pro, non dico inaeſtimabili benevolentia, ſed vero meritis atque officiis in immeritum me veſtris. Equidem quicquid in Heinſianis aedibus eſt, ſingulari quadam εὐφυΐᾳ ad gloriam, elegantiam, gratias, comitatem, μεγαλοθυμίαν natum & compoſitum eſt, ne Caniculam quidem excipio & admirabilem illum

Audaces morſu ſolitum conſumere mures.

Et ſane hoc ſacrarium patere iis, haec ἱλαστικὰ corripere eos, qui aliquo raro mentis decore Diis viciniores eſſe merentur, ut multum eſt, ita non ſane minimum. Ego vero qui ſum? aut quid in me eſt, quod vos advertat? aut unde mihi haec ſomnia? Quare cum beneficia intueor veſtra, & vos, qui tribuiſtis, quantivis ſpatii campus orationi meae panditur: cum vero ad eum converſor, qui accepit, concluditur mihi animus & miratur & obſtupeſcit, verborum vero omnem copiam eripit, infans tum maxime ſum, cum facundiſſimum me fore credideram. Tu vero, mi Heinſi, anima mea atque unicae deliciae, ſubi vices meas, & primum quidem adi te ipſum, gaude ac laetare, quod hominem, caetera vilis pretii, ſed profecto non malum nec inficiaturum tam liberalia debita, amore tuo ſingulari ac emendatis moribus ὅλον ἢ πάντα peculio tuo adjunxeris: dein adverſus ἐ ἀντίθεον Parentem tuum, reverendam amitam, dulciſſimam & caſtiſſimam ſororem, ἐκφρασίν τινα ἢ τύπον animi exhibeto gratiſſimi: cum omnia dixeris, quae ſuada poteſtua (quid autem apud tales non potes?) talem eſſe Gronovii dicito, nihil enim in hoc conſu haberi poteſt, quod in me eſſe, & debere & fateri nolim. Salutationes, quas commendaſtis mihi erga τὺς τὰ πάντα ἀρίστους, D. *Tienhovium*, *Hugenium*, *Graſwinckelium*, depoſui acceptiſſimas. *Graſwinckelius* in petitione ſua (quod Parenti tuo & tibi in aurem dictum ſit) optime ſperat; unum vereor: qui ſi vincet, ſatis tamen hac vice fore ſibi credit, ſi nomen ejus inter Candidatos referatur. Ipſe Kalendis Januariis, ut ex aliis accepi, in Eccleſia Gallica comparuit. *Gerhardus Voſſius* G. F. petiit a me Fabricii poemata, qua re in ſpem inducor ſecuturae editionis. Accepi nuper literas a magno viro, quibus ad aliquot ζητησείδια mea, quae, dum ibi eſſem, ipſi propoſueram, reſpondet. Inter caetera haec habentur: *De loco Ovidii in Faſtis, ubi Gloſſa vet. lib. ſuper* MANU *habet*, CAPA, *ſcias erraſſe manum librarii, & τὸ* CAPA *gloſſam eſſe, qua lector explicabat, quid eſſet*, LACERNA, *nempe* CAPA, *vel* CAPPA, *Sic enim infimum aevum vocitavit, quae veteribus lacerna.* Vale, chariſſimum pectus, & me ama. Hagae Prid. Eid. Januar. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

Quid audio de *Bodechero*? an ibit in alium orbem? Salveant Cl. *Scriverius* & *Boxhornius*.

EPIS-

EPISTOLA XXXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Hagam.

AMiciſſime mortalium. Μάντις κακῶν fui, poſtquam enim a nobis diceſſiſti, non contemnendo morbo operam dedimus, & ne omnino ociaremur, aegrotare vix tandem vacavit. Fauces vehementi tumore conſtrictae aegrum reſpirare vix permittebant, uſum deinde cibi recuſabant, ne jam dicam de Baccho, cui profecto bellum acerrimum indictum erat, & anginam rivalem experiebatur, miſerrimeque excluſus invito Heinſio tuo plorare cogebatur. Vides quam degeneri morbo laboraverim? Sed medicorum opera, purgatoriis, cataplaſmatis, & venae ſectione faucibus meis tandem proſpectum eſt. Nunc cum natibus meis res eſt, Negat enim medicus bona ſanitate me poſſe frui, niſi inferius guttur obſtructione liberetur. Quid agam, amice! egone nates meas, partem tam nobilem, tam illuſtrem, tonſori aut pharmacopaeo alicui infimo mortalium purgandas committam? quod nunquam futurum exiſtimaſſem, poſt manus ferulae ſubductas, Analyticis poſterioribus adhuc metuendum fore! in quas paedagorum turba numquam ſaeviit, nunc demum inſpectum iri? quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati! Profecto parum abeſt, quin cum Theſeo praecepta juſtitiae dictent. Si tu adeſſes, amice, nuſquam effugeres, quin a natibus mihi eſſes conſiliarius, magni enim momenti res eſt. Ego interim, ut fortem & prudentem decet virum, neceſſitati conſulam. Negotium Fabricianum in cauſa eſt, cur tuis tam cito reſpondeam. Si poëmata ejus ad Voſſios nondum miſiſti, per dies aliquot tibi ſerva. Omnia enim experiri certum eſt, priuſquam rem deploratam penitus deponam. *Hactenus quantum in me fuit*, id ſedulo operam dedi, ut editio adornari poſſet. Conveni Elzevirios, Comelinum, Scriverium, & poſtremo etiam Boxhornium, omnes fruſtra; cujus rei te teſtem advoco. Nunc ad extremum etiam parentis mei autoritas interponenda eſt. *Fabricius* enim ſemper Elzeviriorum typis maxime delectatus eſt. Quare ſi adhuc apud te ſunt, poſt diem aut alterum fac ſciam. Gratiarum actioni tuae nunc non reſpondeo, ſed in adventum tuum differam, malo enim candorem noſtrum re ipſa experiaris, quam verbis. An album *Pilii* heroi reddideris ſcire velim. De *Bodechero* vera ſunt. Ego vehementer gratulor vapulanti noſtro, dum enim Heros abeſt, maxillae ejus feriabuntur, id illi pro certo nuncies velim. Heti ex *Boxhornio* noſtro intellexi *Salmaſium* ἐκ πάνυ typographis Epigrammata ſua Latina promiſiſſe, quod ſi verum eſt, excerptis nullis mihi opus eſt. Vale, meum delicium, mei amores, XVI. Jan. CIↃIↃCXXXVIII.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

CHariſſimum pectus. Quemadmodum nihil triſtius fuit mihi, quam de invaletudine tua cognoſcere, ita non laetiorem unquam nuntium tulerunt Eurybates & Talthybius κήρυκε ἠ ὀτρηρὼ θεράποντε, quam veſter Andreas ad *Granſwinckelium* τὸ πάνυ, coepiſſe te cum Hygeia bona fide in gratiam redire. Sed ut integrum & certum ſit gaudium meum, ex te ipſo id firmari literis aveo. Neſcio an jam aptus ſis redditus jocis audiendis, ſed ſi non periit pyga tibi, aut apud inferos Theſeiae aemula, praecepta bene ſedendi dictat, tantiſper, ſpero, te ſuffulciet, dum unas ad me exares. De munere, quo me cohoneſtaturum fuiſſe liberaliter pollicebaris, ſi adforem, gratiam feciſſem lubens. Periculoſum eſt enim, alienis intervenire ſecretis, & merito verebar, ne Iſis irato ſiſtro lumina mea feriret, ſi tam ſacram cryptam profano viſu turbare auderem. Oblitus ſum in prioribus gratias agere tibi *Pilii* nomine, qui profecto tam luculentis verſibus coelo ſe locatum credit, & infinita tibi debere fatetur. De *Fabricii* Poëmatis ignoro juxta tecum, quid ſit futurum. Poſtquam enim illa miſi Amſterodamum (miſi autem, ſimul *Gerhardus* ea popoſceerat) nihil literarum inde accepi. Neque appellare nunc eos ſuſtineo ob luctum, qui certe graviſſimus totam illam domum confudit. Quid mirum? cum ego alienus & externus vix lacrimas tenuerim audito tanto caſu. Homunculi quid ſumus? aut quam imparatos ſaepe fortuna nos invenit? Quem profecto haec talia non commovent ad recordationem humanae ſortis ſedulamque meditationem extremorum, is dignus eſt, ut ejus, quod ridet aut non curat, ipſe ſit exemplum. Sed & aliae debentur naeniae ampliſſimo & magno viro Dn. *Rocho Honerdio*, qui eodam die, quo iſte nos turbo percuſſit, animam Deo reddiditque, noſque reliquit. Laetor, breviſſimo licet tempore, tantum reipubl. decus familiariter me novisse: aut forte hoc doleo magis, quod totum inſpicere nondum quivi. Erat enim humaniſſimus, & qui nugis noſtris etiam pretium poneret, & libenter de literis fabularetur. Eſt adhuc penes ejus hominis exemplar paginarum *Caſauboni*, quas, ut excuſae ſunt e typographia, accipere ſoleo, ipſeque videre petierat. Neſcio quam viam inire debeam, uti id recipiam: neque ita frequens in illa domo fui, ut praeter dominum me quis noſſet. Duos libros, quos emi feci ex auctione Elzevirianâ, puto accepiſti. Fallor, ſi in iis aliquid dignum exſpectatione tua invenies, inveniſſes multo minus in reliquis. Quare non auſus te ſum hoc impendio multare. Spero te hîc adfore propediem cum amita & ſorore. Si una attuleris tecum MSS. Plinii, poterimus multas bonas horas

in musaeo meo efficere; idque adeo, rogo te, ut facias. *Boxhornium* heroem saluto amanter. Ad eum scribam propediem, & specimen dabo ei elegantissimarum correctionum, quas ex variantibus hausi, adscriptis Libanii codici. Satis mihi constat eam Bonaventurae Vulcanii manum esse. Reperistine aliquas Casauboni ad Vulcanium? Vale, o anima mea & saluta vestros. Raptissime ad IV. Non. Febr. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA XXXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime atque amicissime juvenum. Qui has fert, *Kernerus*, Germanus est, Graece & Latine bene doctus, probitatis admirandae, *Berneggeri* auditor, atque eidem eximio viro perfamiliaris olim. Cum igitur vestram famam nosset, magnis a me precibus contendit, ut se tibi traderem, atque ita etiam ad Dn. Parentem ipsi aditus pateret. Venit in has oras adjunctus Comiti cuidam, ut ei esset a studiis; sed ille improbus, quicunque sit, ita tractavit bonum Praeceptorem suum, ut hic stationem illam deserere mallet, aut si nondum deseruit, malit. It ergo Lugdunum vestrum, tum ut sibi suisque studiis vacare rectius possit: tum ut si qua honesta incidat conditio, qua operam dare civis cujusdam erudiendis liberis, & sic sumptus domesticos levare possit, postquam se tot praestantibus heroibus, quot vestra Academia habet praestites, aut certe quibusdam ex iis approbavit, horum suffragio in ejusmodi loco nanciscendo juvetur. Ego, etsi hujusmodi onera imponere tibi pudori habeam, tamen rogatus & flagitatus tum ab ipso, tum aliis communibus amicis, per quos ille mihi innotuit, praemia tuli urbanae frontis, & coactus sum, uti adversum te essem subimpudens. Heri hora diei fere tertia erat mihi negocium apud nobiliss. Dn. te *Tienhooven*. Cognoscebam ex ipso, sororem tuam pridie advenisse: caeterum quod eo die domi non pransus esset, nec, puto, caenasset, nondum se vidisse illam. Miratus sum, te non adesse una, nec omisissem heri salutare & causam quaerere, nisi operam dedissem praestantissimo *Grotio* nostro; cujus natali genio & fortunae libandum erat. Itaque cum ad prandium invitarer a Dn. *Tienhovio*, excusari me oportuit, quod ante jam manum promisissem ad Grotianum Symposium. Hodie haud dubie ibo: sed profecto hesternum villum adhuc caput meum infestat. Quare ignoscas si multa inepte garrio. Te aut literas tuas exspecto, sic ut nihil magis. Vale, meum decus. Hagae, postridie natalem Gulielmi Grotii, Anno CIↃIↃCXXXVIII.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

MI Heinſi. En tibi Ovidium, quem petiiſti. Libenter eum heri dediſſem Andreae veſtro, ſi ſuſpicatus eſſem, fore ut in diſcedentes veſtros adhuc inciderem. Noverâne illum, qui in abitu veſtro me interpellans prohibebat, (quod aegre accidebat mihi, etſi homo ſane fuerit gratus) vobis ad currus uſque adambulare? Is erat *Cabeliavius*, ut poſtea ſe patefecit. Nam ego de facie nondum noveram virum. Cogitare facile potes, quibus de rebus ſermo fuerit nobis, nempe de interpunctionibus & epiſtolis ſcribendis. Plinium, quem conferre inceperimus, exſpecto. Spondeo tibi nullam praeterituram hebdomadem, in qua non aliquid, quod inde eruero, ſis habiturus. Idem a te exſpectabo. Plura nunc non poſſum, etſi velim. Salve & Vale, decus meum. Salveant veſtri. Hagac. a. d. III. Kal. Mart. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA XXXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

SAlve corculum meum. Pro Plinio ingentes gratias tibi. Ac etſi initio alterum codicem maluiſſem, tamen nunc nihil intereſſe judico. Reddebatur mihi coenanti, inſpexi ſtatim (tanta erat ſitis) aliquot loca, quae paullo ante accumbendum forte cogitationes meas ſuſpenderant. Reperi eaſdem prorſus lectiones, quas notaveramus ex altero. Sic ut ultro etiam gratias debeam tibi, quod integriorem ſervare mihi volueris. Simul atque proxima vice aliquid ad te dedero, exſpecta egregium aliquem locum correctum. Magno animo ad literas ferimur: utinam noſtris auſpiciis arbitriiſque vitam diſponere poſſemus. *Petitus* accepit vocationem Dn. Curatorum Franeckeranae, & promiſit ſe menſe Auguſto adfore. *Pilius* noſter ſalutat te amanter, is emeruit gratiis ſuis & propitia Paphia, ut cum editurus Poëmata tua es, tuto pro Julia liceat tibi Douſiam reponere. Nunc rem magnam ad te adfero. Obteſtationibus ſanctiſſimis me aggreſſus eſt, ut cantarem ſibi Hymenaeum. Ego, qui nec ingenio, nec otio ita comparatus ſum, ut Heliconem pulſare audeam, diu repugnavi. Sed fruſtra, donec ita decidi cum eo: promiſi me daturum operam, ut optimum Poëtam peſſimo, hoc eſt, mihi te delegarem, & a tua uberrima vena Epithalamium ipſi impetrarem. Rogo ergo te, quamvis

Digitized by Google

vis & potes rogari maxime, ne hanc occasionem augendi venustissimos lusus tuos praetermittas, & una opera duos amicos remuneris. Et quia Susannae nomen est sponsae, libente te futurum dixit, *soo daer yet van Sint Anna sal onderlooper.* Sed legem ponere non audemus tibi, satis habituri, si ingenium tuum quocunque modo (scimus enim non nisi optimum te servare semper) nobis indulgeas. Codicem Vossii en tibi. Utere pro commodo tuo, nec dies tibi definiam, dummodo me reddas cum illis, antequam ad me fuerit reversus. Sunt enim nonnulla, quorum adhuc usus mihi. De *Fabricii* Poematis laetor, quod denuo eam curam seriam susceperis, & eo te desistas, priusquam effeceris aliquid. Scito, mi Heinsi, minimo minus tam charum depositum, cum Amsterodamum missum esset, nobis periisse. Provisum tamen postea cura magna & non parvo, ut ajunt, impendio Vossiorum est, ut reciperaretur liber integrum jam mensem inter ignotas & alienas manus versatus. Tu vero, age πάντα κάλων κίνει, ut tibi istud beneficium debeatur, quod quanto cum honore tuo conjungatur, utique nosti. Vale, charum caput, ac salutem salutandos. Hagae a. d. VI. Eid. Mart. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA XL.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & Charissime juvenum. Nudius quartus decimus Ovidium una cum literis meis Elzevirianum actori commisi, quem fasciculum tibi ut quam primum traderet, rogavi. Ab eo tempore tuas unaque promissi fidem, in Plinio puta, avidissime sitimus. Tu vero, ὦ λήθαργε φιλούντων ἑαυτούς, & parum curam nostri & verborum tuorum geris. Quid dicam? adeone immersum te *civilium legum* arti, ut obliviscare amiculorum & paulatim elegantiam dediscas. Ἀνίχνα & grassare parcius: satis cito hi tibi mores venient, cum plus erit commercii tibi cum barbaris, qui loco Pandectarum, & similium antiqui & sani soni nominum, infortiata nobis & nescio quae monstra pepererunt. Aut si omnino nunc transfuga vis esse, ne nobis invide saltem, quod tardius sub haec signa nos patimur e Musarum castris traduci, hoc est, Plinii nobis fac copiam, aut qui juris praecepta meditaris, tribue nobis, quod ex stipulatione cum tua humanitate ut debitum poscimus. Equidem nihil gratius nunc a te possimus exspectare. In Lib. II. c. LXVIII. principio scis quantopere a vulgato diversus abeat codex ille, quem conferre coepimus. Velim scire quomodo in altero codice legantur verba ista: *Jam primum in dimidio mihi computari videtur, tanquam nulla portio ipsi decedat Oceano, qui volo circumdatas Oceano & omnes caeteras fundens recipiensque aquas, & quicquid exit in nubes, & sidera ipsa alat & tantae magnitudinis pascens? Quo tandem amplitudinis spatio terra creditur*

habitari? Si tantum ocii est tibi, fac me quaeso hoc ut sciam. Vidi libros, qui nuper ex museo Cl. *Boxhornii* prodierunt. Miror, *Justini* certe, quod promiserat, nullum exemplar ad me mitti. Poteris per occasionem humane, & quasi non rogatus aurem ipsius vellere. Vale, charissimum pectus, & Parentem ϑ πάππ, amitam, sororem a me humanissime saluta. Scripsi haec irrigatus nectare herois *Graswinckelii*, apud quem hodie prandebam, non sine lecta memoria vestri. Hagae. Prid. Eid. Mart. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA XLI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

CHarissimum pectus. In summa festinatione audebo hoc tibi imponere muneris, ut inclusas statim ubi acceperis, ad *Schragium* deferre cures. Scripturus cras aut perendie est ad *Berneggerum*. Ad eum unas hîc inclusi, ut una cum suis transmitteret. Habitat, ni fallor, apud Jacobum Marci, aut si ibi non est, quia olim fuit, hospitium ejus ibi non ignorabitur. Ego si id sciviſſem, tibi molestus esse religioni habuissem. *Pilius* heros cum desiderio summo exspectat, quid ad priores meas sis responsurus. Spero autem facturum te, quod magnopere petiimus & petimus. Vale, decus meum, ac saluta salutandos. In primis Boxhornium Cl. quem nuper in absentia mea accessisse ad conductum meum doleo, praesertim cum ante seram vesperam id mihi nostrae oblitae essem indicare. Iterum Vale. Scripsi Hagae a. d. prid. Eid. Mart. Anno CIↃIↃCXXXVIII, nocte concubia, somno languidas vexante palpebras.

EPISTOLA XLII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

CHarissimum pectus. Appropinquat destinatus festo Piliano dies, & nihil dum a vobis apparet. Quod ille misere apud me quotidie bis aut ter tantum non lamentatur. Certe immensum cumulum de gaudiis ejus, secus ac decet tam humanos, derueritis, si hanc spem ipsius feselleritis. Non legem ponit, nec modum venae tuae: sed quantum & quoties volueris: si duo distichа miseris, quibus subscriptum Nomen Heinsianum, non modo erit contentus, sed & gratias aget. Miror, quid hoc sit morbi: cum epigramma rogaveris, longissimam scripsisti elegiam, nunc cum epithalamium rogaris, ne quidem

pote

potes epigramma. Si omnino ſtat vobis, illudere ſpei noſtrae & tot verba, promiſſa, juramenta in vanum ceciderunt, patiar utcunque: ſed confirmo tibi, futurum id me invitiſſimo, nihilque hactenus unquam a te factum, quo amicum amantiſſimum ita offenderis. Sed non cadit in tam elegantia pectora tanta barbaries. Quare ſupplico potius tibi, & ſupplicat Cl. *Boxhornio Pilius*, ut quod amicitiae jus ultro a vobis expoſcitet, id nunc precibus noſtris dare velitis. Cum quid confeceritis, poteſtis typographo dare Leidenſi, vel etiam, ſi lubet huc ſcriptum mittere: utrum voletis, libens ſatisfaciet operis Pilius. Mallet tamen hîc excudi, ut & autographa veſtra ſervaret, & aliquot exemplaria excuſa circum oras inaurari poſſent. Rogat etiam, ut *Bodecherum* ſenem adeas, requiraſque, num miſſum ad illum ſit epithalamium ſatis grande, & epicedium in Voſſium, quae utraque vidit apud filium Amſterodami, & legit Advocatus *Nieveltius:* & ſi miſſa ſint petere, uti prius ad ſponſum huc deſtinetur. Vale decus meum, & propediem alias de Studiis noſtris a me exſpecta. Hagae a. d. VIII. Kal. Majas. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

Scripſi non domi meae, ſed apud amicum, ubi negocium fuit, cum Pilius in platea obvius mihi fuiſſet.

EPISTOLA. XLIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

MI Heinſi. Heſternum mane totum poſt aliquot dierum vacationem deſtinaveram ſcribendis literis, quarum ut minimum decem erant expediendae. Media fere pars perfecta erat, cum *Boxhornius* heros gratiſſima interpellatione id conſilium rupit. Poſt prandium quaſi quatuor horas exemit nobiliſſ. *Boſwelli* humanitas, quem ſuper negocio amici acceſſeram. Vix laſſus & defatigatus redieram domum, cum ecce adeſt *Franciscidion*, qui me uſque ad coenam tenuit. Ita dies ille mihi miſerrime periit, quem, dum tota Haga excita ſedibus ſuis tantum non fureret, quietem ad meam diſpoſueram. Hodie lator harum politiſſimus juvenis, a multiſque annis mihi cognitus, aderat, rogans ut aliquas ſive ad te, ſive ὁ πάνυ Parentem tuum darem, quo ea occaſione honor ſibi contingeret ſalutandi utrumque & album ſuum veſtris illuſtrandi nominibus. Ego, abſque hoc fuiſſet, ad te ſcribere conſtitueram, & ideo libentius ei hoc officium ſum gratificatus, ſupplici cum prece, ne obſervantiſſimo veſtri eam gloriam denegetis. Pro emendatiſſimo poëmatio tuo gratias ne exſpecta ab illis, qui eo beneficio laetantur, ipſum aeſtimare neſciunt: ſed a me, ὦ φιλτάτη κεφαλή, qui aut ſolus, aut cum paucis vere intelligo genium uberrimae tuae venae, & judicium de ea poſteritatis mente praeſumere poſſum. Hic profectus eſt meus admirari in vobis, quae ipſe praeſtare

stare non possum. Quod & facio lubentissime, & cupio, vel impero potius, si id jus mihi esse amor tuus sinit, ut me credas ex intimo pectoris sensu loqui. Atque eo sum cupidior a te ipso accipere id beneficium, quod toties mihi pollicitus es. Vivent enim carmina tua, aut nulla vivent. *A Berneggero* redditus mihi tandem est τριπόθητος Statius MS. Thebais dicere volueram, in cujus margine comparet fere totus Lactantius, multis in locis corrigendus & augendus. Ex quo facile judicas, quanta accessio futura sit Diatribis nostris, siquidem continuare eas licuerit. O si unus scriptor totus se mihi debere possit! sive tantum sit ocii, ut absolvam eum cito, sive eousque mihi vita producatur, dum ejus voti damner. Sed quod placuerit τῷ ἐπὶ πᾶσι, fiat. Et erunt alii, qui obscuram diligentiam nostram facile vincant. Cras fortasse me videbis, ideo nunc abrumpo, exhaustus ac poene moriens, dum omnibus satisfacere nitor. Vale, decus nostrum, ac omnes vestros a me officiossime atque amanter saluta. Hagae. postridie τὰ ἐγκαίνια. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA XLVI.

J. FR. GRONOVIUS.

Nic. Heinsio.

Leidam.

CHarissimum pectus. Binas tuas recte accepi, quibuscum, si me lepore & elegantia paria facere existimas posse, nae tu falleris plus vice simplici. Si enim cum sic scribis, de verborum inopia & epistolam non responsuram affectui quereris, quid me oportet facere, quem & ingenita balbuties & doctrina, ut sic loquar, ἀπαίδευτος semper impedivit, & nunc maxime circumstant mille curae, animum exedentes, divexantes, dilacerantes, eoque graviores, quo obscuriores, minusque ἀκοινώνητοι! Equidem conscius sum mihi, unum semper attulisse me ad amicitiam nostram coagulum, amorem tui ingentem, ingenti admiratione mixtum: quem utcunque sermone explicare satis quivi nunquam, tamen sic hactenus intellectum a te existimo, ut ampliorem ejus testem, quam interpretationem tuam producere neminem velim. Quare ne nunc quoque in tam grata materia disertiorem me fore existimes, pergam antiquo me includere ludo, quodque in me deficit, & parcius ego dicturus sum de cultu, quo te mihi merito antepono, & tot raras dotes deamo, id a judicio tuo haud frustra, ut spero, exspectabo, qui mentis meae penetralia toties introspexisti. Accusatio tua grata est mihi: etsi mirer, unde ad vos rumor iste de meo ad urbem accessu dimanarit. Accipe aequa mente, justissimae querelae tuae quod respondeo. Verum est, semel iterumque secreto fuisse me Leidae, nec visisse quemquam praeter amicum unum, qui & nescio qua de caussa se volebat ignorari, & totum id temporis, quod in urbe egi, ab unius ore pendentem eximere me grata vi coegit. Erat enim recens

ejus

ejus a maternis laribus cognatorumque & urbe patria discessus, sic ut plurimarum rerum mearum auspicia ex ipsius sermone captanda mihi fuerint. Itaque etsi semper essemus una, tamen longe breviores fuerunt congressus nostri, quam ut uterque, ego quod rogarem, ille quod narraret, exhaurire potuerimus. Atque adeo dies vel horas potius, quas illi dedi, quem toto septennio non videram, brevi eram non visurus, agenti mecum de statu futurae omnis vitae meae, si recte augurari dedit ὁ ὑπὲρ ἡμᾶς, variis etiam occupationibus, quae hic me distinebant, furtim subduxi. Haec omnis culpa mea, cum nulla injuria aut leviore cura amicorum Leidensium conjuncta, quam nisi facile condonaturum te mihi crederem, profecto malus essem amoris tui arbiter. *Peiraredium* ubique quaesitum hactenus reperire non potui, nam cum plurimis hic notus sit, in neminem, quod mirum, incidi, qui hospitium ejus nosset. Ante aliquot dies me domo profectum quaesivit, jussi reversus, si rediret simili casu, rogarent diligenter, ubi locorum diverteret. *Rivetus*, qui quotidie ad se accedere solitum per aliquot dies non vidit, putabat Roterodamum profectum, ubi cuidam Gallo nobili de *Maisonneufve* filium suum commendaret. Non dubito, simulatque denuo hic comparuerit, copiam fore mihi alloquendi eum, & mandata tua, quae fideliter faciam, exequendi. Quas vero gratias agam tibi de egregiis tuis ad Ovidii & Persii loca observationibus? Sic sunt profecto, si quid video, palmariae omnes, & quibus stupor sit merus indubitare velle. Exspectas nunc, ut aliquid hujus dapis vicissim apponam tibi? Ego vero tuorum meorumque comparationem minime sustinebo: nequaquam vero hoc tempore, quando dudum est, ut nihil oculis auribusque tuis dignum, si tamen unquam, eruimus. Quia tamen ad Persium me vocasti; levem annotatiunculam veterem communicabo tecum, ut vel hoc argumento videas, quam longe a tua felicitate simus remoti. Fallitur nempe maximus ille vir in explicatione sannae, quam ciconiam putabant, ubi Persio Hieronymum & mox sibi ipsi eundem doctissimum Patrem opponit. Quia enim dixerat Hieronymus, *ciconiarum deprehendes post te colla curvari*, putat existimasse eum, Ciconiam colli motu exprimi, non digiti motitatione, ut Persius vult, ipsique Hieronymus alibi. Atqui non dicit Hieronymus, *collo Ciconiam facere*: sed *curvare ciconiae collum*. ubi *Ciconiae collum* nihil aliud est, quam ipsa manus Ciconium pinsentem, aut ad pinsendum collum inclinantem exprimens. Non enim absque inclinatione colli & clementi totius corporis motu rostrum potest pinsere. Finge autem tibi manum corpus ciconiae esse, finge in protenso digito ejusque articulis rostrum, caput, collum, quod minimo negocio fieri potest: integra erit ciconiae forma. Digitus crebro inflexus imitabitur eam pinsentem rostro, & dum rostrum pinsit, una, ut dixi, necesse est incurvari collum: & sic quia hi motus sunt necessario connexi, ideo *rostro pinsere*, *ciconiae collum curvare*, *manu ciconiam significare*, *manum in ciconiam incurvare*, pro uno eodemque ponuntur. Sic sane mihi videtur: aveoque scire, quid tu sentias. De *Fabricio* vere nunciatum tibi, aut adesse eum jam Ultrajecti, aut adfuturum propodiem, si omnia recte procedunt. De frigusculo ejus

erga te nihil senſi: aut ſi id exſtitit, teſtor fidem, a me nullam ei occaſionem datam, qui omnibus literis ad illum meis hanc legitimam acceſſionem & velut ſolenne carmen dedi, de tuo ſingulari affectu & ſtudio in Poëmatis ejus publicandis. Faſciculum *Richteri* Elzevirii mihi reddiderunt. Ille vir ampliſſimus dolet apud me (& merito) obitum viri ſane eruditiſſimi [1] *Mich. Virdungi*, in quo Academia Altorfina magnum columen, ego amicum ſummum amiſi. Laudationem ejus a ſucceſſore in Profeſſorio munere factam miſit ad me idem *Richterus*, & haec exemplaria, alterum τῷ πάνυ Parenti tuo, a quo reſponſum exſpectat, alterum Cl. *Latio* offerri juſſit, id muneris haud gravatim tu meo nomine in te recipies. Te valere veſtroſque omnes a me ſalutare officioſiſſime, tum Cl. *Boxhornium* convaleſcere jubeo & ex animo precor. Vale iterum, decus noſtrum, & perge Perſiana tua, ſeu quaecunque vis de literis mecum communicare. Hagae. Prid. Fer. Pentec. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

Die Lunae, ſpero, veniet huc *Schragius*. Ei portandum ad me des, niſi grave eſt, Harpocrationem Mauſſaci. erat enim nuper, ubi eo indigerem.

1 Vide *Georgii Richteri* Epiſtolas ſelectiores ad Gronovium pag. 231. quibus reſpondet ſequentibus Gronovius.

EPISTOLA XLV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

TAndem remitto tibi ſchedas *Peiraredo* concreditas, qui in caſtra profecturus (& jam abiit) ſerio hoc mihi commendavit, ut promiſſis de carminibus vos monerem. *Fabricius* Ultrajecti eſt, unde heri ad me ſcripſit, rogavitque ſe viſerem. Ego vero propter cauſſas ſonticas alligatus nunc huic loco ſum. Spero tamen proxima hebdomade ocium videndi cariſſimi capitis fore mihi. De Perſii loco, Satir. VI. 6. *Egregios laudare ſenes*, quo magis cogito, eo craſſiores mihi tenebrae. Nec ad manum habeo Cornutum, qui niſi ὑποβολιμαῖος eſſet, ſolus docere nos hoc ſecretum poſſet. Quid dicemus? an ſcripſiſſe iſtum de ſtudiis majorum? aut explicuiſſe vitae officia & partes? Sane certum quid neſcio. In altero loco veriſſime caſtigas Caſauboni notam. Verbum *locat*, verſ. 47. quod interpretaris diſponit, vel poſtibus affigit, paullo aliter capiendum videtur mihi: nimirum ut apud Romanos ſcriptores Cenſores locaſſe dicuntur publica opera, aut ut Juriſconſulti eo verbo utuntur. Niſi fallor, habes egregie apud Cujacium in obſervationibus & paratitlis in Pandectas ad titulum locati. Hinc inter τὸ *locare* & *ponere* clare diſtinguit Suetonius in Claudio c. IX. *quod Neronis & Druſi ſtatuas ſegnius locandas ponendaſque curaſſet. Locat*, eſt, fieri curat conducentibus, qui certo pretio iſta apud artifices elabora-

hotanda susceperint. *Locat arma*, quae affigantur postibus, *locat chlamydes* & gausapa & esseda & Rhenos, qui ducantur in triumpho. Quod reddam tibi, nunc in promptu non habeo, & deest otium. Immo ultro imponam tibi hoc muneris, ut aut doceas me, aut roges ex Parente tuo τῷ πάνυ, quid sit apud Isocratem ad Nicoclem, ἱερωσύνη παντὸς ἀνδρὸς. Statim post principium: ταύτης δὲ τῆς ἀνωμαλίας ἡ μὲν ταραχῆς ἀρτίου ἐστὶν, ὅτι τὴν βασιλείαν, ἅτπερ ἱερωσύνην, παντὸς ἀνδρὸς εἶναι νομίζουσιν. Saepe me iste locus torsit, & cum nuper in oculos recidisset, constitui tandem, appellato hoc oraculo, ea difficultate me absolvere. De Harpocratione magnas ago gratias, & propediem illum reddam. *Boxhornium* convaluisse ex animo laetor, Vale, deliciae nostrae & Musarum. Hagae. a. d. III. Non. Jun. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA. XLVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

Heri acceſſeram ad ſalutandum Illuſtrem Dn. *Thienhovium*, cujus inexſpectatum adventum forte cognoveram. Quaeſivit illico multa de vobis, & rogato an ad vos ſcribendum eſſet mihi, juſſit adderem, ſe permanſurum hîc ad diem ſabbati, ſi quid eſſet, de quo Parens tuus ὁ πάνυ conventum ſe vellet, interea eum ſe exſpectaturum. Reſpondi hoc ſatis ſcribendi cauſſae mihi eſſe, tequeoro, ut indicare id confeſtim Parenti ne pigreris. Accepi tandem deſideratiſſimum *Berneggeri* Tacitum, notaſque *Freinshemii* raptim devoravi. Plurima viſa ſunt bona, & mea exſpectatione non inferiora. Habeo tamen, de quibus jam olim ſenſi aliter, nec nunc omnino ab eo perſuadeor. Imprimis illud, quod ad lib. II. c. 8. n. 2. obſervat; *Amiſiam* loci, non amnis, nomen eſſe. Id concoquere non poſſum, ſed differre cogor judicium, dum intellexero, quae ſit *Cluverii* ſententia, quem ille ceu fundum ſuum allegat. Si grave non eſt, eum inſpice, (nec enim mihi ad manum eſt) & quo argumento hoc probet, quidve tota de re judicet, perſcribe. Hoc mihi gratiſſimum futurum eſt, & ſi quid me velis juſſum, tuus exoptare labor, mihi juſſa capeſſere fas eſt. Quid inter nebulonem typographum, qui epiſtolas *Caſauboni* publicat, & me geſtum ſit, puto cognoviſti. Etſi ſceleſtus eſt, faxo tamen, ne improbitas ipſi profuerit, certe, mihi nimium damnoſa ſit. Dignum tamen pretium pro tanta opera, totque horis, quas melius collocare potuiſſem, exſpectare me obſtinatio pervicaciaque ejus non ſinit. Vale, φίλτατον κάρα, & me redama. Hagae. Raptim. a. d. IV. Eid. Jun. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

Mandavit quoque Dn. de *Tienhooven*, uti rogarem, inquireres an Mytho-

logici Latini apud Comelinum excusi venales ibi essent. Hunc quoque laborem non gravatim suscipies.

EPISTOLA XLVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

QUod post nuperum congressum nostrum, quo liberalitas & benevolentia vestra singularis me compotivit, nihil ad te literarum dedi, in caussa erat, quod nullum dignum argumentum contentioni tuae in studiis interpellandae reperirem, nisi forte hoc quoque ad curam tuam pertinebat, ut scires, me totum nunc tricis atque apinis quaestionum juridicarum implicitum esse. Appropinquat enim dies, quem constituerunt nobis illi, quibus jus est operae nostrae poscere rationem, & illum apicem doctrinae aut diligentiae nostrae putant. Atque ego, qvi semper acerbus mei temporis aestimator atque exactor fui, nunquam me vidi magis a tempore defici, quam nunc ipsum, etsi aliquandiu salutationes & τὰ ἐγκύκλια negocia hujus loci sequestrarim. Quae etiam caussa est, ut decies praesumptam ad vos profectionem decies differrem, dum identidem invenio aliquid, quod addiscere velim, antequam cursum coeptum interrumpam. Secus adfuissem dudum, & retuliſsem MS. Cod. quos ex bibliotheca vel publica, vel vestra, vel Boxhorniana habeo, quibus nec uti licet amplius, & tantum cruces mihi sunt oculorum. Mera enim miseria est obvium habere, quod ames, si potiri vetitum sit. In epistolis *Casauboni* nunc ultimum, quod proxime appendicem (in quam conjicientur, quae serius obvenerunt mihi, quam ut loco suo poni possent) exstabit, folium componitur. Ideo nunc iterum molestias creare tibi & opem tuam implorare cogar. Habetis, credo, Pollucem cum versione latina in Germania editum. Ei praefixa est ad autorem versionis epistola, quam magnopere rogarem, uti descripta crastini die ad me mitteres, die enim Lunae necessarium erit illam excudi. Aut si hoc nimium est, ut sane fateor, me non raro amicitia nostra abuti muneribus tibi injungendis, peto, ut ipsum Pollucem destines huc, unde describam ipse. Amabo te, curae habe hanc curam. *Fabricium* apud vos fuisse puto, aut certe scripsisse. Si scis, quid Poëmatis ejus fiat, communica: ego enim nondum ad eum aliquid dare potui, nec accepi quidquam. Vale, decus meum & me ama. Totam domum vestram una cum Cl. *Boxhornio* saluto officiosissime. Hagae. a. d. VI. Eid. Jul. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XLVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

SI aut de affectu tuo dubitarem, aut mei verum interpretem te esse ignorarem, grave onus incumberet mihi tot dierum silentii excusandi, cujus sane me taedet pigetque. Nunc ultro rogandum te habeo, ut doleas vicem sodalis tui, cui tantum temporis infrugiferum, sterile, injucundum, inter tricas & spinas sine ulla meliorum literarum cura perit. Nisi forte in acceptum referas locum Diodori Siculi, in quem nuper plane aliud agens incidi, & correxisse visus sum, quamvis non erat res magni negocii. Nimirum lib. XIII. p. 188. in editione Rhodomanni. Οὗτοι μὲν οὖν ἐπλεύσαν, ἡ διὰ τινας χειμῶνας οὐ δυνηθεὶς ὁ * Μαλέαν κάμψαι, ἀπέπλευσεν εἰς Αθήνας. Haec verba stigmate insigniverunt, sed uterque in notis praeterivit, Stephanus & Rhodomannus. Atqui notum est, Graecis cursum illum non vocari Μαλέαν, sed ὑπὲρ Μαλέας, ut apud Plutarchum: ἀνήχθη μὲν οὖν ἀπὸ Μεθώνης ὑπὲρ Μαλέας, ὡς τῷ Λιβὶ ἢ πόρῳ δρόμῳ χρησόμενος &c. De tota re accurate *P. Victorius* ad lib. IV. Epistol. Cic. famil. p. 40. si eandem editionem habes, quam ego muneris tui possideo. Quem si legeris non dubitabis reliquisse Diodorum: οὐ δυνηθεὶς ὁ ὑπὲρ Μαλέας κάμψαι scilicet, πόρον, vel δρόμον. Tu vero quid nunc agis? quid musinaris: quid agit Ovidius? Miratus sum tam longo tempore neminem ex vobis Hagam venisse, & *Boxhornium* suspicor in Sclandia esse. Eo enim per ferias excursurum nescio, ex quo inaudiveram. De Epistola *Casauboni* magnas ago gratias, & similem aut quamcumque operam meam datâ occasione me poscere te volo. Opus nostrum nunc iterum feriatur, scelere typographi, qui aliquid nugarum Belgicarum commisit ei, qui isti vacare solebat. Ego monere eum non possum, quia ne ut accedam quidem dignum habeo. *Fabricius* hîc fuit unum diem, sed paucis horis me vidit. Eo ipso enim die sacram Caenam participaveram, ideoque sine gravi caussa coetui esse nolebam. Vale, & omnes vestros, in primis ὁ ὑπέρμεγας Parentem, a me saluta officiosissime. Ante hebdomadem praeterito die Veneris & Saturni junctim heros *Graswinckelius* & ego non semel vestro honori litavimus. Iterum vale. Hagae. a. d. Frid. Kal. Sextil. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XLIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

HEri inter licentia vina, cum *Pilius* diceret, ſe cras Leidam iturum, atque unas ad te expoſceret, perſuaſi ei, ut augeret bibliothecam ſuam Apollonio Rhodio pro novem flor. ita enim aut certe octo ajebat mortalis ille, qui venalem habet: quare oro te, vola, curre, cura, ne quis eum auferat, antequam tu cum Pilio advenias. Cras plura, cum ipſe venerit, nunc ignoſce mihi, o amor meus, & hanc rem cura. Habeat ille primum: de caetero videbimus: uſus certe meus erit. Nec tamen ipſi cras indicabis, hoc me mandaſſe. Iterum Vale, feſtino enim nimis. Hora Septima matutina, die Jovis.

EPISTOLA L.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

VEnit ecce ad vos negotii ſui cauſſa *Pilius* heros, quod ſi vel ei eſſet nullum, ſatis tamen foret magnum te videre & complecti. Atque ideo meis comitatus eſſe voluit. Meminiſti forſan, graviter illum & apud te & apud me conqueſtum eſſe de injuria facta ſibi a quibuſdam amicis, qui elegantiſſimum elegidion, quo nuptias ejus cohoneſtaras, dum per diverſorum manus tranſit, & cum plauſu a ſingulis inſpicitur, ſic penes ſe ipſos depoſuerunt, ut tamen, quod praecipuum in contractu Depoſiti eſſe dictant οἱ τὰ Νομικῆς διδάσκαλοι, repetendi rem eandem domino nullam unquam videantur poteſtatem facturi. Cum igitur ad ſolum te regreſſus pateret, ſupereſſetque unica ſpes, non illibenter te unum beneficium bis homini gratiſſimo tributurum, in ea acquievit ſemper amicus noſter, nec ſemel tentavit eandem, ubi neſcio qua μοίρᾳ factum eſt, ut in hunc uſque diem fructum iſtum tuae humanitatis ferre non potuerit. Nunc uterque te invadimus, ὁ φιλτάτη κεφαλὴ, & ille quidem praeſens rem ſuam geret; ego vero per ceram & linum literaſque interpretes precor, oro, obſecro, ne eum ab amabili vultu tuo triſtem, hoc eſt, vacuis manibus, aut clarius etiam, ſine iſtius carminis tui exemplo diſcedere patiare. Quin ſi mihi amicitiae jus eſt, quod eſſe ſolebat tecum, jubeo, impero, volo, ut has preces meas pondus aliquod habuiſſe ipſi teſtere. Et ipſe quoque geſtio

Digitized by Google

geſtio illam Muſam tuam ſerio guſtare, nam narro tibi, me legere eam, cum acciperem, non potuiſſe, quod feſtinarem exhilarare oculos amici noſtri, & ſtatim, ut reſignaram epiſtolam, incluſas delicias ad eum mitterem. Dabis igitur impatientiſſimo utriuſque noſtrum deſiderio, dabis amori tuo, dabis genio, quem etiam inde denuo admirabimur, ut qui comitatus meo pedeſtri ſermone, ruris atque inficetiarum pleno, Leidam ivit, redeat circumſonans Muſis Heinſianis. Ab Elzevirio heri accepiſſe te puto Martialem, & MS. Codicem. Arrianum exſpecto. Movi ſalivam toties vocato vocandoque ad partes amico noſtro de Apollonio Rhodio apud *Coerantier*, is ergo ſuam bibliothecam hoc κειμηλίῳ vult augeri, ut ad me etiam uſus redeat. Nec hoc igitur gravatim recipies puto, ut adſis ementi, ne ut quondam, pro virgine Diana ſupponat Cervam. Vale, jucundiſſimum pectus, & me ama. Hagae. III. Eid. Sextil. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA. LI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

DE Arriano ago tibi gratias immenſas: etſi maluiſſem te pudori meo conſuluiſſe, rogoque uti in poſterum conſulas. Nec enim par amplius ſum referendis vel verbo, quas millies re debeo, gratiis. Plautum en tibi. Juvenalem meum MS. ſcis penes *Boxhornium* eſſe. Ovidium addidiſſem, ſi ullum aliud exemplar, quo uti poſſem, foret in mea poteſtate. Nullum autem integrum alias habeo. Nam Leidenſe, quod vidiſti, non meum erat, ſed *Heilerſichii*, qui nunc a menſa noſtra eque vicinia diſceſſit. Cum remittes alterum illud *Gebhardi*, ſtatim hoc recipies. Etſi enim magis aliorum nunc ſtudioſus ſim, tamen *ſcis* hujuſmodi homines, ſi vel maxime occupentur diverſis, bonis tamen autoribus carere non poſſe. Et plerumque quo maxime caremus, eo maxime in praeſentia indigemus. De carmine, quod toties pro Pilio rogavi, ſi nondum expugnavi pudorem tuum, ut in re tam levi nobis gratificeris, nihil ſupereſt. Ille triſtis ad me eſt reverſus, quod nullam ejus mentionem lecta epiſtola feciſſes. Nec ego verbum poſt hac ea de re, niſi ille me quotidie interpellaret, obtunderet, fatigaret. Aut mitte ergo, aut ſemel nega, & dic, facturus non ſum. Vellem plura, ſed feſtinantiſſime haec ſcribo adſtante *Vlitio*, affine *Thyſii*, qui libros redditurum te ſibi humane recepit. Vale igitur, chariſſimum pectus, & me ama. Hagae IV. Kal. Septem. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

Scriverio τῷ πάνυ officioſiſſimam ſalutem adſcribo, & pro munere nupero gratias ingentes. MS. Cod. Graecum, quem ex bibliotheca habeo, eadem occaſione miſi.

EPISTOLA LII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

QUod plusculos dies silui, ratio te fugit, ὦ φίλτατον κάρα, si aliam commiseris caussam, quam occupationes meas, quarum equidem a longo tempore oram nullam reperire queo. Super quasdam ἀφύκτους, quas velut solitas clitellas mulus perpetuarius non amplius gravor nec sentio, in Epistolis Casauboni jam exspectantibus umbilicum tandem gnavi esse caeperunt operae. Conficienda erat praefatio, totus liber relegendus, ut errata illustriora enotarem: & interea quotidie pagellae aliquot ter relegendae, quae praelo darentur. Atque adeo narro tibi, quod forte mireris in homine, cui alias verba non deesse nosti, perierunt dies aliquot, antequam reperirem, in quo satisfaceret sibi animus ad praemuniendum tantum opus. Ita distractae erant cogitationes, ut unum in argumentum vix illas figere ac dirigere possem. Scis praeterea totam rationem studiorum meorum me immutasse, sic ut hoc tempore valde incommodum fuerit antiquo iterum me includere ludo, & urgentem occasionem edendi aliquid [1] ex miscellaneis meis amplecti. Feci tamen insano incensus amore: & coepi describere, denuoque sub incudem revocare tantum, quantum laborantibus, credo, operis sufficiet. Neque enim omnia nunc possum dare, neque si possem, facerem: cujus consilium est duos tantum selectos promere libellos, conclusos intra numerum x aut xi. foliorum. De quo dudum ad te scripsissem, absque vagis illis & variis fuisset negociis, quibus ἐνθεν κἀνθεν distrahor ac discerpor. Nam quod tu cogitas de carmine, nihil est: adeoque te esse quietum jubeo, ut ad illam excusationem an accusationem tuam ne respondere quidem velim. Tantum gratias ago tibi, quod exoratus precibus meis id optimo *Pilio* nostro indulsisti. Eram nuper Leidae, sed duas non amplius horas, ut cum typographo, qui nebulo tamen nescio quibus in genuis latobat, loquerer. Itaque cum *Commelino* negotium transegi. Ad vos vero ne accederem, excludebat spatii temporis iniquis, cui necesse erat, mature huc reversum esse ea ipsa vespera. Constituerum die crastini interesse auctioni apud Commelinum, sed ecce sufflamen, quod nunc ipsum mihi injicitur. Itaque meam rem si agere ibi velis, magnopere rogem te, ut Herodianum ac Zosimum, inter lib. in Quarto, num. 3. item Anonymi Graeca Poëmata, inter vs in octavo. n. 138. frullo tolerabili pretio vendentur, pro me praestines. Etiam, uti accedas interdum Typographum, & ἐργοδιώκτης ipsi meam vicem esse sustineas. Quamquam, ubi primum inceptum fuerit opusculum excudi, non prae-

[1] Intelligit libros suos tres Observationum, quos Typis Isaaci Commelini primum edidit 1715. qua occasione tres libri exierint, vide mox Epist. LXVI.

praeteribit hebdomas, quin semel excurram ad vos, & tum meum illud negocium curem, tum vel praecipue te & vestros videam. Epistolae *Casauboni* cum fine, spero, hujus hebdomadis exibunt. Haec respondi ὡς τάχιον, ut accepi tuas, ut suspicionibus tuis in ipso statim principio nuntium remittas. Testor enim fidem, & si hoc amplius est, Deum immortalem, nihil ejusmodi esse, quod aut mihi erga te frigusculum suffuderit, aut tibi suspiciones movere debeat. *Boxhornium* nostrum convalescere & gaudeo, & ex animo precor. Salve & vale, ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ. Nihil potes vel dicere vel negare mihi, quod affectum meum mutet. ὑπέρμεγαν Parentem, amitam, sororem reverentissime saluto. Hagae. a. d. XI. Kal. Octobr. Anno CIƆIƆCXXXVIII.

EPISTOLA LIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

ACcepi tuas una cum pulcherrimo poëmatio. Speraveram hodie me venturum isthuc, sed cum totum hoc mane vagis discursibus perdidissem, quae totam hanc hebdomadem feriatam egerunt operae, me appellarunt, ut hunc saltem diem ipsis in opere exigere per me liceret. Excuditur autem nunc ultima pars praefationis, quae cum Epistolis duûm Regum ad *Casaubonum*, secundum folium facit. Eaque pura esse ac sine sphalmatis existimationis meae interesse puto. Quid me nunc vis dicere de carmine tuo? Aut quid dicam aliud, quam te semper similem tibi? nec quicquam in eo genere a te posse proficisci, quod non admirer? Et tu me etiam severum judicium poscis, exspectasque, ut ad consummatissimam veluti tabulam accedam Momus. Nisi mihi de amore tuo constaret, putarem materiam ridendi quaerere, utpote gnarum meae simplicitatis. Utcunque sit, ex animi sententia contestor tibi, omnia mihi exacta, egregia, dignissima materia visa, praeter illud unum, *fortissime rerum*. Nam laudari felicitatem infantis, dici exspectatum eum a toto orbe, adscribi auspiciis ejus fortunam publicam (hoc postremum prorsus divinum est, & vellem omnes id ita caperent, ut ego mihi videor) haec inquam omnia belle fiunt; sed fortitudo laus est manus & consilii, quae dari non potest infanti, nisi Alcidi fabuloso. Deinde nosti id hemistichion esse admodum vulgare, & saepe ab aliis opportunius usurpatum. Interim, amicissimum caput, nolo praejudicare judicio tuo, & licet tibi aeque facile spongia hanc notam delere, quam ego eam fixi. A *Fabricio* nuper habui literas, quibus scribit operas strenue in libro suo pergere, gloriatur etiam de tuo in natalem ipsius poëmate; rogavit me quoque, ut vellem legi in adoptivo suo libro. Ego qua fronte inter vos censeri potero? Dum haec scribo in aedibus *Graswinckelii* ἐν πάνυ (ubi prandebo hodie) adest ecce vester Andreas, quem

mihi domum reverso quaesiviſſe me & petiiſſe literas indicaverat. Nihil poteopportunius. Itaque ne diutius te ipſum detineam, Vale, decus noſtrum, & me ama. Tuos omnes humaniſſime ſaluto. Hagae a. d. VII. Kal. Octobr. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA LIV.

J. FR. GRONOVIUS.

Nic. Heinſio.

Leidam.

UT paucis te alloquerer, ὦ φίλτατον κάρα, fecit nobliſſ. Dn. de Tienhoven, qui te rogat plurimum, ut libros infra deſignatos ex auctione Meeriana ſibi emas. Cognovi te dixiſſe ei, quod iterum nos invaſerit edendi cacoethes. Facile id patior: dum ſerves apud quoſcunque ſecretum illud de parocho meo, ſeu qui ſumptum facit. Pagellam, in quam conjeceras excerpta de Ponderibus, oblitus fueras in muſeo meo, eam hic incluſi. Tienhovius libros omnes valde cupit, nec pretio vult parci. Vale, Hagae. a. d. III. Non. Octob. Anno CIↃIↃCXXXVIII. Vult autem emi illos, & ſcribi in nomen meum.

EPISTOLA LV.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Hagam.

AMiciſſime Virorum. Gratum mihi fuit Dn. Thienhovii mandatum; futurum gratius, ſi maturius ad me perveniſſet. Liber enim unus & alter jam divenditus erat, cum ad auctionem me contuliſſem, contuleram autem me, vix inſpectis tuis. Id án tua culpa, an vero nautarum factum ſit ignoro. Acceſſit alterum peccatum tuum, quod permoleſtum mihi fuit quam maxime. Catalogum enim mandati iſtius etiam ad Commelinum curaſti. Jam eo devenerat, ut publice unum uterque ambiret librum, &, niſi tandem neſcio quis monuiſſet me, Commelinum a tuis ſtare partibus, res ad internecionem propemodum ventura erat. Nunc velim D. *Thienhovium* de iſtis conſulas libris. Nempe Paſquillorum Tomis, & Sermonibus Lutheri convivalibus, qui a multis ambiuntur, nec dubium eſt, quin precium longe exceſſuri ſint. Quare ſcire libenter velim, quanti iſtos faciat. Valerius Probus, quem annotaſti, in corpore Grammatico extat, quod habere D. *Thienhovium* vix eſt ut dubitem. Apollodorum, quem in Catalogo meo non annotaſti, cariſſime vobis emit Commelinus.

Imus. Quod mirari satis non possum, cum Latinus tantum sit, quod etiam Graece apud Commelinos excusus haberi adhuc possit. In diem crastinum a te responsum expectabo. Tum enim ad literatores pergent, nunc cum Jurisconsultis nobis res est: Si interea aut Nob. D. *Graswinckelio*, aut tibi vel cuicumque amico prodesse possum, fac sciam. Vale, meum decus, & omnibus salve. Raptiss. VI. Octob. Lugd. Bat. CIↃIↃCXXXVIII.

Quod doles me D. *Thienbovium* de Observationibus tuis feciss certiorem, admodum miror. Cum res omnibus notissima sit, etiam studiosis hîc quibusdam. Quare ignorantia juris a me peccatum est, quam non excusare scio delictum apud Judices. Sed cum homine amico mihi res est. De caeteris securus esto, & Vale.

EPISTOLA LVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

DE studio tuo exsequendi mandatum illustris viri neuter dubitamus. Interim si quae fortuna intervenit, ut acciderent nonnulla secus, ac optaveramus, nec tibi nec mihi imputandum est. Ego ut jussum ejus accepi, e vestigio ad te scripsi. Quod vero alter indiculus missus est ad Vandermerium, factum non sine secreto jussu (nam apud te fatebor, ut me excuses tibi) ejus, cui tu nunc officium praestas. Nescio an intelligas caussam, prodam tibi illam, sed sic ut occultam habeas. Cum enim scirem inter illos libros esse nonnullos, quos pretio quovis sibi se praestinaturum dixerat auctor, voluimus hoc modo humanitatem ejus aggredi, ut notis desideriis viri potentis ac amici cederet. Mero errore evenit, ut Commelino ille provinciam daret emendi, quam tibi demandatam esse, rogatu dicti saepius Dn. de Tienhoven, ego expressis verbis ipsi per eundem vectorem, qui tibi meas reddidit, perscripseram. Nam ut de fraude suspicer quippiam, non patitur ejus integritas. Ut haec eo certius credas, ecce alias tibi meas ad eumdem ejusdem jussu, quas trades ei, & significabis edictum tibi, uti in libris illis emendis nemini, nisi ipsi soli cedas. Si itaque ille solita comitate jure suo cedet, cupit Dn. de Tienhoven, ut quicquid urgeant alii, tu contra audentior instes. Allocutus sum eum: vix data fuisset copia, nisi afferre me rem, quae moram non pateretur, per famulum significassem. Aderant enim ei viri graves ac amici, jusseratque, quicunque se conventum cuperet, negari esse domi. Ita factum ut de Pasquillorum tomis & Convivalibu Lutheri monerem, de Valerio Probo oblivisceret. Si certo scis, corpus Grammaticorum in bibliotheca ejus exstare, potes hac supersedere cura. Sin, facies quod in caeteris. Quod enim cupit, cupit vehementer. Ego de quibusdam libris Vandermerium mo-

mi, quos tibi ipse offendet. Amplis. *Graswinckelius* aderat mihi, cum tuas acciperem, posteaque redeunti in platea obviam factus, petiit, ut maximum Parentem tuum, teque suo nomine salvere juberem. Credo ocium non fuisse, ut catalogum percurreret. Vale, decus meum. Hagae Non. Octob. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

Verba sunt Suetonii Nerone, an Augusto (nec inspicere vacat, qui scribo haec stans pede in uno) vita Augusto XCIV. *maculam e corpore eximi.* Torrentius notat in duob. MS. legi *exigi.* Inspice, quaeso, vestrum, & significa, quomodo ibi legatur. Num Casaubonus filet de his. Si *Wilhelmum Christianum* videris, appella quaeso hominem, castiga, & multa probra ei ingere: qui nondum secundum folium nugarum ad me misit.

EPISTOLA LVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

SCripseram ad te epistolam, plenam fermento. Nec enim pati poteram, quod justissimam defensionem meam repeteres ceu carmen solenne, Imprudentiam tuam, acutum ingenium, & iis esse factum, ut Dn. de Tienhoven haberet libros male conciliatos, tuque ei non potueris inservire. Mox eam combussi, ne indictam mihi a me ipso legem ferendi amicos exuerem. Vide tamen, ne dum tu nimis te excuses, invidiam mihi concilies apud magnatem virum. Nemo te accusat, nemo tibi crimen aut maledictum facit. Quid opus rejicere in alium, quod tibi non imputatur. Vix me contineo, quin repetam priora. Dominus de *Tienhoven* te salutat, pro praestita opera gratias agit, jubet ne de ullo postea libro emendo sollicitus sis, nec enim se illos, quos notasti, desiderare, praeter literas Granvellii, & hac conditione, si vili vendentur. Miratus sum σκληροκαρδίαν amici nostri. I nunc, & dic iterum imprudentem me fuisse, quod non citius ad te scripsi. Tuas accepi heri hora nona vespertina. Dn. de *Tienhovium* ante quintam alloqui non potui: haec scribo hora sexta. Vale, & me ama, quamvis judicio tuo imprudentem.

Epistolarum Casauboni nondum ullum exemplar a Mairio accepi. Uti nec Dn. *Rivetus*. Ubi accepero, memorem promissi videbis. Autographa etiam propediem remittam. Forte cras vobiscum ero.

EPI-

EPISTOLA LVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

CUm postremum ad te scriberem, sperabam me postridie Leidam aditurum. Id propositum mox interventantia negotia, quae differri non poterant, everterunt. Post dein aliquot diebus exspectabam fratrem in cohorte Praetoria, quem hodie recepi, ut ex molestissima expeditione integrum satis (Deo sit gratia) ac valentem, contra atque verebar. Nam cum maxima parte suae cohortis cum quoque accessione aliqua tentatum intellexeram. Interim credidi scripturum te, qui libri & quanti essent empti, tum ipsos quoque ad me missurum. Quod quia hactenus factum non est, rogo, uti ne differas ulterius. Cupio enim cognoscere, quid fuerit causae, cur binas illas μεμψιμοίρους, alteras etiam post luculentam satisfactionem meam, ab amicissimo capite acceperim: quantum fuerit illud, quod ne tuam apud magnatem virum gratiam libaret, mea peccata invenire atque annumerare mihi te coegerit. Tu vero εἰς ἀμφότερον dormi. Citius ego mihi sumptum imperabo, quam uti patiar propter rem adeo nihili sive te, sive me frigore tali aliquo feriri. De Epistolis Casauboni, non erat cur optimum *Pilium* rubore perfunderes. Neque ille, neque nobilissimus Dn. *de Tienhoven*, neque quisquam mortalium a me etiamnum illas habet, hoc ex animi sententia juro tibi. Neque adeo vir ille magnus, quem solum efficere putabatis, ut aliquis dono meo Epistolas Casauboni Leidae legeret. Ego vero affirmo tibi, ipsum ne quidem a me eas accepturum (*Riveti* ea cura erit) ut nec amicos alios, praeter quibus promisi, aut qui ipsi cum Epistolas quasdam mecum communicarent, id a me stipulati sunt. Sic quoque unum alterumve meo pretio emendum erit mihi, ut donem. Die Lunae videbis quod tibi destinavi, si per nautas ordinarios id vis mitti. Iterum rogo, ut de libris emptis quamprimum mihi respondeas, ipsosque mittas. Ego enim Illustrem illum virum ab aliquot diebus non visum adire non audeo, antequam certa ei hac de re referam. Vale, mi Heinsi, & communes amicos a me saluta, imprimis Cl. *Scriverium*, quem dividiae fuit mihi bis me frustra domi meae quaesivisse. Postrid. Eid. Octob. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

Ad *Vossium* scripsi, & injuriam illam cum eo expostulavi. Recepi responsum, raram avem, quippe qui ad triginta, puto, meas vix rescripsit. Ille sic statim exorditur: *Non recordor tale quid ex ore sive tuo, sive meo profectum, quale scribis. Sed scio ex aliis, partim Leidae adhuc degentibus, partim in oras jam profectis exteras, audisse me, juvenem illum, qui tecum sermones istos habuit, & bonae indolis videri & praeclarae exspectationis: solum metui, ne corrumpatur a nonnemine, quo utitur familiariter. Ut te quoque sic judicare dixerim, non sit verisimile,*

le, nec verum arbitror ***. *Tanto magis opinio haeret, adoleſcentem, unde iſtud habes, haec protuliſſe, ut expiſcaretur ea, quae neſciret: vel alterum illum tam ei familiarem impoſuiſſe illi, quo abalienaret a te.* &c. Sciat haec autor tuus. Cupio enim inimicum habere, qui meos inimicos mihi inconciliare cupit. Quod enim tandem pretium meum, ſi omnia patior & muſſo? Tu vale, nec ullum mendacium te ab amore mei avertat, quem ſimpliciſſimo animo te ac tuos ſcis & amare & colere. Cujus novum propediem argumentum videbis.

EPISTOLA LIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

EN tibi Epiſtolas *Caſauboni*, ut a compactore nunc ipſum eas accepi. Nolo, quicquam mihi poſt hac duarum rerum creduas, ni primus es, qui a me exemplar accepit, aut accepturus eſt. Nam nobliſſ. Dn. *de Tienhoven* ſuum poſt prandium demum aut concionem pomeridianam offeram. Accipies vero, ut non tam ex promiſſo, quam virtutibus tuis & amori debitum. Munus egregium, ſi ipſum ſpectes, parvum, ſi donantem: cujus improbum laborem modo & pietatem erga manes maximi & ſanctiſſimi viri commendabit. De exemplari, quod Parenti tuo debetur, videbit, puto, Rivetus, & tunc una autographa veſtra recipietis. Sunt illa quidem adhuc apud me, qui aliquot dies occupatior reverendum virum non vidi. Quod folia nugarum mearum miſiſti gratum fuit. Oroque porro, ut inſtes lento homini. De literis Veneris marito traditis, fallit te ratio mire. Non ego tuis id factum dixeram, nolui certe, ſi id forte feſtinanti excidit: ſed meis ipſius profecto, quae, quamdiu non miſi eas, manui & poteſtati meae ſuppoſitae ſunt. Scripſeram ad te ſtatim, ut acceperam tuas, ſed iracundius. Poſtea paullo cum reſediſſent animi iſti, non chartam ſed iram meam combuſſi. Tuae vero ſunt penes me, & aſſervantur, & cum ad nos veneris, monſtrabuntur. Itaque in obſervatiuncula illa de meo judicio tuarum (ut ais) nugarum caetera felix Criticus, infeliciſſimus, quod credo ipſum males, fuiſti. Non ſuſtineo morari te diutius, qui delaſſatus lucubratiuncula matutina (cum enim inſomnia vexarer, a media quarta ad octavam mediam, quando haec ſcribo, ſtudui) animum colligo ad piam devotionem. Vale, mi Heinſi, & me ama. Hagae a. d. XVII. Kal. Nov. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLA. LX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

EN responsum ad brevem Parentis tui. Dn. *de Tienhoven* non est in urbe. Simul redierit, accipiet, quae misisti. Nec tu dubita, quin maximam ab eo gratiam inieris. Ita & res poscit ipsa, & nos verbis augebimus operam tuam. Amicum nostrum alibi quoque deprehendi suspicacem, & qui ambigue dicta siniſterius saepe interpretetur. Acceperam sane ante quatuordecim dies exemplar tradendum Maecenati nostro, sed jam consutum, ut singula folia nec ego nec compactor inspexerit. Compactum ergo & deauratum dum evolvo, separoque paginas conglutinatas ad oram, deprehendi scelus typographi, qui ut sumptu isto me feriret, exemplar dedit mihi pessime affectum, sic ut offerre id Dn. *de Tienhoven* non auderem. Ipsum tu apud me videbis. Vix denique aliud postea ab eo extorsi, quod integram hebdomadem detrinuit bibliopegus, cum caussaretur frigidum & humidum aërem. Miratus sum acutas nugas magistri illius. Quid enim subtilius? Quid porro ineptius? Omnino autem hortandus est, ut librum suum edat. Sic, si bene te novi, habebis insperatam materiam uberius illustrandi Nasonem tuum. Nuntiabatur hîc diebus his urbem, ubi ille agit, ab Electore Palatino obsideri, teneri armis Caesarianis. Itaque antequam diem datae epistolae viderem, subibat exemplum Eumolpi, cui vacabat versus facere in praesenti naufragio. Hominem tamen non novi: nec novit *Heilerfichius*, cujus patria altero lapide ab illa urbe distat. Caetera, quae mandasti, recte a me curabuntur. Vale, amicum caput, & me ama. Hagae. a. d. x. Kal. Nov. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

A *Fabricio* diu est quod nullas accepi. Nudius tertius *Franciscus Sweerius* Amsterodamo redux nuntiabat poëmata ejus esse perfecta. Quaeso te, abstineas a titulo V. N. si vis epistolas tuas a me cuiquam ostendi, nam ego id non confiteor.

EPISTOLA LXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

CUm postremas ad te darem, mi Heinsi, inclusisse me putabam illis *Mulleri* epistolam, quam paucis post diebus inter schedas in mensa mea deprehendi. Nec adeo cum nuper Parens tuus ὁ πάνυ hîc esset, ejus rei in mentem mihi

Digitized by Google

venit. Quod, rogo, ignoscas multitudini occupationum, quae me enecant prorsus, & ejusmodi peccata prorsus γεροντικὰ, minimeque hujus aetatis crebo mihi excidere faciunt. Narro tibi; acceperam a *Peiraredo* Justinum *Vossio* reddendum, is liber admodum quaerenti videbatur mihi ex oculis evanuisse. Cum per quendam Amsterodamum euntem excusassem me, promisissemque, simul eum reperirem, promptissime remissurum, retulit ille, dudum me *Christenio*, qui hîc fuerat, tradidisse illum, & hunc Vossio. Pudore sane confusus sum. Sed scito, ita me distractum esse, ut saepe quid agam nesciam, meaeque ipsius bibliotheculae sim hospes. Meministi adagium vetus, *a lasso rixam quaeri*. Itaque mirum quantum auxerit bilem mihi hos aliquot dies typographus, ingratissima sua & testudinea tarditate. Plane interest studiorum meorum, hoc a munere cito me absolvi. Itaque minatus sum ipsi, qualis ille in posterum trico fuerit in paginis transmittendis, talem majoremque & veriorem me futurum in solvendo argento. Et faciam, ita me Musae ament. Epistolam illam hîc habes. De re ipsa non dubito, quin dicis modo caussa judicium meum me poposceris. *Vandermerius* pro catalogo bibliothecae magnas tibi gratias agit. Itemque nobiliss. Dn. *de Tienhoven* maximo parenti tuo pro Simplicio. Claudiani locus est in IV. Cons. Honorii vers. 510.

Quae sub te vel caussa gravis, vel judicis error?
Nec legitur dubiis quis litibus.

MS. *caussa brevis* &c. *Negligitur*. Utrumque verissime. Sed posterius fallor, an occupavit, sive *Schottus* in Observat. Humanis, sive *Rubenius* in Electis. Inspice, quaeso: Nam si non illi id habent, est locus in nugis nostris, ubi id inseram. Vale, meum decus. Hagae Kal. Novemb. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA LXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

QUod cessavi hactenus, ne, per ego te fidem amicitiae nostrae oro, obsecro, ne id imputes ulli incuriae aut negligentiae meae. Primum quidem moratus est me optimus *Vincentius* noster, qui modestis suis salibus ac erudita comitate ita me tenuit, ut, quamdiu hîc esset, assidui accubui invicem omnium aliarum rerum cogitationem omitteremus. Vix illo digresso misi ad amicum nostrum, tum ut ostenderem ei, quae constitueram praefari (finem enim prospiciebam, gestiebamque ab illo me immunem reddere munere) tum ut de promisso tibi *Galthero* aurem ei vellerem. Respondit se curaturum, ut eum haberes, simul in manus incidisset, morari enim in aedibus, an latrina, soceri sui. Hinc sermonibus habitis, cum ille ex foliis editis conspectum sibi fecisset operis, rogavit, ut aliquot capitibus librum producerem. Dixi facile

vile id quidem mihi, sed nullam fore inter priorem & secundum librum symmetriam. Institit ambire ultro, ut totum librum adderem. Nolui dimittere tam bellam occasionem, cui nescio an similem sim unquam habiturus: pollicitus sum. Ea res prorsus mihi inopinanti accidit. Equidem (quod praefiscini dixerim) materiae est satis, sed rudis, indigestae, parum percoctae. Scis autem, animae mi, quam sim obtrectator mei, quam mihi diffidam, & ad omne subitum expediendum sim ineptus. Itaque ab eo momento, quantum per aliorum studiorum ordinem & interpellationes licuit, perdius, pernox totus in hoc fui, ut seligerem, limarem, disponerem, quae tertii voluminis paginas facerent. Heri per Dei gratiam colophonem imposui. Ipse volit, scripsisse nos, quae ad aliquem rudiorum usum & literarum commodum faciant. Id an assequutus sim, boni ac docti judicabunt, tuque inprimis, elegantissime Heinsi. Certe data opera cavi mihi, ne lubricis conjecturis & ingeniosis inceptiis chartas oblinerem. Dissensi interdum, sine tamen cavillis aut cujusquam injuria, a magnis viris: ab [1] illo ipso, quem non ignoras lectitasse singula folia, antequam operis darentur. Habeo ejus censuras, quae interdum mihi profuerunt, interdum gavisus magis sum scire, quam sequi. Quod nec ipse aegre tulit. In unis haec habentur: *Jam dixi tibi, in his conjecturis aliud alii, & nostra nobis impense, aliena minus placere.* Item: *De omnibus si non possum tecum sentire, neque id miraberis, qui hanc mihi libertatem dedisti. Pauca tamen ea admodum sunt. Quid juvabit ea in medium proferre, tibique ostendere, cum tua meliora sint? Ne officio desim, quaniam hoc a me exegisti, tibi obsequar.* Ego rescripsi, posse me pati, ut interdum sentiam aliter, quando ipse concedat: dummodo ne manifesta delirem, aut contra lucem claudam oculos. Atque haec non apud te superbus jacto: scis & scit Deus, quam longe a tam fatuo fastu absim, quamque quotidie id mediter, ne unquam animum meum tradam ambitioni: sed in sinum carissimi pectoris effundo gaudium ex bona spe praeceptum. Nec volo sane, ut haec mea εὐήθεια judicium tuum circumscribat: tu vero uteris illo, & ut ostendas multa placuisse tibi, quando omnia legeris, quaedam reprehendes. Atque ut id eo facias citius, nunc te rogo, ne praetereas unquam officinam *Fabii* nostri, rem comedentis potius, quam restituentis cunctando, quin urgeas, impellas, stimulo increpes pigrum pecus. Praefixi ipsi finem hujus anni. Itaque mensem adhuc integrum habet ad folia quatuor aut quinque perficienda. De Meurisii auctione dederam mandata ad te *Fabricio*. Nihil ibi, quod tu magnopere desideres. *Vandermaerius* & ego Latinos omnes soli excussimus. Ille complures non magnae rei, ego quinque libros emi, Theophrastum vestratem & vestrum, Vorstii Antibellarminum, Sulpitium Severum Drusii, Magiri Physicam, Lydii narrationem Conciliorum: hi mihi constant 4 fl. 5 stuff. [2] Popularis meus etiam te invitavit ad lectionem Variarum suarum. O miseriam! Putabamus *Fabricius* & ego, illum illius obliquis sermonibus edo-

1 *Salmasium*, puto, intelligit.

2 Intelligit, puto, *Joachimum Hagmejerum* Hamburgensem, qui hoc anno Rostochii edidit Variarum lectionum librum unum. vid. & inf. Ep. 63. & 68. & alibi.

Digitized by Google

ctum potius obscuraturum chartas illas, quam monstraturum. Sed simiae omnes sumus, amamus etiam deformes foetus. Interim, ut vere ais, ferendus est tamen & animandus, si possit fieri sapientior. Nam & horum exiguus, immo nullus, apud nos nunc numerus. Frustra suspicaris, Leidae me fuisse, nec vos salutasse. Juro tibi, non fuisse me ibi, ex quo te postremum vidi. Minatus sum saepe, & minor etiam hac hebdomade: nondum tamen Haga pedem extuli. Nobliss. Dn. *de Tienhoven* allocutus sum bis de catalogo bibl. *Canteri*. Respondit se mihi eum daturum: nondum tamen tradidit. Haec heri vesperi cogitabam ad te scribere, cum posteriores tuae me oppresserunt, mihi longe gratissimae. Codex Puteani etiam caret epistola Cydippes & Sapphûs. Ne Acontii quidem habet integram. Nam ad versum illum:

Promisit pater hanc, haec adjuravit amanti.
Ille homines, haec est testificata Deam.

notatum erat: *hactenus codex Put.* Amicus Regis Sueciae, cum hîc esset, quaerebat ex me, si ullum MS. Cod Institutionum alicubi latitantem possem monstrare sibi. Ablegavi illum ad te. Bonum factum: Institutiones accurate interpunctas propediem habebimus. Ne hoc mireris, narrabat homo, (in cujus nativitate non est Genetae Manae supplicatum: bonus enim natus est) neminem Theologorum ad hoc usque sciviss̄e, quomodo Decem Praecepta essent interpungenda, se adeo primum id observasse, & in ingenti opere suo docuisse. A. *Schragio* tandem accepi literas. Is est in familia legati vestratis Dn. *Joachimi*. Accipe ἀποσπασμάτιον ex ejus epistola: *Oxoniam nondum adire licuit: ideoque nobiliss. Nic. Heinsio, exscribendis epistolis Ovidianis, gratificari praeter votum non potui, quod ut commodissime apud eum excuses, rogo. Nudius tertius Bohemus quidem spem mihi fecerat, eum primo vento post Natalitia huc iturum, idque patris ipsius literis, quas ad ampliss. Dn. Legatum dederat, contineri affirmabat. Non dubito, quin gratissimus venerando seni futurus sit. Si quid certius hac de re cognoveris, moneas, ubi visum fuerit, velim.* Quae me jubes nuntiare illustri Dn. *de Tienhoven*, hodie expedientur. Accepi ante paucos dies a *Nicolao Rittershusio* sex Epistolas magni Scaligeri, nec dum editas, sed dignas profecto, quae in opere illo legerentur. [1] Partem unius hîc subjeci. Si gestis videre omnes, communicabo libens, hac tamen conditione, ut & tu promissum expleas de Epistolis *Wouwerii* contra *Elmenhorstium* mecum communicandis. Ne verere, ut per me aliquando edantur. Zelotes sum pro honore popularium meorum. Vale, Charissimum pectus, & ex hac longa epistola agnosce, me libenter vacare tibi, quotiescunque otium non deficiet. Saluto vestros, vestramque salutationem hodie apud suavissimam sororem tuam, si domi erit, deponam. Hagae a. d. prid. Kal. Decemb. Anno CIↃIↃCXXXVIII. Valetudinem Cl. Cunaei invitissimus conovi.

Gevartius emendat alicubi apud Manilium in Electis: *pestemque videnti:* pro *testemque*. Est alius locus, ubi eadem restituenda vox lib. II. *hosti/que duorum*

1. Tota edita est a me post Gudianas in appendice. Epist. 26. p. 356. est vero *Scipioni Gentili* scripta.

Digitized by Google

rum Praedatorque leo. Ita Scaliger. Sed vet. ed. *positusque.* Gemblacensis: *positique.* Non dubito veram scripturam esse: *pestisque duorum.* Vide quaeso an ille hoc praeceperit. Si praecepit, fac, quaeso. cras aut perendie sciam. Nam festinato opus non est.

EPISTOLA LXIII.

J. FR. GRONOVIUS.

Nic. Heinsio.

Leidam.

NOn pupugerunt, sed exanimarunt me literae tuae, mi Heinsi, nulla sua, sed fatorum culpa. O calamitatem insignem! Ergo [1] magnus ille vir fuit! illud praeclarum Academiae, unicum sectae suae ac, ut vocant, facultatis lumen exstinctum est. Equidem prae dolore vix sum apud me. Non enim tantum publicum luctum lugeo, sed & meum privatum, qui ante paucos dies, ut ex Selandia rediisse eum cognoveram, scripsi ad illum, de valetudine gratulatus sum, consiliorum meorum viam munivi. o spes fallaces! o cogitationes meae inanes! Deum precor, ut Academiae ac studiorum in haec senecta illorum misereatur. Nunc scire cupiam, quis eum sit laudaturus. Nam si parens tuus id munus susceperit, nulla me vincula continebunt, quin tam illustri lesso commodem lacrimas. Sed tamen quicunque erit (nam gravissimae ejus occupationes vereor ut id ferant) fac sciam quando: est enim alia de caussa propediem ad vos mihi excurrendum, ita anticipabo diem illum, & laudationi interero. De epistola Cydippes affirmare nunc certe non possum: de Sapphûs possum, unde egregiam emendationem hausi, quam lib. II. cap. XXI. proposui. Sane esset operae pretium illius excerpta codicis te habere. Superat omnes Palatinos, nec dubito, quin multa tum me fugerint, qui mirer quod jejunitas mea tum tantum adhuc observare potuerit. De lib. IV. commovisti me: sed quomodo in hoc ocio, animo etiam tanto luctu percusso, possit? Habeo disputationem non malam ad Cic. locum de Legibus, quem tentavit *Petitus* p. 116. ad L. Att. nam & locum illum (licet apud te) recte emendavimus, & deprehendimus, quaecunque vir praestantissimus ad legem istam XII. tabb. disputat, nihil esse aliud, quam cumulum errorum. Habeo alia plurima pro mediocritate nostra: sed manum ultimam quomodo imponam. Sed terrent me ejusmodi exempla, ut gestiam festinare. Quantum detraxit summus ille vir famae suae, quod tot praestantia ingenii monumenta, quae promiserat & edolare poterat, in extremum diem distulit. Utinam quidem fatis fuisset aliter libitum. Quibus frustra reluctemur. *Schragium* diligenter monebo. De loco Manilii gratias ago. *Meranus* Delphis est, cui promisi, me

1 *Petrum Cunaeum* intelligit, qui obiit 11. Decemb. & VI. ejusdem mensis ipsi justa persolvit *Adolfus Vorstius.*

die Solis adfuturum, tum tui, ne time, ero memor. [2] Popularem meum amo sane: sed εὐήθειαν illam vellem esse cautiorem. Monuit illum oblique *Fabricius*, non esse ista talia, quibus hîc se posset commendare: sed ille bonus non intellexit, μάταν εἰς ἄνδρ' γενειῶν. Melius tamen, sic esse: quam ut oser literarum sit. Vale, caritas mea. Hagae III. Non. Decemb. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

Nobiliss. Dn. *de Tienhoven* gratissimum fuit, quae scripseras, cognoscere. Soror tua domo profecta erat, ipsi tamen salutationem tuam commendavi. Hodie aut cras iterum illum accedam. Habet enim tuum Longinum περὶ ὕψους, quo nunc ipse indigeo.

2 Vid. Ep. praeced.

EPISTOLA LXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

LAngueo nunc totus, optime Heinsi, itaque quae multa garrire habeo tecum, in alium cogor prae nescio qua ignavia differre diem. Quas tamen hoc temporis ex Anglia accepi, mittere ad te festinavi. Tu fac, cito rescribas quid velis factum, & epistolam remittas. Epicedia heri inter coenam accepi, & gratias ago. Laetor pietate vestra erga summi viri Manes. Unum miror, quomodo ille [1] amiculus meus meruerit medius interponi duobus optimis meis sodalibus, optimis Poëtarum. Piget me ruris & inficetiarum. Nec tamen utique video quid velit. Quid enim, malum, *praeoccidit*? quid *denunciare diem morbi*? Et fortasis ille hîs triumphat. De *Vincentio* nostro judicas rectissime, nisi qua modestia imperet tibi. Gaudebo, si hoc protelum fuerit tibi, ad proferendum tuos quoque elegantissimos verus. Et ipse stimulo te, instigo, hortor. Si mihi credis, eadem te laus manet, in tanta praesertim sanorum hominum raritate. Non enim simulant nunc furere plures Poëtae, sed furunt. Autographa Casauboni omnia recepit a me bona fide *Rivetus*. Quem appellabo equidem, quamprimum fuero allocutus. Epistolam ad fortissimi viri Thalassiarchae hospitium ipse detuli. Nondum advenerat: hac tamen vespera exspectabatur. A *Seldeno* epistolam accepi, me indignam, dignissimam incomparabili summi viri humanitate. In ea agnovi sordes Elzeviriorum, qui ausi sunt a me poscere, & acceperunt 15. stuf. vecturae nomine, cum certo sciam inter fasciculos alios ea missa. Erat enim ἰωλός, nec adscriptum erat, ubi quaeri ego deberem: ut tabellario, si per eum allata fuisset, non potuerit in mentem venire, me apud illos inveniri posse. Hoc praemium habeo suscepti laboris & curae maximae

1 *H. Alers*, cujus Epicedion in Cunaeum legitur post orationem Vorstii, medium inter *Vinc. Fabricii*, & *Nic. Heinsii* carmina: sed immensum quantum distat ab illorum elegantia, & quae hîc carpit Gronovius, ibi leguntur.

Digitized by Google

ximae in Seneca recenſendo. Sed hoc ordinis vitium eſt; non hominum. Vidiſti ſcelera, quae commiſit in optimi noſtri *Fabricii* libro *Janſenius*. Jupiter, ut talium typographorum omne genus pereat. Tu vero vale, mi Heinſi, & me ama. Hagae a. d. III. Kal. Jan. Anno CIↃIↃCXXXIX. quem tibi, & toti domui veſtrae auſpicatiſſimum ex intimis animi ſenſibus precor.

Memini vidiſſe in *Swarii* Anal. quaedam Heliodori loca explicata. Vide an ſit inter ea, ubi mentio fit ἰμβατηρίου. Nam hoc optimus *Commelinus* & in verſione, & in notis non ſe intelliſſe fatetur.

a Agit de hac voce Swar. lib. II. cap. 3.

EPISTOLA LXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Hagae.

OBſtupui heros amiciſſime, cum a *Schrugio* noſtro literas vidi. Putaveram illum memoriam noſtri omnem jam depoſuiſſe. At vero cogor jam ego totam ejus rei ſuſpicionem differre, tam inexſpectato praeſertim munere beatus. Reſcripſi illi, ut vides, & quidem verboſe. De vetuſtiſſimi, quorum ſpem facit, codicis excerptis conditionem, ut par erat, accepi. Plura ab eo exſpectare ausus non ſum. Tu, quae humanitas tua eſt, adhortare quaeſo illum, ſic in caeteris pergat. Non dubito enim, quin alios etiam Codices extruturus ſit. Nobiliſſimus *Janius*. Nec in Epiſtolis tantum laboramus, ut ſcis. In Metamorphoſi tamen nolim quicquam laboris ſumat. Ejus enim multos habuimus Codices, & labor immenſus eſt. Adde, quod diligentius iſtam jam excuſſerunt interpretes. De Metaphraſi nullam mentionem facies, ne videamur hominem obruere. Et ego jam ea de re aliquid ſcripſi, Caetera tibi mando, ita tamen ne profecta eſſe a me ſentiat. Meminiſti haut dubie queſtum me non ſemel de amiſſo Ovidii Codice, quem *Leuwio Bodecherus* commodarat. Miſit eum nuper ad me *Boculius*, ea lege ut ſeniori *Bodechero* reſtituatur. Scis *Bodecheram* omnibus nugis ſuis me donaſſe, etiam hoc. Jure itaque video iſtum mihi reſervaturus. Paſtorum ille codex eſt in charta deſcriptus, manus recentiſſimae, partim etiam mutilus, ut parum referat, cujus poſſeſſoris ſit. Emendationem tamen, ut videtur mihi, palmariam hauſi, libro I. Faſtorum. Vale.

NIC.

NIC. HEINSIUS.

J. Adamo Scragio.

NUllum jucundius mihi tempus transit, Scragi doctissime, quam quod tui datur memoriae, datur autem quotidie. Videbaris enim mihi nescio quomodo supra patriae tuae calamitatem eluctatus, & erecta illa indoles tua nihil non spirabat, ut genuinum viri magni praeceptoris tui discipulum in te agnoscerem. Pluribus nunc non laudo te, quia coram. Testari certe possunt amici quidam mei, inter quos Gronovius noster, quam effuse amem ego te, atque adeo depeream. Caeterum post discessum in Angliam tuum, nihil prius tuarum expectatione mihi fuit. Ea spes cum fefellerit hactenus, saltem de officio meo volui tibi constaret, ut jam ignorare non possis, quo apud me loco amicitia tua sit. ἴξεχε, ἴξεχε, φίλε ἥλιε. In eo cum totus essem, opportune exhibuit mihi tuas Gronovius noster, quibus praeter amicissimam salutem pars ἀφαφρίσεως & πλανύδε muneri inclusa, ut jam ingratissimus sim, de affectu tuo si dubitem. Ego folia ista inter κειμήλια mea reponenda statim curavi; quanquam enim pauca essent, non poterant non esse gratissima, quia profecta a te. Totum opus quod promittis, noli quaeso humanitatis tuae ac laboris esse prodigus. Si paucarum ea res horarum esset, sperare aliquid auderem, nunc cum inexhausti sit laboris, absit ut tale quid a te expectem. Scio ego, quam non tuus sis. Nec amicorum propriis praeferri debent commoda. Quia tamen inhumanum esse me voluisti, quin potius illa vetustissimi codicis, quorum facis fidem, excerpta mihi sistes. Utinam adessem ego vobis, aut ab hac molestia sic posses liberari, aut in partem saltem laboris venirem. Pervagaremur omnes una Bibliothecas, nec dubium, quin parvo tempore magnus excerptorum thesaurus conquiri nobis possit. Constat mihi de legibus istius regni, scio nullos ex locis publicis huc libros transferri posse, frustra itaque sim, si hoc oneris in me conferre studeam. Inspexi ego quidem tres Epistolarum codices, sed aut in charta descriptos omnes, aut recentissimae manus, & tamen hausi inde quaedam, quorum ne nunc quidem me pudeat. Quicquid laboris mihi consumpseris, homini candidissimo consumptum scias, & qui hoc saltem admissurus non est, ut ingratitudinis notam subeat. Testabor publice, si forte nugae meae quandoque lucem visurae sunt, quid quantumque tibi debeam. Quicquid excerptorum miseris, tuum erit, tibi vindicabis. Non sum ego is, qui amicorum parvi faciam labores, scio quam magno mei mihi constent, ut seria fere studia neglexerim hactenus, dum in auctore nostro quaedam observo, quae priores fugerunt interpretes, & tamen quam levia ea sunt, quam nullius momenti! Absit itaque occupationes tuas meis posthabeas commodis. Si quid interdum temporis supersit tibi, quod destinari possit amicis, cui melius id quam mihi, qui vicissim tua de caussa nihil non velim? Inter autoris nostri editiones, nullae Elzevriana & Bersman-

Berſmannianis emendatiores. Mycillus etiam & Plantinus ſatis terſe textum edidere: omnes illae penes me ſunt; reliquae utcunque mendoſiſſimae. Berſmanni Codicem, ſi ad manus tibi eſt, omnibus praefero, diligentiſſime enim is varietates margini adjecit. Quicquid erit, conſtet mihi velim, qua fueris uſus editione, variant enim omnes mirifice inter ſe. Sed & MStorum aetatem, & poſſeſſores ne ignorem mea intereſt. Poſſem enim ego in eoſdem quandoque incidere, ſi Angliam perluſtraturus ſum. Hoc & addam: diligens imprimis cura adhiberi debet eorum, quae vulgo ſingulis interſeruntur verſibus; nam inter Gloſſas multae lectiones latere illic ſolent, non tamen in omnibus. Conferebant enim Codices olim ſuos ad invicem Monachi, & memini multa non contemnenda inde mihi notata. Totum hoc judicii tui eſto. Atque utinam alicunde Elegiae iſtius, quam Pedoni vulgo Albinovano tribuunt, in Druſi mortem exemplar erui mihi poſſet. Corruptiſſima enim ea eſt, atque aliquam meretur curam. Haec ex Nobiliſſimo *Junio* ſcire poteris. Cujus viri profuſa humanitas me oppreſſit. Cognoveram ego jampridem ex parente meo ſtupendam ejus eruditionem, quippe qui cum uno *Seldeno* verae ſcientiae reſtitutor audiat ac vindex. Nec de ſumma viri magni humanitate dubitare poteram, quam infinitis documentis jam praeceperat. Putaveram tamen nunquam futurum hoc, ut in tanti partem honoris admitterer. Cui enim melius de tenuitate mea conſtet, quam mihi? Totum itaque hoc benevolentiae tuae acceptum fero. Intereſt igitur nunc mea, inter viri ſummi infimos ponar clientes. Hoc ſi per te impetravero, Deus ſum. Habes hîc epiſtolam & verboſam & impudentem. Tu, ſi delicti iſtius veniam promeruero, viciſſim me utêris. Vale, juvenum doctiſſime, & me, quod facis, ama.

EPISTOLA LXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

BInas tuas accepi lubens. Quas ad Scragium dederas curavi, & tua ipſi vota ſollicite in meis commendavi. De loco Heliodori ago gratias. Veriſſime ſine dubio *Swertius*, & eſt haec inter paucas gemmulas libri. *Scaligeri* epiſtolas en tibi. Utinam fieret, quod ſperas, dareturque auctior earum editio! Certus ſum plurimas adhuc latere, & poſſe unde unde erui. Narravit aliquando *Lindenbrogius*, delatam ab ſe conſolatoriam bene longam ad *H. Rantzovium*, ſe praeſente ſcriptam & accurate. Fortaſſis exemplum habet. Quanquam ſi habuiſſet, credibile eſt, cum ad ſe fratrem datas edendas miſit, hanc quoque communicaturum fuiſſe. Negat ſane *Vandermaerius* Gualtherum vobis periiſſe: ſed ſalvum reperiri adhuc potuiſſe quoque negat. Bonam igitur

fortunam jubet exspectari, quae fortassis in manum ei librum reducet. Canteri Catalogus non fuit librorum ipsius, sed filii cujusdam. Monui quidem non semel, sed in proximum semper diem sum rejectus. Nondum tamen conquiescam. Quae ad Ovidium notas, omnia mihi egregia visa sunt. Non est una tua διόρθωσις, cui indubitem. Paria nequeo reddere. Accipe tamen locum ex Catalectis Maronianis, quae non ita pridem diligentius evolvi. p. 40. in Aetna scribendum puto:

Ut cum densa [1] *premunt inter se corpora, turba*
Elisa in vacuum fugiunt, & proxima secum
[2] *Momine tota trahunt, tutaque in sede resistunt.*
Quod si forte mihi quaedam discordia tecum est,
Principiisque aliis credas consurgere ventos:
Non dubium rupes aliquas [3] *penitasque cavernas*
Proruere ingenti sonitu, casuque propinquas
Diffugere impellique animas, hinc [4] *carcere ventos*
Aut humore etiam nebulas effundere largo.

Cremant in vulgato stare nequit, utcumque explicet divinus vir. Locus Senecae plane alienus est. Ille dat rationem chasmatum sive hiatuum terrae: Cornelius Severus rationem motus ventorum ex terra. Illi subsidunt: hi expelluntur. Nihil adhuc de igne. Dicit eam credi posse causam impulsus ventorum sub terra, quae corporum supra terram. Ut cum densa corpora inter se premunt mutuo, quaedam ex his e turba elisa evadunt in vacuum; quia vero & premunt & premuntur, suo momine trahunt proxima, quae perurgent, donec in vacuo, & tuto, ubi non premuntur, restiterunt. Sequitur alia ratio. *Principiis quod ab his*, sine dubio erratum est librarii. Si, inquit, dissentias, aliaque principia motuum quaeras, scio alia posse dari. Non dubium est enim sub terra cava & fistulosa fieri aliquas ruinas rupium aut cavernarum intimarum, & ruina impelli conclusas fistulis animas. Ut pag. 42.

Sive peregrinis igitur propriisve potentes
Concurrant animae causis.

Et passim in hoc poëmatio. Male vir summus *ruinas*. Hinc igitur diffugientes illas impulsasque animas, aut carcere effundere ventos, aut humidas nebulas exhalare. Igitur quod sequitur, *Ut campis agrisque solent*, non est mutandum, in *solet*. Respicit enim id verbum *impulsas animas*, uti ex sequentibus apparet. Tu quid de his sentis, docte Trebati? Vale, anime mi, meque ama. Hagae post diem III. Eid. Jan. Anno CIↃIↃCXXXIX, quem tibi quoque prosperrimum ex animo precor.

[1] Premunt. [2] Momine. [3] Penitus. [4] Cernere.

EPI-

EPISTOLA LXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

QUas postremum ad te dedi, recte redditas opinor. Nunc accipe aliud folium versionis Planudicae, quod nondum acceptis tuis ad me misit *Scragius*. Libellum observationum ab operis exiisse forte inaudivisti. Dedi Commelino in mandatis, ut duo exemplaria in charta regia impressa vobis curaret compingi. Misi etiam ad ipsum epistolam, quam Parenti tuo τῷ πάνυ una cum libro traderet. Si morabitur, tuum erit aurem ei vellere. Nunc restat, ut te orem, muneri nostro gratiam apud maximum Parentem concilies: quod quanto est indignius, ut ipsius oculis offeratur, tanto major me offerendi, uti non ignoras, necessitas constringit. Dein ipse accipias tibi dicatum, non ut te ornet, sed ut lectione tua poliatur. *Fabricius*, qui nunc nobiscum agit, atque agat diu! te salutat. Ille, *Pilius*, ego heri in curia Hollandica (non enim aula, ὡς σολοικίζει Κορνήλιος ὁ τοῦ Διονύσου φερώνυμος, τοῦτ' ἐστὶ κερασφόρος) centum ostrea condemnavimus altera tantum parte audita. Grati saporis actio miseris intendebatur. Nihil liquidius. Ipsa conscientiae metu pallida ac obmutescentia pro confessis judicabantur. Et quia aquam dicebantur non timere, in ventriculi culleum missos, ut poenae mora donaretur noxiis, vino Rhenano mersimus. Vale, deliciae nostrae, & tu quoque fac simile. Hagae a. d. XI. Kal. Febr. Anno CIƆIƆCXXXIX.

Nollem *Scriverium* aut *Boxhornium* videre vestra exemplaria, aut de iis resciscere, ne vobis invidiae, mihi odio sint.

EPISTOLA. LXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

ITa literis utilem me praestet, qui praestat salvum magnus Deus, ut quod de judicio tuo admittere potui, seu quod in judicio tuo judicii, non amoris, fuit, me mirifice delectavit. Scio quam industria pariter & sapiens sit lectio tua, non enim persalutas libros, aut ex indicibus noscis: sed perlegis vere, & subtiliter limas, & ut ille ait, quasi spiculis rimaris. Talibus si lucubrationes nostrae vel partem sui approbent, rem teneo, & spernere facile possum eos, qui aut ex ignorantia laudant, atque ad quaevis alba sunt linea, aut ex imperitia & stupore, quae non capiunt, detrectant. Nam quae tu porro

amanter & ὑπερβολικῶς, distinguo sane, nec agnosco, non tamen propter fontem, unde emanant, rejicio. Puellas mediocriter pulcras & communium formarum, modo ne spinthurnicia sint & nugae, non illibenter audire scimus, cum ab amatoribus bellissimae rerum dicuntur, non quod credant (neque enim id credunt prudentiores) sed quod sciant pulchellum Veneris puerum, qualis ipse est, tales τῶν ἐρωμένων species in amantium animis formare. Quod vero in Nasone tuo multa etiam a nobis tentata loca nitidiora a te reddi possint, non dubito, qui & animum ipsius traxisti, & plures veteres codices consuluisti. Nos diligenter quidem illum, sed ut caeteros, legimus, MS. autem vidimus perpaucos. Cum igitur idem finis utrique sit nostrum, studia juvare & veteres puriores facilioresque reddere, in quibus ego tetigi scopum, ea probari tibi & scio & gaudeo, in quibus defeci, tuque eris accuratior, iis merito & libenter lactari me oportet, ac applaudere. Apud *Seragium* scito me fuisse memorem eorum, quae mandas tum de Ovidio, tum de Saresberiensi. Quod vero suspicaris me verba tua apud *Fabricium* sinistre fuisse interpretatum, nescio quid rei sit. Cum vero Leidam issem, & toties praeteritum [1] popularem meum salutandum primo constituissem, ereptum mihi tempus est, quod vobis videndis lubens, si superfuisset, impenderem. Idque sine dolo & fraude factum, tu ipse non ignoras, atque ideo vehementiae amoris tui, cui ego acrem accusationem tuam condono, ipse excusabis. [2] *Cornelium* intellexeram illum, qui vetus Bavarorum nomen, quod *Bojorum* erat, habet. Locus in Pandectis nihil habet difficultatis, modo legatur: *praeter conventionem*. Nescio an amicus ille tuus illuserit potius nobis quaerendo, quam serio quaesierit. Tamen si liceret per otium, paucis sententiam (quae nemini obscura esse potest, qui praecedentia legerit, & scit, quid inter actionem & exceptionem, conventionem nudam & contractum interfit) explicarem. *Plosius* noster ὁ μακαείτης si recte accepi a D. de Witten, erat Drost van Sulenstein & Leerssom, vel Lessom. Epicedion tuum videre gestio. Vale, Charissimum pectus & me ama. Hagae. Prid. Kal. Febr. Anno CIↃIↃCXXXIX. Instat puer, qui literas ad nautam feret, adeo ut relegere non licuerit.

1 Credo *Hagmejorum* intelligi. vid. Epist. 62.

2 *Cornelium Boyum* intelligit, quem nomine *Cornelii Cossi*, cum *Francisco Santra*, id est, *Plaute*, Saturnalibus lusibus Heinsius saepissime defricat. vid. Ep. 70. edidit is *Petri Stratemi* Venerem Zelandam. 1641. in qua multa etiam Carmina *Boyi*.

EPISTOLA. LXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Eodem.

GRatias tibi ago ingentes, mi Heinsi, pro insignibus exsequiis tuis, quas non sine interiore animi motu legi. Equidem, beatis manibus optimi quon-

quondam amici gratulor: Ille cum tuis Musis perennabit, & quando per aetatem non potuit rerum gestarum, animi certe & spei suae illustre exemplum tua opera ad juvenes sui ordinis superstites & posteros transmittet. Hoc multo est amplius, quam si splendido funere, Batava nobilitate deducente, a suis illatus tumulo majorum & compositus fuisset. quod multis accidit, qui per famam tam sunt obscuri, quam per sanguinem nobiles, ac nil nisi Cecropidae. Gaudeo publicatum fuisse epitaphium meum, quod vidisti puto, antequam tui libelli copiam habuimus. Secus non profecto inconditum istud carmen protulissem, sed muto dolore cladem nostram gemuissem. Nunc quando gratius illud esse scio illustri Parenti, non inofficiosum me eruditus tuus lessus, sed rubore tantum suffusum reddidit. Quamquam cur pudeat me, qui scio alia a te, alia a nobis exspectari? Ego lugentibus poëtatus sum, tu etiam tibi: ego dolui, tu etiam laudasti, In h 7. D. de Pact. utique legendum, *praeter conventionem ea subest*. Res tota pendet ex differentia nudi pacti & contractus. Simplex conventio, sive pactum nudum, actionem non parit: si transeat in contractum sive nominatum, de quo §. 1. sive innominatum, de quo §. 2. parit actionem. Ut supra dicitur: *si in alium contractum* (hoc est, nominatum,) *res non transeat, subsit tamen caussa*; ita hîc: *sed cum nulla subest* (puta rei, ei quod agitur) *caussa praeter conventionem*, id est, cum res, quae agitur, conventio nuda est, pactum nudum est, carens illa accessione, sive caussa, per quam contractus fit innominatus. Si aliter vultis, fac sciam, nam mihi, hoc si attendas, nihil difficultatis videtur esse. Epistolam *Seragii* cum duobus foliis μεταφράσεως Planudeae ad te mitto. Vide ut crastina vespera eam recipiam. Constitui enim die Lunae respondere. Excerptum ex literis Legati nolim te cum quoquam communicare, non quia res sit ardua, sed quia ipse quid sit, non intelligo. Vale, meum decus, & me ama. Divinum Parentem tuum, domesticosque vestros officiosissime saluto. Hagae Prid. Id. Febr. Anno CIↃIↃCXXXIX.

Vides nostras *Seragio* redditas nondum fuisse, cum istas scripsit. Aut serius ergo a nobiliss. Legato traditae sunt latoribus, aut tardius ab ejus procuratoribus curatae, de quo ipsum monebo, nam ego nihil moratus sum. *Fabricius* vos salutat plurimum, & propediem ad te scribet. Exemplaria, quae miseras, postridie, quibus inscripseras, in curia tradidi, & gratissimum singulis fuit.

EPISTOLA LXX.

I. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

NOn tam diu fuisses immunis garrulitatis meae, nobilissime juvenum, nisi me hos aliquot dies continuae occupationes diripuissent. Seneca in primis

mis assiduum accubium habet, quem utinam recensere possem totum. Multa observamus, quae accuratius sint dicenda, quam in brevem illum notarum modulum, quem libri moles & typographi requirunt, possint arctari. Et tamen tumultuaria ac translatitia haec opera est, plurimaque praeterire necesse habemus, in quibus exercendi ingenii locus, quia subito negant velle expediri. Utcunque sit, spondeo editionem, quod ad textum attinet, castigatissimam omnium futuram, etiamsi festinemus. Quantum enim vides, haud longe abest decretoria hora, cum tam calidis olim votis optatae, postea adamatae magis, Bataviae multam dicemus salutem. Ita vielenter instant, urgent, compellunt, quibus in nos arbitrium est. Sed de hoc sat cito, ubi quid habuero exploratius. Nunc accipe epistolas optimi *Scragii*. Vides omnino ab hero ejus te exspectari. Et profecto non dimitti miror, quando ea res & ad civilium rerum tractationem parare te posset, & rempublicam capessenti commendationi foret, quod in illa domo vixisses. Nam quod studiis quoque tuis illa peregrinatio profutura sit, nosti ipse. Sed consilium maximi Parentis tui sine dubio melius. De Saresberiensi, quae mandaveras, agnoscas etiam curae me habuisse. [1] *Bavarus* iterum Bavium aut Maevium egit in eodem argumento, in quo tu nuper optimum Poëtam. Fassus est *D. Heinsium* esse heroum heroem, etsi Poëtam bonum non esse secreto sentiat. Sed quid videtur tibi de illo (vidisse enim te puto missu *Dn. Tienhovii*) *parentantis spernens convitia Leidae?* Hoc ego non miror, qui decem minimum epigrammata in Cl. [2] laudatorem C. non ita quidem summo cum fastidio singultientem aut vomentem audire coactus sum. Vale, decus meum, & me ama. Hagae Non. Mart. Anno CIↃIↃCXXXIX. *Fabricius ὁ πάνυ* cum elegantissimo contubernali suo vos plurimum salutant.

1 Intelligit *Cornelium Boyum*, Poëtam non optimum, de quo Ep. LXVIII.
2 credo intelligi *Adolphum Vorstium*, qui Cunaeum laudatione funebri celebravit.

EPISTOLA LXXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & eruditissime juvenum. Equidem te puto ὅλον esse τῆς αὐλῆας, nec mihi verba sufficiunt, quibus deplorem obitum insperatum magni nostri Maecenatis. Hic primus nuntius me perturbavit, & de statu dejecit heri primo mane. Simul hanc civitatem intravi, atque ex eo torpeo totus. Nec tamen laxare me frenum dolori acerbissimo hoc patitur tempus, quod me prospicere mihi & iter adornare, non curare ulla alia, sinit. Angustissimis terminis includor, atque intra hebdomadem unam me pransum paratum, meas aptas sarcinulas & expeditas oportet esse. Agnoscis causam, quare cum constituissem in reditu videre vos, atque illinc transire, huc potius properare coactus

conflus sum pernox. Avunculus & affinis, qui Amsterodamum venerant supra negocia, quae ipse tractanda habui, eripuerunt mihi diem, quem libentius tibi dedissem. Nunc vero ita varie agor, ac distrahor rebus tam brevi spatio expediundis, ut, *ni πρᾶτον τὸ ἴωτα τὸ*, profecto nesciam. Itaque tumultuarie quod primum occurrit, id arripio, ut paullatim cumulum deruam. Habeo hîc libros, quibus misera mea & undique defecta studia pro humanitate vestrâ insigni juvistis. Ea retinebam partim, partim restituas dominis cum gratiarum actione prolixissima. Si quid praeterea vestrum mecum esse vos melius meminisse, (ego misi omnia, quae fuit recordatus) in tempore poscatis quaeso. Hodie enim aut cras convalare meam supellectilem constitui. Cum Amsterodamum ibo, vos videbo prius. Epistolam Scaligii acceperam, antequam nuper hinc discederem; sed per festinationem mittere ad te sum oblitus. Vale, meum decus, me ama, & incomparabilem Parentem tuum totamque domum vestram a me saluta quam officiosissime. Hagae a. d. III. Kal. April. Anno CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA LXXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime juvenum, nondum elapsus est ille dierum numerus, quem si hîc exigeremus, me aliquid ad te literarum daturum promisi. Ultimum reditus meus aut antevertet aut certe comitabitur. Jam enim festinari iter nostrum incipit. Cras, puto, videbo vos, sed aut illa vespera, aut sequente matutino Hagam perrecturus. Quare magnopere te rogo, jam nunc instes apud incomparabilem Dn. Parentem, ut, ubi paullum sit otii, quas pollicitus mihi *συστατικὰς* ad Illustrem Dn. Legatum & *Patrissam Junium*, paret. Unica haec caussa est, cur Leidam transimus, quod vix effeci tamen. Quasi enim curriculo in Selandiam mittimur, ibi exspectaturi ventos ferentes. Vellem plura, sed vetant negotia & discursationes, quae jam nunc incipiunt, & hoc die prorsus mihi genua solvent. Vale, *φίλτατον κάρη*. Amstelredami a. d. XVIII. Kal. Maj. Anno CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA LXXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Dilam.

CHarissimum pectus. Habeo ad te materiam epistolae ingentis, otium vix quantum vis brevissimae. Ita dilaudem officium in proximam occasionem, nisi nunc

nunc ipsum mitterem ad τὸν πάνυ *Boswellum* ἀνέκδοτα Saresberiensis, ipsius *Patritii Junii* manu descripta & emendata. Mirabor, si ea patienter legere poteris, qui aures non nisi nitidissimis ac elegantissimis poëmatis imbuisti. Et nescio an honeste satis sola edi possint. Debent tamen utique propter *Junium*, qui succenseret merito, si tantus labor nostri caussa susceptus, indigne ipsi periret. Tu igitur ex re praesenti consilium capies. Ovidium inspexi: recentissimae, minutae admodum, & plane monachalis manus est, sed integer, continensque omnia, ni fallor, opera, etiam illa de Nuce & Medicamine faciei. Est etiam ipsius Junii, sic ut mitti possit. Velim constituas, quid sit tibi faciendum. Ego verbum injeci de mittendo, instare non audebam, quia ingentem Tacticorum numerum & Achillem Tatium, aliaque eadem hora petieram, & impetraram. Sed si aut ad ipsum aut ad me scribes luculentius, quae ipsi ostendere de petitione tua possim, non dubito quin sis impetraturus. Praesertim si quid addas de certa spe edendi Saresberiensis poëmatum. Galli librum adversum Diatriben meam accepi Roterodami Leida missum, & forte jam vidisti, sic ut judicium meum de eo scribere non sit opus. Tu exspecta paullulum, & videbis quam feliciter ei sua fatuitas, malignitas, imperitia cesserit. Hae enim omnes sunt vespertilionis virtutes, atque inde aestimabis libri meritum. *Casaubonum*, *Seldenum*, *Fr. Junium* vidi. Habeo de Seldeno quaedam lectu tibi non injucunda. Falsa enim sunt prorsus, quae ibi jactantur. Verbo, vir est ad humanitatem & politiem velut ungue factus, in quo nihil minus, quam paedagogica morositas. Ut mirer, quo astro usi sint, qui aliter deprehenderunt. Literae maximi Parentis tui Legato, *Patritio*, illi fuerunt gratissimae: quarum fructum ut sensi plurimum, ita fateor debere me pro iis immortales gratias. Exercitationes sacrae ab omnibus exspectantur impatientissime. Saluto Vestros & amicos omnes officiosissime, in primis & Dn. *Latium*, cujus literas ad filium recte curavi. Vale, flos juvenum, & me ama. Londini. a. d. XVIII. Kal. Jul. Julian. Anno CIↃIↃCXXXIX.

Tuas mittere potes ad Nobiliss. Boswellum. De itinere meo particulatim ad Schertlingium & fatrem scripsi.

EPISTOLA LXXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

Literae tuae, quo uberiores, eo gratiores mihi, redditae sunt Oxoniae XV. Kal. Sextil. Jul. commodum reduci a Thermis, sive Bathonia, loco totius Angliae, quam quidem vidi, delicatissimo. Scripsi illico ad *Patritium Junium*, quia epistola non erubescit, satis ambitiose, & sic ut negari mihi nollem: sed quia post paucos dies Cantabrigiam iturus, indeque visis aliquot regiis arcibus Londi-

Londinium reversurus eram, responsum coram me postulaturum ipsi constitui. Quid verbis opus? habes rem peractam: cum redierit *Boswellus* legatus, Ovidium MS. accipies. Ultroque id factum atque αὐτομάτως, quod tu machinis efficere me malebas: mihi namque credidit codicem sutum, atque meam accepit fidem: quo, si ipse ad eum scripsisses, quod ego te hortatus fueram, qui non quaerebam in mustaceo laureolam, nec ambiebam quasi per fidei commissum meaque opera pervenire ad te beneficium, quod directe ab autore consequi poteras & merebare, non fuisset opus. De tempore tu statues ex commodo tuo & decoro: sed gratum erit ipsi, si circa festum Paschatos sequentis anni liber domino restituatur. Perreptavi plurimas hujus regni satis instructas & editis & MSS. Codd. bibliothecas: Oxoniae praecipua est Bodleiana publica: praeter hanc singulorum Collegiorum & Aularum (ista vocant, quibus adjuncta sacella & beneficia Ecclesiastica, suntque numero XVIII. has, quae istis carent, suntque VII.) non poenitendae: similiter Cantabrigiae pro eorundem numero ad XVII. sed omnes fere tam strictis legibus adversus peregrinos munitae, ut nisi post longum tempus, & multas indignitates, fidemque commendatitiis acquisitam, aditus in eas pateat. *Patritius* ὁ τὰ πάντα καλὸς κἀγαθὸς mihi fuit τὰ πάντα, absque quo fuisset, oleum & operam perdidissem. Multa in istis sunt τῶν Ovidii, quibus tamen mihi per angustias temporis uti non licuit: discere potes ex Ecloga MSS. Oxonio-Cantabrigiensium a *Th. Jamesio* edita, si tamen librum poteris nanciscì. Nam mihi praeter exemplar, quod in bib. Bodlejana habetur, nullum videre contigit. *Frondatori* respondi saevis cum jocis, ut merebatur. Recte tu mones calumniis abstinendum, sed intempestive sane, pace tua, charissimum pectus. Non enim sumus nos ii, qui calumniando quamcunque causam nostram agere velimus, & profecto moroni similes essemus, si putaremus malis artibus defensionem nostram indigere. Quis unquam fuit mortalium, qui adeo fatue insciticiam suam, stuporem, barbariem, impudentiam, malignitatem prodidit? Indicis vice tantum ut fungeremur opus fuit, & tunicis quibusdam, quibus nuditatem identidem involverat, nebulonem evolveremus. Singulis captitibus tot capita opposuimus, locum nullum reliquimus intactum. Saepe misereri vespertilionis volui, sed cum malitiam & maledicendi intemperantiam, qua adversus me grassatus, cogito, nullus relinquitur misericordiae locus. Tu ipse cum nostrum Elenchum videris, vehementiores fuisse nos non indignaberis. Ubi Lutetiam venero, fortasse edetur. A *Fabricio* habui unas Parisiis paullo ante discessum ex ea urbe datas: ait nullis praeconiis aequare se posse humanitatem illorum heroum aut honores sibi habitos, Elysios sibi videri campos, & me ad gaudia mea (ita loquitur) se evocare. Thersiten meum non vidit (secus atque promiserat) quod nollent *Grotius* & *Puteani* homini sordido, & ne ipsis quidem de facie noto (ita ait, & adeo nec videri a quoquam nec admitti) eam gloriam contingere. *Hagmeierus* ubi terrarum sit ignoro, a vobis discessisse ex tuis primum argumentatus sum. Paterni operis exspectatio hîc apud doctos (praecipue literas, qui pauciſſimi & vix tot quot Thebarum portae) est desiderium ingens. *Seldenum* nunquam vidi, quin id primum rogi-

Digitized by Google

taret. Is vir praeter caeteras laudes humanitatis est incredibilis, morum prorsus ad veneres & gratias factorum, Heinsiani nominis studiosissimus. Adornat ingentem commentarium de Jure Civili Hebraeorum, cui multa intervenient jus Naturae & Gentium illustrantia. *Riquartum*, ut jusseras, allocutus sum. Negat ab *Holstenio* quicquam se habere vobis tradendum, & plurima de illo viro minime honesta loquitur. *Leonem* vero *Allatium* dedisse sibi Sallustium περὶ θεῶν καὶ κόσμου inscriptum parenti tuo, quem habituros vos, simul atque redierit in patriam. Neque enim penes se eum esse, sed inter librorum sarcinas, quas nescio utrum Massilia an Rothomago in Hollandiam misit. Prima autem navi, qua tuto transvehi posse speret, ad vos advolaturum. Academiae luctum in Reverendo & Cl. *Walaeo* doleo. Exercitationes sacras exspectabo Parisiis, atque inde ad patrem tuum τὸ τρισμέγιστον scribam. Propediem enim conscendemus, & jam fecissemus, nisi Regis adventum hîc exspectassemus. Elzevirii me jubent pergere in Seneca. Hîc nec otium mihi, nec libri ad eam rem suppeditarunt. Et potuissem vetustissimum codicem primae editionis Epistolarum, quam MSS. deprehendi parem, hîc emere, si certus fuissem istos sumptulum mihi reddituros. Nam bibliopola, quia me noverat, carissime librum indicabat. Si quid Parisiis possim, videbo. Interim salvere eos jubeo. Vestros quoque omnes CLI. W. *Scriverium*, *Boxhornium*, aliosque, quos nostri curam gerere videbis. Vale, decus nostrum & me ama. Londinii Non. Aug. Jul. Anno CIƆIƆCXXXIX. Salutat te *Jardinius*, quîcum heri pransus sum in aedibus Legati.

EPISTOLA LXXV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

HAe tradentur tibi, Charissimum pectus, una cum desiderato Ovidio *Patritii Junii*, qui utinam exspectationi tuae aliquatenus respondeat. Ut ut erit, petitioni tuae satisfactum est, & si nunc fefellerit, amplius spem tuam deludere vetabitur. Fidem meam, quando ita voluisti, interposui lubens, nec vir optimus ante instantis anni ferias Paschales eam impleri postulat. Interea spero usui satis futurum tibi. Pirkheimeri codicem saepiuscule a *Fr. Junio* poposci, sed negavit inveniri. Nec verbis ejus indubito propter summam comitatem, qua omnibus, quae vellem, Arondellianae bibliothecae uti me facillime permisit. Crede neminem vivere, qui majori studio nobilia incepta tua cupiat promota, me ipso, si quid ad illa conferre possem. Et identidem obvenerunt in bibliothecis Academicorum collegiorum, quae tibi in promtu esse optabam. Sed conditionem meam vides. vix ipse mihi sufficio. Te oporteret ibi morari, & longo tempore emollire homines, qui thesauros istos pretiorum ignari possident.

Nos

Nos perendie hinc solvemus, & ad portum Risensem versus Galliam contendemus. Sed deflectemus de via paucarum horarum iter Cantuariam, propter humanissimum *Casaubonum*, qui me amice exspectat. Elzevirii, si sustinere possunt, editionis suae haud dubio augebunt praestantiam. Sin, notis certe e Gallia ad Epistolas & Naturales Quaestiones accipient. De M. Seneca tum videro. Parentis tui opus magnum prodiisse nuper ex amplis. *Bosvello* intellexi. Tu nunc vide amiculi & promissi te memorem praestes. Certe ubi in Gallia me composuero, nulla mihi lectio ante illum ad gustum erit. Et commode ab Elzevirio filio, qui Lutetiae est, id incomparabile munus acciperem. Nam quod tu me jubes procari ipsum, qui doni hujus occasionem donavit tibi, nec promisit ille, nec ego ita frontem perfricare audeo. Scribam vero, postquam Elenchus meus editus fuerit. Scis enim nebulonem meum nec illum praeteriisse in veneno suo jaculando. Quod & cum iftius summa infamia & hujus merito a me repetitis laudibus, faxo, satis fuerit. *Boxhornius* (quem salvere plurimum jubeo) quid agat, quando habituri simus Bredam, quando Agricolam Taciti, scire cupio. De J. Saresberiensi nuper, ni fallor, oblitus eram aurem tibi vellere. Certe *Patritius* exspectat rem perte effectum iri. Vale, mei amores & bene age. Londinii ante d. va. Kal. Septembr. Anno CIↃIↃCXXXIX.

Quo tuas in Galliam destinare debeas, nondum adhuc scio. Fortasse docebit te Gransvinckelius ὁ πάνυ.

EPISTOLA LXXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

Literas tuas gratissimas non diu, postquam in hanc urbem adveni, reddidit mihi Elzevirius: quibus respondissem dudum, absque negotiis fuisset illis, quae solennia sunt in novum locum commigrantibus, puta discursare & quaerere fixam habitationem, reddere συζητικὰς, visere doctos viros, & instrumenta commodae διαίτης in his hibernis parare. Primum quidem gratias tibi ago immensas, quod Parentis tui opus incomparabile dono vestro meum esse voluisti. Accipiam & servabo Palladium illud διοπετὲς inter caetera monumenta affectus tui, quae penes me sunt, sine pari exstans atque eminens, legam etiam cum veneratione atque discendi cupidine, quam praestare soleo omnibus ejus divinis scriptis. Quamquam autem nulla spe superba praesumam tempus, quo pariare tecum queam, tot obstrictus beneficiis, paro tamen cum maxime munusculum tibi, χάλκεα χρυσείων, quod spero non ingratum tibi futurum. Inter immensas bibliothecarum divitias, quibus hîc obruor, unum atque alterum Ovidianum opusculum conferre coepi non sine operae pretio. Fieri potest, ut potiora tu anticipaveris: sed ut qui bona omina a Diis impetraverant, ea-

Digitized by Google

dem petebant alio signo firmari, ita ingratum nec erit puto tibi, eorum, quae ipse notasti, confirmationem accipere aliunde. Exemplum dabo ex epistola Sapphûs: *At vos erronem tellure remittite nostrum.* Ita tot apicibus membrana ut putem leg. *Aut vos erronem tellure rem.* Nam ita cohaerent sequentia. Nunc tibi Phaon Sicelides puellae nova praeda veniunt: Quid igitur cum Lesbo mihi? Ego quoque ero Sicelis, Aut certe vos Sicelides remittite eum tellure vestra: nec decipiant vos fraudulentae ejus blanditiae &c. Pro *mentes Sicanos* MS. *immites*, quod tu considerabis. Idem codex clare habet, *Arabo.* Inferius: *modestius isses. Si mihi dixisses:* MS. *Et modo dixisses.* Statim: *non oscula summa tulisti*, pro *nostra.* Iterum inferius, *extendit aquatica lotos.* MS. *expandit.* Rursus: *Constitit & dixit: Quoniam non ignibus. Quae nunc non ign.* Sequitur varia lectio, de qua quid dicam nescio, tu videbis: *Nec mora: jussus amor tetigit laetissima Pyrrhae Pectora, Deucalion* &c. *Nunc vellem facunda forem* MS. *forent*, sc. pectora. Item: *Haec quid ego? an precibus tibi pectus agreste movetur.* Ita MS. Non habeo aliam editionem praeter minutam Amsterod. ut scire non possim, si qui ex editoribus haec occuparint. Tu vide, quo loco habenda censeas, & an gratum futurum sit, si omnia ex illo codice habeas. Continentur eo amatoria, & in alio volumine ab eadem manu (recentior est & elegantissima scriptura Italica, tamen in membranis) Fastorum libri, in quibus etiam non pauca, ut videbatur raptim oculos eo conjicienti, observavi bonae notae. O si hîc esses, & nobis partiri curas liceret! *Puteani* omnia volunt, quae vis. Sunt viri honestissim, & juvandorum omnium praeclarorum conatuum cupidissimi. Et sic maxima pars eruditorum hîc: nuspiam adhuc fui, ubi plus comitatis, minus invidiae & simultatum deprehenderim. Centum annos sic mihi agere dulce foret, ut nunc vivo. Codicem *Patrit. Junii* Ispero, Amplisſ. *Boswellus* jam ad te curavit, quoniam ipsum vix in Hollandiam rediturum non ita pridem hîc intellexi. *Elichmanni* & *Hortensii* obitus lacrimas mihi conciverunt. Jactura haec profecto maxima, cum vix successores habent eorum, quae feliciter heu moliebantur, infeliciter deseruerunt. Elenchus Antidiatribes sub praelo est, in eo videbis cum honore nominis vestri defensam divinam emendationem Parentis tui, [1] *Nubigenas clypeos.* Quae caetera, in epistola tua, non parum me commoverunt. Vale, decus nostrum, & me ama, Parenti, *Scriverio, Vorstio, Boxhornio*, aliisque communibus amicis etiam commenda. Lutetiae Paris. Ipsis Martialibus Anno CIↃIↃCXXXIX.

Hugenium, Graswinckelium τὸν πάνυ, ubi Hagam veneris, si grave non est, a me observantissime salutabis. Constitueram Silvarum quoque textum edere; gravatur typographus: & nunc aliis implicitus libenter illum laborem subterfugio. Solus ergo Elenchus edetur eadem forma, qua Diatribe. Ut pereat tibi omnis misericordia erga [2] nebulonem meum, scito patrem ejus fuisse ex sedecim, qui ut cruentam suam seditionem illustriorem facerent parricidio, magno *Brissonio* & quatuor insuper Senatoribus manu carnificis gulam fregerunt

[1] In Statii Protreptico Crispinis. Vid. Diatrib. cap. 2.
[2] *Emer. Cruceum.*

Digitized by Google

rent. Hoc veriſſimum & hîc publice omnibus notum eſt. Itaque furiis agitatur, ne deſinat eſſe κακὸς κόραξ κακὸν ὠόν.

EPISTOLA. LXXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

LIterae tuae redditae mihi ſunt occupatiſſimo. Inſerviendum eſt editioni Elenchi. In Senecam poſcit aliquid Elzevirius. Urgent incepta plurima, vix perficienda ante abitum, qui maturius indictus mihi, quam ſperaveram, literae multae ſcribendae. Nolui tamen te meas exſpectare diu, vel quia de diſſidiis Academiae ſcribis, quîs me quoque λογοποιοὶ quidam fruſtra cupiunt immiſceri. Jurare poſſum liquido, me ultra ter non audiviſſe Parentem tuum de [1] S. loqui, & id minime pro inimicitiis, quae vulgo ferebantur: ad menſam, quod meminerim, nunquam. Quid referrem igitur ad illum, niſi deſperate & nequiſſime mentiri vellem? Utinam apud communes amicos tam tectus fuiſſet! Sed ille irarum prodigus neminem undecunque ortos dolores ſuos celabat. Ad quae ego ſilui & ſermonem quaeſtiunculis meis plerumque ad alia diverti. Interim ſaepe apologias ſcripſi, ne in partes conceſſiſſe me opinaretur, quod ego maxima cura ſemper cavi, & ideo a multis hîc laudor. Nam id, quod vos nunc facitis, ſaepe antehac fecit ille mihi, quem huic culpae affinem non eſſe tu haud ignoras. Objecit aliquando mihi per iratas literas, relatum ſibi eſſe, me omnia venena ex ſcriptis ejus colligere, ea propinare vobis, ut in invidiam ejus per vos proferantur: teque publice in circulo dixiſſe quodam, me primum oſtendiſſe locum tibi, ubi *Fr. Junius* ſub nomine *terrenae beſtiae* traduceretur. Verba ipſius ipſa haec ſunt. De iſtis ipſe me purgavi: illa quidem eſſe falſiſſima & fictitia; hoc ſi factum ſit, non animo calumniandi factum, ſed cum obiter in locum eum incidiſſemus, & ego quis deſignaretur rogatus eſſem, quamquam vix ejus temporis meminerim. Tibi ea de re verbum nunquam, quia non dubitabam aliter acceptum eſſe, quam excidiſſet tibi, ſi unquam excidit tibi: & nolui ſemel locum dare redituris ſaepe ſermonibus ac fabulis, quando ſemel admiſſae eſſent. Qualis apud vos de illo, talem apud illum de vobis fuiſſe me credas volo, κλειτίστατον, & occluſiſſimum. Non vides praetendi exteros, ut inquirere deſinatis? Nec illi, qui prope ſunt, appareant? Tune veſtrum ſplendorem invidis ex popularibus tuis carere putas? Falleris profecto. Qui ſunt illi exteri, qui iſtarum rerum notitiam habuerunt? praeſertim ſi ab ſtirpe exquiratur auctoritas, & detegi debeant nomina autorum iſtius mali. Ego non feci, ſed inveni, cum in Hollandiam veni, ignariſſimus ad id uſque temporis talium. Quam facile eſt ſutoribus & ſartoribus mendaciorum fingere

1 *Salmaſio.*

& rem & autorem, cum hîc mentiantur, ibi forte in verum incidant? Venim qui sciant, quae ab inimicis culpari in S. soleant, ea tribuere possint vobis, sed si ea emanasse per me addant, sceleſtissime mentientur. Atque adeo eam rem praecido, & pariter curis meis & negotiis exesse jubeo. Ἰσιοφάφοι male feriati, & ἴσως τινὲς τῶν μεσίτων comminiscantur quicquid velint, ut dum ipsis res non succedit, in alios culpam devolvant: ego post haec τὰ ἴδια πράξω, & ad ista objecta ne respondebo quidem. Videant, dum persuadent vobis autores requirendos, ne ipsi e latibulis extrahantur, aut conciliando acrius inconcilient. Amnestiam oportet intercedere, ut pax fiat, non inquisitionem. Quid enim? Non alter vicissim a vobis autores poscet? Isti ubi utrimque editi sunt (nam haud dubie multi sunt, qui oleum camino infuderunt) an pro uno inimico decem habere uterque malent? nec tantum habere eos, qui inventi fuerint, sed & propter sermonem vanissimi cujusque innocentes amicos vestros in easdem copulas estis conjecturi? An potius, sopire ac lenire sine ulla scrutinio ulcera illa, ac praeteritorum oblivisci potius, quam accurate & subtiliter eadem revolvere ac replicare? Sed hoc ad me non attinet. Ego sanctitatem amicitiae, qua dignatus me Parens tuus est, nulla unquam re violasse conscius sum mihi: beneficiorum tot vestrorum oblivisci non possum, nisi ingratissimus sim bipedum: ipsum semper pro viro maximo & rarissimo aestimavi, & aestimo etiamnum: nec nisi rejectus plane & contemtus a vobis animum mutabo. Tum quoque absit, ut doctrinam ejus virtutesque abjurem: in me saevo more praeter morem vestrum esse usos querar. Atque te adeo hortor & oro, in candore illo ac simplicitate erga me, quam litorae ostendunt, tua persistas. Videbis nunquam commissurum, ut a mea parte claudicet benevolentia. Nam quod Claudianum tradere tibi dissimulavi, puto tradendo alios libros, quos aliquo jure vindicare poteram mihi, moruisse potius, ut contentus iis esses, quam hunc negatum tibi quererere. Adde, quod sub ipsum tempus discessus petens illum, utrum redditurus esses, haud satis exploratum habebam: & nosti illud, *frons occipitio prior est*. Cum tu interim ipsos codices in promtu haberes, si paullum molestum, at fructuosius certe futurum erat, (quod fecisses tamen, etiamsi excerpta habuisses,[1] si curam dignam adhibere esset animus) ipsos conferre edituro: mihi, qui utrisque caruissem, longum restaret ὀιμώζειν. Sed haec tollamus. Gaudeo te recensionem istius magni Poëtae meditari. Quicquid ipse conferre potero, conferam libenter, & forte plura conferrem, nisi mearum nunc rerum tantopere satagerem. Proximis quid id erit scies. Sunt hîc summi viri, quibus narravi de [a] carminibus *Rutgersii* in *Grotium* ut & du-

1 Reperio haec inter *Rutgersii* carmina, quae Nic. Heinsii addita leguntur pag. 339. *D. Heinsii* vero epigramma, in *Grotii* ex carcere liberationem per uxorem, legitur inter Poëmata extemporalia pag. 410. Edit Anno 1649. & Graecum in arcam libris onustam, qua servatus est *Grotius*, pag. 592. quae forte respexit Gronovius. Ceterum D. *Heinsium* aliquid temporibus dedisse, & cum antea *Grotii* laudes, & conjunctionem amicitiae (quippe olim amicissimi. Vid. Epistol. CXLVI. inter Gudianas) inseruisset Hymno in Pandoram, quae post praefationem Hesiodi

ampliſſimi Parentis tui in liberationem ejus. Si vis apud me ullam gratiam inire, & me vis apud illos, fac ea deſcripta, Graeca & Latina, ad me quamprimum mittas. Spondeo, non fruſtra fecerис. De valetudine tua ὑφηνιον. Precor Deum immortalem, ut te delicium Patris & fulcrum paternae domus ipſi, quantumvis longaevo atque felici, una cum ornatiſſima omnibus virtutibus, quae in ſexum illum cadunt, ſorore ſuperſtitem relinquere liceat. Incomparabile illud ſacrae eruditionis ταμεῖον accepi lubens, & gratias ago infinitas: agamque porro, quoties hac charta interprete myſteria divina intelligere diſcam. Ipſi a me amiciſſimam & ſubmiſſiſſimam ſalutem. Nec minus τοῖς πάνυ *Hugenio* & *Graſwinckelio*. Vale, decus meum. Lutetiae a. d. XIV. Kal. Decembr. Anno CIↃIↃCXXXIX.

Heſiodi legitur, poſt Synodum Dordracenam tres ultimos verſus mutaſſe, ſublato nomine *Grotii*, conſtat ex editionibus poſterioribus, & ampliſſime narravit *Clericus* in Ephemeridibus Trevoltianis, a ſe interpolatis Tom. I. pag. 269.

EPISTOLA CXXVIII.

J. FR. GRONOVIUS.

Nic. Heinſio.

Leidam.

DE Claudiani epigrammatis, quae promiſit *Binetus*, ſpes nobis decollavit. Bibliotheca ejus diſtracta dudum, & bona ad tertios, puto, obſcuros jam haeredes pervenerunt. Ipſum quoque ajunt non tam doctum fuiſſe, ut de Poëtis Latinis judicio ipſius ſit ſtandum: atque adeo facile decipi potuiſſe, ut ἀνθόγραφα pro theſauro poſſidere ſe crediderit. Haec ex ore *Puteanorum* fratrum & *Caroli Labbaei*. Nam juniores, qui hîc ſunt inter doctos, vix nomen meminerunt viri. Ut haec citius ad te perſcriberem, aliam mihi praeterea cauſſam dedit vir magnus, & nominis veſtri ſtudioſiſſimus, *Chriſtophorus Juſtellus*, Reginae Bohemiae & Büllionaei ducis hîc agens in rebus. ait ſe vidiſſe in bibliotheca Palatina *Stephani Epheſini* collectionem Canonum: qui liber ad *Elmenhorſtium* ſit miſſus, atque inde aut ipſe, aut apographum ejus ad *Rutgerſium* τὸ πάνυ perveniſſe, atque, ut credit, ab eo ad vos. Cum autem Photii Nomocanonem publicaverit, & quoſdam alios ἀνεκδότους ejuſdem materiae nunc ſub manu habeat, valde iſtum autorem inſtitutum ſuum juvare poſſe, qui antiquiſſimus ſit omnium, & primum ordinem in volumine, quod parat, ſortiri mereatur. Tentare itaque voluit, ſi me parario illum a veſtra liberalitate queat nanciſci. Promittitque ſe honorificentiſſimam Parentis tui mentionem factum & profeſſurum, cujus benignitas id munus publico imputet. Offertque ſe, ſiquidem in veſtra poteſtate ſit, & mittere huc velitis, ſe ſumtum itineris lubenter praeſtiturum, & ubi deſcribi curaverit autographum remiſſurum vobis: aut ſi ibi reperiatur, qui accurate deſcribat, nulli ſe impenſae parſurum. Ego pro

nota

nota mihi humanitate Parentis tui incomparabilis & ſtudio ad rem literariam juvandam, pene promiſi, ſi copiam ejus habeatis, futurum ne ipſe careat. Velim ad hoc reſpondeas mihi quam primum & diligenter, ut literas tuas ea parte oſtendere ipſi poſſim. Faciet enim id quoque ad tuam laudem, quam ille, me ex egregia indole tua & praeclaris profectibus decantantem multa rogans, cupide & gratulabundus audivit. Ego ita premor inceptis meis, quia non totam hiemem manendum erit, ut converſationi praeſtantium hominum, quae hic plane uberior, quam in ulla regione mundi, pauciſſima tempora magno cum dolore meo indulgere poſſim. Ea etiam cauſſa eſt, cur Elzeviriis in Senecam, quid notarum deſiderantibus, ſatisfacere nequeam. Nam ſubitas nugas effutire non poſſum: labore atque contentione mihi conſtant. De Epigrammatis Parentis tui & Rutgerſianis iterum aurem tibi vello. Vale, dulce decus meum, & amicos communes ſaluta. Lutetiae Pariſiorum a. d. VI. Kal. Decemb. Anno CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA LXXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

FRuſtra deſiderabas, Chariſſimum pectus, in poſtremis tuis (eae erant ante d. III. Kal. Decemb. anni practeriti ſcriptae) ut crebriores poſtea a me acciperes. Ecce laneis pedibus poſt tot exactos menſes adrepit reſponſum meum, meae magis voluntati, quam exſpectationi tuae, ipſa credo mora jam exſtinctae, ſatisfacturum. Interea duabus forte aliis meis tu reſpondiſti, ut feceris, certe opto, quas quando tandem videbo ego? Narro tibi, brevis fuit felicitas mea, in ipſo principio fruendae ejus Nemeſis mihi finem fecit. Quid Nemeſis tamen? imperitia iſtorum hominum, qui Galliam extra Galliam, hoc eſt Pariſios, quaerunt, & magnis emunt ſumtibus lapides, caementa, aliaque vidiſſe, quae ad vitam & profectus nihil proſunt, ſermonibus hactenus, ut vidiſſe ea inter vanos jactare poſſis. Nec credas ullibi terrarum locum eſſe, qui cum una civitate illa queat comparari: ſi uſpiam omnia illa, quae ſapientem hominem ſeculum ibi ſine ullo faſtidio detinere poſſunt, reperies, non tanta erit copia ſingulorum. Quanto cum moerore meo ex iſtis Elyſiis campis me ejectum putas? tot candidas, doctas, humanas animas reliquiſſe, quae, quod nutu illo aut ſuſpirio gratum fore mihi teſtabar, id obſequiis ſuis, priuſquam repraeſentaſſent mihi, non ceſſabant, & deſideria praeveniebant mea: tot, tam raros atque inaeſtimabiles librorum theſauros, quibus frui adeo non invidebant mihi poſſeſſores, ut etiam cogerent, atque hoc unum dolerent, quod non ſufficerem ſingulorum officio accipiendo: tantam ſpem augendorum ſtudiorum meorum: tam liberales, & quovis etiam ſtudioſiſſimo homine dignas voluptates,

&

Digitized by Google

& post tetricas Musas temporis fallendi occasiones: alia infinita, quae edisserere non possem, etiamsi illa omitterem, quae & indoctos homines allicere possunt. Nunc in angulo hoc haereo, ubi quatuor hominibus, eruditis sane & amantissimis mei, eorumque non instructissimis bibliothecis immensarum illarum opum ac deliciarum jacturam consolor: nam ne meos quidem libellos, quos mecum abstuleram, & partim in Anglia comparaveram, recisae nostrae sarcinae capere potuerunt. Enecas me nuntio titubantis tuae valitudinis, quam ut restituat firmetque in longam aetatem ille δώτωρ ἐάων ex animo precor. Tu quoque ne obsis tibi nimiis vigiliis & sollicitudinibus, quantum potes, cave. Gaudeo serio in Nasone te pergere. Ne dubita, si salvi redierimus in Belgium, nos aliquid tenue ad excellentem tuam operam contributuros. Elenchum meum imperfectum Lutetiae relinquere coactus sum. Quid eo fiat, ipse cum ignarissimo scio: nec dum enim literas inde ullas accepi, etsi bis terve eo dederim. Hoc quoque est in molestiis meis, quod illae male curantur. Nam de amicorum constantia nihil vereor. *Boxhornio* nostro novo marito gratulor, & ut gaudiis suis sine querela diutissime fruatur opto. Nos hîc in Aprilem manebimus: ver & bonam partem aestatis, vel totam, circumeundo nobiliores provincias & loca exigemus: Hibernabimus forte Parisiis, quod nisi fiet, ego constitui, postquam reduxero cum Bono Deo comites, recurrere Lutetiam, & integrum ibi annum quietus morari. Id si placebit τῷ κρείττονι, puto vitae meae omni secuturae, si qua restat, profuturum. Vellem alia tecum, sed instat hora tabellarii. Opto omnia secunda maximo & divino Parenti, optimis amitae ac sorori, tibi denique & omnibus vestris. Cura ut valeas, si me salvum vis. Juliomagi Andium a. d. prid. Non. Febr. Anno CIↃIↃCXL.

EPISTOLA. LXXX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

COgnosce infelicitatem meam, charissimum pectus; duos integros menses & quod excurrit, hac in urbe posui, antequam ullae Parisiensium amicorum literae (via veredariis tridui est) ad me venirent. [1] Heri tandem redditus mihi est fasciculus, quintam jam hebdomadem hîc delitescens, unde primum cognovi Elenchum Antidiatribes absolutum, & gratius in eodem pignus, tuae, quas prid. Eid. Decembr. dederas. Cum exspectare eas Lutetiae festinatio profectionis me prohiberet, egeram cum Amplisf. quodam & doctissimo viro, ut

1 Curatus ille fasciculus per *Sarravium*. Vide ejus Epist. XVI. & XX. & XXIII. unde discas, quid ille de litibus inter *Salmasium* & *Heinsium* ad *Gronovum* retulerit, fere incredibilis

ut resignaret eas, carmina eximeret, & *Justello* responsum significaret. Id ubi factum est, tantum non ostiatim totam illae urbem permearunt, certe nemo fuit elegantiorum, qui non legere eas, poëmatum exemplum sumere desiderarit. Plausus & admirationem maximam concitasse narrant mihi amici, & cum omnes ingenium tuum ac eximios profectus aestiment, tamen scito & genus & aetatem praecipue favorem tibi & εὐφημίας collegisse. Quod si quando, ut spero, ipse in Galliam excurreris, praesens id senties magis, quam ego promittere tibi possum: nullum humanitatis genus excogitari poterit, quod in te colendo omissuri sint. Mihi quidem nullus locus genialior Parisiis: ibi eruditio, ibi polities, ibi candor & comitas habitant. Interim gratias tibi quoque pro mea parte ago maximas, quod promissa mea apud tam praestantes animas frustrari nolueris. Polliceor tibi, si me sospitem Deus vobis reddiderit, & te salvum complecti siverit, quod equidem ardentibus cum suspiriis opto & precor, gratum tibi apud me futurum beneficium tuum. Excruciat me vehementer pertinax valitudo tua. Ille δώτωρ ἐάων restituere velit tibi integras vires tuas, quaeque egregia in te contulit dona, non modo in maximi parentis solatium, qui in ingravescenti hac aetate tanto fulcro magnopere indiget, sed & reipubl. literariae caussa ad maturitatem producere & longissime diurnare. Tu quoque, quantum potes, te ipsum subleva, nec aut studiis nimiis aut curis macera infirmum corpusculum: caetera dies faciet. Haud ignoro in animo esse tuo (& qui potest aliter tam obsequens filius?) nec negant literae tuae, quae caussam morbi adaugeant: quae quidem accidisse ipsa mihi morte acerbius est. Sed quando inani moerore aut indignatione nihil proficitur, cor autem ipsum adeditur, fraudare ad tempus ista cogitatione te ipsum melius ac tibi parcere, ut quibus in futurum usus erit, ea aliquando rectius providere possis. Ego quidem non cessabo meas preces cum tuis conjungere, ut eveniant omnia tibi vota tua, nec, quod abominor, tantam spem litteris fata tantum ostenderint. Fui occupatissimus hoc dies aliquantos. Constitui enim cum bono Deo finem imponere sollicitationibus cognatorum ad honores in jure accipiendos. Ei rei dies constitutus ante diem prid. Kal. Martias. Et nunc nescio quas nugas pro more hîc sub praelo habeo. Amice, quod apud te dicam, premit nunc me quamvis tenuis fama mea, & συσσιτικαὶ, quas ad primarios aliquot praestantesque hujus urbis & Academiae viros a Puteanis aliisque huc attuli, pene odio sunt. Nam illi cum multis officiis contenderint hanc mihi habitationem gratam reddere, falsa opinione imbuti aliquid eximium & supra vires a nobis exspectant: quos ne plane frustratos habeam, admodum sollicita mihi cautio est. Et in tota hac peregrinatione, antequam huc veni, nullum apicem Juris inspexi. Sed confido divinae gratiae contentionem meam & studium optime mihi cessurum. Est hîc vir amplissimus ex praetore hujus urbis [1] *Claudius Menar-*

[1] Hic *Claudius Menardus* fuit *Johannis Menardi* fratris filius, frater *Caroli*. Vide Praefationem Cl. Graevii in Orationes Ciceronis, ubi notas *Joh. Menardi* in sex Orationes Ciceronis commendat. Hic Claudius Presbyter fuit, & Historiam Andegavensem scripsit, sed quam non pro-

nardus, qui ante hac aliquid Auguſtini *ἀνέκδοτον* primus luce donavit, jam ſenex, ſed ob ſingularem humanitatem mihi conjunctiſſimus. Is omnia pene Ovidii opera MS. in membranis, quamquam recenti manu, habet. Si otium mihi erit, conferam, aut certe quantum potero: ſi non poſſim, indicio tamen hoc ſerviet tibi. Maximi facit omnia ſcripta parentis tui, & cum maxime, quamvis addictior religioni ſuae & paullo etiam ſuperſtitioſius, ſumma cum voluptate, ut teſtatus eſt mihi, Exercitationes ſacras a me commodatas legit. Fine Aprilis nos hinc caſtra movebimus: aeſtas tota diſcurſando conteretur: ſi tam mature has accipies, ut reſponſum reddi poſſe mihi credas, unas adhuc a te exſpectabo. Saluto communes amicos officioſiſſime. Vale, dulciſſimum caput. Deus te totamque domum tuam ab omni malo, tum corporis, tum animi ſervet. Scribe quaeſo dum licet mihi adhuc tuas accipere. Ego morior, dum tu periclitaris. Iterum vale, Juliomagi Andium VIII. Kal. Mart. Anno CIↃIↃCXL. Reliqueram pene menſem Ex. Sac. Salmurii, rogatus magnopere ab *Amiraldo* & *Cappello*, qui humaniſſimis litteris gratias mihi egerunt, & remittere invitos tam cito dolebant. Sed repoſcebam, quoniam hîc amici inſtabant. Vix praeter Corpus juris alium librum attuli. Sed illas ferre mecum ſuadebant recte Pariſienſes, quod magnam gratiam commodando monſtrando iſtum theſaurum initurus eſſem, quia tarde ejuſmodi libri in has urbes mittuntur. Nec falſus ſum.

prodiiſſe dolet le Long Biblioth. Hiſt. de Franc. lib. IV. p. 767. qui & alios ejus libros recenſet, ut ex indice videri poteſt. obiit Anno 1650. alium eſſe puto *Menardum*, qui Turonenſis fuit, & in Geſtium ſcripſiſſe, & Anthologiam Graecam vertiſſe, & auxiſſe, numiſmatum etiam magnam copiam reliquiſſe narratur in Ephemerid. Trevoltianis, Anni 1701. pag. 101. Ed. Amſt. cujus praenomen cum omittant (id enim nobilius & honoratius cenſent hodierni Galli, & unde auctor Morerianae appendicis fine praenomine retulit in Lexicon) puto eſſe *Petrum Menardum*, qui vitam Martini edidit, teſte Longio Bibl. Franc. p. 198. n. 4196. ubi vitio operarum *Menander* vocatur.

EPISTOLA LXXXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

GRatiſſime fuerunt mihi, Amicorum cariſſime, quas XV. Kal. Apr. dederas. Sed reſpondere iis nunc, ut cuperem, non poſſum. Sextus jam dies eſt, cum me vetus meum invaſit malum, acutiſſima & rara dolorum intervalla admittens cephalalgia, ex eo tempore fere *κλινήρης* fui, certe cubiculo pedem non extuli, nihil quicquam juvantis cibi aut potus ſumſi, nihil omnino ſeriae rei aut egi aut meditari potui. Mitto tibi *συλλογὴν* aliam erratorum miſeri opuſculi mei hîc impreſſam, miſſurus Lutetiam, ut per exemplaria, quae ſuperſunt, diſtribuatur. Nam Pariſienſis typographus vane promittendo in hunc diem me luſerat. Eſt autem ſine iis liber inutilis, ita diſcerptus & male hor-

bitus est. Placebunt tibi vel ob Valerii, qui egregie Senecam illustrat, locum (at nescio an ullum aliud ejus notionis exemplum in ea voce exstet) nec non Ovidii, quem non dubito reliquisse: *Tempus habent mystae sidera visa cibi.* Et pudet, quod rem tantulam non statim viderim. Simul convaluero, hinc discedemus, ut nesciam an adhuc unas a te exspectare possim. Videbo tamen, ut ipse adhuc semel scribam. Ingrediemur latum iter per omnes nobilis hujus regni provincias, quod quinto, credo, mense expeditum erit. Tum Parisiis, si Deo libuerit, reddemur. Interim si ullo modo quid ex inscito genio meo extorquere potero, quod non dico mereatur laudem, sed modo excusari queat, faxo id ad te aut Rupella, aut Burdigala, aut Massilia, ubi naves Belgicae reperiuntur, ocius veniat. Non potest enim major mihi haberi honos, quam ut inter plausores gloriae tuae adsciscar. Accepi non ita pridem ex Anglia literas, unde nuntiatur, Exercitationes Sacras Cantabrigiae denuo impressas esse in forma minori, & vendi quatuor plus minus florenis. Etiam renovat nobiliss. *Boswellus* spem Belgii revisendi, & Nasonis Juniani ad te ferendi. *Menardi* exemplar inspexi. Saepe de facultatibus suis amplius, quam in his est, sperant homines. Credidi ipsi omnia opera Poëtae eo volumine contineri: non invenio praeter Metamorphosin, & a manu admodum recenti. Contuli tamen nonnulla, quamvis non sperem hîc inveniri, quod tu non ex alio codice notaveris, & impressum non habeo praeter minutum Amsterodamensem. Lib. I. p. 13. *Viderat a patrio redeuntem Jupiter illam Flumine.* MS. *redeuntem Jupiter Io Flumine.* P. 14. *Venit & ad patrias, ubi ludere saepe solebat Innachides ripas.* MS. *Venit & ad ripas, ubi.* repetitione suavissima. P. 31. *Tu quoque, care pater, nunc immortalis: non jam mortalis.* P. 33. *sub illis Montibus, inquit, eunt: & eunt sub in illis.* MS. utrobique *erant.* Scribendum: *Montibus, inquit, erunt, & erant sub.* Loquitur enim Battus ex conjectura, & aliquantulum processerant, ex quo eos viderat abigi. Lib. III. p. 39. *Tegmina mox capitum picto nutantia collo.* Ineptissima lectio, quam miror tam diu potuisse tolerari. MS. *picto nutantia cono.* Nam in cono cristae aut insignia galearum. Non dubito, quin haec ex aliis melioribus codicibus tu jam notaveris. Adjicere tamen ista volui, ut & mandato tuo satisfacerem, & curae mihi fuisse tuam curam ostenderem. Caeterum quod olim notavi in Diatribe: *fulvis haerentia truncis:* ut meus habet cod. id persuasus nunc sum verissimum esse, & varias, *virgis, lignis, linguis,* inde ortas, quod de vimine *truncum* dici immodica καταχρήσει putarent. Atqui habes locum Martialis, *opobalsama truncis,* de qua restitutione non possunt nisi fatui dubitare. Et de eodem opobalsamo scribit Justinus, arbusculas esse admodum humiles, *& in vinearum morem excoli.* Rursum habes de ture in loco Dosiadae & Herculis Furentis: *Sabaei trunci.* At meministi Virgilium dicere: *solis est turea virga Sabaeis.* Rursum de vite Servius in II. Georg. *Validis stirpibus, solidioribus palmitibus, id est truncis.* Vides quam absurdum non sit de virgae aut viminis stipite truncum dicere. Sed longior sum ac initio putaram. Et tamen uno spiritu continuare hanc epistolam non potui. Vehementer me affligit nuntius de magno, optimo, & publici egregii studiosissimo *Berneggero.* O vanas

cogi-

cogitationes meas! Ego videre illum in hac peregrinatione non desperaveram, & finxeram praesumseramque voluptatem mihi ex alloquio tam nivei pectoris. Quis nunc restat, qui in Germania fugientes literas detineat? Sed ne stimulemus dolorem nostrum. Vale, προσφιλέστατε, & valetudinem tuam cura. Salveant humanissime communes amici. Andegavi a. d. VII. Kal. Maj. Anno CIↃIↃCXL.

EPISTOLA LXXXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Lugduni.

INter nostrum ultra spem meam tempestate pluvia, quae vias mirifice hîc ubique vastat, dilatum est. Interim cogitans te, charissimum pectus, cum omnium minime ad poëtandum aptus essem, imperavi mihi ut canerem sed genio meo, qualibus ego vel Cluvienus. Tu videbis quanti sint. [1] Habes descriptum ac amandatum ad te ea ipsa hora, qua ultimum distichon adjeci. Tibi libera potestas sit, quid eo facere velis. Ego si quid commodius alicubi dici posse videbitur, per alias tempori te monebo. Nec te impedio, quo minus duriuscula emollias. In postremo Pentametro vides quid velim. Et sensus satis est augustus: sed nebulones & imperiti possent alium inde effingere, quasi dicerem, te patris vitula arasse: quod nobis omnibusque, qui vos familiariter norunt, scis in mentem venire non posse. Si itaque mutari vis, suppone quod lubet. Mihi nunc subito nihil elegantius nascitur. Simul autem atque has acceperis rescribe, ut de eo & Elencho meo judicia vestra cognoscam, puto enim & hujus exemplaria vobis reddita. Vale, meum decus, & me ama. Salveat officiosissime tota domus vestra, & amici communes. Cave a solita tua *cura* quicquam in scribendo remittas. Amplas volo, de omnibus, quae me libenter nosse scis, utcunque ad singula tua non respondeam. De *Rutgersianis* in Gallia requirendis vix ulla spes reliqua: promittunt tamen Parisienses, se vestigaturos. Iterum vale, & valetudinem cura. Andegavi pridie ferias Pentecostes Anno CIↃIↃCXL.

1 Inserta huic Epistolae erat Elegia ad Nic. Heinsium, cum Poëmata sua ederet, sed quia ea in Adoptivorum carminum lib. 1. pag. 35. Nic. Heinsii legi potest, hîc omittere visum est.

Digitized by Google

EPISTOLA LXXXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NOli quaerere, mi Heinſi, ſi judicium tuum de elegidio noſtro melli mihi fuerit. Habeo hac in urbe amicos, viros ingenio & doctrina excellentes, quibuſcum & de literis ſermones ſerere, & monſtrare meos noſcitareque invicem ab illis proditos iſtiuſmodi muſicos foetus jucunde ſoleo. Iis cum totum approbaſſem, & gratias etiam agerent, quod meam in ipſorum patria moram publice, ita, ut ajebant, conſecrare voluiſſem, hactenus adſenſus ſum, ſi tua quoque tabella, UTI ROGAS pronuntiaret. Cum enim negotium hîc tuum verteretur, iſque tuus ſit candor & in me poteſtas, ut me ineptientem ac te ad eoſdem ludos vocantem deriſu liberare audeas, certus fui, ut ſententiam tuam honeſtioribus conciperet verbis amicitia, non tamen poſſe falſis: hoc eſt, ut ultra pretium aequum aeſtimares quod aliquam tamen Venerem haberet, non laudaturum te tamen quod nullam. Gratiae genio tuo & amori atque ἐπιεικείᾳ, quibus quod ſatisfacere potui, is vero talis nuntius ſuſpenſo atque anxio mihi, Quale ſopor feſſis in gramine. Nunquam gaudebo magis, feliciter aliquid conatus, cum tibi placendum eſt, nec ulla res ita curae mihi atque cordi, utpote in qua non ſolum ingenii aut quorumque profectuum meorum, ſed etiam grati animi verſetur experimentum. Quid enim eſt, quod tibi non debeam atque tuis, ſi ars mea efficere poſſit? Theſin noli deſiderare. Tridui labor eſt in materia juſſa, non ſelecta a nobis: nec liber fere ullus in promtu, praeter Corpus legum: itaque diximus de illa meo ordine & modo, quae alii ſuis, credo, millies. Scis enim ut hacc talia ſcribantur. Actus fuit ſatis celebris in praeſentia multorum ex magiſtratu Advocatorum, aliorumque honoratorum civium, & omnium fere peregrinorum. Raro iſtam pompam in Gallia noſtrates, immo ipſi Galli, admittunt. Itaque manavit rumor per urbem, me cathedram profeſſoriam ambire. Nam ut ſcias, non eſt hîc mos vocare doctos viros ad Profeſſionem, ſed qui in urbe ſunt, & fiduciam ſui habent, vacante loco lectionibus diſputationibuſque inter ſe certant: digniorem eligit, & in collegam adſciſcit Facultas. Venerunt adeo quidam ultro, qui mihi gratularentur de hoc incepto, hortarentur ac opes ſuas deferrent, conſtantiam etiam in religione tentarent. Ego ipſis gratias egi, & Promethaeis vinculis in patria alligatum me teneri, nec qui hactenus de fide non dubitaſſem, minime omnium veniſſe in mentem mihi, eam alicujus emolumenti aut honoris reſpectu mutare. Auditorium tantum me habuiſſe non ullius petitionis gratia, ne quidem ex deſtinato, ſed per artem:

tem [1] *Sengeberi* ICti, qui vir longe doctissimus & mihi intimus, quia nescio quid magnum sibi de me promiserat, ostentatione popularis sui (Germanus enim est, & quidem Brunswicensis) gloriam sibi & nationi quaerebat. En fabulam asse dignam. Gaudeo ex animo valetudinem tuam esse confirmatam. Iter tuum sane mihi salivam movit propter pinacothecam V. CL. *Jo. Smithi*. Sed autor sim tibi, ut subinde motu aliquo tali ac mutatione amoena loci erigas atque exhilares animum, cujus fastidia atque taedia haud dubie languorem corporis intendunt, opportuniusque id caussis reddunt. *Fabritius* noster, convicio ita postulantibus cognatis, in patriam rediit, postrid. Id. Julias Rothomagi navem conscendit recta Hamburgum ituram. Adolescentis *Vossii* ne nunc quidem sine lacrimis meminisse possum. Nos proximo die lunae constituimus, si Deo placet, iter aggredi. Varia ex transverso intervenientia nos hucusque tardarunt a duobus jam mensibus & ultra quotidie iturientes. Novembri mense spero me Parisios revisurum, & ibi tuas aliquas reperturum, forte & τριπόδητα tua poemata. Vale, meum decus unicum, & me ama. Divinum Parentem tuum, amitam, sororem, & communes amicos caeteros saluto officiosissime. Juliomagi Andium XI. Kal. Septembr. Anno CIↃIↃCXL.

1 Hic est, qui contra *Salmasium* de mutuo scripsit; *Menagii* Praeceptor, qui in Menagianis suis ejus saepe meminit, unde *Mortreius* & *Baylius* Lexicon suum instruxerunt, sed nihil praeterea de ejus vita nos docuerunt, nisi quod hic, ut saepe solet, in locum communem, de lite adulterii, uxori a marito intentata, excurrat.

EPISTOLA LXXXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Lutetiae.

Diu est, charissimum pectus, cum & scribere ad vos desii, & rerum vestrarum juxta cum Indicis aut Aethiopicis peritus vivo. Et vobis me excusset, oportet, & mihi tam aerumnosae ignorantiae patientiam dictet desultoriae hujus vitae ratio. Scis usuvenire iter, praesertim tam longo circuitu, facientibus, ut cum animus ad familiares illas ὁμιλίας vacet, loci temporisve deficiunt opportunitas, cum haec adsint abunde, animus vacuus non sit. Et quamvis providere ante ac destinatione figere liceat certas urbes, in quibus interjungamus, lassasque continuo motu vires reficiamus: tamen ista consilia fere e re nata & sumuntur & mutantur, praecipue nobis, qui lunam ipsam vincimus. Parisiis exigere hiemem integram constitueramus: vix ineuntem exegimus. Andegavi duos aut tres menses decreveramus ponere: octo elapsi sunt. Massilia iter flectere per Arausionem & Genevam usque propositum erat: in Italiam transfretavimus. Mitto alia infinita, in quibus providentia nostra decoxit, mihique incussit pudorem, ut postea silere apud amicos mallem, quam

quam toties vaniſſimae levitatis culpam ſubire. Sed tu fortaſſe eventus meos cognoſcere mavis. Paucis antequam Juliomago diſcederem diebus, miſſus ad me eſt Lutetia libellus, in quo [1] frondator meus falce abjecta tenebat flabellum muſcarium aſinus tantus. Itaque etſi malus eſt, tamen miſeret me peponis, nec poſthac cerebrum ei amplius turbabo. Non dubito ad vos quoque ſtatim perveniſſe id quicquid eſt Elenchi. Engoliſmae *Balſacium*, Tholoſae *Mauſſacum* (quo venerat aegrotae matris cauſſa: nam Mompelii habitat.) & *Poſſinum* Jeſuitam (qui Archiepiſcopi bibliothecam humaniſſime obtulit mihi) Biterris *Job. Croyum* ſalutavi. Ex Foxienſi, quae Tholoſae eſt, quos volui libros, ſine praede aut vade ſumere potui: ſed parum ibi reſtat exquiſiti. Incredibilem ubique hominum doctorum & honoratorum civium in Gallia inveni comitatem, nec ulla terrarum eſt, quae ſtudio in peregrinos ei debeat comparari. Florentiae *Galilaeum Galilaei*, *P. Victorium P.* pronepotem, alioſque ibi forte non cognitos, praeſtantes tamen viros, Piſis *Paganinam Gaudentium*, Romae incomparabilem noſtrum *Holſtenium*, *L. Allatium*, *Gab. Naudaeum*, *Janum Nicium*, Eudemiae auctorem, Bononiae *Fortunium Licetum*, Patavii *G. Sciopium*, *J. Rhodium*, hîc *Philippum Thomaſinum* vidi, quibus multis nominibus devinctus maneo. Nam extra ordinem iſtum nominare debeo magnum Cardinalem *Franciſcum*, de quo jactantius quaedam ſcribere poſſem, vera tamen, ſi id moris eſſet mei. Scito, mi Heinſi, hîc longe abundantiores eſſe, quam uſpiam vidi, literarum theſauros, ſed homines difficillimos, quos niſi longo tempore & magno uſu delinire non poſſis. Ex uno diſce omnes: Florentiae duobus libellis ſupplicibus magno Duci oblatis, poſtquam tres integras hebdomades ad primi Secretarii januam (non enim admiſſionem ad illos fraterculos gigantum petere licet, ſed exſpectandum eſt, donec ipſi e thalamis ſtatis horis procedant) quotidie mane ac veſperi excubando, omne genus indignitatum pertuliſſem, non impetrare potui, ut in bibl. Medicaea ad D. Laurentii aedem ſcribere mihi aut notare liceret. Pro magno beneficio datum eſt, ut legere in ea poſſem, cum Clerico clavigero vacaret. At olim publice patuit cuivis. Niſi ego artificio quodam & Philippi Macedonis ἐλεπόλει (noſti dictum ejus de aſino onuſto) mihi ſubveniſſem, tantis opibus Tantalus interfuiſſem. Romae Farneſianae celeberrimae quondam aditus muro obſeptus eſt, ne cuiquam ejus uſus concedatur. Aliae duriſſimas ſemper, & adverſas praecipue feſtinantibus habent leges. Non tamen omnino vacuis manibus redimus: adeo improbitas laboris mei omnes difficultates vicit. Si mihi biennium his in oris meo arbitrio eſſe liceret, affirmo tibi, multorum magnorum in literis virorum copiis nullus inviderem. Sed pipulo flagitamur ab Amſtelodamenſibus, ab noſtris Hamburgenſibus. Miſit ad me Romam *Ludovicus de Gere* unas ad ſe Theologi veſtratis ἓξ πάνυ *Conſtantini*, quibus hic, quia ἄτεμόν τι mei nominis ad neſcio quam cathedram commendatum eſſet, quaerebat ex illo, ὁὶς, πόθεν; ubique nunc, & quando rediturus eſſet iſte *Gronovius*. Cognovi poſtea idem

[1] *Emer. Cruceus* qui ſub titulo *Muſcarii* edidit libellum contra Gronovii Diatriben Statiſtam.

Digitized by Google

idem ex *Christenii* literis, quae tamen ad anteriorum quorundam non redditorum mihi, ut cum Fulgentio loquar, continentiam digitum modo intendebant. Difficile foret mihi de tam bona fortuna nondum cognita discernere, nisi praefixum esset in illis tempus, quo me in Batavia esse oporteret. Quoniam vero tum maxime reginam urbium relinquere non possem, adhaec comiter meos non deserere certum sit, & hanc peregrinationem quanto possum bellissimo κώλῳ absolvere, praetereaque reduci patria optimaque mater sit invisenda, quibus jam dimidium Vlyssaei erroris tempus careo: malui gratias agere humanissimis viris fautoribus meis, quam exspectationem eorum longa mora frustrari. Id quod *Christenio* respondi, & per occasionem a te Cl. [1] *Imperatori* cum salutatione officiosa referri velim. Hic ad festum Ascensionis forte manebimus, ut solennem illam maris desponsationem spectemus. Postea Galliam repetentes urgebimus iter, ut eo citius ad vos revertamur. *Casauboni* epistolae decimo fere, postquam veneram Romam, die pittacio publice ad statuam Pasquini affixo, inter prohibitos libros sunt relatae. Multa habeo garrienda tecum, sed explicare multitudinem ad eligendum non possum. Praecipuum est, quod te optem valere, ἢ μὴν ἀρίστην. Commune: amicos in primis domesticos tibi, & maximum Patrem salvere plurimum jubeo. Iterum Vale. Postrid. Eid. Apriles Anno CIↃIↃCXLI. Venetiis.

1 *Constantino l'Empereur*, hoc tempore Linguae Hebraeae, & deinde etiam Theologiae Professori. *Imperatorem* cum etiam vocat Sarrav. Ep. XVI. & purum putum mancipium *Heinsii*, quia ei prae *Salmasio* favebat. Intelligit hîc Gronovius Daventriensem Professionem, sibi Romae agenti oblatam, quam recusavit tunc; sed cum post octo menses reverso in Hollandiam iterum obtulissent, manus dedit *Gronovius*: ut scribit ad *Richterum* in Epistol. p. 244. & causas, cur acceperit, addit.

EPISTOLA LXXXV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

CUi ego citius reditum in has terras nuntiem quam tibi, carissimum caput? qui absentis mei tantam gessisti curam? cui ego, quoad licuit, omnem itineris mei fortunam secundum singulos pene ejus articulos notam reddere studui. Scito igitur in hac me urbe esse, & restare nihil ad explicandum totum ordinem nostrae peregrinationis hujus, quam ut Amsterodamum depositum reddam. Id quod cras σὺν θεῷ εἰπεῖν fiet. Lutetiae mihi *Isaacus Vossius* de tua in Angliam peregrinatione & studiis laetissima nuntiavit. Ea causa fuit, ut licet binis tuis ibi inventis, sed ἰώλοις & annotinis nihil responderem: praeter quod ita me illic districtum sensi, ut omnia promissa, quae tot praestantibus viris, quibuscum per iter amicitiam iniveram, de literis inde scribendis feceram, occupationum copia retentus fallerem; differremque in igna-

vissimum illud tempus, quod bimestre partim Rothomagi, partim in porta Orniae, ut vocant, exspectandis classiariis summo cum taedio exegi. Interea Cadomum paucis diebus excurri, fallendae moraе caussa. Ibi ex Selando quodam te salvum sospitemque ad patrios lares rediisse didici: atque haec fiducia meae scriptionis. Ego Amsterodami, credo, ex literis Hamburgensium meorum cognoscam, quae mihi in posterum vita instituenda sit. Simul atque autem reglutinare me ab iis potero, quibus jam triennium mediocri cum voluptate, summa interdum cum molestia, compactus & ferruminatus haesi, ad vos excurram, & dulcissimum os tuum suaviabor. Interim salve, & meo nomine maximo parenti, totique domui vestrae, & amicis communibus officiosissimam salutem dicito. Harlemi a. d. VII. Kal. Febr. Anno CIↃIↃCXLII.

EPISTOLA LXXXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & praestantissime juvenum. Gravem apud te noxam commerui tam inficeto silentio, non diffiteor: sed nisi ingens mihi fuisset fiducia, & tui adfectus & meae integritatis, nunquam in hoc peccatum incidissem. Malo igitur illas allegare mihi ad te deprecatrices, quam speciosum occupationum praetextum obtendere. Fuerunt sane & hae a principio: & qui non fuerint, ut de aliis externis taceam, post seculum, non enim triennium, ad libellos reverso? sed & saepe implicitum tenuit ingenua pigritia, quae aegre primum & ex lassitudine admissa, postquam se placere sensit, altius supercilium sustulit, nec nisi delibato etiam multo laboris tempore recedere voluit. Hoc argumento sit tibi, quantopere me locus hic capiat, ubi ita solitarius sum, ut saepe ne muscae adsint quidem: ita immotus, & non dico compositus, sed depositus, ut si adessent illae, comedere me potuissent citius, quam Octavium ex dolore artuum unguentis delibutum, hunc enim ipse ille intestinus monitor aliquando movisset & excitasset. Addiscebam igitur aliquamdiu per, quantum habeat ἡσυχία καὶ ἀπραξία, quae sit Minervae Coronidis sapientia, cum sola *in* ficca secum: quamquam vitam faciat beatiorem quietis dogma, si cantus luscinius & ranis convitiis non invidiamus ipsi silentes, nisi quando ridere liberet. Habes totum mysterium silentii mei per lectiones prolatas: neque enim in Eleusinia καμψασθαι cucurri, nec cum Amyclis me Ivi perditum, minime autem omnium ἐπὶ Μαλέας navigavi, ut praeteritorum obliviscerer. VIII. tamen Kal. Aprilis nisi verba in promtu fuissent, nequiter haec disciplina nobis expediisset. Tum primum publice auditus sum conventu celeberrimo multorum illustrium, & reverendorum, & cujusvis generis hominum. Erant enim Comitia Ordinum provinciae hujus, & rogaverant me Curatores nostri, ut ad

illos

illos dies paratus esse vellem. Quid quaeris? fortunam narro, non meritum: Euge, & belle & feliciter, omnes a maximo ad minimum. Dices, eundem esse omnium hodie finem, qui ut semel accepti, quomodocunque dicant, probantur? Assentior tibi, & proinde minus glorior, nec permoveri adhuc potui, ut volentibus & in aëre evanescentibus sonis vitam typicam, sive mavis χαλκότυπον darem, mutosque illos publicandae chartae illigari paterer. At vero si aliquandiu avide me sopore & desidia ingurgitavi, congitans illud, *brevis est hic fructus homullis, jam fuerit:* nunc dicere possum, *Jam fuit, & longum post non revocare licebit*, utique postquam interfectae sunt & animam exhalarunt feriae nostrae, non minus quam occisa sus. Auriculas igitur demitto, ut clitellis asinus impar, & commeo quotidie ex hortulis meis (nam & habito in hortis) ad Peripatum, sub ala fasciculum portans librorum, ut rusticus agnum, & ibi frequentibus, aut infrequentibus, sed satis adhuc frequentibus, declamo. Sed fortassis ego hilari injuriis meis, commodis tristi fortunam utramque narro, quandoquidem in fatis erat, non citius me scribere, quam otia illa & somniculosi dies nobis periissent. Nunc, enimvero, Dave, nihil loci est segnitiae neque socordiae. In duplici professione quinque recitationes publicae, privatae plures (miraris, & nihil mentior) singulis hebdomadibus faciundae: quia pauci sumus, nemini cessare licet: statim enim oculis digitisque denotaremur omnium. Jam ego id quoque habeo vitii, ut nihil possim agere perfunctorie aut obiter, nec aut meae facultati ad expedienda subita, aut facilitati καὶ εὐηθείᾳ auditorum confidam. Itaque saepe in iis fatigor, in quibus minime erat opus, & ea, quae justius curarem, omittere cogor. Quo in genere censeas licet hoc literarium officium: nam si ego cuiquam amicorum sive in Belgio, sive alibi, dum hîc desedi, diligentior fui, excusari nolo tibi: sed profecto quod ingenti meo cum moerore fateor, satisfeci nemini, qui hîc ita deripior, ut vacare alii cogitationi nequeam. Hanc ipsam, quam cum maxime ad te destino, bis in alia charta coeptam interpellatus destitui, & nisi intervenissent hae intercalares feriae Pentecostes, dubito utrum imperare potuerim mihi, ut ἐγκυκλίοις illis ad caput & circa latus salientibus tantisper ludum darem. Unum rogo, ne sinisterius interpretere, quod videlicet in itinere Hagiensi ad vos non devorterim. Scito autem omnino constitutum id mihi fuisse, cum eo pergerem, ut in reditu aliquot dies collocarem vobis. At ego, qui Hagam feriatum ire me putabam, insperatum ibi opus inveni: cui perdius pernox eo usque inhaesi, donec vix tantum restaret spatii, ut iter festinus absolvere possem ad eum diem, quo huc me rediisse oportebat. Dederam enim fidem nonnullis, me interfuturum secundae Coenae celebrationi; eam solvere eo impensius laborabam, quod hîc rumor manaverat, ab [1] agyrta, cui successi, sparsus, sentire me cum Lutheranis. De Hagiensi

 autem

1 *Martino Schoeckio*: illi enim successit. Vid. *Revii* Histor. Daventriae lib. VI. pag. 712. ubi & vitam *Gronovii* ex ipsius schedis exhibet ad tempus illud usque, quo Professionem Historiarum & Eloquentiae est auspicatus. Hunc *Schoeckium* eleganter describit *Is. Vossius* in Epistola ad *Salmasium*

autem opere, nescio an inaudieris, & credo fere: inveni apud illust. V. *Cornelium Hagum* fragmentum Alexiados Commenae meae luculentum, translatum in vulgarem Graecam, qualis erat paullo ante captam ab Turcis Constantinopolim. Primum quidem ingens verborum diversitas in paribus sententiis valde me turbabat: mox tota phrasis & plurimae voces, ut ἄλογα pro jumentis, ὁπλισμένοις pro armatis, ὁπλισμένοις, κατουνοτόπιον pro castris seu pellibus σκηνώσεως, ἐκατούνευσαν pro ἐσκήνησαν, item σφάται, καβαλλαρικὸν, καβαλλικεύειν, κουρσεύειν ἀντὶ τοῦ λῃστεύειν, ut Itali *andar in corso*, Galli *courir le pais*, similiaque id quod res erat, suspicari me fecerunt. Mea enim plane ἀττικίζει. Descripsi igitur totum, & doleo integrum non esse. Ab eo autem tempore vix in manibus habui. Tu quid agas, quid alii vestri heroes, quid de literis aliunde audias scire haveo. De sororis partu jam Hagae me intellexisse puto, si bene memini. Id ego gaudium tum Avo, tum parenti utrique, tibi quoque ex animo gratulor, utque perpetuum sit, toto corde Deum precor. Rogo meo nomine quam officiosissime omnes salutes, ut & τὸ πάνυ *Boxhornium* cum uxore. Vale, charissimum caput, & me ama. Daventriae a. d. III. Jun. Anno Dionys. CIↃIↃCXLII.

masium CCLX. inter Gudianas. *quod est impudentissima bestia, qui Canina sua mordacitate invisus Ultrajectinis migravit in Daventriensem Academiam* (*Gymnasium* potius) *ut ibi apud alios canes eloquentiam illam & maledicentiam liberius exerceret, mirum*, addit, *non esse ibi fustes iis compescendis.* Plura possem de hoc cive meo, sed parum ad ejus laudem, adtexere: quare potius ad vitam a se ipso conscriptam remittimus, & proditam *Revio* Histor. Davent. lib. VI. p. 710. & quae de eo leguntur in vitis Professorum Groningensium pag. 133.

EPISTOLA LXXXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

VIdeo, mi Heinsi, mirifice dolere tibi, quod si quid est penes me excerptorum Ovidianorum, id non statim ad te miserim. Hinc tot aculei per totas literas: & possem forte τὸ δὴ τὸ λεγόμενον πρὸς Κρῆτα κρητίζειν, sed non vacat, & habeatis, per me licet, εὐτραπελίας gloriam, qui cathedris adsidere, & choreas ducere, & sciti convivatores esse gloriamini. Simpliciter igitur & breviter tecum agam. Quae promisi tibi, ea constitueram ex schedis meis descripta ad te mittere, quod facile tantum otii hîc mihi futurum esse persuaderem. Id quia secus accidit, nec dum habes tu illa, nec tamen de habendis desperare debueras. Quamquam potuissem ego aeque amare mea ad Ovidium excerpta, ac tu tua ad Statium, quae scienti jam olim in scriniis tuis esse, tam diligenter (non enim dicam tam callide & vafre) habere te ulla dissimulasti. Sed non ego illa ambio: gaudeas solus: & quae inde nos docebis, libenter

benter nomini tuo inſcribam. Quia autem ne meorum quidem propter occupationes ſtudiorum privatorum curam gerere mihi liceret, te dilatum queri non debebas. Nam ipſas ſchedas meas alii, quam mihi ipſi committere, non audeo: quod ſint plurima ibi, quorum nemo debet eſſe praeter auctorem judex. Scin quid mihi fecerit candidus ille [1] *Argentoratenſis*. Fidem meam ſugillavit publice ex illis ipſis variis lectionibus, quas *Scragio* deſcribendas dederam: ibidemque meo beneficio habere illas ſe dicit, ut tanto major eſſet fides falſi me appellanti. Et me quidem, fateor, memoria deceperat: quod ſi verbulo addidiſſet, non offenderer reprehenſione. Nunc ſatis eſt ipſi dicere, excerpta, quibus fidit Gronovius, confirmare contrarium. De te quidem hoc non metuo: ſed nec de illo metuebam. Cl. *Boxhornii* Commentarium in Agricolam editum fuiſſe, antequam ex chartulis illis, quibus rerum novarum rumores colliguntur, ubi neſcio quomodo ille quoque herba parietaria factus, & contra [2] *Dialogiſtum* pro eo commentario aliquid ſcripſiſſe narrabatur, & poſt ex tuis diſcerem plane ignoravi. De *Dialogiſto* illo quoque nihil inaudieram: etſi libellus eſt famoſus, ut tu loqueris, miror cur & amiciſſimum mihi vos putaretis: neque enim ego amicos habeo libellorum famoſorum auctores, ſed honeſtos viros. Itaque minus curo, mihine parcat an non: & ſi illud dixit, quod narras, ſane perfacile eſt ipſi reſpondere. Feriae apud nos non erant, cum tuas accipiebam: & poſt duas demum hebdomades incipient. Per eas caram ego patriam reviſere conſtitui: itaque ſi quid vis *Vincentio* noſtro, aut cuiquam alii illic locorum, manda parato exſequi. Si id tempus in muſeo exigere liceret, potuiſſem forte lucubratiunculam inceptam ſaepe, & millies interruptam ad umbilicum adducere: nunc longam advocationem petere oportet. Novi habemus nihil: quia enim a ſcribendo ceſſamus nec literas accipimus. Eſt hîc vir probus, ludi magiſter, qui magno labore Indicem omnium vocum Ovidii parat: nondum vidi: ajunt tamen jam aliquot annos in ea opera deſudare. Commentarium in Ibin hac ipſa denique hebdomade cum aliorum librorum faſciculo e Gallia acceptum hîc habes. Ejus auctor magna dignitate apud ſuos fungitur, de opere tu judicabis. Vale, mi Heinſi, & me ama. Illuſtri Domino Parenti, Ampliſſimo affini, faecundaeque (quod ex animo vobis gratulor) ſorori, Cl. *Boxhornio*, ſalutem officioſiſſimam adſcribo. Daventriae Kal. Septembr. ſtilo veſtrate. Anno. CIↃIↃCXLII.

1. *Freinshemium* intelligi patet ex Epiſt. 101. & ex Praefatione *Freinshemii* ad *Joach. Vicefortium*, ante commentarium in Curtium, ubi varias lectiones ex Graterianis codicibus enotatas Cl. *Gronovium* & *Scragium* ſibi ſubmiſiſſe fatetur: in praefatione ad varias lectiones, omiſſa *Gronovii* mentione, omnia accepta refert *Scragio*, ut & paſſim in ipſis variis lectionibus.

2. Quem *Dialogum* intelligat neſcio. ſed *Heinſius* ſuſpicatus Salmaſium auctorem fuiſſe, hinc & ſeq. ex Epiſtolis liquet. Ad *Sarravium* hanc ſuſpicionem detulit *Gronovius*, qui etiam tangebatur. Sed amovet hanc opinionem *Sarravius* Epiſt. XLIX. unde & apparet in *Boxhornium* fuiſſe ſcriptum.

Digitized by Google

EPISTOLA LXXXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime & eruditiſſime juvenum. Serius accepi tuas, nempe poſt reditum. Itaque quas adjunxeras ad *Fabritium*, tradere non potui: miſiſſem jam, niſi reverſum ante decem dies ingens occupationem moles pene obruiſſet (dudum enim exierant feriae) ſic ut ne cognatis, niſi nudius tertius ſcribere potuerim, & tamen occaſionem perdidi. Jam enim diſceſſerat tabellarius. Mittam proxime. De Claudiano, teſtor fidem & fateor ingenue culpam, eram oblitus. Sed quod amicus ille ſcripſit, ſe eum commiſiſſe mihi, ut tibi traderem, tu audacter reſcribe, facere cum, quod ſolet nimis ſaepe, quodque tu eum feciſſe ais, cum mihi opplevit aures de collationibus tuis Statianis, hoc eſt, quod non audeo dicere. Merae ſuae negligentiae debet, quod apud me eum reliquit. Nam cum repoſcere deberet eum, & litteras, quas ad me ſcriptas *Sarravius* ipſi commiſerat, mihi tradere, non rediit, & nec literas reddidit, nec de Claudiano verbulo me monuit. Id nunc imputat pro beneficio tibi. Sed non cum me invidiſſe tibi vel inde argumentabere, quod nunc mitto inexcuſſum. [1] *Quas Parthaeniae* admiror & exoſculor: nihil divinius. De caetero amo te, atque amabo aeſtimaboque quamdiu vixero. Dicerem id me debere beneficiis, quae ab Ampliſſimo Parente tuo accepta teneo, idque adeo fateor animo lubentiſſimo, immo jacto & glorior: ſed peculiaris tibi eſt adfectus meus ob inſitas dotes, quarum, Deum ex animo precor, ut largiſſimus fructus ad literas & poſteritatem veniat. Iter ſatis fauſtum felixque fuit, τῷ κρείττονι χάριν. *Lindenbrogius* parentem tuum humaniſſime ſalutat, atque ipſum teque omneſque veſtros optimus *Fabricius*, qui valet & bene agit. Donavit mihi luculentiſſimum poëma & Fabritianum, ſcriptum in auſpiciis anni praeteriti Legato Gallico, [2] *Claudio Memmio*, Comiti d'Avaux, Henrici fratri, quod, ſi libido eſt videndi, ad te mittam. Atque utinam vel inſcio ipſo poſſet apud vos edi. Eſt enim digniſſimum auctore. Ego quoque meos reperi ſalvos ſoſpiteſque, & ſi induci potuiſſem, ut Belgarum obliviſcerer, erede mihi ſatis lautae paratae erant conditiones. Sed me jam Daventria duplici poene vindicat pignore. Audeon' apud te promere arcanas ſpes meas? audeon' petere, ut tu *Boxhornius*que vos paretis ad accinendum propediem mihi epithalamium? Certe audeo, & ut ſpero, impetrabo. Puella eſt XXII. annorum, non deformis, bene nata, optimae indolis, optimis moribus, dote, ut in his locis, ſatis lauta, patrima, matrima, homines honeſtiſſimi parentes, qui mihi con-

1 Apud Ovid. VIII. Metam. 541.

2 Legitur haec ſtrena inter ejus Poëmata pag. 744. Edit. ultimae.

Digitized by Google

contra potentes rivales favere, quantum colligere valeo, potuerunt. Fratrem ejus cognovisti forte: nam ante triennium ibi juri studuit, & nunc in Galliis peregrinatur. Volo tamen rem habeatis secretam, usque dum perfecta fuerit. Omnia certe augurata bona sunt, & confido τῷ δοτῆρι ἰάσων, studiis meis vitaeque hoc inceptum utile futurum. Dialogistam nondum vidi, etsi petierim Amsterodamo: vide an tua opera fieri id possit, & habeo, ni fallor, adhuc rationis aliquid cum Elzeviriis, qui hoc debitum reliquo meo facile adscribent. Literis nostris secretioribus parum fuit hactenus otii. Paratos tamen habeo tres novos observationum libros, in quibus nonnulla, credo, probabis: certe diligentius scripti sunt & uberius ac priores. Sed quis edet? nam hîc fieri id nequit, & nescio, si excurrero Amsterodamum, an inventurus sum, qui sumptum facere velit. Canam ergo mihi meisque musis. Si ista res, quam dixi, ut spero, confecta fuerit, rogabo ut aliquando ad nos invisas & hospitio meo utare. Tum nihil in scriniis nostris absconditum erit tibi. Interim salve cum Parente maximo, amplissimo adhuc, amita & sorore castissimis, & me ut beneficiarium vestrum porro amate. Scripsi Daventriae III. Id. Decemb. Anno C. CIↃIↃCXLII. Salveat plurimum Cl. amicissimusque *Boxhornius*. *Scriverius* quid rerum agit? Eum quoque per occasionem saluta velim. ὦ γάμε tene quaeso in sinu, & exspecta meas proximas. Immo fatere licet, res enim convenit & certa est, quantum potest confirmari in rebus humanis. Nomen est sponsae *Adelheidae Tennaliae*.

EPISTOLA. LXXXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

MI Heinsi. Post reditum statim unas ad te dedi. Claudianum ab Isaaco collatum misi. Epithalamium teque & Cl. *Boxhornium* per te, si ocium esset, rogavi. Tu non respondes. Puellae nomen est *Adelheidae Tennayl*. Ipsam si nosse cupis, docebit te omnia de ipsa & parentibus uxor Couranterii, quae aliquot annos in aedibus ipsorum servivit, & inde, ni fallor, nupta est. Nostrae nuptiae celebrabuntur ὀγδόῃ εἰκάδι XXV. Januarii stilo vestrate. Vides quam parum temporis restet. Atque utinam tu interesse posses, & alii ex Hollandia amici. Certe invitb te, ut vides quid possis. Certe vota tua spero nobis praesto fore. Vale, & me ama, tuosque & alios amicos saluta. Daventriae III. Non. Jan. Anno C. CIↃIↃCXLIII. quem felicissime vobis decurrere opto.

EPI-

EPISTOLA XC.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

NOn expectaram, Vir Clariſſime, ut poſt prolixiſſimas, quas nuper ad te dedi, meas, ſilentii me accuſares: quae quod redditae tibi non ſunt, non video quomodo mihi imputari poſſit, cum eâ illas ad te deſtinarim via, quam ipſe mihi praeſcripſeras: conveniendus itaque tabellarius Daventrienſis. Facilis quidem earum jactura eſt, niſi quod Orationem Boxhornianam & Dialogiſtae libellum haberent adjunctum, quo certe nomine periiſſe eas nolim. Epithalamium quod hactenus non miſi, tua potius, quam mea culpa eſt. In penultimis enim tuis ita de conjugio tuo mecum agebas, tanquam de re incerta, & quam ſilentio meo committebas, donec alias a te acciperem, quae totius rei certiorem me facerent. Haec ſecurum me reddiderunt de Epithalamio, donec aliae iſtae emergerent, quarum loco breviculae tuae tandem apparuerunt expoſtulatrices illae. Vides nunc immerito te mihi iraſci? [1] Epithalamium meum & Boxhornianum hîc habes. Ac de me quidem ut agam, merito culpam deprecari deberem, qui carmen tibi mittam tam ineptum, niſi pro excuſatione eſſet ſumma feſtinatio. Dies vix tres amico dediſti, quo tempore tum aliis rebus, tum amicorum interpellationibus adeo diſtrictus fui, ut vix horas tres meas habuerim. Tu, emendanda ſi quae erunt, ut certe erunt plurima, ipſe corriges, quo nomine devinctiſſimum me tibi habebis. Pro invitatione multum tibi debeo. Sed tempeſtas anni non videtur ferre, ut ad vos excurram, quod nec ipſe neſcis, quo facilior excuſationi locus erit. Vale, meum decus, ſcribebam raptim, ipſa ea, qua carmen meum abſolvi, hora, die XIX. Januar. Anno CIↃIↃCXLIII.

Cl. *Boxhornio* ante dies pauculos puella ſcitiſſima nata eſt.

1 *Heinſii* legitur inter ejus Juvenilia lib. II. pag. 282. *Boxhornii* Epigramma legitur inter ejus Poëmata p. 72.

EPISTOLA XCI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime & eruditiſſime juvenum. Ecce relapſus ſum in veterem culpam, quam ſi non condonas huic tempori, quo (poſt quantos aeſtus) ſemel

mel cum votis omnibus decidi, & fluctuans vita mea aliquem statum accepit, hoc solo miser sum: Caetera, τῷ κρείττονι χάρις, satis ferenda, nec aliud oro, quam ut haec nobis perpetuet. Dum tamen huc conor, quid ego narrem tibi damna temporis, conventus, pervigilia, discursationes, comessationes, quibus tam patienter unquam indulturum me vel jurato non credidissem vati: sed ita est, τοῖς νόῳ ἀνθρώποις, οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Jam aliquot sunt menses, quod tribus in domiciliis diversor: vescor & cubo aliquandiu apud socerum, libris in veteri conducto adsum, tertias aedes habitationi praeparo. Nec in tanta jactatione intermissio ordinariorum laborum, nisi ad pauculos dies, quia longe ultra concessam vacationem iter processerat. Haud miraberis igitur, si serius grates scribo tibi pro diserta & subtili epistola, utrique & pro Boxhorniano munere, cui tuum est adnexum, & pro officio, quo nuptias meas celebravistis, omnium gratissimo. Statim autem atque respiravi paullulum, aggredior, non quidem paria facere vobiscum de singulis (non valeo enim) sed tantummodo adfectum meum prodere. Quos narras praestantium virorum obitus, sane tristissimi sunt visi mihi, quippe perpetua vita dignissimorum. Aequius fero tamen, cum video illos debitum naturae persolvisse eo tempore, quo tam serio, nonnulli etiam tam docte facundeque lugerentur. Quod sine dubio ipsis quoque extremam necessitatem leviorem reddidit, gnaris relinquere se memoriam in exemplum ituram, non ipsorum modo merito, sed & cura superstitum. Etiam bene de seculo auguror, cum qui tam bene hanc cladem intelligunt, ipsorum in locum successuros mihi polliceor. In omnibus autem scriptis vestris genium & elegantiam admiror, in istiusmodi vero magis commendo pietatem. De tuo in primis luculento [1] epicedio non judicium poscere debebas, sed laudationem: adeo apparent ibi heroici spiritus, nitidissimus sermo, numeri sonori, sensus lugubres & convenientes materiae, eruditio rara, & ex secretissimis petita antiquorum thesauris. Ne livor quidem in eo, quod carpat, inveniat; nedum ego, qui tanto cum praejudicio ad legenda tua accedere soleo. Vide tamen περιεργίαν & temeritatem meam: unum illud, *Contudit afflatu*, fateri ausim displicuisse mihi. Habeo quo defendas: nam *adflatus* ille tempestati potest adsimulari, sternenti, evertenti, comminuenti: tamen aliud verbum malo. De *Walliano* adsentior omnino tibi. Atque ego ne nomen hactenus auctoris infelix audiveram: eo magis plausi primo ausu totam rapienti famam. Laetum fuit cognoscere typographorum Anglorum diligentiam: sed apud vos, an omnes inter-

[1] Est Epicedion in Curatorem Academiae *Mylium*, quod legitur post Orationem Boxhornii in ejus exceſſum, & ibi leguntur illa verba

Rursusne profano
Contudit afflatu Cyrrhaea cacumina Python?

Vid. *inf.* Epist. 95. ubi *Heinsius* se obtrectatores nactum esse scribit. non reperi vero inter edita Heinsii Poëmata; longum satis est, & Hexametris versibus contextum. *Hadriani vander Walle* Delphensis etiam legitur *Venus lugens* ibidem.

terquiescunt? Epigrammata in[1] *Gornaeam* dubitare non potes quin exspectem. Epithalamium accepi ipso nuptiarum die hora illa pomeridiana, qua commodum post sacra celebrata ex templo cum nupta redibam. Illico tamen ad typographum missi, & inter coenandum nocte jam concubia (non enim hîc valde festinae operae) correxi. Legerunt igitur a tua manu Curatores nostri, aliique hospites eruditi, & omnes magnopere probarunt: nec postero die, sive repotiis dicere mavis, prius limen intrarunt, quam quisque sibi exemplum popposcit. Tum quoque unus, Consul hujus urbis, qui proximus adsidebat sponsae, totum est ei & uxori suae interpretatus, adjungens pridie id se facere non ausum, ne scilicet illa inepte timeret. Tulit etiam Boxhornianum plausus. Ego utrique vestrum gratias ago infinitas, quod amores laetissimos & mihi reddideritis commendatiores, & memoriam eorum tradideritis posteritati. Gratulor ex animo auctam domum Cl. *Boxhornio*, & hunc nuntium pro lactissimo omine pigneror accipioque oblatum conscensuro torum nuptialem. Dialogum percurri: nec dum remitto tamen, quia excerpam, quod de loco in Diatriba tentato. De auctore, nondum manus do tibi. Agnosco curam in stilo, quae non est in scriptis illius, quem designas: est enim hac parte negligens admodum: deinde tot futiles & fatuas explicationes ab eo profectas in tam paucis paginis nullis persuasionibus adduci possum ut credam. Non est una, quae illum sapiat: & ego ut hominem esse scio, & errare posse, ita tam inepte & continenter errare nuspiam animadverti. Quamvis sciam non cujusvis esse, etiam caetera κριτικωτάτου, Tacitum sive corrigere sive interpretari. Vale, meum decus, & bene rem gere. Daventriae. a. d. IX. Kal. Mart. Anno CIↃIↃCXLIII. stilo nostrate.

Jam quot dies hae literae penes me scriptae jacent, & incassum exspectant hominem, qui Leidam iturum se dixerat. Quia video morari, ego te amplius nolo. Interea Livio coepi operam dare: & ne tempus illud tibi sit fraudi, hoc perdam interusurium, ut nonnullas διορθώσεις faciam judicii tui. Lib. I. pag. 30. ed. Elz. *ea pietate omnium pectora inbuerat, ut fides ac jusjurandum, proximo legum ac poenarum metu, civitatem regerent.* Haec scriptio vett. libb. Alii ediderunt, *propulso ἀντὶ τοῦ proximo.* Nannius conjicit, *pro ipso.* Verum putamus: *pro summo legum ac poenarum metu.* Est enim τὸ *pro* interdum comparationis. P. 36. *tertium causam belli hujusce, ut Romanus Albano imperet, dabo.* Nihil variant MSS. Quomodo autem tertius causa belli? Utique legendum: *causae.* Pag. 49. *Tanaquil, summo loco nata, & quae haud facile iis, in quibus nata erat, humiliora sineret. Ea quum innupsisset, spernentibus Etruscis Lucumonem.* P. Nannius conjectat: *humiliora sentiret.* Nos, *quae haud facile iis, in quibus erat nata, humiliora sineret ea, quae innupsisset. Spernentibus Etruscis* &c. Lib. II. p. 157. *Volsci tum Aequique inter seditionem Romanam & bellum coortum vastaverant agros: ut si qua.* Audi Sigonium: Hic locus foede legebatur ante ita: *Volscum Aequique inter sed.* Subjicit deinde aliam lectionem inquinatissimam ex libro in-

quin-

1 *Maria Gornay*, filia adoptiva fuit *Michaelis Montani* (*Montaigne*) ad quam *Lipsius* Epistolas scripsit, & de qua nos ibi plura. vide *Baylii* Lexicon Histor. Criticum in *Gournay.*

quinatissimo. Quod est autem tempus inter seditionem & bellum coortum, aut quae ista designatio! Vetus utique & vera lectio est: *Volscum Aequicumque inter seditionem Romanam est bellum coortum. Vastaverant agros, ut si qua secessio plebis fieret, ad se receptum haberet.* Offendit homines illud *Aequicumque*, cum semper alias *Aequos* dicat Livius. Ideo eandem vocem exstirparunt Lib. x. p. 659. *M. Livo Dentre & Aemilio Coss. redintegratum est Aequorum bellum.* Vides elegantiam. Nos reponemus ex MSS. Italicis & Gallicis: *redintegratum est Aequicum bellum.* Mirum est, quod reliquerunt tamen vocem lib. III. p. 169. *isque miles per bellum Aequicum vel acerrimus fuit.* Sic *Nervicum* a Nerviis populis, *Albicum* ab Albii Ingauni aut Albii Intemelii, in Liguribus, incolis, Caesar. *Heduicus* ab Haeduis Ausonius. Lib. III. p. 184. *ut exsules injuria pulsos in patriam reduceret, & servitutis grave jugum demeret.* Nos ex MSS. *& servitiis grave*; Ut inferius: *qui servitia nostra non commovit auctor.* Eod. p. 186. *jam tribunitiae potestatis sacrarumque legum oblitum.* Immo cum MSS. *Sacrarumque legum.* Quid sint sacratae leges, non docendus es. Sed est elegans locus apud Dionys. Halicarnass. lib. II. multo propius principium, quam finem, ubi de Patronorum & clientium jure ab Romulo constituto: *Et eum, qui ejus criminis fuisset convictus, cuivis ut Diti sacrum, interficere licebat. Mos enim erat Romanis, ut, quos vellent impune occidi, eorum corpora alicui Deo, praecipue vero inferis, devoverent.* Quae velim a te mihi Dionysii lingua & verbis reddi, nec enim in hac, puto, urbe Graece ille habetur. Eleganter ostendit, cur *sacer* toties in malam partem accipiatur. Risimus hîc nuper hominem adolescentem, qui Theologis theses dedicaverat, vocare eos *Viros sacerrimos*. Sed non est numerus talium. Tu vero, si ocium est, inspice, si quas in publica aut vestra habetis bibliotheca veteres editiones, etiam novissimam Gruteri, si quid ex his sit anticipatum. Minuta multa habemus alia, quibus distinere te non addecet. Iterum vale, corculum meum, & Vestros omnes, communesque amicos meo nomine saluta. Scripsi lassus & somnolentus, appellante cubitus hora.

EPISTOLA XCII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

MI Heinsi, nudius tertius dedi ad te paullo anterius scriptas unas, diu debitas. Sed tarditatem meam excusabis non ignarus, quantum interea laborem sudaverim, quippe quem tu ipse censueris Argonautam, non profecto ex illo genere Martialis, qui cessabant nihilque norant, sed ex illis, qui feliciter Symplegades suas eluctati. Certe res gesta est, prout decebat: ipsae jam non repugnant suo veteri: & unde tantisper eram exclusissimus, licet expositum

per limen aperto ire redire gradu. Qua in re cum magna sit voluptas, atque eo purior, quia legibus fit, longe tamen exsuperat illam consensio animorum & mutuum obsequium, & amor tanquam non jussus. Itaque non sufficio agendis gratiis summo rerum arbitro, qui tam aequali & placito jugo me copulavit: nec ullae sunt jacturae, vel temporis vel libertatis, quibus tantas delicias non jure emeris. Puta me omnia dixisse, si dicam, quod facio, optare me tibi (& nihil est boni, quod tibi non optem, nec est cui optem studiosius) cum ejusmodi consilia iniveris, & tempus agetrem, similem fortunam. Ut revertar ad illas meas, oblitus sum mentionem facere Poëmatis *Fabritiani*. Non quidem constitueram illud una mittere, ne minus grandesceret fasciculus, & ne quos adjunxi praeter vestros, malorum versuum te subiret fastidium: promittere tamen occasione proxima volebam. Quam nunc suppeditavit lator harum juvenis politissimus *Goeddaeus*, frater amici mei singularis, qui ultro petiit a me, ut hanc ei viam munirem ad tuam amicitiam. Illud etiam rogare te volo: descripsi Lutetiae ex libro bibliothecae regiae nonnulla de *Cygno*, quae auctorem nullum praeferebant. Verba haec sunt: Κύκνος ὁ Σκαμανδροδίκης καὶ Ποσειδῶνος λαθραίως τεχθεὶς ἐρρίφη πλησίον τῆς θαλάσσης. Κύκνων δὲ περὶ αὐτὸν καταπτάντων, ἰδόντες τινὲς ἁλιῆς ἀνείλοντο τοῦτον καὶ Κύκνον ὠνόμασαν. Ος ἀνδρωθεὶς ἔγημε Πρόκλειαν τὴν Λαομέδοντος καὶ γεννᾷ Τέννην καὶ Ημιθέαν. Ἀποθανούσης δὲ Προκλείας ἐπέγημεν ὁ Κύκνος τὴν Φυλονόμην τὴν Τεργάσιν, ἥτις ἐρασθεῖσα τοῦ Τέννου, καὶ μὴ τυχοῦσα, κατηγόρησε πρὸς τὸν πατέρα ὡς βιασθεῖσα ὑπ᾽ αὐτοῦ, συμφωνοῦντος αὐτῇ καὶ αὐλητοῦ τινὸς Μόλπιδος. Ο δὲ ὀργισθεὶς εἰς λάρνακα βαλὼν Τέννην καὶ Ημιθέαν ἀφῆκεν εἰς θάλασσαν. Τῆς δὲ λάρνακος προσενεχθείσης τῇ τότε καλουμένῃ Λευκοφρυῖ, νῦν δὲ ἀπὸ τοῦ Τέννου Τενέδῳ καλουμένῃ, ἰδόντες οἱ τὴν νῆσον τὸ συμβὰν καὶ μαθόντες τὸ δεσμὸν, βασιλέα ἑαυτῶν τὸν Τέννην ἐποίησαν, καὶ τὴν νῆσον ἀπ᾽ ἐκείνου Τένεδον ἐκάλεσαν. Γνοὺς δὲ ὁ Κύκνος τὸ ἀληθὲς ἀνῆλε μὲν Φυλονόμην, αὐτὸς δὲ ἐλθὼν συνῴκησε τοῖς παισὶν ἐν Τενέδῳ. Αχιλλεὺς δὲ ἐπιστρατεύσας τῇ Τροίᾳ ἀνεῖλε τὸν Κύκνον καὶ τὸν Τέννην, τὸν λόγῳ υἱὸν τοῦ Κύκνου, ἔργῳ δὲ Απόλλωνος παῖδα. Εἱμαρμένην γὰρ ἦν ὑπὸ θανεῖν Αχιλλέα, ὁπότε ἀνέλῃ τὸν παῖδα Απόλλωνος. Ο γὰρ Τέννης, ὡς ἔφην, υἱὸς ἦν Απόλλωνος. Παρὰ τοῦ Αχιλλέως οὖν πληγεὶς τὴν κεφαλῆς ὁ Κύκνος ἀνῃρέθη, φασὶ γὰρ ὅτι ἄτρωτος ἦν τὸ λοιπὸν σῶμα πλὴν τῆς κεφαλῆς, τοῦτο δὲ μῦθός ἐστι, παραδέξιος γὰρ ὢν στρατιώτης ὁ Κύκνος, καὶ κάλλιστα σκεπόμενος ἐν πολέμοις, ὡς μηδέποτε τρωθῆναι, ὑποπέπτωκε τοῖς μύθοις ὅτι ἄτρωτος ἦν. Επεὶ δὲ πληγεὶς ὑπ᾽ Αχιλλέως περὶ τὴν κεφαλὴν ἀνῃρέθη, ἔφασαν ἄτρωτον εἶναι, πλὴν μόνην τὴν κεφαλήν. Haec diu ignoravi, cujus essent. Nunc vero suspicio venit mihi, excerpta ex Tzetze, scholiaste Lycophronis ad versum 232. Καὶ δὴ διπλᾶ σὺν πατρὶ βαίεται τέκνα, Στέρνῳ τυπέντα κλεῖδας εὐάρχῳ μύλῳ &c. Velim igitur inspicias, videasque num in omnibus cum edito textu consentiant. Cl. Boxhornio Senecam suum propediem remittam, nunc plurimam salutem dici velim. *Grafwinckelius* heros valetne & vivit? Dudum est, cum bis ad eum scripsi: responsum accepi nullus. Vale, charissimum pectus & me ama. Vestris omnibus officiosissimam salutem. Daventriae a. d. IV. Kal. Mart. Anno CIↃIↃCXLIII. De ovo Hagiensi fabula est ne, ut credo?

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XCIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

CONſtitueram perdoctae tuae epiſtolae non quidem aeque doctum ac ſubtile, meditatum tamen, reſponſum dare, eamque ob rem in hunc illud diem diſtuli. Sed nihil remittunt occupationes, & diutius in mora eſſe tibi, ne fidem meam ſuſpectam habeas, non ſuſtineo. Correctiones tuae omnes ingentem mihi ſaliyam, ut ſolent, moverunt: quod ſi quae eſt, cui indubitari poſſit, tamen omnes eruditae ſunt, & tuo Ovidiique ingenio dignae. De Plinii loco videbimus alias. Nam Elzeviriorum impatientia jam de alio cogitare, quam de Livio non ſinit. Vellem nunquam id oneris ſuſcepiſſem: video enim nec ipſam rem parem fore exſpectationi, nec ex ea quantum laboris, curae, meditationis ei impenderim, niſi pauciſſimos, aeſtimaturos. Sunt ſane non pauca antiquitatis Romanae capita, quibus & occaſione hiſtoriae, quam publice recito, & hujus muneris Liviani poſt doctiſſ. *Sigonium* (cujus merita non debent cenſeri ex emendatione textus Liviani, etſi hic quoque ſaepe praeclarus augur fuerit) aliquid addere poſſe viſus ſum mihi. Sed nec notularum anguſtiae illa capiunt, & non omnia maturuerunt. Videbis tamen inter primitias correctionum, σὺν θεῷ εἰπεῖν, permultas tum Liviani tum Latini ſermonis proprietates, a Grammaticis parum etiam obſervatas. Utinam verum eſſet, [1] *Cui ſua luminibus*. Hoc me angit & cruciat, quod tam elegantia, & ipſo praeceptore, tuo Naſone inquam, digna verba parum vera ſunt. Noſco autem mecum oblivionem meam, cujus pudet, duplici exemplo. Primum recordor in priori ſcheda fuiſſe jam aliqua notata ad Faſtos, ſed quo uſque, id vero reminiſci non potui: itaque totum, quale habeo, ne ipſo quidem Ovidio inſpecto per feſtinationem deſcripſi. Alterum eſt, quod oblitus eram, [2] τὸ *Tempus idem Stator aedis habet*: quod ex Cod. Sarrav. promiſeram primum, etiam a Politiano notatum; ſecus addidiſſem in prioribus tantum argumentum, quo reſtitutio illa firmatur. Proxima hebdomade *Chriſtenius* noſter in Hollandiam iter parat: is Ovidium collatum aut in manum tradet tibi, aut ſi Amſtelodami morabitur, quod in itu non puto facturum, mittet inde. Hotomannum, Scaligerum, & Schottum videbo lubentiſſime. Miror quomodo, qui de re nummaria aliquid ſcripſerit, potuerit libri primi Obſervat. Human. caput xv. condere, quod (ignoſce, publice nunquam ita loquar, & propterea tranſſilui nuper) ſtupidae ignorantiae plenum. Emi nuper in quadam auctione editum Baſileae in Octavo tomum

1 Reſpicit Elegiam, quae in Juvenilium lib. 1. tertia eſt, qua hortatus *Heinſius* eum, ut edat obſervationes antiquarias, ſecundo vero diſticho leguntur illa, ad quae hic reſpicit *Gronovius*.

Cui ſua, luminibus non inſpicienda profanis,
Pectora nudavit tota, Latina Venus,

2 Ovid. VI. Faſt. 793. ubi vide *Heinſii* notas.

Digitized by Google

secundum operum *Jovian. Pontani*, in quo de Aspiratione Dialogi, de Sermone, de bello Neapolitano. Si ea aut ex cimeliis vestri Couranterii, aut alias per occasionem tolerabili pretio integra reddere possis mihi, gratum faceres, & libentissime pretium refundam. Observa occasiones. Vale, mel meum, & me ama $\frac{10}{11}$ Mart. CIↃIↃCXLIII.

Deum precor, ut negotiatio optimi & summi *Spanhemii* felicissimum sortiatur eventum: pax optima rerum: Amare & condonare & Socraticum & Christianum.

EPISTOLA XCIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Eadem.

NObilissime & Eruditissime juvenum, Quamquam spatiis temporis iniquis excludor, non potui tamen bella hac occasione per optimum & elegantissimum *Richterum* nostrum te non salutare. Remitto Dialogum Criticum, quem citius haberes, nisi sumtui tuo parcere voluissem. Crede autem adfirmanti mihi, non est ejus nugacissimus liber, cujus vos putabatis. Hoc ego tam scio, quam scio me vivere. Et, si opus esset, jusjurandum darem. Binas meas recte accepisse te puto. De loco Scholiastis Lycophronis non est, quod sollicitus sis mea causa. Jam enim librum ipsum accepi, & locum inveni. Sed vicem ejus, velim transscribas mihi, quae de *coemtionalibus* senibus *Marcilius* ad Leges XII. tabb. p. 61. (ut retuli in adversaria mea olim) & *Gutherius* in libro de jure Manium (nescio ubi, sed ibi legisse memini) notarunt. Pretium operae habebis, quod tecum sententiam meam de illis communicabo. Puto enim *Turnebum*, *Hotomannum*, *Manutium*, omnesque & Plauti & Ciceronis interpretes, hac in re hallucinatos. Cum nuper in Hollandia essem, ardebam ingenti desiderio vos videndi. Sed nec diu abesse ab uxore recens maritus poteram, & ob solemnitatem, qua R. Magnifici nomen suscepi, in qua duplex oratio mihi recitanda erat (quarum nec dum apicem chartae tradideram unum) properandum habebam, & Hagae ultra distinatum per negotia quaedam fueram detentus. Hoc ultimum si non fuisset, tamen unam noctem vobis dedissem. Itaque irasci nemini, nisi mihi & fato meo, possum, quod tanta voluptate me fraudare cogebar. Accepi literas Elzeviriorum una cum fasciculo, quem venisse Augusta Vindelicorum suspicor. Gratissima fuit in illis mihi tua salutatio. In Livio aliquid molior quotidie, sed non possum pergere pro studio meo & Elzeviorum per catenatas occupationes. Si paullum adhuc morari possunt, habebunt, cur ipsos tarditatis non poeniteat. Vale, decus meum, & salve una cum incomparabili Parente, omnibusque vestris, Boxhornio item & amicis communibus. Raptissime. Daventriae a. d. VII. Eid. Majas. Anno C. CIↃIↃCXLIII.

Velim

Velim per occasionem salutes *Goddaeum*, & ex eo cognoscas, an in auctione illa, cujus catalogum ad nos transmiserat, aliquid librorum pro me emerit, quid illud & quanti. Faciam enim, simul libros acceperit frater, ut pretium reddam.

EPISTOLA XCV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Nunquam gravius a me peccatum fateor, Vir Clarissime, quam hoc tam pertinaci meo silentio. Dum ad te responsum differo quotidie, temporis aliquanto plus elapsum est, quam vellem. Serus nunc ad officium meum redeo: culpam, quod nec possum, neutiquam defensurus; sed humanitatis tuae genium implorare certus. Quam cum & alias prolixissimam expertus sim, nihil causae mihi videtur esse, cur de venia desperem. Si narrare tibi nunc incipiam, quam ἀμούσως & inelegantер aestatis hujus pars potissima mihi transacta sit, vicem meam serio indignaberis, & ego quidem ejus temporis sine summo pudore meo vix possum meminisse. Dum puellarum choreas subinde frequento, ita sensim illecebris iis irretitus sum, ut parum abfuerit, quin ad istos Sirenum scopulos perpetuo mihi haerendum foret. Confidentius haec apud te depono, quia & tu, credo, expertus es, quam his lenociniis nec opinii saepe circumveniamur. Haec dum fiunt, ecce filiam majorem natu juveni cuidam, tibi non noto, desponsat Dominus *Latius*. Nova hîc nugandi mihi occasio nata. Nam & puellae, quod hîc moris est, ad sponsam fere indies deducendae erant, & insuper etiam celebrandae nuptiae. Sic mensis ferme totus periit. Et ineptiarum jam taedere me coeperat, jam effugium meditabar, aliquo extra urbem abiturus, cum ecce febris, eaque continua, me invadit, quae quidem tam pertinaciter hactenus huic homini adhaesit, ut ab hectica metuerent medici, praesertim cum per assiduam catharrorum ex cerebro defluxionem corpus undequaque totum mirifice infestaretur. Meliuscule tamen habere nunc incepi. Et vires utcumque se recolligunt. Per quas ubi licuerit, Ovidium meum denuo percursurus sum, ut extremam tandem ei manum imponam, quod hac hieme fieri non difficulter poterit. Interim non moleste feres, si saepiuscule in locis intricatis ad opem tuam confugero, scio enim quam subactus in autoris ejus lectione sis. In Livio tuo pergere typographos vehementer gaudeo. Notas a te addi velim, nam & sic editioni pretium accedet, & existimationi tuae optime consuletur. Sed tota hac de re quid decreveris, ex te quam primum scire pervelim. Editiones Livianae tres quatuorve penes me sunt. Inter quas Parisiensis, quae cum omnium commen-

mentariis prodiit, sed quae mendis refertissima. Est & Manutiana Sigonii editio, & Parisiensis altera a Vascosano publicata, tum & Gryphiana in minori forma, quarum tamen nulla ad gustum tuum, si quid judico. Aldi patris textus nuper hic vaenalis erat, sed tam caro, ut quemvis etiam librorum studiosissimum deterrere pretium posset, invenit tamen emptorem. Veterrimam in Leidensi Bibliotheca Editionem servari memini, quam Mediolani Anno MCCCCLXXVIII. publicatam testatur Catalogus. Nam ad ipsum librum propter valetudinem aditus mihi nunc non est. Utinam institutum tuum juvare possem! nam & tibi, si quisquam, volo optime: & autorem illum, quem admiror unice, amem aliquando a mendis, quibus scatet, videre purgatum. Quod aut tua opera consequemur, aut nullius. *Rhenanum* & *Sigonium* optime de illo meritos non negarim. Videntur tamen plus subinde, quam par erat, indulsisse sibi in veteri lectione sollicitanda. Qualia nonnulla nuper a me notata, cum autorem eum perlegerem. Inter quae & illum locum memini fuisse lib. V. C. XXXVII. *Galli flagrantes ira, cujus inpatiens est gens.* Sic ante Rhenanum legebatur, & recte meo judicio. Pro quo rescripsit, *impotens est gens.* Temere, mehercules, nisi omnium MSStorum fidem secutus sit. Quod tuum est arbitrari. Novisti illum Ovidii locum de Ajace: *Utque erat inpatiens iræ.* Plura alibi de hoc loquendi genere notavi. Sed haec haud dubie jam a te observata. *Salvagnii* Commentarium in Ibin Ovidianam, & *Fabricii* versus en remitto, pro quibus multum tibi debeo. Quanquam *Salvagnius* expectationi meae, ut verum fatear, non responderit. Indignatus sum serio, quod ex optimo illo Sanvictoriano Codice tam paucas discrepantes lectiones alleget: velimque ex te scire, quid censeas de loco ab illo tentato vers. 146. ubi pro *ossea forma* V. C. *ossea larva.* Utramque lectionem queis muniam, non desunt autorum loca. Sed de his alias. *Fabricii* carmen tanta cum admiratione perlegi, quanta perlegi par erat scriptum prorsus divinum. Eaque lectio saepius mihi repetita. Et nunquam non magis placuit. Dedi quoque amicis legendum, de iis loquor, quos aliquem verae poëseos gustum consecutos sciebam. Quid quaeris? omnes uno ore commendare. Sed ut diversa hominum judicia sunt, ita quod in eo maxime mihi probabatur, id iis displicebat maxime. Scis amicum nostrum id potissimum agere, ut sedatum & sibi ubique simile dicendi genus sequatur, hoc illi languorem vocant. Quae opinio adeo dementavit praeclara alias ingenia quaedam nostrae Bataviae, ut nihil aestiment, nihil commendent, nisi quod turgeat utris instar inflati, aut ranae illius Aesopicae. Narro tibi, Epicedium meum, quod Illustri Mylio scripsi, tui pene unius applausum meruisse. Adeo languere nonnullis visum est. Sed, ut illorum judicia fortiter contemno, ita placuisse tibi, Clarissime Gronovi, laudi mihi maximae. Quanquam absit, ut eorum quicquam in versibus meis agnoscam, quae tu in iis tantopere commendas. Exosculor tamen summum affectum illum, qui te, hominem incorrupti alias judicii, hic fefellit. Denique ne inpune tibi sit, perperam me laudatum esse, ecce damno te rursus lectioni aliorum versuum, quos nuperrime conscripsi, quibus & promissa in

Gornaeam

Gornaeam Epigrammata adieci. Miraberis forsan audaciam meam, quod lyrico-cothurno nixus prodeam, nunquam ante hoc cultu conspectus. Id quam feliciter mihi successerit, tuum erit judicare. Mitto hîc insuper librum patris mei de Tragoediae constitutione, denuo nuper excusum, qui quod incompactus ad te venit, per summam festinationem fit, cum aliud exemplar non esset ad manus. Mitto etiam Cl. *Boxhornii* Notas in Tacitum, quas ad te curandas mihi dedit autor. De iis quid sentias scire pervelim, nam mihi eas legendi nondum fuit otium; mirifice hîc placet sibi amicus noster. Judicium tuum, si quid sequius de iis sentis, à literis tuis separatum ad me mitte; quas exhiberi sibi subinde petit, quod & nunc faciet, hac praesertim occasione. Novi hîc praeterea nihil, nisi quod ab Elzeviriis ex Italia nuper allatus *Octavii Ferrarii* de Re Vestiaria liber, cujus exemplar, quod ultimum illis restabat, mihi comparavi. Promittit autor brevi se daturum partem alteram, ut & Electa, ad exemplum, credo, *Lipsii*. Miratus sum hominis eruditionem, quanquam in multis mihi non satisfacit. Sed jam nimia prolixitate te obtundo. Tuas brevi exspectabo. Vale, meum decus, & uxori tuae plurimam meo nomine salutem. Lugd. Bat. Anno CIↃIↃCXLIII. IX. Septemb. Sed quid? nunquamne ad nos excurres? *Isaacus* autem *Vossius* ubi locorum nunc agit? nam ex Italia jam discessisse illum auguror. Iterum Vale.

EPISTOLA XCVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

ET laetatus sum visis tuis, Nobilissime & eruditissime juvenum, & nihilominus atrocem (quantum amor saevit) dicam proximo responso tibi intentabam: sed *perlectae illae* adeo me suis delinimentis mitigarunt, ut praesentis gaudii sensum omnem quamvis molestissimae exspectationis memoriam amitterem. Gaudeo valetudinem tuam îsse in melius, idque Nasoni tuo proficere & cupio, & ipse mihi polliceor: quod vero me in partem vocaturum te minaris, fortassis opus haud erit: quoties tamen facies, nec adfectus meus nec studia deerunt tibi, hoc est, vel tecum ut erudiar, operam dabo, vel abs te me eruditum libens confitebor. Pro muneribus tuis & Cl. *Boxhornii* gratias ago maximas, quibus ut vos bibliothecam meam auxistis, ita in eo sum, ut lectionem eorum, repetita unius & quidem praecipui, profectus meos augeam, ac tanto plus beneficiis vestris me debere agnoscam. De Livio gratum est, quod bene auguraris: nos certe operam non vulgarem & posuimus in illo, & cum maxime ponimus. Notas adjicere sane constitutum est mihi perbreves & selectas, jamque partem in mundum redegeram, ut primo tomo absoluto subjungerentur. Sed poscunt illi textum integrum, antequam notas incipiant

Digitized by Google

praelo dare: quae res etsi ex cognita hominum avaritia suspecta mihi est, tamen dissimulabo & mentem opperiar: sibi certe magis defuerint illi, quam mihi, ista hedera editionem suam fraudando. Nec enim tam gloriam ex hoc labore peto, quam ut rei literariae prosim. Animadversio tua proba est, nec de sensu aut usu τοῦ *impatiens* cum eum locum tractarem, dubitabam: tamen, quia in dubio relinquit *Rhenanus*, utrum ex ingenio, an ex scripto Codice, ut plurimum bono, *impotens*, suppositerit, & excerpta trium Pal. quae penes me habeo, nullam varietatem ostendunt, hoc reliqui. Sic soleo fere in iis, quae arbitrii sunt liberi, veterum Codd. auctoritatem sequi. Commode autem subjecisti Ovidii locum, & monebo in notulis. *Dionysii* & *Marcilii*, quae excerpsisti, grata sunt: sed in primis risui fuit subtilitas magistri: nam non satis antehac consideraveram. Plaustrum est errorum. Illud commune habet cum viris magnis, *Turnebo*, *Hotomanno*, *Scaligero* ad Festum, fereque omnibus Ciceronis & Plauti commentatoribus, quod *coemtionales senes* eosdem putat cum illis senibus, quos ad coemtiones faciendas interimendorum sacrorum caussa repertos ab JCtis ait Cicero. Atqui nihil habent simile praeter vocabulorum notationem, quod, si bene memini, primi observavimus. *Gutherii* & liber & caput citata sunt Grutero, ad Plauti Bacchides a. IV. sc. IX. itaque nondum hoc munus inquirendi remitto tibi: ego autem erravi forte designando librum de jure Manium, cum de jure Pontificio deberem. De erroribus judiciorum verissime tu: sed semper argumentum pessimi fuit turba: atque hinc intelliges, quod scribit magnus genitor tuus p. 178. de C. T. *elocutionem*, *qua utuntur veteres*, *vix centesimum observare*. Quod cum maxime in praeclaros illos ampullarum admiratores conveniat, de se tamen dictum illorum agnoscet nemo. Mihi ad istiusmodi acroamata jamdudum aures occalluerunt, & ne contradico quidem, ne morosus videar, aut sapientia seculi non contentus esse: interim arcana illa sententia, quae nec circulis, nec theatris servit, quae dependet a nemine, & sentit cum pauciffimis, immota manet, ac tum demum gaudet sinceritate sua, cum plurimum a populari morbo se videt separatam. *Ferrarii* de re vestiaria nimium quantum videre gestio, & rogare audeo, ut ad paucos dies id mihi tuo beneficio constringat. Collega meus, ni fallor, Cl. *Cristenius* nunc Leidae est, & sine dubio ad vos inviset: is haud gravatim recipiet hanc farcinam. Ego Patavii audivi *Ferrarium* disertissime & nostrate more de cathedra concionantem, atque ex hoc gustu facile accedo judicio tuo. Jure ambigis, *ossea forma*, an *larva* malis. Nec ego dispicio satis, quamquam in posterius fere inclinem ob auctoritatem scripti codicis, ex quo non plura protulisse *Salvagnium* merito indignaris. Sciat amicus noster ὁ πάνυ in Flor. Tacito legi plane, *populus credulitate*: quod Pichena, quasi scriberetur, *populus* male est interpretatus, ut non dubitem, quin vera sit illa lectio: *populus credulitate*, *prudentes diversa fama tulere*. Sed quare non auxit munus suum disputationibus de Regno Romano, quae tantum plausum concitarant, ut nos etiam hinc inaudiverimus? Et nos capimur cordatis Politicis, & si me notarum politicorum farcinatores irritaverint, ostendam fortassis me aliquid illos docere

posse

posse. Ferte me ridentem, dum de splene me ulciscar, a quo jam quatriduum male habitus, & publicum vitare coactus sum. Vidistine subsecivas lectiones *Jacobi* illius *Lannii*, quas laudat alicubi Salvagnius, tamquam hominis purioris doctrinae lumine adflati, & in ipso Musarum sinu educati? *Fabricium* nostrum melior fortuna respexit: est enim in Consiliariorum collegium ab Episcopo Lubecensi, Holsatiae duce, adscriptus. Uxor mea uterum fert: cis tres menses spero me patrem fore. Vale, cariſſimum caput, & vestros omnes a me humanissime saluta. Instat enim tabellarius. Iterum vale. Daventriae III. Kal. Octobr. CIↃIↃCXLIII.

Si occasione commoda tutaque & sine sumtu mittere poteris Livium Mediolanensem ex bibliotheca, feceris gratissimum. Si videre libet, quid nos praestemus, gustum cape ex foliis secundi tomi, quae nunc ad Elzevirios mittimus.

EPISTOLA XCVII.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

ACceptissimae fuere mihi tuae literae, Vir Clarissime. Etsi breviores illae, quam expectaram. Adeo ad multa, de quibus scripseram, nihil respondent. Ut appareat, ab aliud agente scriptas esse, quod tamen libenter tibi dono. Non enim tam alienus sum a Musis, ut inter tot occupationes tuas morose ea a te velim exigere, quae non nisi ab otioso speranda sunt. Livium, quem petebas, mitto. Recepit eum sine sumptu tuo ad te perventurum Elzevirius. Utinam institutum tuum juvet! est enim satis vetustus. Adieci ei & Ferrarium de re Vestiaria, quem Cl. *Christenio* tradidissem; sed jam discesserat, cum tuae mihi redderentur. Affirmabat ille quidem, injunctum sibi a te aliquid de libro quodam, qui penes me esset, sed cujus nomen in via sibi excidisset. Ut non nisi difficulter, quem librum velles, conjectare possem. Spero ejus lectionem non injucundam tibi fore, vel eo potissimum nomine, quod jam dudum nihil humanioris literaturae ex Italia allatum. Non displicuisse tibi nostram in Livio observatiunculam, est quod mihi gratuler. De Ovidiano in Ibin loco adhuc haereo. Pro Salvagnii lectione videtur stare Seneca Epist. XXIV. *Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat & tenebras, & larvarum* (Lipsi. *Larvalem*) *habitum nudis ossibus cohaerentium.* Pro vulgata lectione stat Apuleius, qui *Larvalem formam* alicubi dixit, quam noster *formam osseam.* Sed locus non succurrit. *Larvas & prodigia* conjunxit Prudentius. Sed locus mendosus circumfertur lib. I. Adversus Symmachum vers. 499. *Ergo cave, egregium caput orbis, inania post hac Prodigia & larvas ſto-*

lido tibi fingere cultu. Sic veriſſime optimus liber Bodleianus. Vulgo, *Prodigia eſſe deos.* Utinam clementiſſimus Deus ſanitatem mihi priſtinam largiatur, dum telam illam Ovidianam detexam, quae certe operoſius a me inchoata eſt, quam ut prope jam affectam ſalva exiſtimatione mea poſſem dimittere. Epiſtolas accurate nuper relegi, & multa non infeliciter expedire mihi viſus ſum, in quibus ante haeſitabam. Et quanquam tanti non eſſe ea probe ſciam, quae eruditis tutis auribus ſe probent, guſtum tamen unius atque alterius correctiunculae tibi dabo. In Epiſtola Deianirae: *Semivir occubuit vi lerniferoque veneno Neſſus, & infecit ſanguis equinus aquas.* Neminem melioris judicii fore confido, cui non ſuſpectus ſit prior verſus. Nam quam coactum illud *vi?* Praeterea quis unquam *Lerniferum venenum* pro *Lernaeo* dixit? Sed & MSS. variant, quorum duo, quos inſpexi, *Semivir occubuit Lernaei tabe veneni*, quam lectionem aliquando probavi. Nunc autem mihi conſtat eam ex libro IX. Metamorph. huc inculcatam ab imperito correctore, ubi in Fabula Neſſi totum hoc hemiſtichium invenies. Sed hîc ideo ferri non poteſt, quia τὸ *tabe* ſtatim infra ſequitur, *virum tunicae tabe perire meae.* Ut quidem illic legendum. MSS. meliores, & inter illos optimus Gallicanus, conſtanter habent, *occubuit in lethiferoque veneno*, quanquam & in quibuſdam *Lerniferoque*, pro *ut* certe *in* in omnibus legitur. Jam vide quantillo negotio locum mendoſiſſimum ſanarim. Pro *in lethiferoque veneno*, ſcribo, *in lethifero Eveno.* Fluvii alicujus nomen hîc deſiderari, ſequentia illa ſatis evincunt, *& infecit ſanguis equinus aquas.* In Eveno autem Neſſus interfectus ab Hercule. Docent noſter lib. IX. Metamorph. & Sophocles in Trachiniis, ubi Deianira totam rem diffuſe memorat. Scriptum prius erat *lethiferoque Eveno*, quomodo ſupra hac eadem Epiſtola in pleriſque MSS. *Cupreſſiferoque Erymantho*, pro *cupreſſifero Erymantho.* Hoc anſam verſui porro corrumpendo dedit. Habes jam, niſi fallor, locum ſanatum. Sed ne quid diſſimulem; non placet mihi *Evenum lethiferum* dici: quod epitheton hîc valde invidioſum eſt, non enim tam Evenus Neſſo lethifer, quam Hercules: aliud omnino foret, ſi in Eveno Neſſus eſſet ſubmerſus. Ita enim recte *lethifer* fluvius iſte dici poſſet, quanquam non ignorem, quomodo haec excuſari poſſint. Auget ſuſpicionem meam lectionum diverſitas, nam praeterquam quod codices nonnulli cum vulgatis *lernifero* agnoſcant, in membranis Petri Scriverii ſatis vetuſtis *lauriferoque veneno* legebatur, quare inſiſtens veſtigiis ejus lectionis, pro *occubuit in lauriferoque veneno*, putem reſcribi poſſe, *occubuit cintaurifero Eveno*, *cintaurifero* pro *centaurifero*, quomodo in MSS. ſaepe ſcribitur. *Centaurifer* autem ideo, quia Neſſus viatores per hunc fluvium tergo ſuo inſidentes ſolebat vehere: habes hiſtoriam in iiſdem Sophoclis Trachiniis. Noviſti autem eadem ratione hunc fluvium *Centaureum Lycorman* a tuo Statio dici ſub finem lib. IV. Thebaidos. Si quis propius lectioni codicis Scriveriani velit inſiſtere, legat per me licet, *occutuit in laurifero Eveno. Laurifer Evenus*, quomodo *Pomifer Anio* noſtro Amor. lib. III. El. VI. (ubi vulgo *Spumifer* male.) & *populifer Sperchius* Metam. lib. I. ſic & *olivifer Eurotas* Statio lib. IV. Theb. (quae lectio non video cur damnari debeat.)

& *pinifer Simois* eidem lib. XII. Quanquam, ut verum fatear, nusquam legerim Aetoliam, in qua Evenus, lauri feracem fuisse. Sed ludunt in his talibus poëtae. In Epistola Didûs alter locus est, qui mire me exercuit, ipso statim initio, *Sed meriti famam corpusque animumque pudicum Cum male perdiderim, perdere verba leve est.* Mirum est, cur dicat se meriti famam perdidisse, cum postea queratur, nimis omnibus innotuisse beneficia sua. Quo enim illa? *Mille procis placui, qui me coiere querentes Nescio quem thalamis praeposuisse suis.* Potuit ergo Dido ipsum perdidisse meritum seu beneficium, quod in ingratum contulerat, famam meriti non potuit, quia palam jam illud erat factum? Cogitavi aliquando, num pro *meriti famam* legendum esset *meritum famae.* quomodo in Epistola Sapphûs *meritum formae. Et formae meritis tu mihi Phoebus eris.* Sed & illum locum postea corruptum esse animadverti. In Gallicano codice scriptum est, *Sed merite famam.* Quem codicem cum sciam saepe peccare in abbreviandis vocibus, non difficulter veram lectionem expiscatus sum. Scribe ergo, *Sed merita & famam corpusque animumque pudicum Cum male perdiderim* optimo sensu. Quod autem spectat locum illum ex Sapphûs epistola: *Et formae meritis*, cum in veteri libro *& formae & meritis* scriptum offendissem, facile vidi, *Et forma & meritis* legendum esse: sic & in Hypsipyles epistola locutus noster, *Nec facie meritisque placet, sed carmine movit.* Sed jam te obtundo tot ineptiis, nondum tamen dimitto. Statianam Diatriben tuam nuper relegi, quid quaeris? unico hoc libello plus me docuisti, quam immensis suis illis commentariis reliqui interpretes omnes. Annotavi inter legendum quaedam, in quibus nondum mihi satisfactum, doceri itaque velim. Pag. 282. adducis istum Ovidii locum, *quid Danaen Danaesque virum matremque Lyaei, Haemonaque & noctes quae coiere duas*, qui manifeste corruptus est. Scribis ergo ex Pirckhaimeri MSS. *Quid Danaen Danaasque nurus*, cui ego emendationi assensum praebere non possum, nisi me doceas *Danai nurus* pro filiabus Danai dici latinè: illae enim non Danai nurus, sed Aegypti, quo modo alibi Ovidius, *Exulis Aegypti, barbara turba, nurus.* Mihi simplicissima lectio videtur, quam in Gryphii ac Mycilli Editionibus & tribus MSS. inveni. *Quid Danaen Danaesque nurum. nurus Danaes*, Andromede, quae Perseo nubsit. Pergis porro & ex eodem codice legis, *Alcmenam & noctes.* quae lectio & in nostris MSS. extat, sed non ideo probanda: ex Glossa enim nata est, licet & Bersmannus probet. Puto Ovidium scripsisse, *Haemonaque, & noctes cui coiere duae.* Jam vides unde illud *Alcmenam* natum sit. *Haemon* autem Thebanus, qui ad Antigones occisae tumulum ex nimio amore se interfecit. Propertius lib. II. El. VIII. *Quid non Antigones tumulo Boeotius Haemon Corruit ipse suo saucius ense latus?* De toto loco quid nunc statuas scire velim. P. 14. adducis Claudiani locum, *Parent numinibus montes, ut legibus urbes*, qui mire corruptus est, quaenam enim illa comparatio inter *numina* & *leges*? si *ut regibus urbes* legeretur, aliquid dixisset. Deinde cur numinibus magis parent montes, quam totum hoc universum? Inspice quaeso, locum, & absurditatem statim deprehendes. Extat autem lib. III. De laudi-

bus Stilichonis vers. 194. Omnem difficultatem tollit liber Oxonienſis, in quo divine legitur, *Pacet muneribus montes, qui legibus urbes.* *Pacare montes* eleganter dixit, quomodo Virgil. *aut Erymanthi Pacavit nemora.* & Statius lib. IV. Theh. *ſaltus tum forte remotos Pacabat cornu*: *Munera* autem vocatas feras illas, quae arenae deſtinabantur, quis neſcit? ſic Ovidius lib. I. Art. Amand. in ſpectaculorum deſcriptione. *Saucius ingemuit telumque volatile ſenſit, Et pars ſpectati muneris ipſe fuit.* Sic locus ille legendus; vulgo perperam, *ſpectati vulneris.* Plura erant, de quibus volebam te conſulere, ſed modum epiſtolae exceſſi, & jamdudum graviter in publica commoda peccare me ſcio, qui a rebus ſeriis te avocem. Cl. *Boxhornio*, quae volebas, indicavi. Theſes ſuas miſiſſet tibi, ſed negat ſibi exemplaria ad manum eſſe. Mea quoque, quae habui, amici abſtulere. De Uxore tua jam ex Cl. *Chriſtenio* intellexeram; qui libros Obſervationum tuarum novos tres Amſtelrodami ab Elzevirio excudi mihi indicavit. Quod quidem opus devorare unice geſtio. Quare an brevi ejus editio ſperanda ſit, fac ſciam. Prodiit nuper Octavius Minutii a *Rigaltio* editus, & Antoninus de vita ſua Graeco Latinus *Emer. Caſaubono.* *Fabricium* noſtrum dignam ſe ſtationem nactum eſſe ex animo certe laetor. Et jam pridem de meliori aliquid fortunà augurabar, poſtquam poſtremas meas reſponſione dignatus non eſt. Quanquam eam in mores ejus arrogantiam cadere, vix eſt ut mihi perſuadeam. *Jacobi* illius *Lannii* ne nomen quidem audieram ante lectum *Salvagnii* librum. Quare, quis ſit, docendus ſum. Laudat idem amici cujuſdam ſui Commentarium in Epiſtolas Ovidii, quem ego librum hactenus videre non potui. *Gutherius* de Jure Pontificio nec in noſtra, nec Boxhorniana Bibliotheca extat. Si apud alium amicum invenero, locum deſcribam. Vale, meum decus. A. d. XV. Octobr. Anno CIↃIↃCXLIII. Lugd. Bat.

EPISTOLA XCVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Livium Mediolanenſem, quem Elzevirius ad te curandum non ita nuper dedi, quin una cum adjunctis literis acceperis, vix eſt quod dubitem, Vir Clariſſime. Ad eas quidem reſponſum tuum impatienter hactenus expecto. Nunc cur ad te ſcribam, in cauſa ſenior eſt Elzevirius, qui id beneficii a me flagitavit ſerio. Expoſtularam cum illo, idque tuo nomine, de dilata Notarum tuarum ad primum Livii tomum editione. Affirmavit ille id ea de cauſa a ſe factum, quod notas arbitraretur nondum paratas eſſe. Hoc videlicet ſe metuiſſe, ne operis ceſſandum eſſet, dum illae a te conficiuntur. Nunc, cum ab-

absolutas esse sciat, nihil causae esse cur praelo non committantur. Immo se id unice velle, ut quam primum eas habeat, ita enim ad umbilicum perduci posse Tomum primum. Quare &, ut praefationem ad Lectorem adjiceres, obnixe petiit, in qua breviter, quid in hoc auctore praestitisses, expedires. Nam ipsam dedicationem sibi videntur servare homines avari. Haec te ignorare nolui, *Vir Clarissime*, ut, quod e re tua arbitraberis esse, tute nunc decernas. Valetudo mea in melius, sed tarde admodum procedit. Interim cum Musis meis in gratiam redeo. Quarum nunquam meminisse possum, quin & tui vicissim meminerim. Ejus rei qualecunque documentum [1] Elegiam dudum promissam nunc tibi sisto. Cum recens essem a lectione scriptorum tuorum, & eorum veneratione plenus, hortatus te sum, ut Observationum tuarum quod reliquum haberes, publico committeres. Argumentum, fateor, quod operosius a me tractari debuerit. Sed cum omnium optime noviſsem ipse ego, quam nihil a me dici posset, quod te dignum esset; uno impetu hunc campum decurrere malui, quam longa meditatione fatigari in palaestra, quam meorum virium non esse conscientia mihi ultro suggerebat. Hoc nunc eo dico, ne mireris tibi non satisfactum, cum nec mihi satisfecerim. Affectum tamen si respexeris, nihil ultra desideres. Quo proniorem in te si ab ullo mortalium expectes, frustra omnino sis. Sed nec tu hoc ignoras. Atque ideo despectui tibi sumus. Hagae nuper denuo te fuisse, narrant mihi, qui te allocuti sunt. At quantillum erat, amicum invalidum obiter & in via salutasse. Video haec talia mihi posthac ferenda esse. Vale. Lugd. Batav. Anno CIↃIↃCXLIII. XIII. Novembr.

1 Haec legitur inter Juvenilia Heinsii lib. 1. p. 228.

EPISTOLA XCIX.

J. FR. GRONOVIUS.

Nic. Heinsio.

Leidam

NObilissime & Praestantissime juvenum, recte accepi utramque tuam, thesaurum quendam doctrinae & elegantiae: caeterum in tanta copia argumenti ad scribendum, conclusus & obstupefactus, nec unde incipiam, nec quid ordiar, nec ubi finiam, ullo modo rationem inire possum. Sive enim illa cogito, quae priore me docuisti, θάμβος μ' ἴσχει εἰσορόωντα, & quamvis omnia summa abs te exspectaveram, ipso tamen exemplo spem meam agnosco superari: sive multiplicem illam & cumulatam humanitatem respicio, qua per utramque non me oneras, sed plane perfundas, lacrimae profecto erumpunt mihi, ex laetitia, quippe tantis honoribus adfecto, & (verum fatebor) invidia quadam ac dedignatione meae conditionis, quod tot beneficiis nunquam respondere possem. Accedit negotiorum & studiorum diversitas, quae me cum maxime vexant,

vexant, trahunt, rapiunt in tot partes, vix ut mei ipsius meminerim. Pauca tamen de singulis, ut praesens fert occasio, ne tam indulgere tempori meo, quam detrahere tuis meritis, a quo absum longissime, videar. Ad illa igitur, quae ad Ovidium Claudianumque notas, omnia alba sum linea: nihil est, ex animi sententia dico, quod non profundam eruditionem, igneum ingenium, subtilissimum judicium sapiat. Papae! hoc est mascule tractare literas, & penetrare intimos sensus veterum. Placet: *centaurifero Eveno*: ut quod maxime: placet, *Sed merita & famam:* in illis ex Diatribe diu cogitavi, an contradicere tibi possem: (neque enim noluissem, si possem:) sed per fidem, non possum, & victus manum do verissimis tuis animadversionibus. Certus sum plura ejusmodi occurrisse tibi, quae justissimis obelis configeres (nam & mihi plurima displicent:) de quibus & abs quovis rectiora doceri opto, & a nemine, quam a te malo. Crede enim mihi, literarum studium mei ipsius studio semper fuisse mihi & fore antiquius, & magis laetari me errata mea corrigendo, sive id per me ipsum contingat mihi, sive amicorum admonitionibus, quam aliorum naevos annotando. Deum optimum maximum precor, ut & valetudinem tuam firmiorem reddat, & vitam plurimos in annos producat: nam neutri sine gravissima literarum jactura vel momentum potest deripi. Illud miror, quomodo, postquam acrioribus oculis nugas nostras inspexisti, nec de me aliorum praejudiciis, sed tibi ipsi credis, divina illa Elegia excidere tibi potuerit: quae me poene ad desperationem adigit: adeo cupio sic posse laudari, & adeo nihil istarum laudum me video mereri. Plane enim contrarium mihi accidit ejus, quod opinere: inflares alium & superbum faceres, me vero nunc magis poenitet mei, quam unquam: ita enim sentio, unicum illud poëmation praestantius esse, quam quicquid ego aut cornicatus adhuc sum, aut in posterum cornicabor. Quare non meae, sed tuae gloriae interest illam edi, id quod curo cum maxime, quamvis alieniore loco. Nondum enim id agitur, ut observationes (heu quam indignae Palatino Apolline, nedum ut illum restituant) publicentur. Sub praelo est commentarius de Sestertiis, in quo nonnulla rei nummariae veterum, aliter atque factum est a summis viris, explicare tentavimus. Id unum erat caput illarum: sed cum per ferias proximas nescio quo genio impulsus aliquamdiu totus ei materiae vacarem, ita succrevit, ut libellus inde octo philyrarum (jam enim poene absolutus est) exierit. Spero me aliquid lucis difficillimis & inter summos viros jactatis controversiis attulisse: sed metuo admodum, ne illi, qui toties ea de re promisit, falcem in messem non meam, idque imperite, immisisse videar: itaque dedi operam, ut placatum haberem: utcumque tamen cedat, vel pereant nostra, modo ad meliora promenda, ut potest, ille incitetur. Impetravi a Curatoribus nostris, ut quoniam thesibus edendis nullum iis sumtum facio, quemadmodum Collegae, haec impensa illarum rationibus adscriberetur. Erunt igitur pauciora exemplaria, nec vendentur: nisi forte typographus aliqua suffuretur sibi, quod tamen vetui. Tua elegia in fronte posita & pretium libro faciet & minuet. De notis ad Livium recte factum, quod monuisti Elzevirios:

rios: nondum ſunt pertextae: intermiſi enim, quia jubebant ad ſecundum tomum pergi: abſolvam, ſimul ab hac cura ero liber. *Ferrarium* vidiſſe nollem: ſed nondum ſatis potui: certe parem ei inter Italos hodie novi neminem. Iter meum, quia incidebat ſub exordium lectionum, & operae hinc atque illinc inſtabant, adhaec uxor ita ſe habebat habetque, ut toto illo feriato tempore urbe me exire prohibuerit, valde intempeſtivum fuit: tamen quia ſic jubebat, imperabat res familiaris, non potui me ipſum deſerere: caeterum cum nemine (niſi forte in quos propter viam incidi) collocutus ſum, praeterquam quibus negotium meum commendavi: ne *Voſſium* quidem Amſterodami adii, nec niſi unam noctem Hagae quievi: caeteros & dies & noctes aut in negotio, aut in itu & reditu egi. Florentiae in bibl. Dominicanorum ſervantur Amores, Faſti, de Ponto collati ab *Angelo Politiano*, unde excerpta penes me ſunt. Quamquam puto omnia eadem jam ex aliis te habere, tamen dabo Studioſo cuidam, cujus opera in deſcribendis, quae volo, utor, & polliceor, cis paucos habebis dies. Mittam etiam, ſi vis, Ovidium, quo in Gallia uſus ſum, in quo ſunt Faſti cum quatuor Codd. & alia diverſa opuſcula cum ſingulis collata: ſed ea conditione, ut ſi quid indoctum per feſtinationem margini adlevi, id quaſi non viſum praetereas, nec ſecretas ineptias noſtras (ſatis earum ultro publicavimus, in quam cenſuram ſtringere licet tibi) publices. In Obſervationibus pauca delibavi, ne tibi quid praeripere viderer: ſed & illa deſcribi curabo, ſi ut jubeas tanti eſt. Vide quam velim aliquid gratum facere tibi, quo agnoſcas ultimum tuum beneficium mihi gratum eſſe: ſed cum nihil par aut aequale habeam, rogo, ut illo, quod poſſum, & longe majore, quam poſſum, animo contentus ſis. Cum ſumebam calamum; ut ad te ſcriberem, paucas lineas exarare conſtitueram, ſed ecce inopinante me huc uſque epiſtola crevit, reclamantibus jamdudum & avocantibus me invitum aliis, quae cupiunt praeverti: & tempus eſt, ut me iis exoratum ſiſtam. Vale igitur, decus & deliciae noſtrae, & veſtros omnes officioſiſſime ſalvere jube, tum etiam Cl. *Boxhornium*, cui propediem reſpondebo. Daventriae a. d. IX. Kal. Decemb. veſtrate ſtylo CIↃIↃCXLIII.

Si libet aliquas bonas horas perdere in noſtro, poſtquam miſero, de Seſtertiis, jam nunc incipe legere *Scaligeri* a pag. 66. ad 84. ea enim praecipue excuſſimus: & incredibile eſt, quantum illae paginae paucae & veri & falſi contineant. De *Vincentio* noſtro noli quaeſo ſuſpicari. Tuas ad ipſum poſt reditum ex patria hîc inveni, miſi incluſas illis, quas de matrimonii tum conſilio primas ad illum ſcripſi: eae vero perierant tabellariorum culpa: certe ſe non accepiſſe poſtea conqueſtus eſt, atque haec cauſa, cur epithalamium mihi non cecinerit. Et ſane credo ipſius candori. Ride autem avaritiam iſtorum hominum, qui de faſciculo tibi receperant: quaſi non ſatis ſit tantum operae me illis praeſtare gratis, etiam quantulocunque ſumtu me mactant. Sed Aethiops non mutat colorem. Iterum vale, mi Heinſi.

Digitized by Google

EPISTOLA C.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidem.

En tandem tibi, Chariſſimum pectus, de Seſtertiis undecim exemplaria, quae, quod commodo fiat tuo, ita diſtribues. Duo in charta majuſcula domi veſtrae manebunt, ut alterum Patri des cum literis, quas adjunxi, alterum tibi ſerves. Cetera ſingula ſingulis aut trades aut mittes meo nomine hiſce: Ampliſſ. Adfini tuo, *Scriverio*, *Boxhornio*, *Spanhemio*, *Golio*, *Vorſtio*, *Latio*, *Empereurio*, *Revio* Regenti. De ipſo opuſculo, quid tu cenſeas, ſimpliciter & ſincere, ut mos tuus eſt, & inter nos decet, exſpectabo. In fronte non dubito, quin offenſurus te ſit hiatus, poſt maximos viros, cujus me quoque piget poenitetque. Sed hoc illico fuerunt ſollicitandi, qui ſumtum editioni praebuerunt. Quos tamen vix habebo placatos, quod non adjeci *I. V. D. & Hiſt.* atque *Eloq. in Schola Daventr. Profeſſoris.* Sed hoc a me impetrare non potui, ut paterer. Quid cogitabis, ubi legeris epigramma illud, ut Philoxenus de Dionyſii Siculi verſibus dicebat, οἰκτρόν. Hanc poenam patimur verecundae frontis homines, ut parum liberi ſimus, & nos pariter amicoſque riſui exponamus, dum iratos effe illos nolumus. Tolerabilius eſſet, ſi primum diſtichon eſſet paullo Latinius. Satis aequus ſum verſificatorum cenſor: neque enim aut frigida & inepta prorſus probo, aut tantum exactiſſimis delector, quod fere vitium eſt vobis perfectis Poëtis. Amicus interim noſter, quamquam neminem aeſtimet praeter Bellerophontem noſtrum, qui tam feliciter Simonidis quaeſtuariam excercet, tuam tamen[a] Elegiam quoque non diſplicere ſibi oſtendit, quam ego praecipuam partem operis puto: adeo differimus judiciis. Te vero parerga illa amittere volo, & ad id, in quo opus habeo cura & eruditione tua, accingi. Res per ſe tantae molis forte non eſt, eo tamen conſpecta & inſignis, quod tantos viros fruſtra, ut arbitror, exercuit. Quibus ſi tu me quoque dignum, ut adjungar, facies, tuis oculis fueris uſus, & eris, quod fuiſti ſaepe ſumma cum voluptate mea, magiſtermihi. *Paſcaſius Groſippus* vel *Gaſpar Scioppius* meminit *Andr. Schotti* tabularum de re nummaria Antwerpiae excuſarum, & alius operis, neſcio quo titulo, a *Fulvio Urſino* confecti & editi. *Matthaeus Hoſius* in lib. de numeratione emendata, quem allegavi, citat libros ſuos quinque de re nummaria Francfordiae ad Oderam publicatos, laudatque eoſdem alicubi *Ritterhuſius*, velut doctiſſimi viri. Hos nunquam vidi, & ſcire cupio, an eorum quid penes vos. Quae promiſi ad Ovidium, mittam cum haec perlegeris: quod volo minime diſtincto fa-

a Haec omiſſa eſt in altera editione, eo majore cum diſpendio, quod nec inter Poëmata Heinſii reperiam: prima vero editio *de Seſtertiis* non eſt ad manum.

Digitized by Google

facias animo. Elzevirii proxima occasione novam recipient textus Liviani partem, quod illis in transitu, si vacabit, indicatum velim. Si a patre breve responsum impetrabis mihi, erit id admodum gratum, nec sine caussis certis id desidero. Vale, decus meum & me ama. Daventriae a. d. IV. Eid. Decemb. CIↃIↃCXLIII.

Cum has festinarem, nullas alias scribere mihi propositum erat: nunc paullulum otii nactus, quas vides ad *Spanhemium* & *Boxhornium* τοὺς πάνυ exaravi, quas una cum libello illis haud gravatim trades. Non puto me amicorum communium quemquam oblitum illic, si quis est tamen, mone. Majori chartae impressa mississem plura, nisi maxima pars hîc in urbe maneret, hinc perpauca ablegandi mihi sit facultas. Quare, qui apud te forte videbunt exemplar augustius, cura ne siniſtre interpretentur, quod par non acceperint.

EPISTOLA. CI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

QUae tempestates rem domesticam nobis exagitarint, ab eo tempore, quo postremas meas ad te dedi, Vir Clarissime, vix est ut tibi persuadeam. Nunc inter gaudia ac incredibiles dolores, nunc spes metusque versati, in tranquilliora ne nunc quidem evasimus. Animo tamen utcunque jam magis composito sumus. Sive quod spes rebus nostris melius affulget, sive quod ipse malorum usus confidentiores nos facit. A puerperio sororis auspicabor, quae cum & filiolum denuo peperisset, & Lucinam experta esset satis, ut tum videbatur, benignam, mirum, domus nostra quo in gaudio fuerit. Sic dies tres quatuorve abierunt. Interim puerperam febricula tentare coepit. Cujus cum primo nulla haberetur ratio, sic tamen cruduit paulatim, ut in febrim acutissimam crumperet: eoque tandem desperationis Medicos adegit, ut vitae spem omnem projicerent. Accesserat & frequens λιποθυμία. Unde rumor de morte ejus non per totam modo urbem sparsus fuit, sed & ad ipsos nos pervenit, tam funestum nuncium ipsa ejus famula nobis attulerat, ut jam dubitationi locus superesse nullus videretur. Accurrimus ergo propere. Invenimus, non quidem mortuam, morti tamen proximam: vicinos circumstantes, nihil spei reliquum. Praeter expectationem tamen omnium post horas aliquot quasi revixit. Sic & aliquoties postea, minus tamen vehementer, tentata est. Et jam desaeviisse videbatur morbus, spesque aliqua apparebat; cum ecce aphthae, praesentissimum puerperis malum, nec levior aphthis diarrhoea viribus defectam certatim invasere. Hîc rursus desperare Medici. Vicere tamen preces nostrae apud clementissimum Deum, ut utrumque cessaret malum, cum nihil minus expectaretur. Jam cum febre adhuc luctandum erat

Medicis, quae manus quoque tandem dedit. Haec nondum ita erant, cum Dordraco adferuntur Literae, quibus nunciatur amitam noſtram magnam *Mariam Muſiam ab Holy* e vivis exceſſiſſe, matronam integerrimam. Hîc (quod omnium crudeliſſimum) a chariſſima ſorore diſcedendum erat, dubia adhuc & infirmae valetudinis, ut exequiis intereſſem. Quam tamen reverſus longe confirmatiorem offendi. Nunc e media quaſi morte renata ſenſim convaleſcit. Aegrotat tamen infans, idque ſatis periculoſe, quem eo magis ſoſpitem velim, quod aviti nominis haeredem agit. Uxori tuae, Vir Clariſſime, puerperium felicius precor, niſi vota noſtra jam praevenerit. Tale enim quid augurari videor, id quod proxime ex tuis intelligemus. Nunc ut ad te & lectiſſimum munus tuum veniamus, ſcias velim ac certo tibi perſuadeas, nihil eo acceptius mitti mihi potuiſſe. Sive quod autor inter amicos meos primus eſt, ſive quod libellum iſtum inter autoris ſcripta primum judicamus. Eum etſi avidiſſime animoque ſatis attento perlegerim, nondum tamen mihi ſatisfeci, quare iteranda erit lectio, cum turbae domeſticae tranquilliorem mentem indulſerint. Deus bone! qua dexteritate diſpuliſti fatales illas tenebras, quas longe intricatiſſimae in intricata re numaria quaeſtioni offuderant boni interpretes, dum facem ei ſe praeferre jactitant? Nunquam futurum credidiſſem, ut doctorum quiſquam hac in re ſe mihi probaret. Tu vero plus praeſtitiſti pagellis aliquot, quam vel ab ingenti volumine ſperare potuiſſem. A *Scaligero* quoties diſſentis, modeſtiam tuam exoſculor. Etſi enim vix exiſtimem, virum illum admirandum tantum unquam lucis huic quaeſtioni allaturum fuiſſe, quantum tu attuliſti; dubium tamen mihi non eſt, quin, qua erat ingenii ſagacitate, errores ſuos magna ex parte ipſe correcturus fuerit, ſi ad limam opus ſuum revocaſſet, quod morte praeventus non potuit. Nunc ſcriptum imperfectum habemus, ut pleraque herois illius poſthuma. Quo magis, Vir Clariſſime, te adhortor, ut de Re Numaria bene mereri porro pergas. Nam [1] τὸ δεῖνα quod metuis; ſcire mihi certo videor ab annis jam viginti, ne cogitaſſe quidem illum de hac materia. Polliceri autem montes aureos, neque novum ipſi eſt, & nos his artibus jam aſſuevimus. Finge voto majorem ſenectam illi contingere: non ignoras, quam ne ſic quidem vel minimam praeſtare partem poſſit eorum, quae jam toties promiſit. Sed haec tui arbitrii ſunto. Exemplaria, quae miſeras, curavi omnia, VV. CLL. *Spanhemius* & *Boxhornius* reſponſum addixerunt. *Scriverium* aegrotum offendi, *Revium* in luctu domeſtico, ob amiſſas nuper uxorem & filiam. Reliqui ab urbe aberant, *Golio* excepto, qui, qua eſt humanitate, multum tibi pro elegantiſſimo munere ſe debere profeſſus eſt. Quod porro quaeris de *Andreae Schotti* Tabulis Rei Numariae a *Paſcaſio Groſippo* citatis, extant eae in paterna bibliotheca, ut ex hoc Indice cognoſces, quem nuper in tuae ſpem gratiae confeci. *Fulvii Urſini* ſcripta pleraque aut omnia penes nos ſunt, nihil tamen illius vidiſſe me memini, quod rem pecuniariam ſpectaret, praeter *Ciaconii* libel-

[1] *Salmaſium* intelligit: nam inter libros ejus promiſſos & poſt mortem edendos referuntur *de Re nummaria* in catalogo poſt ejus vitam edito.

Digitized by Google

bellum ab ipso, nisi fallor, publicatum. *Matthaei Hosti* librum Francofurti editum, nec vidi, nec prodiisse ullibi scirem, nisi tu id nunc monuisses, quare diligenter inquiram, si fortassis apud aliquem ex amicis offendero. Tua non minus esse, quae possideo, omnia, quam mea sunt, nescire te nolo, Vir Clarissime. Recte ergo, ac pro ea, quae jamdudum inter nos est, necessitudine feceris, si amici hujus tui opera, cum in hac, tum alia quacunque re audacter usus fueris, quo quidem nomine vehementer mihi gratulabor. Gestio enim unice affectum hunc meum tibi probare. Id quod hactenus non licuit. Nam quod Elegia ista nupera satisfeciisse tibi visa est, metuo ne plus amori in me tuo, quam politissimo judicio dederis. Cujus si rationem habuisses, nihil profecto causae erat, cur hunc tam inficetum centonem purpurae tuae intexuisses. Rectius sane judicabat amicus ille noster, Aristarchus optimus, quem postremis tuis innuebas. Interim plurimum tibi debeo, qui existimationem jam in tuto collocatam doctorum denuo censurae exponere maluisti, quam jejunos aliquot versus amici capitis supprimere. Quod felicius tamen tibi succesit, quam successurum arbitrabar. Inveni enim, qui laudarent Elegiam, nonnullos viros satis eruditos; non quod revera laudem mereretur illa, sed quia dissentire a te nollent. Nihil enim facilius, quam versus illepidos pro bonis nunc orbi obtrudere. Tam pauci sunt, qui aliquem verae poësios gustum vel ostentare possint, etiam inter illos, quos poëtas esse, de se jam creditur ipsis. Ego horas illas, quas lectioni poëtarum veterum impendi sane plurimas, vel hoc nomine non male collocatas censeo, quod versificatorum nostrorum ineptias ridere jam possum & contemnere. Ovidium in manus sumere, de quo nuper scripseram, propter turbas domesticas hactenus vix licuit. Inceperam tamen observata & collationes meas colligere; ut sub uno quasi aspectu haberem omnia, quo labore defunctus, notas ipsas facile describere potuissem, dum in textu excudendo occuparentur operae. Et jam ad Artem Amatoriam perveneram, cujus liber primus Oxoniae olim a me cum longe optimo ac veterrimo codice collatus. Quae excerpta dum inter schedas meas quaero, sive negligentia mea alicubi sepositа, sive, quod potius existimem, ab amicorum aliquo mihi sublecta, certe hactenus non inventa, ecce sororis supervernit morbus, qui omnem mihi de Ovidio meo cogitationem prorsus excussit. Idque eo magis, quod aegerrime jacturam excerptorum istorum ferrem, quae reliquorum omnium manuscriptorum, quibus usus sum, instar mihi erat. Collationes tamen tuas, promissas mihi nuper, ubi miseris, ad pensum meum denuo revertar. Utar autem iis ea fide, qua amicissimum tibi hominem par est. Nam quod exemplum [1] Curtiani Editoris te terret, qui pro beneficio, quod a te acceperat sane luculentum, injuriam non minorem reddidit; vide, ne non similis illi sim. Si is essem ego, qui famam ex aliorum contemptu aut ignominia aucuparer, ejus auspicium ab amicis capere nihil necesse erat. Habeo excerpta quaedam penes me, [2] illius viri, qui se capitalem hostem nostrum profitetur, mirum, quam larga ibi materies illi insultandi,

1 Vid. ad Epist. LXXXVII. 2 *Salmasii.*

Digitized by Google

di, quod nemo negaverit, jure a me fieri posse, cum idem ille jam egerit in Simplicio parentis mei. Non sum tamen adeo vindictae cupidus, ut beneficio, quamvis, & parvo, & quod ipso ignorante mihi obtigit, abusus fuisse apud quenquam dici velim. Videbis ergo saepius eum laudatum, reprehensum nunquam: nisi fortasse, ubi conjecturas suas publice proposuit. Idque tam modeste, ut ne erga amicum quidem clementior esse possim. Meditabar conjecturas in Ovidio aliquot meas hîc subjicere, sed video jamdudum Epistolae me modum excessisse, quare in publica commoda non diutius peccabo. Vale, Vir Celeberrime, & amore solito me complecti porro dignare. Lugd. Batavorum Anno CIↃIↃCXLIV. XV. Januarii.

Ovidium a Politiano collatum Florentiae extare jam me monuerat *Isaacus* noster. Habeo penes me *Caroli Viviani* in Metamorphosin emendationes Venetiis Anno MCCCCCXXXI. editas, quas eo pluris facio, quod nemini interpretum visae sint, nec sane quisquam melius illo de hac Operum Ovidianorum parte meritus est, si unum *Naugerium* excipias. Facit is frequentissimam Codicis istius Politianaei mentionem, multasque viri summi emendationes in Metamorphosin profert, quo facilior jactura illius tomi, qui quantum ex tuis colligo, nunc in Bibliotheca Dominicanorum Florentiae non extat, quia abunde eo usus videtur Vivianus. Literas *Spanhemii* & *Boxhornii* promissas mittam proxime. Illum, frustra aliquoties quaesitum, domi non offendi, nec audebam diutius responsum ad te meum differre. *Boxhornium* nostrum, ut procrastinator est insignis, toties de eadem re monere jam taedebat. Iterum Vale.

EPISTOLA CII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & Ornatissime juvenum. Ne vivam, nisi gratissimae fuerunt mihi postremae tuae, sed in exordio earum poene sum exanimatus, dum diu, quod abominor, exspecto, an potius vereor. Gratias Deo immortali, qui tam acerbo luctu tot praestantes, & ut defaecatae semper ac serenae sint dignissimas animas, ferire noluit. Eundem precor, ut hoc metu omnibus in multos dies adversis defuncti sitis. Mihi ex a. d. VII. Id. Decembr. quod augurabaris, aucta domus est: velit Deus vitale esse, quod natum est, sexu matri, vultu patri, τὰ πάντα, ut ajunt, ἀμφοῖν. Etiam quod non mediocri gaudio fuit, quantum permiserunt labores, sana usque & firma fuit puerpera, ac nunc alendi educandique operam fortiter sustinet. Non poenituisse te praefigi commentario de Sestertiis magnopere laetor, ut qui judicium tuum, quamvis

vis de noſtris id plerumque juſto benignius cadat, faciam maximi. Scio enim paucos eſſe, qui illis oculis, tam inſtructa mente, quam tibi datum eſt, & legant & cognoſcant. Mihi quidem ſcribenti, quod forſan edatur quandoque, ſemper obverſantur quidam ſecreto modeſtiam dictitantes, etiam ubi fiducia ſum maxima: de quibus identidem cogito: Quid autem de his videbitur illi & illi? Me decipiam licet: talibus fucum facere non potero. Adfirmo ſancte, te inter hos ſatis honeſtum tueri locum. Placet etiam, quod in diſputando contra magnos viros, & illum praecipue, quem deſignas, non excidiſſe me cenſes deſtinatione mea: quae profecto non eſt, non dico, heroibus, ſed vel mediocriter meritis detrahere. Ideo libenter bona eorum, quae ad inſtitutum pertinerent, commemoravi: quod contra vulgo etiam magni homines bonis utuntur, ſed in malis reprehendendis auctores nominant. Niſi feriae me defeciſſent, paululum etiam produxiſſem opuſculum: reſtant enim quaedam non omnino inepta: ſed quia moroſiſſimus ſum in iis, quae exponi patior, de illis ſatis otioſe inter diverſas curas expendendis deſperabam: itaque prodicere iis diem ſatius duxi. Ob indicem auctorum de re nummaria valde amo te: *Scotto* ex illis & *Hotomanno* aliquantulum uti velim: nam poſteriorem nuper, haud commode ſane, in promptu non habui, & excerptis, quae Cadomi (quo, dum in portu Gratiae ſive Franciſcopoli, ut *Thuanus* appellat, ventis impediti moramur, excurreram) ſubitaria opera feceram, contentum eſſe oportuit. Quid vis autem narrem tibi de *Octavio* tuo, cui interea familiaris factus ſum nimis? Equidem hos pluſculos dies ita inplicitus togae fui, ut exitum diu reperirem nullum, & Agamemnonis fatum timerem; quamvis Clytaemneſtram domi non habeam. Nunc tamen videor poene veſtire eam poſſe, & quidem convenientius, atque adhuc ab doctoribus noſtris eſt factum. De *ſinu* aut *ſinubus*, ut illi volunt, apud Fabium, de *umbone* apud Tertullianum, de *Gabino cinctu* aliiſque longe aliter ſtatuo: pauca denique totius libri primi ſunt capita, in quibus non aliquod deſiderem, multa, quae manifeſtorum errorum convincimus. Exſpectaſne? Sed non audeo promittere, tum conſcius tenuitatis meae, tum quod αἰδέομαι Τρῶας, atque ipſum in primis Polydamantem. Interim juva me in Plinii loco lib. VIII. cap. XLVIII. *Lanae & per ſe coactae veſtem faciunt, & ſi addatur acetum, etiam ferro reſiſtunt: imo vero etiam ignibus, noviſſimo ſui purgamento: quippe* AHENIS POLIENTIUM *extracta* IN TOMENTI USUM *veniunt, Galliarum, ut arbitror, invento.* De hoc doctus noſter Ferrarius plenum ineptiis caput exſtruxit. Ait autem ἀντὶ τοῦ *polientium* in MSS. eſſe *coquentium*. De quo ſilet, poſt quem ille certe hic ſilere potuiſſet ad Solinum. Nos ſcribimus: *Noviſſimo ſui purgamento quoque hamis polientium extracta.* Aut certe: *e lanis polientium extracta.* Nam pro *abenis* olim legebatur *alienis*. Sed ſi *coquentium* eſt in MSS. ut ait Ferrarius, non explicandum eſt, ſed amplius corrigendum, in *cogentium*. De illis igitur verbis velim conſulas MSS. Codd. bibliothecae veſtratis. Accuſat *Ferrarius Bayſium*, quod χλαῖναν vel χλανίδα ſcripſerit eſſe veſtem, qua milites utebantur per aeſtatem. Ego in meo plane contrarium invenio fine cap. XV. eſt autem ille Baſileae editus CIↃIↃXLI. ſi aliam edit. habe-

tis,

tis, inſpice quaeſo. Ne gratuito feceris, en tibi nonnullas ad Ovidium tuum variantes. De arte amandi:

Tu licet & Thamyran ſuperes atque Orphea cantu.

In diverſis Codd. partim repperi ipſe, partim repertum aliis ſcio, *ſuperes & amebea.* Scribendum eſt, *Amoebea.* Plutarchus περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς· καίτοι γε Ζήνωνά φασιν εἰς θέατρον ἀνιόντα κιθαρῳδοῦντος Ἀμοιβέως; & meminit etiam Athenaeus. At AElianus vocat Ἀμοιβέαν lib. III. variae. Ἀμοιβέας Κιθαρῳδὸς σωφρονέστατος. Facile poſſet corrigi, ſed opus non eſt. Sic enim & βορεὺς dicunt & βορέας. *Stheneleus, Sthenelas, Sthenelus,* Ἀχιλλεύς, Ἀχίλλης *AEoles, Achillas* & talia. In VI. Faſtorum: *Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim Ante Palatini condidit ora jugi.* Fefellit hoc omnes, quaſi primam contra rationem (deſcendit enim a *Stiti*, quicquid contra nugentur) & morem ſuum in *Stator* Poëta produxerit. Nam & corripuit lib. III. Triſt. Eleg. I. *Inde petens dextram, porta eſt, ait, iſta Palati; Hîc Stator: hoc primum condita Roma loco eſt.* Erat enim illic templum Jovis Statoris. Vide Livium. Ineptiſſime vulgo: *Sator*: quod tamen interpretatus Bersmannus: hîc Romulus habitavit. Sed & in priore loco vide, quam coacte ad τὸ *quod* intelligatur ex praecedenti diſticho τὸ *delubrum.* Membranae Sarravii in margine, ubi pleraeque meliores lectiones: *Tempus idem ſator aedis habet, quam.* Quid certius hac lectione, modo reſcribas, *Stator?* Mihi quidem nihil. Et habes eandem phraſin, quam in illo: *Tempus habent myſtae ſidera viſa cibi.* In primo Faſtorum: *Ipſe Deus velox diſcurrere gaudet in altis Montibus, & ſubitas concipit ipſe fugas.* Ita MSS. & verum eſt. *Concipit* ipſe, nempe mente, φαντασιοῦται, imaginatur, & ſubito, nec quid nec quare, exſilit diſcurſatque. Ipſe ludit ἀφνιδίους φόβους καὶ ταραχάς, quarum auctor eſt. Unde in hymno, qui Orpheo adſcribitur: Ἐλθὲ μάκαρ σκιρτητὰ, θοίδρομε, σύνθρονε ὥρης, Lib. IV. Metamorp. non longe a fine: *largis ſatiantur odoribus ignes Sertaque dependent tectis: & ubique lyraeque, Tibiaque & cantus animi felicia laeti Argumenta ſonant.* Quis dubitet τὰ & *ubique* non eſſe Ovidii? Scribo: *tectis: lotique lyraeque, Tibiaque & cantus.* Scriptura ſemipriſca *lutique* facile genuit *& ubique*, item, *tubeque*, ut ſcis in noſtris memb. legi. Par corruptio in II. de Remedio amoris: ubi reſtituit ille, quem noſti. Scribit ad me *Philippus Pareus, Thomam Reineſium* Poliatrum Altenburgenſem in Saxonia dediſſe tres libros Variarum lectionum, & doctrinam tum viri, tum operis hujus mirifice praedicat. Vidiſtine? Vale anime mi, valetudinem cura, & Naſonem tuum, quod te nemo melius poteſt, urge. Communes amicos ſaluto officioſiſſime, in primis divinum Parentem, cujus humaniſſimae literae magno honori mihi fuerunt. Daventriae III. Non. Febr. Julian. CIↃIↃCXLIV.

Putabam, me, cum has mitterem, adjuncturum excerpta Politiana: ſed deſcribere nondum omnia potui. Partem habe, quam ter quater ſeponere coactus ſum intervenientibus negotiis: & aliquando ad manum habui textum, aliquando non. Itaque invenies plura forſan, quae monuiſſe non erat opus. Cactera proxime: nec de Gallicis excerptis promiſſum revoco. Tantum ne pigeat morae parvulae. Iterum vale, cariſſimum pectus.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Devsitriam.

DIssertationem tuam de Sestertiis denuo relegi, Vir Clarissime. Affirmare autem sancte possum, iterata hac lectione non parum accessisse veneration-ni, qua jam ante scriptum illud prosequebar. Spatiosa, mehercules, hîc in laudes tuas area patebat, quam tamen praeclusisse mihi videris nimia comitate. Ita enim praeclaro operi tuo me intexuisti, tum publicatâ Elegiâ, tum honorificentissima mei mentione facta, ut me partem ejus non immerito censere debeam, nec laudare jam te possim, nisi me ipsum quoque videar laudare. Utinam rem numariam pergas illustrare! utinam & vestiariam! cujus spem videris in postremis tuis facere. Et quid tandem arduum tibi sit, qui obscurissimam de Sestertiis controversiam tam perspicuam nobis reddidisti? *Ferrarii* scriptum etsi non displicuit mihi, ita tamen nunquam placuit, ut te tuique similes ab eadem materia retractanda deterrere posse videretur. Quare si preces, si obtestationes hominis amici quicquam apud te possunt, suadeo ac hortor, nec hortari quoad vivam desinam, ut in hoc penso detexendo pergas. Quin, quod unum possum, operam in suppeditandis aliorum scriptis meam tibi polliceor ac addico. *Schottum* ac *Hotomannum* commoda occasione mittam, sumptu enim te onerare nolo. *Hotomanni* exemplar ex bibliotheca prompsi publica, manu Scaligeri passim notatum, quod acceptius tibi fore non dubito, quam si nostrum Codicem mitterem. Tu modo vide, ne diutius Ovidii expectatione me maceres. Animus enim jampridem est, autorem totum percurrere; quod facturus tamen non sum, nisi promissa tua compareant. Pro excerptis interim Politianacis multum tibi debeo, quae in plurimis cum schedis nostris Gallicanis consentire video, sed de his alias. Quod autem emendationum aliquot in autorem nostrum tuarum munere bearc me dignatus es, coelum tetigisse visus sum. Idque potissimum cum concurrisse nos viderem in restitutione loci ex lib. IV. *Metam. lotique lyraeque.* Deum enim iratum habeam, nisi jam ante annum, credo, cum penultima vice Metamorphosin percurrerem, ita legendum esse in exemplari meo notarim: *& ubique lyraeque* MS. Ciofani, *cytharaeque lyraeque.* forte, *lutique lyraeque* pro *lotique*, quibus Silii & Martialis loca aliquot addideram. Sed hujus emendationis solida laus penes te est, quia monendo me praeveniisti. Locus ille lib. III. de Arte Amandi: *Superes & Amoebea cantu* mire me exercuit. Ita enim in libris, quos inspexi, omnibus scribitur: unde facile divinabam vulgatam lectionem commentum esse hominis imperiti. *Amoebeas* tamen notus mihi erat, non *Amoebeus*, nunc locus Plutarchi a te adductus omnem difficultatem sustulit. Mirum quam saepe autor

Digitized by Google

noster in nominibus propriis corruptus sit, quae tamen loca ut plurimum boni interpretes silendo praeterierunt, sic lib. VIII. Met. vers. 252.

Vota Jovi Minos taurorum sanguine centum.
Solvit, & egressus ratibus Creteida terram
Contigit.

Vulgo legitur, cum ex melioribus libris totus locus ita constituendus sit:

Vota Jovi Minos taurorum corpora centum
Solvit, ut egressus ratibus Curetida terram
Contigit.

Cretam *Curetin* antiquis dictam, testes Plinius lib. IV. cap. XII. Apollodorus libro I. Bibliothecae, καὶ φυγὼν εἰς τὴν Κουρήτιδα χώραν. Hinc & *Curetea flumina* in Ciri Virgiliana, & *Curetica tecta* apud Silium lib. XV. qui tamen Acarnaniam intelligit, ubi & Curetes habitabant, teste Strabone. Unde & Homerus *Curetas* pro Acarnanibus posuit. Eodem libro VIII. vers. 528. Locus est corruptissimus,

Vulgusque proceresque gemunt, scissaeque capillos
Plangunt ora simul matres Calydonides, Oeneus
Pulvere canitiem genitor &c.

τὸ *Oeneus*, in fine versus valde coactum est, quod quis non videt? Alio insuper libri scripti tendunt, in quorum plerisque, *matres Calydonides*, *heu heu*, vel, *eheu*. In Codice uno alioquin emendatissimo mutilus versus legebatur hoc pacto:

Plangunt se matres Calydonides heu heu.

Carolus Vivianus monet in quibusdam legi,

Plangunt hunc matres Calydionides Eveniaeque.

Contra versum. In tuo Codice pro diversa lectione annotatum erat, *Plangebant matres Calydonides Euueive*, si modo recte descripsi, de quo monendus sum. Scribo, *Plangebant* (vel, quod malo cum aliis, *Plangunt se*) *matres Calydonides Eveninae*. *Evenine*, ut *Neptunine*; nec vitiosus habendus duorum patronymicorum concursus, sic alibi *Phasias Aeetine*, quales loquendi modos poëtis in deliciis esse constat. Eodem libro paulo post. v. 542.

Quas post Oeneae tandem Latonia clade
Exsatiata domus natis in corpore pennis
Allevat.

Cum viderem olim in plurimis MSS. legi, *Quas post Aoniae*, suboluit emendandum esse, *Quas Parthaoniae*. Parthaon enim pater Oenei, quam conjecturam postea a tribus MSS. confirmatam vidi. *Parthaoniae* quoque *domus* meminit Statius tuus Thebaid. libro primo. *Quamquam Calydonius Oeneus, Et Parthaoniae (si dudum certus ad aures Clamor iit) tibi jura domus.* Transeo ad librum X. vers. 425. Fabula Myrrhae,

--- *Turba Cinyreis in illa Regis adest coniux.*

Miratus subinde sum, cur a marito Cinyra, *Cinyreis* illa diceretur, cum a patre, non viro nominanda fuerit. Hanc quoque difficultatem enodarunt libri scripti, in quorum nonnullis *turba Cenchreis in illa*, optime. Audi Hyginum Fab.

Fab. LVIII. *Smyrna, Cinyrae Assyriorum regis & Cenchreidis filia, cujus mater Cenchreis superbius locuta, quod filiae suae formam Veneri antepositurat* &c. Unico tibi molestus ero, quem sane mendi nunquam suspectum habuissem, absque libris antiquis fuisset. Extat is libro Artis Amatoriae secundo. vers. 115.

Nec semper violae, nec semper lilia florent:
Et riget amissa spina relicta rosa.

Priore versu codices plerique, *nec candida lilia florent*, vel *mollia lilia*. In uno Palatino, *nec hiantia lilia*, quod ad veram lectionem indagandam utcunque nos juvit. Codex V.C. Patricii Junii non quidem vetustus, emendate tamen ac fideliter descriptus, ita totum versum constituebat,

Nec violae semper ne cinthia lilia florent

Nimirum ante τὸ *Cinthia* exciderunt duae literae *ja*, quarum vestigia in Palatino Codice vox *hiantia* servabat. Quare minima mutatione lego,

Nec violae semperve Hyacinthia lilia florent.

vel potius *Hyacinthina*. *Hyacinthina* autem *lilia* ipsi hyacinthi, qui colore tantum a liliis differunt, unde & *quasi lilia* a Servio dicuntur Ecloga III. v. 107. Noster lib. X. Met. v. 212. In hac Fabula

Flos oritur, formamque capit, quam lilia, si non
Purpureus color his, argenteus esset in illis.

Noster autem hyacinthus mirum quam differat ab illo veterum: quod cum viderent Botanici, incredibili audicia hyacinthum illum verum ac genuinum *hyacinthum poëticum* vocarunt, ne mireris jam *sestertia poëtica* a Criticis efficta. *Hyacinthina* autem quam *hyacinthia* malo, quod & Theocritus hyacinthi folia, ὑακίνθινα φύλλα, vocet Idyll. XI. Catullus Nuptiis Mallii, *Talis in vario solet Divitis domini hortulo Stare flos Hyacinthinis*. & Sidonius Apollinaris Propemptico ad Libellum. v. 62. *Sive inter violas, thymum, ligustrum, Serpyllum, casiam, crocum atque calthum, Narcissos, Hyacinthinosque flores*. &c. Hoc est, ipsos hyacinthos. Habes hîc, vir Clarissime, observationes aliquot incomptas ac inurbanas, planeque tuis dissimiles; quas tamen eo audacius proposui, ut tute videres ac agnosceres, quid distent aera lupinis. *Thomae* istius *Reinesii* nomen nec antehac audivi, nec librum vidi, fortassis ejus exemplar a *Paraeo* non difficulter impetrabis: est enim vir, quantum audio, satis humanus. *Bayfium* Editionis Stephanicae consului Anno MDXLIX. editum (vidi enim & aliam Stephani editionem, quae aliquot annis praecessit) in uno haec invenio, Ferrario forsan notata. *Jam vero laenam militarem fuisse Nonio placet, quam Graeci* χλαῖναν *vocitant. Plutarchus in Numa*, ἣ γὰρ ἂν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς λαίνας, Ἰοβας φησὶ χλαίνας εἶναι. *Hoc est, Etenim quas gestabant reges laenas, Juba Chlaenas ait esse. Pallis superinduebantur hyberno tempore, si Martiali credimus, Tempore brumali non multum laevia prosunt: Calfaciunt villi pallia vestra mei. Quod & proverbio fit manifestum:* ἐν θέρει τὴ χλαῖναν καταταίβεις. &c. Venio nunc ad Plinii locum, non quod sperem me facem ei adferre posse, conclamato prorsus ac deposito, sed ne tibi quicquam videar negare. Primo hoc dictum velim nugas maximas esse vocem *aheneis*. Nihil enim tomentis cum aheno, quae

constabant ex lana non fucata. *Coquentium* agnoscit Gelenius, sed monet *Polientium* ex libris scriptis legendum. Cum Ferrarium legerem, vestigia priscae lectionis *ahenis*, vel *alienis* secutus conjiciebam legendum, *qua limis*. Duabus prioribus literis in τῶ *qua* repetitis ex voce *quippe*. *Novissimo sui purgamento, quippe qua limis polientium extractae, in tomenti usum veniunt.* Limam autem verisimile est instrumentum quoque lanificum fuisse, non absimile ab eo, quod rasorium aut pectinem vocant alii. Nec abludit illud Ovidii lib. II. de Ponto Eleg. IV. *Utque meus lima rasus liber esset amica.* Quamquam & limam fabrilem respexisse potuit. Claudianus in Eutropium lib. II. vers. 378. *doctissimus artis Quondam lanificae, moderator pectinis unci. Non alius lanam purgatis sordibus aeque Praebuerit calathis, similis nec pinguia quisquam Vellera per tenues ferri producere limas.* Ita diserte codex Bodleianus, & forsan ita legendum. Vulgo, *rimas*. Sed haec pro veris tibi non obtrudo. Et sane aliud quid postea commentus sum. Nimirum antiquitus scriptum fuisse, *lallis* corrupte vel *larnis*, ut infra in loco Isidori a me emendato. Inde factum ab imperito aliquo *lanis*, quod cum alii paulo doctiores putarent ferri non posse, *aenis* scripsere. Nihil autem tritius in libris vetustioribus, quam *r* & *l.* confundi. Sic pro *lallis*, *rallis* habebis. Glossae Stephani, *Ralla*, ξυσῆς. Aliae ejusdem, Ξυσῆς, *Ralla*, *Rallum*, *Rallus*, *Rasorium*. Hinc nullo negotio emendari possunt Isidori Glossae: *Larna Rasorium*. Lege, *Ralla*, *rasorium*. Mire hic locus exercuit viros doctos, *Barthium* praecipue Adversar. lib. VIII. c. V. qui *Larva*, *rasorium* legit, frigidissime. Reddenda & ea vox ipsi Plinio lib. XVIII. c. XIX. *Purget vomerem subinde stimulus cuspidatus ralla.* Vulgo *rulla* legitur. Sed ne hîc quidem mihi satisfeci, quare ad Bibliothecam publicam me contuli, inspecturus Codicem MStum, qui illic adhuc supereſt, alterum enim melioris illum notae, nondum mihi reddidit *Isaacus* noster. Hoc pretium nimii erga amicos officii fero. In eo ergo codice sic locum scriptum offendi: *imo etiam ignibus novissimo sui purgamento, quippe ejus* (vel *enis*) *pollencium extracta indumentis usu veniunt.* Sed Gelenius recte correxit, *in tomenti usum*, quod sequentia satis confirmant. De caeteris plane haereo. Venit tamen mihi in mentem nimio abbreviandi studio a librariis hîc peccatum, atque adeo literas tres quatuorve omissas. Deinde posteriorem syllabam in voce *quippe* repetendam, ut pro *quippe enis*, scribatur, *quippe pectenibus* id est, *pectinibus*. Tuas tamen emendationes magis probo. Et jam satis est nugarum. Prolixior aliquando fui, non quod operae aliquid facturum me confiderem, sed ut ad veram lectionem indagandam te incitarem. Vale, Vir Clarissime, & tuis quamprimum me bea. Lugduni Bat. Anno CIↃIↃCXLIV. Kal. Martiis.

Paternum nomen ex animo tibi gratulor: voveoque felicius tibi cessurum, quam affini meo, cujus infantulus ante dies aliquot elatus est, magno cum familiae nostrae moerore. Jussu ac mandato Curatorum, agi tandem coeptum de controversiis inter patrem meum ac *Salmasium* sopiendis, quae res Cl. *Spanhemio*, viro sane integerrimo, penes quem & solida ejus laus erit, credita ac commissa est, multum jam is profecit, nec dubito quin feliciori cum successu

rem

Digitized by Google

rem daturus sit effectam, quam alii tentarunt ante. Iterum vale, meum decus.

EPISTOLA CIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

ECce tandem Ovidium collatum tibi, ut promiseram, Nobilissime & eruditissime juvenum. Epistolae Heroïdum & Ibis cum libro membranaceo elegantissimae manus, sed non valde antiquo Cl. *Sarravii* collatae sunt: Metamorphosis cum Andino *Claudii Menardi:* Fasti cum illis, qui sunt adscripti. Utinam exspectationem tuam res non fallat! Utcunque erit, noles tamen non vidisse vel ideo, ne putes magno thesauro te fraudatum fuisse. Ego nunc magis distringor publicis privatisque recitationibus, quia ad finem spectant. Post paullum otii erit, quamquam ne tum quidem, adeo urgent Elzevirii, & me angit expectatio operis, quae re longe major est. Cl. *Christenio*, qui has tradet tibi, ut spero, reddere Hotmannum potes. Velim etiam, si habetis in bibliotheca vestra editionem primam fragmenti Liviani lib. XXXIII. a *Querengo* factam, nam eam nunquam vidi. Tamen erunt non pauca emendatiora, quam exstant in Jansoniana & Elzevirîana priore. In tertia & quarta Decade plus negotii est, quia illam cum MSS. non valde bonis contuli, hujus nullos reperi, & tota erit ingenii alea. Nihilominus eluctandum est. Et ideo commode accidit, quod magnae nostrae feriae instant. Illis ego nihil minus, quam feriabor, & tandem aliquando tempora mea ex arbitrio dispensabo. Vale, carissimum caput, & me ama. Daventriae a. d. v. Kal. April. CIↃIↃCXLIV.

EPISTOLA CV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

GEmino nuper beneficio ita obaeratum me tibi reddidisti, Vir Clarissime, ut solvendo nunquam futurus sim. Vix Ovidiana Politiani excerpta acceperam, cum ecce Codicem tuum ad aedes nostras defert *Cl. Christenius*, quem etsi vix inspicere hactenus mihi licuerit, praeclari tamen aliquid inde mihi promitto. Utar ego illo, tum remittam proxime. Redhostimenti loco Schottum & Hotomannum de re numaria hîc habes. Alter, ut vides, manu *Scaligeri.*

Digitized by Google

ligeri passim notatus est, eoque nomine non ingratus tibi futurus, alter quoque placebit, sat scio, vel ob fragmenta veterum, quae primus vulgavit. Utere iis ad satietatem usque. Alia quoque ubi ad manum venerint hujus argumenti, non desinam tui meminisse. Ovidio meo manum ultimam brevi imponere animus erat, sed has cogitationes nunc interrumpet iter meum Brabanticum. Intra dies enim plus minus quatuordecim fontes Spadanos in agro Leodiensi aditurus sum, curandae valetudinis gratia, in reditu potissimas Brabantiae urbes perlustrabo, maxime Lovanium, forsan & Gemblacum, si eo commode perveniri possit. Spero me reperturum alicubi codices Ovidii vetustiores, quam quibus usus sum. Quae spes si non vana fuerit, vel hoc nomine grande itineris hujus pretium me tulisse putavero. Tu quoque si quid illic curatum a me volueris, quamprimum indica. Habes en amicum ad omnia promptum tibi ac paratum. Illud quoque nunc a te petam, ut in hac solitudine mea literis subinde tuis adesse mihi digneris, quae magni mihi thesauri instar erunt. Eas non aliò quam ad aedes nostras curabis. Unde recte ad me pervenient. Diutius, quam velim, domo abfuturum me puto; & si quid augurari licet, vix est ut ante hyemem revertar. Tam mihi placent, quae de locorum istorum deliciis audivi. Nisi fontes Spadanos summopere mihi commendassent Medici, ob nimiam humorum abundantiam, quibus corpus repletum est, in urbe vestra maximam aestatis partem transigere decreveram, a clementiori aëre aliquod valetudini meae auxilium haud dubie impetraturus. Ubi reversus fuero, Livium, uti spero, tuum absolutum ac confectum inveniam. Quae res reditum non parum mihi urgebit. Fragmentum autoris ejus a *Querengo* editum nullus vidi. In paterna Bibliotheca Parisiensem Fragmenti ejus editionem vidi in Octava (uti vocant) forma editam, ad cujus margines nonnullae *Querengi* conjecturae legebantur. Editio tamen ipsa ab alio nescio quo procurata erat. De *Pontani* operibus meminero, etsi vix quartam tomus iste partem continet eorum, quae vir ille summus scripsit. Quid quod illâ editiones longe meliores extant. Qualis Aldina & Florentina Juntarum. Vale, meum decus, & me constanter ama. Raptim. Lugd. Batav. Anno CIↃIↃCXLIV. die XXI. Aprilis stylo nostro.

Non omnino bene me habuit, quod, ad correctiones meas Ovidianas, quas in ultimis meis tibi proposueram, censuram tuam mihi invideris. Sed hoc occupationibus tuis dono.

EPISTOLA CVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

TUas cum Hotmanno & Schotti tabulis recte ad me curavit *Clerisellus* noster: hoc insigne beneficium est, & parata erit tibi apud me, quandocumque

que velis, gratia. Iter tuum Brabanticum valde probo, tum quia firmiore valetudine, tum quia Musis comitatiorem inde te reversurum confido: atque uti sic eveniat, semperque successibus utare, Deum immortalem precor. Quod autem me mandata poscis, gratias habeo magnas: sed tempus tibi, dum iter facis, dum valetudinem curas, dum salutationes, in gente cum omnibus aliis de humanitate certanti, & obis & excipis, dum denique ingenti tuae, sed laudatissimae, cupiditati incepta tua praeclara in literis promovendi indulges, spatiis admodum iniquis inclusum iri prospicio. Itaque poene religioni est partem inde ullam, praeterquam quam literulis scribundis dabis (illud enim promissum accipio, imo ultro stipulor) ad me vindicare. Si quid tamen supererit, Livii exemplaria, in quae incideris, te contemplari velim: & puto Lovanii Buslidianum codicem, ex quo multa egregia hausit *Lipsius*, etiamnum exstare. Ad tertiam decadem, quae est de bello Annibalico, ut quidquam sumas horarum, opus non est: neque enim possunt reperiri meliores Puteaneo, Petaviano, & Florentinis, quibus usi sumus. Sed primae & caeterae, in primis hae posteriores multum adhuc curae desiderant: itaque qui in illis juvare me possit, magnum operae pretium fecerit: neque enim, si vivam & permittet ὁ κρείττων, hac editione cum summo scriptore transigam. Amplissime *Gevartium* meo nomine officiose salutabis, & silentium ejus ad binas meas amanter accusabis. Praeterea gratissimum erit, si me in gratiam pones apud literatos viros, quibus ea loca ornantur plurimis, inprimis *Ericium Puteanum* ὁ πάνυ, cui etiam si mundum habes, aut nanciscì potes de Sestertiis exemplar, domare te velim, ita ut post reditum aliud a me reposcas: neque enim offensum iri spero optimum virum iis, in quibus modeste ab eo dissensi. Scripsi ad eum ante plures annos hortatu filii, quem in itinere Haga Delphos forte fortuna comitabar: easque literas, ut jusserat ille, Dordrechtum ad *Beverovicium* misi: redditae fuerint nec ne, ignoro: sed si tu monueris, non cunctabor repetere officium. Ejus Pecuniae Romanae rationem, & *Schotti* tabulas, nec non Epistolicas *Rycquii* (habeo ejus de Capitolio) mihi, si nanciscì potes, praestines velim. Item *Gasparis Sanctii* Minervam, cujus saepe meminit Pascasius Grosippus. Ipsiusque Pascasii Grammaticum opus Mediolini editum. Interim, ut promisisti, scribere saepius ne pigrere, & certus esto, nihil me moraturum, quin statim semper respondeam. Iterum precor, salvum te ducat ac reducat Deus, Nobilissime & eruditissime juvenum, meique memoriam & amorem serves, qui te maximis inductus meritis tuis demorior. Vale, vale, φίλτατον ἦτορ. Daventriae III. Non. Majas CIↃIↃCXLIV.

EPI-

EPISTOLA CVII.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

IPso hoc momento commodùm tuae mihi redduntur, Vir Clariſſime. Eorum, quae mandas, diligenter meminero. *Puteanum* & *Gevartium* tuo nomine ſalutabo. Ovidium tuum nunc hîc habes, pro cujus uſura, plus, quam credas, tibi debeo. Eum *Goeddaeo* veſtro tradere deſtinaram. Sed opportune me nunc admonet Elzevirius, mittenda ſibi nonnulla ad te eſſe. Iis non incommode addi poſſe hunc libellum putavi. Craſtino mane, cum bono Deo, diſceſſurus hinc ſum. Iter meum hactenus diploma hoſtile moratum eſt, quod Bruxellis tandem accepi. Ut jam nihil ſit, quod propoſito noſtro obſtet. Vale, Vir Clariſſime, & ſummae feſtinationi ignoſce. Memoriam noſtri conſtantem tibi commendo. Lugd. Bat. CIↃIↃCXLIV. XVII. Maji.

EPISTOLA CVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

POſt Leodienſem tractum perluſtratum & excuſſam Brabantiam, domum nunc, ecce, reverſus ſum. Valetudo mea loco longe meliori eſt, quam ab annis aliquot fuit; nondum tamen optimo. Quare proxima fortaſſis aeſtate ad Spadanos fontes recurram, interim de ſucceſſu mihi gratulor, qui longe expectationem meam ſuperavit. Fructum alioquin ex hoc itinere non valde magnum percepi. Nam ſtudia noſtra quod ſpectat, vix credas, quanta veterum librorum ubique in bibliothecis penuria ſit. Leodii & in agro Leodienſi latere multa non dubito, quantum ex uno alteroque ſpecimine colligere potui. Deſtitutus tamen amicis, cum eo veniſſem, qui aditum ad monaſteria mihi pararent, unam non niſi alteramque bibliothecam inſpexi. Si aliquando eo revertar, melius ab amicis mihi proſpiciam, & jam proſpexi. Aquiſgrani veterum librorum nihil prorſus erat, quod ipſe ſummo cum ſtupore animadverti, in urbe praeſertim tam antiqua, cum bibliothecas excuterem. In Brabantia menſes plus minus tres haeſi, Lovanii potiſſimum, idque propter aëris clementiam, & Antverpiae. Lovanii, praeter reliquias Muſaei *Torrentiani* Jeſuitis legatas, quibus ad ſatietatem uſus ſum, nihil etiam erat magno opere commendandum. Nam ad *Buſlidianam* bibliothecam propter Praeſidis

Digitized by Google

fidis abſentiam admiſus ſum, non niſi ſerius, & cum jam abiturirem. Claudiani exemplar inde habui, ſed temporis anguſtiis excluſus, totum conferre non potui, & erat etiam recentius. Statianae Thebaidos codicem vidi longe veterrimum. Alioquin ne ibi quidem quicquam alicujus rei. Nam plerique codices praefectorum negligentia amiſſi ſunt. Ante annos aliquot duo ibi Claudiani exemplaria ſervabantur, ut me monuit *Gevartius*, nunc unicum tantum, ut jam dixi, idque recentius. Livius an adhuc ſuperſit, non dixerim: eum certe non vidi. Viri ibi docti etiam pauciſſimi ſunt, inter quos principatum ducunt *Puteanus*, quem & tuo nomine ſalutavi, *Tuldenus*, *Plempius*, *Valerius*, *Vernulaeus*, a quibus ſumma comitate exceptus ſum. Inde Bruxellam me converti, unicus ibi, praeter *Nicolaum Burgundum* Regium conſiliarium, *Albertus Rubenius*, celeberrimi illius pictoris filius, Secretiori Concilio a Secretis, in literis humanioribus ad miraculum uſque ſubactus. Adornat ille commentarium de Lato clavo, & quaedam alia, rem veſtiariam ſpectantia. Hinc Mechliniam diſceſſi, ubi neminem etiam noſtrorum ſtudiorum inveni, praeter ſolum *Joh. Franciſcum Slingelandum*, propinquum meum, qui Romae toto ſexennio vixit, amicitia *Naudaei* & *Allatii* ſatis clarus, & monumentis eorum non ſemel inſertus. Vir ad omnem humanitatem factus, & verum Belgii noſtri delicium. Diebus ergo uno alteroque ibi conſumptis, & nimia viri comitate abactus, Antverpiam me recepi. Bibliothecam ibi a MStis utcumque inſtructam ſoli Jeſuitae habent, & *Balthaſar Moretus*, Typagraphorum hujus aevi facile anteſignanus. Is Codices Ovidii quoſdam mihi ſuppeditavit. Libros tamen Metamorphoſeos quatuor, Epiſtolarum & Triſtium duos conferre non potui, quod ipſa hyems domum me revocaret. In Claudiano aliquanto felicior fui, ad cujus editionem multis precibus me excitavit *Gevartius* noſter, ſummus autoris illius aeſtimator. Excutiam brevi, quae ad illum notata habeo, & videbo ſi lucem mereantur. Sed de his proxime. Antverpiae viri docti itidem pauciſſimi ſunt, atque inter illos, *Lud. Nonius*, *Hemelarius*, & *Gevartius*, qui ſalvere te juſſit. Multa ſunt, quae in ſinum tuum effundere geſtio, ſed filum hoc abrumpere cogor, cum ad multorum literas mihi reſpondendum ſit. Proxime plura. Vale, Princeps amicorum meorum, & quid moliaris, fac, quaeſo, ſciam. Lugd. Bat. Anno CIↃIↃCXLIV. VI. Non. Decemb.

Ex iis, quos emendos mihi injunxeras, libris, nullum praeter unicam *Sanctii* Minervam comparare potui, eam commodiori occaſione mittam. Lovanii Caeſarem cum antiquiſſimo libro contuli, vix tamen credas, quam pauca bonae notae inde deprompſerim. Ipſum exemplar, ſi fortaſſis ad Livium tuum conferre quicquam poſſit, tibi offero, ut & quaevis alia. Nam & ad Statium tuum quaedam habeo a *Livineo* collata, ad Achilleidem potiſſimum. Ante diſceſſum meum egiſſe me tecum memini de verſu illo Ovidino, *Semivir occubuit vi lerniferoque veneno*, & conjecturam meam tibi tum probavi, quam tamen ipſe nunc damno. *Eveno* pro *veneno* legendum recte vidi. *Centaurifero* non placet, praeſertim ex veſtigiis unius codicis, & quidem ubique interpolati.

lati. Libros pleroſque habere *in lethiferoque veneno*, jam ante, niſi fallor, monui. Et miror oſcitantiam meam, qui non viderim una litera minus legendum eſſe, *iletifero eveno*, ab iletis ſive ilicibus. Sic *populifer Sperchius*, *pomifer Tibris*, & infinita talia, quae paſſim apud Poëtas occurrunt. Iterum vale, & ſummae feſtinationi ignoſce.

EPISTOLA CIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime & eruditiſſime juvenum. Plurimis rebus gratae fuerunt mihi tam diu exſpectatae literae tuae: ſed omnium gratiſſimum ipſum principium de valetudine tua in melius provecta. Nihil perdidiſti, o carum caput, aut operae aut temporis, quando tantum hoc itinere effeciſti: ſupereſt integra aetas, & ad rem literariam gerendam tali ingenio, doctrinae, induſtriae multum patens. Illud unum periculum metuebamus, quo te defunctum eſſe hactenus, & tibi gratulor, & mihi gaudeo, & Deo grates ago. Non dubito, qui glorioſus non ſis, & honeſtiſſima avaritia conquirendi, quos veros cenſemus theſauros, nemini cedas, quin multis praeclaris inventis, pluribuſque, quam jactas, auctior ad lares patrios fueris reverſus. Eam copiam tibi laudi & honori, publice magno emolumento futuram & ſpero, & ut ſit opto. Quantum eſt autem, quod tot indicibus inſignium virtutum tuarum non approbaſti te ſolum, ſed, quod ſcio quidem, non ſuſpicor, admirationi fuiſti, & exſpectationem dignam inceptis tuis concitaſti? Quod ſuperſtite patre (& diu ſit!) vetuſtiſſimarum & candidiſſimarum ejus amicitiarum velut haereditatem creviſti? Quod magnae & communis patriae ſitum, genium, rempublicam multis partibus acuratius cognoviſti? Taceo alia, & nonnulla οἰκόθυκα tibi, nec mihi occurrentia, propter quae molliſſimam hanc, & propinquam peregrinationem ſuavem & utilem fuiſſe tibi exiſtimo: atque eam tam prudenter te feciſſe, tam jucundum & ſalvum abſolviſſe iterum iterumque laetor. De Minerva Sanctiana ἐναγγελία, quae quidem, quando quando mittes, gratiſſima erit mihi, nec pretium quin recipias, quidquam erit morae. Grata eſt & ſalutatio τῆς δέσποινα, quem de Claudiano tantopere auctorem tibi fuiſſe memoras. Dic tamen, quaeſo, clanculum: verumne eſt, quod neſcio unde cognovi, in ſermonibus de me alium illum, quam in literis ad me, eſſe. Depone fidis auribus: non te prodam, neque etiamſi verbis in me velitetur, cum poſthac laceſſam: taedet enim litium. Verumne eſt etiam, adhuc in Manilium aliquid eum cogitare? Tu mallem de Naſone priùs fidem liberares: ſed quia in illo paratior eſſe videris, γένοιτο, γένοιτο, perge, quo te genius ducit: nihil enim tentare potes, quod non ſit cum laude tua & fructu publico conjunctum. Habeo nonnulla non magnae rei ex cod. *Patri-*

cii.

in Caſp. Gevartii.

Digitized by Google

cii *Junii* excerpta: si illum non vidisti, & desideras meo libro uti, posce. Caesaris de bello Gallico cum optimis membranis in Andibus contuli: quare nequaquam sperno, quae offers, ut & Statiana, & quod commodo tuo fiat, illis utar. Livius me mirum in modum exercet: ad librum xxx. usque perfectas & poene in mundum relatas habeo Notas: spero bonae critices non ineptum exemplum futurum. Nescio quid morentur Elzevirii, & an contextum habeant jam necne: etenim si poscerent Notas, jam incipere possent. Erit libellus circiter viginti quinque foliorum. *Eveno* probo utique, de altero cogita, an latine dicatur *iletum*, pro *Ilicetum*: si autem *ilicifero* voles, an non syllabae modulus obstet. Quamquam de his forte jam praecogitatum tibi. Vale, anime mi, & bene age. Illustrem in primis Parentem & communes amicos per occasionem meo nomine officiosissime salutabis. Daventriae post diem tertium Idus Decemb. CIↃIↃCXLIV.

Plautus Cl. *Boxhornii* nostri ut procedit? Si tibi videtur, da ei cum salute plurima inclusam schedulam, quam non relegi. Vale.

EPISTOLA CX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

RAptim ac festinanter admodum nuper ad te scribebam. Quo nomine veniam peto. Quanquam quî aliter possem? mole literarum oppressus, quae ad amicos maximam partem Brabantos, scribendae erant quamplurimae. [1] Virum illum doctum Antverpiensem non bene de te loqui, quicunque tibi suggessit, functus profecto parum ingenue ac liberaliter officio suo est. Sed nimirum eo saeculo nunc vivitur, quo homines ignavi satis emolumenti atque fructus ex amicitia praestantium virorum se percepisse arbitrantur, si eos inter sese committant. Apud alios quomodo de te loquatur ac judicet, non scio: apud me certe locutus est, non nisi honorifice & bene. Virum doctissimum & plurimae lectionis non semel nominabat. Videbatur tamen nondum satis concoxisse Diatriben tuam Statianam, in qua minus amice, neque ex sententia sua nonnunquam exceptus esset. Ita Lovanii intellexi. Ipse non nisi obiter ejus rei apud me meminit. Hoc autem scire te velim, esse illum famae suae supra modum studiosum: gentis potius, in qua natus est, vitio, quam suo. Plerique enim illic τῆς φιλαυτίας morbo laborant. Ad quam cum ingenio suo proclives sint, convictu tamen Hispanorum ac quotidiano usu magis impelluntur. Quorum mores, licet exosis ac multum detestantibus, sensim obrepsere. Scripsit non ita nuper commentarium satis crassum Gallice [2] *Tristanus*

1 *Casp. Gevartium.*

2 In Commentariis Historicis tom. 1. pag. 113. refutat *Gevartii* sententiam, quam ille Papinia-

quidam, si nomen recte memini. Is amici nostri sententiam super quaestione de Manilii actateobiter perstringit. Hoc ille factum tam inique tulit, ut Vindiciarum librum integrum confecerit: ipsum etiam Manilium, de cujus editione curam omnem jam ante annos hos viginti abjecerat, in manus denuo resumpserit, atque adeo, si quid ipsi credimus, quamprimum editurus sit. Ostendit mihi veterrimum illum Gemblacensem codicem, & excerpta quaedam Gallicana. Si placatum omnino habere volueris, autor tibi sim, ut illi offeras, quae in Italia olim ex codice Veneto tibi notasti. Ea illi acceptissima fore sat scio. Et promisi eo nomine me acturum tecum. Neque est, quod jacturam laboris tui magnopere metuas. Est enim cunctator summus. Sic ut editionem illam (quod inter nos dictum sit) [1] nunquam prodituram existimem. Meditatur etiam integrum in Antoninum de Vita sua commentarium, quo absoluto, Maniliana demum pertexet. Fuit mihi subinde controversia cum illo de locis Claudiani nonnullis, quem autorem parum abest, quin totum memoriae mandarit. In quibusdam tamen inter nos convenit. Ut illo loco Libro II. de laudibus Stiliconis, vers. 450. *Eximia regione domus. Contingere terris Difficiles, stabant rutili, grex aureus, anni.* Domum demum reversus vidi totidem apicibus in codice meo jam ante biennium emendatum. Quod tamen non memineram, cum apud illum essem. Suggerebam tamen emendationem alteram in eodem Panegyrico vers. 408. ubi, cum ineptissime vulgo legatur, *jam Fama loquacibus alis Pervolat Oceanum, linguis* &c. Scribendum asserebam, *Fama loquacibus ales Pervolat Oceanum linguis.* Id ille probabat. De uno tamen, inter caeteros, loco diu multumque disceptavimus. Is est libro in Rufinum primo, non longe ab initio vers. 151. qui ita se habet, *funestarumque potestas Herbarum: quicquid lethali germine pollens Caucasus & Scythicae vernant in gramine rupes.* Sic vulgo legitur. At priori versu in omnibus MStis *lethali gramine* scriptum est. Pro quo viri docti, cum viderent inoportunam esse repetitionem illam vocis *gramine*, *germine* reposuerunt. Hoc ille laudabat. Ego, cum *germinis* mentionem in rebus magicis non meminissem ab ullo poëtarum fieri, alia medicina locum indigere contendebam, scribique posteriori versu non incommode posse, *Scythicae vernant in carmina rupes.* Hoc est, in usum

piniarum Lect. lib. III. cap. 8. prodiderat. Cujus sententiam & amplexus erat *Vossius* lib. II. de Art. Gram. 26. & III. de Anal. 20. nec alienus ab hac opinione videtur Il. *Spanhemius* dissert. XIII. de Praest. & Usu Num. cap. III. §. 3. sed refutavit hanc opinionem *Albertus Rubenius*, dissertatione de Vita Fl. Mallii Theodori, cura Cl. *Graevii* edita 1694. vid. & *Daumii* Epist. ad *Bosium* XV. qui ejus sententiam exquirit.

[1] Verus fuit Vates Heinsius. *Boxhornius* in Epistolis ad Gronov. pag. 213. scribit, *Gevartium* meditari uberrimos in Manilium commentarios: immo ipse *Gevartius* in Epistola ad *Meursium* Parisiis data A. 1628. quae prodiit in Fasciculo III. Collectionis novae librorum rariorum Halis 1708. pag. 574. scribit. *Excuditur & Manilius cum notulis meis, quibus omnibus postquam erunt adjecta, te participabimus.* in qua epistola forte nota temporis est corrupta, & scribenda 1618. nam eo anno Parisiis erat, & *Electa*, quae etiam sub praelo esse dicit, prodierunt Anno seq. 1619. & Anno 1621. Duaci juris doctor creatus fuit. quare distuliisse videtur, sed resumsisse consilium post Tristani commentaries, quorum primum, credo, volumen prodiit 1635.

Digitized by Google

usum carminum, in usum magicum. Scis quam frequentes noster & tuus Statius sint in hoc loquendi genere. Sic libro III. de Raptu Proserpinae, *& totae fremerent in pocula ripae*. Hoc est, vino fremerent seu spumarent. Possem infinites alios locos proferre, & tum nonnullos protuli. Negabat tamen ille pertinaciter hanc conjecturam meam Latinam esse, aut posse ferri: Quamvis autem rationes ejus meo judicio essent valde frigidae ac jejunae, ne tamen nimium mea viderer aestimare, alio sermonem converti. Certe priori versu in antiquissimo libro, quo Isingrinus typographus Basileensis usus est, *carmine* legitur, cum posteriori versu legi debuerit, quod operarum peccatum esse arbitror. Pro *carmine* autem *carmina* reponi quam proclive! Conjecturam hanc (neque veram eam praesto) an tam ridiculam judices, quam amicus noster volebat, fac', quaeso, sciam. Si damnas, confodiam illam ac jugulabo. Sed jam nimis multa, & praeter morem meum, de viro illo praestantissimo, quem inter praecipua saeculi nostri ingenia certe non immerito reponas. Quia tamen id flagitabas, mos gerendus tibi fuit, cui quod negare nihil potui, cum diis immortalibus commune mihi esse gaudeo. Habes hic ingenue de illo quid sentiam, quod inter nos perituram spero. Ad Claudiani editionem multis me hortabatur, quem post reditum ex Brabantia meum hactenus vix inspexi, quod alia agenda habuerim. Excutiam brevi, quae ad illum notata habeo, & in ordinem redacta arbitrii tui faciam. In Anglia jam olim Juniano Codice usus sum, qui & Cambdeni fuerat, ac duobus Oxonienſibus. Lovanii exemplar a Patribus Societatis Jesu habui, duo itidem Antverpiae a Moreto. Sed nihil haec subsidia ad Aldinam editionem, quam penes me habeo, a *Lilio Gyraldo* cum libro veterrimo (sic ipse vocat) & Vaticano, itidem antiquissimo, a *Johanne Livineio* collatam. Eorum codicum bonitatem speciminibus aliquot proxime, ut spero, tibi probabo. Vidi aliquando excerpta quaedam *Andreae Schotti* apud te. Eorum usum nescio an ausim mihi polliceri. Sed monebo te in tempore. *Pulmannum* aliquo loco hactenus habui inter viros de republica literaria bene meritos, idque propter solam diligentiam, cujus summam apud me opinionem sibi comparaverat. Nunc vero ajo & affirmo, nihil illo homine sordidius aut negligentius cogitari posse. Altero eorum codicum, quos a Moreto habui, jam olim ille usus est, quem Plantinianum vocat. Sed mirum quam in optimo libro nihil viderit. Mirareris mecum, sat scio, hominis oscitantiam, si emendationes nunc vacaret proferre, quas ille praeteriit satis multas. De Livio tuo cum Elzeviriis egi. Textus jam absolutus est, &, quantum audio, publice distrahitur. Notas seorsim edituri sunt: eas, ut quam primum mittas, autor tibi sum. Metuo enim ne illarum editionem, si diutius cunctere, negligant. Suasisse me olim tibi memini, ne tomum ultimum a te emendatum illis mitteres, nisi notis ad priores tomos praelo jam commissis. Hoc consilium meum si secutus esses, nihil tibi jam metuendum foret. Sed nimirum in magnam nimis molem excrevissent volumina, si notae accessissent. Id, credo, te deterruit. Tu, si quid porro hac in re a me curatum volueris, audacter impera. Sanctium & Caesarem hic vides. Alterum dono tibi

Digitized by Google

habe, alterum, ubi usus fueris, remitte. Statiana habebis, ubi descripsero. Quamquam nihil in iis esse putem te dignum. Ad Achilleidem & IV. priores Thebaidos libros excerpta sunt, quibus haec subscripta a *Livineio* vidi, unde quid thesauri in iis lateat judicare facile possis: *Hactenus Langiani, & haec ipsa admodum jejuna, quae ex iis afferuntur.* Buslidiano codice valde illo antiquo quod non usus sim, nunc molestum mihi est, qui Thebaidem & Achilleidem simul continebat. Si aestate proxima Lovanium recurram, faxo voti compotes uterque simus. Dicebatur illo jam usus *Vlitius* noster, itaque actum a me agi credidi. Ille vero nunc affirmat, obiter tantum librum illum sibi inspectum. *Bernartius* jam olim quoque viderat, sed negligenter admodum, ut ex Cl. *Gevartio* intellexi. Langiana illa, si codex meus esset, una nunc misissem, qui intra dies paucos reddendus est cum aliis, quos Antverpia mecum advexi. Ipsa interim excerpta praesto tibi semper apud me erunt. De conjectura mea ad Ovidium quod tam candide me monuisti, ingenuitatem tuam exosculatus sum. Ut a *frutice fruticetum* & *frutetum*, ita & ab *ilice ilicetum* & *iletum* derivari credidi. Fateor tamen exemplum in promptu nullum mihi esse, & oscitantiae hujus meae ex animo me pudet. Ad Plautum quae notasti, *Boxhornio* dedi. Tardius in illo pergunt operae, quam vellem. Sex priores Comoediae demum absolutae sunt. Salmasianus de militia Romana commentarius praelo jam commissus est. Soror mea, si & hoc scire desideres, tertium nepotem ante quatriduum mihi peperit. Vale, meum decus, & affectum tuum constanter mihi serva. Amstelodami. Anno CIↃIↃCXLV. IV. Eid. Januar.

Inter ea, quae Cl. Juvenis *Isaacus Vossius* advexit secum praeclara antiquitatis monumenta, ad Martialem illustrandum plurima faciunt. Poterit autorem illum locis infinitis emendatiorem dare. Recte & pro officio tuo feceris, si adhorteris illum, ut de editione scriptoris optimi votis nostris respondeat. Multa mihi dixit de Critico quodam in Germania nuper edito, & valde tibi probato, *Boxhornius* noster. Quis ille sit, fac, quaeso, sciam. Iterum Vale.

EPISTOLA CXI.

J. FR. GRONOVIUS.

Nic. Heinsio.

Leidae.

NObilissime & summe juvenis. Et gavisus sum felici congressu amplexuque nostro post tantum intervallum, & festinato discidio nostro gravissime dolui. Sed non fieri aliter patiebantur me utramque ad aurem morientes, reposcentes, flagitantes Daventrienses nostri. Itaque cogitatione ista fraudare animum satius duxi, & solari me potius illo tamen jucundissimo praesentiae tuae fructu, quamvis brevissimum tempus durante, quod nempe longum pudori meo

meo ingens humanitas vestra faciebat. Quare repeto gratias, qui merito finis semper cum benefacientibus, & majores quidem mente & ago & debeo, quam verbis exprimere valeo. Reditus domum mihi fuit satis commodus, sed inveni cumulum negotiolorum, eoque primum tabellarium sine meis discedere pati coactus sum. Nunc scire cupio, bonane an sua fide coeperint sub abitum meum Notis in *Livium* operas dare Elzeviri, & quid tibi videatur de successu operis. Ego labori non parco, ut sufficiam illis, etiam gnaviter pergentibus. In schedula inclusa vides notata quaedam, quae adjecta cuperem. Sed quod maxime placebat, quum vobiscum eram; *quod longius recessisset*: de eo nunc secus sentio. Judica ipse & inspice locum, qui est lib. 22. c. 43. pag. 135. prioris Elzevirianae: *Simul ut quo longius ab hoste recessisset, transfugia impeditiora levioribus ingeniis essent.* Notavi ego quoque in tribus Gall. MSS. esse: *simul quod longius.* Sed video me id olim spreviisse, & nunc quoque sine damno sententiae vulgatum mutari non posse videtur. Caeterum ne solus querare de tardo amico nostro in praestandis promissis, Polybium, quem Leidae emeram, ut scis, jam sextum diem domi meae habeo. *Sanctii* Minervam cum excerptis Caesareis vidi nondum. Ipse dudum se nautis dedisse ajebat, quibus, credo, cantandum est illud Martialis, *Cessatis pueri nihilque nostis Vaterno Ratinaque pigriores*, si tamen ita scripsit. Nimis gestio cognoscere de operis typographicis Elzevirianis. Vale, decus meum, & communes amicos saluta, in primis Amplifs. adfinem tuum, cui quaesitissimis coloribus me excuses, rogo, quod non coram ei gratulatus sim ore, quum animo millies facerem. Iterum vale, Daventriae a. d. III. Idus Februar. CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA CXII.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VIr Clarissime. Nimium nuper properabas, cum apud nos esses: nunc & ego propero. Causa, cur te compellem, haec est. Assiduae sunt in Notis ad Livium tuis operae Elzevirianae. Folia pene quatuor jam absolvere. Si sic pergunt, intra duos menses orbis eruditus habebit quod legat & miretur. Ex paginis illis manu tua scriptis, quas mihi reliqueras, vix restat, quod in dies septem aut octo proximos operis sufficiat. Quare te oro ac obtestor, ut absque cunctatione ulla reliqua mittas, quae in promptu habes. Promisi enim Elzeviriis, fidemque meam obstrinxi, in te moram nullam fore. Si fefellero, vix est, ut imposterum quicquam mihi crediturі sint. Neque tua minus interest, quam mea, editionem maturari. Nam si te necdum paratum intelligant, jam satis causae invenerint, cur a proelo librum revocent, & labores tuos frustrentur. Haec ingenue, &, ut amicum amico par est, tibi scribo. Sed

&

& hoc peto, quod monere nuper oblitus ſum, ut libri, praeſertim ſi quos ex publica Bibliotheca habes, ad me redeant in finem Aprilis proximi, quando pedem hinc moturus ſum. Volo autem res meas plane compoſitas eſſe, antequam diſceſſero. Quanquam mea me non ſic tangant, quam quidem ea, quae aut ipſe ex Academia habeo, aut amicis credidi, quae ut publica eſſe ſcis, ita nec in mea poteſtate ſunt. Vetus Editio Liviana, Hotomannus ac Schottus de Re Numaria, & Oct. Ferrarius nunc mihi ſuccurrunt. Nam liber, in quo haec talia notare ſoleo, nunc ad manum non eſt. Tua quoque tibi, quamprimum fieri poterit, reſtituam. Vale, Vir & Amice ſumme, & haec boni conſule. VIII. Kal. Martii. Anno CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA CXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime & magne juvenis. Heri ad te dedi unas, quibus adjunxi decem philyras Notarum Livianarum. Spero te jam accepiſſe eas, ſed ſubvereor, ne etiam tardius, quam deſideraſti: non tamen ceſſaſſe multum operas puto, aut ſi aliquantulum ceſſarint, difficulter ad opus revocatum iri. Non ego in mora fui, ſed hibernum & tabellarius. Nunc non tam argumentum mihi crevit ad te ſcribendi, quamquamid nunquam deeſſe amanti poteſt, quum officium praeſto ei, qui has tradidit tibi, nobili & magnae ſpei juveni, *Laurentio Langermanno*. Is proximum annum domi meae tranſegit, & in ſtudiis ſuis conſilio meo uſus eſt. Revocatus a parente, avunculo meo, conſpectiſſimae dignitatis viro, adire prius aliquot Hollandiae urbes celebriores conſtituit, & illuſtres ſtudiis viros, quorum nomina a me accepit, ſalutare. Itaque quum ignotum non ſit ei, qua reverentia Parentem tuum, Principem in omni eruditionis genere virum, ego ſummis etiam beneficiis devinctus colam, qua pietate tecum ſim conjunctus, quoque favore creſcentem merito famam tuam proſequar, voluit meas apud te preces interponi, ut & ipſe familiariter eum admittas, & conſpectum Parentis tui breveque alloquium ei compares. Haec ſummo honori, ut revera erunt, ſibi futura putat, & ego pro inſigni teſtimonio veſtrae erga me benelvolentiae interpretabor. Vale, Decus meum, cum veſtris, & me ama. te. Daventriae VII. Id. Mart. CIↃIↃCXLV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime Eruditiſſime & amiciſſime juvenum. Ego vero non modo boni conſulo, ſed & gaudeo, beneficiumque me accipere fateor, quod opuſculi noſtri tam ſtrenuum te praeſtas exactorem. Dabo operam, ut nec operarum diligentia, nec tua fides a me deſtituatur. Si ſtatim, ut tuas accepi, habuiſſem, cui traderem, quae nunc mitto, jam illac penes vos eſſent. Hic primus abit, ex quo tuae mihi ſunt redditae, & quidem diem unum ſolito ſerius, dum refugit ſumtuoſum terreſtre iter, & exſpectat, donec mare bona fide ſit regelatum. Prorſus nunc, quum diei magnam partem τὰ ἐγκύκλια eripiant mihi, lucubrationes meas nulla alia in re occupo, interdum, ut Horatianus ille venator, tenerae conjugis immemor. Si non id operae pretium fecero, quod tu nimis amice exſpectas, erit tamen, cur homines elegantes eam non ſumſiſſe me nolint. Puto te accepiſſe, quas pridem ad te dedi. Sanctius una cum Caeſare tandem mihi traditus eſt: videbo, detne occaſionem mihi tui iterum in nugis noſtris appellandi. Livium bibliothecae vellem jam haberes: neque enim indigeo amplius, qui tres veteres editiones, hujus Andreanae, ſive Mediolanenſis traduces, nactus ſum, & ubi praecipue eo utebar in tertia parte Livii, id dudum contuli. Speculabor commodam occaſionem, qua mittatur: ſi deerit, meo ſumtu faxo ad vos redeat. Vale, anime mi, & me ama, veſtroſque omnes & Cl. Boxhornium ſaluta. Daventriae Prid. Idus Martias ſtylo veſtrate CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA CXV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

DUrum, ſed levius fit patientia. Cujus tamen culpa mihi imputari nequit: nam qui a receptis tuis primus diſceſſit hinc tabellarius, ei faſciculum dederam. Caeterum non ob aliam cauſſam tam parvula interpoſita mora me offendit, quam quod optarem te in toto opuſculo hanc mihi operam praeſtare poſſe, quam in primis praeſtitiſti foliis, & praeſtiturum te, dum aderis, offers. Quod quidem pro magno beneficio aeſtimo. Parte iſta abſoluta non ceſſabunt: nam jam aliam aeque magnam redactam in purum habeo, quam

proxima hebdomade mittam, & mitterem nunc, si relegissem. In foliis tomi tertii, quae ad me miserunt per te ultimum Elzevirii, nescio qua incuria collector omisit G g. id igitur quoque petes. Quae in scheda inclusa notata sunt, quatenus res integra est, suis locis inseres. Ubi cave, ne omittas subductis lineis monstrare alio charactere auctorum verba esse imprimenda: in quo quia semel iterumque nescio quomodo ego negligentior fui, admissus est error, cum alibi, tum insignis pag. 43. ad cap. 30. ubi verba Gellii sunt communi charactere scripta. Monebis etiam Elzevirios, ut particulas mutatae praefationis exemplaribus omnibus inserant, in primis illis, quae in Galliam vel misere vel sunt missuri. Consobrinus meus tuam erga se humanitatem patriisque maximi in suis ad me magnifice praedicavit, & gratias vobis apud me egit. Id quod fuit gratissimum mihi, & eo nomine tibi quoque debeo. De Silio gratulor tibi. Quam multa sunt, in quibus haereo! eorum forte non pauca tu jam investigasti. Utinamque de his agendi otium esset nunc. Sed testor fidem, non est. Tu vale, meum decus, & me ama. In secundo, quod proxime mittam, folio, invenies iterum mentionem tui dignam amicitia nostra, ortam ex colloquio, quod habuimus, cum istic essem. Iterum vale, & salve cum vestris. Daventriae a. d. XVI. Kal. April. nostrate stilo CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA CXVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

QUod eventurum metuebam, Clarissime Gronovi, cum nuper ad te scriberem, id evenit. Cum videret is, qui curam typographiae Elzevirianae habet, non multum restare ex paginis illis notarum tuarum, quas hîc reliqueras, neque quicquam praeterea a te mitti, operis mandavit, ut alio labores suos dirigerent. Id multum me reluctante factum. Nihilominus, si in opere tuo assiduam, ut tum volebam, navassent operam, haud dubie ipsis cessandum fuisset. Serius enim altera notarum tuarum pars ad me perlata. Habent nunc sub manu comoediam Gallicam *Cornelii*, quam *Mendacis* titulo insignivit. Ea absoluta, quod intra diem alterumque fiet, ad curas tuas Livianas revertentur. Folia quinque jam excusa sunt, quae hîc mitto cum caeteris, quae in Livio ipso adhuc a te desiderabantur. Jacturam viginti, aut plurium etiam, dierum fecimus. Non desinam, quantum in me, hortari operas & impellere, ut ante discessum meum, si non totum librum, potissimam saltem ejus partem confectam habeamus. Folia, quotquot hactenus excusa, relegi omnia, idem porro & in caeteris facturus. Non sum is, qui magnam mihi in arte ea, quam correctoriam vocant typographi, peritiam vindicare possim; id tamen affirmare jure mihi videor, plus quam centum errores ex paucis illis pagellis

pagellis a me sublatos. Dies jam aliquot totus fui in excutiendo Silio Colonensi. Non putassem *Modium* & *Carrichem* tam lautum spicilegium nobis reliquisse. Sed de his fortassis alias. Vale, meum & literati orbis magnum decus. Rapetim. Lugd. Batav. CIↃIↃCXLV. XIII. Kal. April. Dum expecto ab Elzevirius folia operis tui tibi mittenda, ecce supervenit egregius juvenis Consobrinus tuus, qui literas a te mihi tradidit. Exhibui illi ea, quae petebat. Iterum vale.

EPISTOLA CXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & Doctissime juvenum. En tibi, ut constet mea fides, alia pars texti Notarum Livianarum. Simul aliquot folia iterum impressa fuerint, ut justum fasciculum faciant, rogo ut mittere ne graveris. Illud quoque curare te velim, si potest fieri, ne pereant autographa mea, sed colligantur, certe quae supersunt, postquam illis satis usae sint operae. Multa inter describendum adjeci, multa mutavi, secusque reddidi, quam exstant iis in adversariis, quae apud me servo: sic ut complura menda non possim, nisi illis revisis, corrigere. A *Fabricio* tandem literas accepi, quae me poene in coelo locaverunt. Certe non sine lacrimis eas legi: adeo exsultabat animus ad conspectam tantam hominis optime, si quisquam mortalium, meriti fortunam. Estis Iö superi: nec ubique pretium virtuti periit. Ipsas ad te mitto, ut mecum gauderes, & admirabilem Dei providentiam venerareris: tum ut cognosceres haud quaquam illum tui oblitum esse. Eae fac, quaeso, ne sine tuis ad illum ad me revertantur: nam ego responsum eousque differam, & hanc usuram illius moræ exspectabo. Vide etiam satisne ex sententia sint tua, quae scripsi ad lib. 27. cap. 47. Vale, meum decus &, ut facis, me ama. Daventriae a. d. v. Kal. April. Julian. CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA. CXVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriae.

CLarissime ac Amicissime Gronovi. Tardius in opere tuo pergant, quam velim, pergunt tamen, Elzevirii. Impetrare ab operis hactenus non potui, ut septimanis singulis duo folia absolverent, quod illis pensi injunxeram. Nisi fortunam, expectandum non est, ut totius operis curae vacare possim.

Optimam enim aestatis partem elapsuram video. Adde, quod aquae Spadanae per totum annum, non nisi mensibus duobus, aut ad summum tribus commode bibuntur. Agam hodie cum Elzeviriis denuo, &, si fieri potest, ad editionem maturandam impellam. De erroribus nonnullis commissis in foliis notarum jam excusis quod scribis, nolim sane factum. Et, nisi fallor, inter excudendum notaveram Gellii locum aliis literis exprimendum esse. Sed operas, tam hîc, quam alibi, non satis morigeras expertus sum, quo nomine cum ipsis controversia mihi jam fuit. Sed & prima illa folia, quod non relegisses, subinde mendosius descripta offendi, sic ut tribus quatuorve locis, vocem unam alteramque de conjectura addiderim. Lineis etiam subducere nonnulla neglexeras, atque inter illa Gellianum locum. Mea quoque culpa errores quosdam commissos non nego. Solebant vespertino ut plurimum tempore folia relegenda ad me destinare operae. Scis autem quam non tuto lucernae talia committantur. Ipse quoque animum alio nonnunquam diviseram, ab amicorum, ut fit, aut puellarum colloquiis adhuc recens. Hoc ne imposterum fiat, matutinas horas operi tuo corrigendo impendam. Quicquid fiet, me absente, soli typographiae Elzevirianae correctori operis tui curam non commiserim, cujus negligentiâ parum abfuit, quin notas ad integrum Livii caput tuas nuper omisissent operae. Deprehensae enim a me, & hoc nomine castigatae in bonum correctorem culpam rejecerunt. Unice sane vellem ad finem usque operis laborem hunc meum tibi probari, tum quod famae tuae, si quis alius, studeo in primis; tum quod meis quoque profectibus fructus inde sperandus haud exiguus. Ex animo dico: summam eruditionem tuam, summumque judicium admirari satis non possum. Sed de te virtutibusque tuis apud alios commodior dicendi locus est. Cum nuper inciderem in illum Ovidii locum a te restitutum, II. ex Pont. IV. 20. *junctis curva theatra locis*, valde mihi gratulatus sum, cui eodem modo jam olim restitutus esset. Quanquam in eo neque tuae neque meae laudis summa vertitur, praesertim cum libros scriptos duces sequamur. In explicatione loci plus difficultatis esse, quae enim illa *juncta loca?* Ut, quod sensi hactenus, ac etiamnum sentio, dicam: loca ea intelligi puto, quae duos simul capiebant, quaeque *lineas* alibi noster vocat. Nosti illa, *Est bene, quae cogat, si nolis, linea jungi.* Haec pluribus ad ipsum Ovidium adstruemus. Tu quid sentias scire velim. Claudianum e manibus in tempus aliquod depositi, Spadae fortassis illum absoluturus. Expecto enim Bruxellis collationes quasdam ex libris Vaticanis *Philippi Rubenii.* Exhibuit interim tum alias, tum hodie negotium in IV. Cons. Honorii locus, quem a te excuti velim. Vers. 500. *Munificus laudis, sed non & prodigus auri.* Latet ironia, eaque satis aperta, in hoc versu. Si enim ita scripserit Claudianus, haud dubie tangat Stiliconis avaritiam, quod non feciſſe eum, tot Panegyrici satis evincunt, quos Stiliconis virtutibus decantandis consecravit. Recurrendum igitur ad veteres libros fuit, si quid forte juvarent. Primum quidem ad manus Isingrinianus, *Barthio* perperam ubique sugillatus, in quo scribitur, *Munificus largis*, idque expressit Raphelengius. Sed ne sic quidem aliquid acumi-

nis.

nis hîc video. Suboluit tamen statim legendum, *Munificus largi*, una litera minus, ut ad τὸ *auri* referatur. Atque ita legi in melioris notae Oxonienſi mox didici, nec aliter etiam in ora codicis ſui ex Iſingrinianae lectionis veſtigiis emendaſſe magnum *Scaligerum*, cujus manus operas Raphelengianas haud dubie fugerit. Sententiam tuam brevi expecto. Ex ſchedis illis Colonienſibus multa adhuc in Silio emendari poſſe verum eſt. Cujus rei fidem unico tantum ſpecimine nunc faciam, pluribus enim ſi agam, metuo ne largiter in occupationes tuas, quae latere me non poſſunt, peccem. Locus eſt apud illum lib. v. verſ. 395. *Ceu pater Oceanus, cum ſaevior aethere Calpen Herculeam ferit, atque exeſi in viſcera montis Contortum pelagus latrantibus ingerit undis.* Ita haec ex parte legenda. Sed *ſaeviorem aethere Oceanum* cur vocat? certe *aequore* legendum olim videbatur. *Aequore Calpen ferit Oceanus.* Nunc ut in alia omnia eam faciunt veterum librorum lectiones. Oxonienſis quidem, *cum ſaeve cetre.* Colonienſis, *cum ſaeva cethye.* Quantilli negotii Modio aut Carrioni erat ſcribere, *Ceu pater Oceanus cum ſaeva Tethye Calpen Herculeam ferit?* Neuter tamen vidit. Tethys & Oceanus infinitis, ut noſti, locis apud poëtas junguntur. Sed jam te obtundo. Folia operis tui reliqua hîc habes. Vale, decus eruditi orbis & meum. Raptim. Lugd. Bat. CIↃIↃCXLV. IV. Non. April. Haec ſcripſeram, cum tuae & Fabricianae ſimul mihi redduntur. Mirum, quo gaudio amici noſtri fortuna me perfuderit, etſi jam ante tale aliquid, partim ex te, partim ex *Lundii* literis intellexiſſem, qui Amſtelodami nunc agit. Res miraculo ſimilis mihi viſa hoc tam ingrato ſaeculo aliquod virtutibus pretium eſſe. Scribam illi, & dignitatem iſtam gratulabor proxime. Nunc enim feſtinare me vides. In foliis poſtremo tranſmiſſis, quod mei denuo meminiſſe dignatus es, quid ni honorificum mihi ducam? Satis tamen viſum in opere tam erudito nomen meum, nec ſemel, legi: ad laudes meas, quae faciebant, cum venia tua expunxi. Tertius, niſi fallor, locus reſtabat emendandus apud Val. Flaccum, qui tamen nunc non ſuccurrit. Certe Carrion paſſim notat etiam in veterrimo illo ſuo codice pro *Aea*, *Aeta* legi, & *Aeeta* Medea pro *Aeaea*. Illuſtriſſimum *Grotium* Legati munere defunctum, ac in Sueciam revocatum numquid audiſti? *Raphelengius* noſter ex vivis nuper abiit. Iterum vale.

EPISTOLA. CXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Lugd.

EGo vero, o princeps amicorum meorum, omnia ago, ut feſtinem, ſed omnia agentem feſtinantemque identidem aliquid inhibet, & in cauſſa eſt, ut morari vobis videar. Quid autem? Adeon inſcitum aut ingratum me putas, ut beneficium tuum non aeſtimare poſſim? ut neſciam eam mihi te operam

 ſumere,

sumere, quam hodie neminem novi mortalium, a quo exspectare possim? Hanc ipsam cogitationem num dubitas satis acri mihi incitamento esse, ut ad umbilicum pervenire me studeam, antequam te cura valetudinis mihi eripiat? Certe stultissimus atque inscitissimus hominum essem, si tali occasione lentus dormirem. Ego vero a longo tempore condidi plane me in museo, nec video quemquam, nec alloquor, nisi coactus functione muneris mei: quae tamen nimis saepe me interpellat. Scis autem nulla in re me posse leviter defungi, sed adhibere vel minutissimis eam curam, quam decet habere hominem sollicitum, ut famam scripti sui a tui judicii praerogativa auspicetur. Quare ut ego castigationem tuam, quae tantum amorem non modo praefert, sed & complectitur, libenter fero, ita te rogo miserearis mei: & tarditatem non cessationi (profecto enim cesso nunquam) sed & sollicitudini & aliis occupationibus imputes. Nudius tertius scholasticum magistratum ejuravi: ejus rei caussa verba facere in praesentia magistratus nostri necesse fuit: eo momento quae dicuntur, plusculis diebus ante constituerunt. Quod si haberem, qui vel in describendo me juvaret, minus vobis esset exspectandum: nunc omnia incumbunt uni. Non audeo te rogare, ut tantum rem, in qua valetudo tua vertitur, diutius, quam par est, differas. Itaque ego quidem, quod potero, faciam: caeterum tu rationem inibis, quid res tuae ferant, nec mea caussa corpusculo tuo injuriam facies. Malo ego quodcumque periculum subire, quam morae esse tuae saluti. Sic quoque beneficium tuum est ingens, & nunquam animo meo excidet. Ergo ipse prospice, quid ferre possis: ego quidem, ut quidque paratum erit, submittere pergam, & ideo etsi minorem solito particulam nunc in mundo haberem, differre te nolui: nec proximus post tuas nuntius discedet sine meis. Sed tu constitue semel, & indica quem longissimum tibi diem ad iter ordiendum putes restare: si intra eum absolvere potero, scies; sin, vel citius tibi potius, quam mihi indulgere te velim. Claudiani & Silii loca verissime abs te emendata censeo. De *linea* fateor me nihil adhuc satis explicati habere: nec licet nunc inquirere: abs te discam. Unum in tuis ingratum fuit mihi, quod justissimos meos erga te affectus modesto admodum encomio exprimere me prohibuisti. Tu quidem macte animo magno esto: sed mihi injuria facta est, quam alia occasione, quum tuae potestatis res non erit, vindicabo. Ferratium remitto, & gratias ago maximas. Cuperem te judicem esse eorum, quae adnotavi, dum illum lego: sed schedae meae adeo sunt negligenter conscriptae, interpolatae, inculcatae, ut antequam aliam manum adhibeam, ostendere eas non audeam. Spondeo ingens & pigerrimum otium mihi post Livium absolutum: neque enim ita brevi inducar, ut aliquid edam: lente tantum & fastidiose in futurum parabo. Haec ita, si placebit τῷ κρείττονι. Vale, nobilissime juvenum & animo meo carissime, quem infinitis pignoribus tibi devinctum habes. Daventriae Kalen. Maji Julianis CIↃIↃCXLV. raptissime & prolixius, quam cogitaram, cum calamum arriperem. Iterum vale, & amicos communes salvta.

EPI-

EPISTOLA CXX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriae.

IN postremis tuis sancte promittebas, quod & ante jam aliquoties promiseras, operis Elzevirianis nullam per te moram fore. Eam adeo rem tibi credidi, imo & Elzeviriis, ut mecum crederent, longa oratione persuasi. Cras absolutum erit, quicquid hactenus misisti notarum tuarum, quod nec dum absolutum sit, mihi, non operis imputandum. Per dies enim jam nonnullos variis cunctationibus rem, quantum potui, protraxi, dum reliqua a te expecto. Verum quidem est in postremis meis me conquestum esse de operarum tarditate. Sed paulo post ab Elzeviriis obtinui, ut unius loco duo postmodum in opere tuo exercerentur; sic ut tria singulis septimanis folia mihi exhibenda promitterent. Ejus rei te certiorem per cognatum feci, a quo etiam petii, ut indicaret tibi, reliqua quamprimum mittenda. Id feceritne nec ne non scio, mihi certe officii mei nutio constat. Spadam jam profectus essem, absque opere tuo fuissem; quod ut absolutum viderem, in initium mensis proximi iter meum rejeci. Cras Dordracum abeo; idque nulla alia ratione, quam ne jurgiis Elzeviriorum me exponam, quos aegerrime hanc rem laturos satis praevideo. Vale, Vir Clarissime, & hanc liberam objurgationem boni consule. Tuam enim rem, non meam agi scis. IV. Eid. Majas Anno CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA CXXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

EN tibi promissam nuper aliam particulam. Si habes Cornelii Nepotis Argentinensem editionem Boecleri, velim inspicias loco citato ad lib. 34. cap. 19. quod ibi monuimus: de glossemate, an quis observarit. Si aut ille aut alius praecepit, aut si in editione ejus legitur, ut voluit, delebis illa: Nam quod vulgo additur, *esset*, glossema est: & sufficit allegari textum emendatiorem. Editio, qua ego utor, optima est, neque aliam nanciscor possum. Velim etiam consideres Ovidii locum ad lib. 35. cap. 11. propositum. De conjectura ita respondi nuper amico consulenti. Si quid verius habes, sive ex ingenio, sive ex scriptis, rogo nostrum deleas. Ita omnino volo. In Cornelii Datame non longe a principio habetur in libello meo: *Is regis dicto audiens non erat.*

erat. Certum habeo legendum esse, *regi*, quod vide an quis anticipaverit: si non, in addendis ad similem locum Livii monebo. In Indice Boecleri etiam quaeres observaveritne, *pedestres* copias, ut Graecis πεζοὺς & πεζικὰς, pro terrestribus, opponi classiariis. Est enim ubi id apud Livium restituimus, & mox cognosces, & video aliquoties Cornelium Nepotem ita locutum. Scire cupio, an ille hoc ibidem annotaverit, & num aliis quibusdem auctorum locis utatur. Scripsi festinanter, & jamjam celebraturus affinis nuptias. Daventriae. Prid. Majas Julian. CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA. CXXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

ITa fit, amicissime Heinsi, quo magis properes, eo citius obveniat, quod moretur. Ut ego proximam hebdomadem caussis plane nugatoriis, quas repetisse non attinet, invitissimus & poene interdum lacrimans, poene totam otiosus exegi. Quod scio te quoque non parum irasci. Sed non semper nostrae sumus potestatis: officia & ingratae oblectationes amicorum quamvis nolentes saepe nos macerant. En igitur particulam, quam ante octiduum jam tibi destinaveram, & mittere facile potuissem, ni fures illi temporum manum nobis injecissent. Itaque de operis & itinere tuo constitue, quod commodum videbitur: video enim quo magis propello, eo minus identidem me praestare, quamquam omnia agam, ne carmen laboret in fine. Habeo, quod expostulem tecum, quod cum scires apud Ovidium de Ponto, *momenta saluti*, jam emendasse *Scaligerum*, id me tribuere mihi passus sis. Ego vero ante paucos demum dies, cum veniret in manus meas patris tui editio, quam in urbe esse nesciebam, id didici. Nunc illud quoque cures, velim. Lib. 36. c. 14. locus Vegetii est adductus, ubi τὸ *millia*, quia virgulis circumscriptum est in Scriveriana, delendum tamquam non comparens in MSS. judicavi. Nihil vero ille de hoc in correctionibus militaribus. Inspice igitur, quaeso, Stewechium', & si ab eo id notatum, muta ultima verba hoc aut simili modo deleta parenthesi: *ubi τὸ millia posteriori loco in MSt. non esse notavit Stewechius*. Quod dixeram de copiis *pedestribus*, habes lib. 37, 53. Quod si Argentoratensis editor loca in indice omnia notavit, non est opus hìc omnia adduci, ne ille me a se descripsisse putet. Sufficit unum alterumque citari, & addi: *Et alibi*. Ego quidem illa editione usus sum aliquando, sed non recordor an observaverit. Et de illo, *regis dicto audiens*, iterum aurem tibi vello. *Rubenii* ingenio mirifice delector: placet nimis, *miles stabuli*: nec profecto video, quid aut elegantius ad sensum studiumque principis, libertatis imaginem, quantum poterat, servantis, aut propius ad vestigia veteris scripturae in loco

loco *Arminii* possit erui. Itaque multum tibi debeo, quod mecum ea communicare voluisti. *Fabricio* tuas propediem curabo. Vale, nobilissime & summe juvenum, meque ama. Daventriae prid. Kal. Jun. CIↃIↃCXLV.

Rogo te, adeas quamprimum, quod commodo tuo fiat, τὸ σεβασμιώτατον *Spanhemium*, eique meo nomine dicas officiosissimam salutem, & fuisse apud me *Cunningium* ex agro Zutphanensi, detulisse mihi salutationem ejus multo gratissimam; addidisse de libris duobus ad me missis: quos hactenus ego nullus accepi, nec nisi per illum quidquam de iis cognovi. Iterum vale, & communes amicos saluta.

EPISTOLA CXXIII.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VIrorum & amicorum summe. Speraveram expostulationes meas aliquid apud te effecturas, sed frustra fui. Denuo cessant operae, quia tu cessas. Pollicebar mihi, quicquid notarum tuarum restaret, ante discessum meum absolutum fore, quam ego rem nunc prorsus conclamatam video. Nec tamen eo nunc te increpo, quasi rerum tuarum parum satagas, sed quod nimis operose satagas. Jacta semel alea est, ubi praelo opus tuum commissum fuit. Si quae emendanda aut addenda putas, ea in alteram editionem servari possunt, aut etiam huic editioni subjici. Notis enim absolutis non deerunt tibi rationes, cur in tempus aliquod illudas Elzeviriorum festinationi. Dum contexitur index, dum errata annotantur, dum alia fiunt, nam praefatio quoque conscribenda restat, vides quam multa cunctationi tuae possis praetexere. Scripseram proxime, exacto festo quinquagesimali statim Spadam me discessurum, sed est mihi Amstelodami negotiolum aliquod, cui conficiendo triduum quatriduumve requiritur. Utinam illic te inveniam: nam die quinto sextove mensis proximi eo discessurus sum. Ante abitum ex hac urbe meum mittam ad te, quod restat foliorum. Locum Ovidii non dubito recte a te emendatum esse. Cogitaveram aliquando: *Sive domi praesume dapes, seu desine citra Quam cupis, ac paulò quam potes esse minus.* Nam illius *Sive* vestigia videntur supersesse in τῦ *diu*, quod pro *domi* agnoscunt libri plerique. *Quam cupis ac* propius accedit ad Vulgatam lectionem *Quam cupias*, tua conjecturâ, *quam cupis*, &. Sed maxima pars codicum antiquorum, *Quam cupies*, quod tibi favet. Ita, inquam, cogitaveram olim, quod non viderem, cur domi praesumendae non essent dapes, cum nimiam aviditatem in carpendis cibis tantopere damnet: tibi tamen facile accedo. In Cornelii Nepotis Datame, *Is regis dicto audiens non erat*, quod legi vis, *regi*, jam a *Lambino* praeoccupatum est. Sic enim ille: *Sic saepe loquitur Probus: supra in Lysandro, princip.*

qui quod dicto audientes imperatoribus suis non erant. Sed videtur hic legendum, regi dicto audiens non erat, quomodo & in exemplo proxime posito Cornelius locutus est, & item M. Tullius caeteriique boni scriptores loqui consueverunt. Pedestres copias ad *ariis* opponi notavit *Boeclerus* in Indice, ex capite primo vitae Cononis, Dionis cap. VI. Alcibiadis, cap. VIII. Chabriae, cap. II. Hannibalis, cap. XI. Alia autorum loca, quibus hoc probaret, non adjecit. Vale, Vir summe, & summae festinationi ignosce. Lugd. Bat. CIↃIↃCLXV. VI. Kal. Junias.

EPISTOLA CXXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & eruditissime juvenum. Tu quidem amice, quod flagitas, poscis, accusas: & ego quum non possim momento satisfacere desiderio tuo, non cesso, ut quantum licet id assequar. Hac hebdomade, quae nobis feriata est ob Pentecosten, spero in Livium me notas absoluturum. Sequentur paucula in perditorum epitomas. Et ego cupissem te amplecti, antequam iter ingrediare, sed non potui exesse museo, vel ob hanc telam. Et nescio quomodo tuae postremae Amsterodami non fuerunt traditae ordinario tabellario, sed foeminae, quae inde huc totum iter navi confecit, eoque tardius venit. Itaque non ante nonas Junias vestrate computandi ratione (nam nos Julianum hîc sequimur) hoc est ante triduum mihi tuae sunt redditae. Quod inspexisti Cornelium Nepotem, gratias ago. Si res integra est, sufficit de *pedestri* poni primum exemplum, una cum illo ex vita Agesilai, adjicique: *& alibi.* Valde autem velim apponi Ciceronis exemplum in Catone majori, *Nec tamen omnes possunt esse Scipiones aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesque pugnas recordentur.* Vale, qui summo beneficio me denuo emisti, olim tuum. Daventriae. VI. Id. Junias vestrates, qui nobis post diem quintum Pentecostes CIↃIↃCXLV. Cupio scire an ὁ πάνυ *Spanhemium* videris.

EPISTOLA CXXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CLarissime Virorum. Festinatione plus quam tumultuaria iter Aquisgranense a me susceptum est, sic ut promissi mei rationem habere non potuerim.

tuerim. Scripturam enim me tibi & missurum, quod reliquum foliorum in Notis tuis absolvissent operae, promiseram. Hoc quia fieri non potuit, *in via* subinde me ipsum incusavi. Fidem tamen meam ne omnino damnare possis, ecce, famulo paterno injunxi, ut cum hisce meis folia illa ad te destinaret. Eo certe faciliorem a te veniam mihi polliceor, quod, quemadmodum in hac re peccasse me non diffiteor, ita in aliis rebus, quas penultimae ultimaeque tuae curatas volebant, satis diligentem me praestiterim. Nam & addenda notis tuis curavi, quae addi per typographos adhuc poterant, & Cl. *Spanhemium* conveni, qui etiamnum asseverat, se studioso cuidam, nisi fallor, vestrati, nomen enim nunc mihi excidit, duos libros commisisse tibi deferendos. Eos non esse redditos satis mirari non potest. Recte feceris, si ad illum scripseris, ut nomen tam boni latoris scire possis. In hanc urbem salvus atque sospes ante triduum perveni, sic ut meliorem itineris satis molesti eventum sperare ne quidem potuerim. Menses duos valetudini percurandae dabo, de qua ut optima quaeque praefagiam superioris anni facit auspicatus ille successus. Vale, princeps amicorum, & in hac solitudine literis tuis subinde me bea, quas aut Leidam ad aedes nostras destinare potes, aut per tabellarium Antverpiensem recta ad me. Raptim. Aquisgrani. Anno CIↃIↃCXLV. IV. Kal. Julias.

EPISTOLA CXXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Aquas Grani.

NObilissime & Eruditissime juvenum. Quam aegre tuli festinatum abitum tuum non permisisse, ut promisso de postremis ad me scribendis satisfaceres, tam laetus subensque tuas heri tantum accepi. Non dubitabam autem & ante, ipsam festinationem & cumulum negotiorum in illud discessus momentum, ut adsolet, coeuntium, sine ulla fidei tuae labe hanc mihi molestiam creasse. Gratias ago, quod mandatorum ad τὰ πάνυ *Spanhemium* memor fueris, & tuo consilio utar. In primis gaudeo & felicibus ortis destinati itineris & spe, quam habes valetudinis illis in locis confirmandae: illam ratam & propriam esse tibi velit Deus. Ad Livium ipsum absolvi: restant paucula in epitomas amissorum librorum, & dein addenda satis copiosa. Nam index ut fiat, addaturque, nec moram nec sumtum sustinere amplius velle videntur Lucumones typographi: adeo querulas de excrescente mole libelli ad me dederunt. Et postquam tu abes, neminem habeo, qui illos in ordinem cogat. Meministi me conqueri ad tertium tomum de multis, in quibus a primis editionibus fuit discessum, cum nemo Commentatorum, unde aut qua fiducia id factum sit, mentionem faciat? Id nuper adeo didici: venit enim quasi virgula divina in manus meas editio Moguntina, quae posteriores libri XXXIII. & XL. partes

Digitized by Google

prima publice ex MS. exhibuit: ei sunt adjectae variae lectiones ex eodem scripto a libro XXXIV. usque ad quadragesimum, quas omnes fere cum pulviſculo Aldus, dehinc caeteri, in textum receperunt. Eam si prius nactus fuissem, & contextus fuisset emendatior, & Notae illa parte accuratiores. Cupio praefationi ad lectorem intexere historiam veterum editionum, quae aut juverunt, aut deformarunt auctorem nostrum, sed satis paratus nondum sum: alioquin vides quantum ea res usum haberet, non modo ad pleraque nostra confirmanda, sed etiam ad sublevandos, qui post me aliquid sunt in eo praestituri. Facta est quaedam editio *Io. Antonii Campani* paullo post primam Jo. *Andreae* Romae curatam, & Paullo II. P. inscriptam, ex qua Mediolanensis expressa est. Praefationem *Campani* inter opera ejus in bibliotheca nostri Gymnasii invenio, sed sine die, anno, & loco: floruit sub Pontificibus Pio II, Paullo II, Sexto IV. inscripsit Cardinali Papiensi: meminerunt ejus *Gruterus* & *Gebhardus* in excerptis. Vide, quaeso, an alicubi eam reperire possis, & enota mihi, quando & ubi prodierit. Sunt & Basileenses, quae aliquid suum textui attulerunt, quarum praeter unam, & id momento, nullam vidi, sed ea quae prima quinque ultimos dedit, in Helvetia nata est: eam sicubi nanciſci posses, etiam excedenti aliquantum pretio, ut mihi comparares, rogarem, si mittere aut ferre inter sarcinulas eo, unde mitteretur, posses. Videbis quid commodum tuum patiatur, ejus enim semper potiorem te rationem habere volo. Cum sciero, quando in Galliam moturus sis, schedula transmittam enotata paucula loca, de quibus per occasionem MSS. codices in meam gratiam consulas, & jam nunc feciſsem, si otium fuisset excerpendi. Interea expectabo unas de consilio peregrinationis tuae, non tantum si eam possim meo consilio juvare, id ut ne tibi desit, sed etiam, si ea mihi possit in quo prodesse, ut tibi occasionem me demerendi suggeram. Tanta est mihi fiducia de affectu tuo, ut hoc quoque non ingratum tibi fore existimem. Vale ὦ ἀνταδελφε, & me ama. Deus te salvum ducat ac reducat. Daventriae. III. Id. Sextil. CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA CXXVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CLariſsime Virorum. Hesterno die tuae mihi redditae, quae cum suo pretio acceptae & gratae imprimis fuerint, nescio tamen quomodo solito acceptiores reddidit ipsa haec solitudo, cum qua indies conflictor. Cave enim existimes in orbe toto Europaeo locum esse hac urbe magis illiteratum. Quae tamen & ingenio, & aëris temperie, & vicini ruris cultu atque elegantia ad Musarum patrocinium comparata videtur. Neque quicquam facile, quod ad oblecta-

oblectamenta vitae faciat, in ea desideres. Ut non immerito Carolus ille Magnus, quemadmodum tota vita, sic ipsa quoque morte quieti suae eam destinarit. Bajas subinde perlustrare mihi videor. Sordet tamen, inquam, locus, quia Musae absunt. Unicum solatium sunt amicorum literae, inter quos jam olim principem a me locum tibi deferri non nescis. Nihil ergo necesse est, ut verbis multis testatum tibi faciam, quo gaudio ad aspectum manus tam amicae exsultarim. Vel hoc ipsum satis argumenti, ut opinor, erit, quod e vestigio nunc ad illas respondeo. Notas Livianas ad finem perductas esse vehementer laetor; neque quicquam mihi magis in votis est, quam limatissimum opus publico donatum intueri. Index ut accedat necessarium puto, quicquid obloquantur Elzevirii. Et jam scripsi ad patrem, ut, si fieri possit, iis hoc persuadeat. Ipse vix dubito, quin persuasurus sim, si in reditum meum trahatur editio: quem ad summum ultra diem mensis proximi vigesimum propter rationes multas differre non possum. Mox ad Gallicanum iter me accingam. De editionibus Livii nonnullis emendis doleo, quod operam hîc meam probare tibi non possim; vix enim putem tria aut quatuor exemplaria maximi auctoris in hac civitate, si tota excutiatur, inveniri posse. In Galliam ubi venero, omnibus occasionibus invigilabo, ut voti compos evadas. Sed audi, quaeso, fortunam meam. Meministi, ut opinor, anno quoque proximo me conquestum esse de barbarie hujus civitatis. Cum enim primo in eam advenissem, nihil antiquius habui, quam monasteria omnia excutere, si quid fortasse lateret alicubi veterum bibliothecarum; sed nihil prorsus inveni, quod ad gustum meum faceret, quare ab irrito labore destiti. Nunc autem, cum audivissem latere hîc alicubi biliothecam in privati hominis aedibus, libris rarioribus instructissimam, ipsum autem possessorem presbyterum esse, virum in Graecis literis valde subactum, &, quod rei caput est, comem ac affabilem, ipsum hominem accessi. Post varia colloquia petii, ut copiam mihi faceret perlustrandae bibliothecae suae. Cum haud difficulter id impetrassem, denuo petii, si quid haberet codicum manu exaratorum. Affirmavit se habere nonnullos, sed magnam partem Graecos, & simul ostendit. Perlustratis iis, offendi Mathematicos potissimum ac Musicos esse, omnes tamen mutilos, quosdam etiam maxima sui parte truncatos, ut non libri, sed fragmenta librorum apparerent. Aristophanis tamen duae comoediae erant integrae. Exhibuit etiam schedas quasdam juridicas, atque inter illas fragmentum Legis Rhodiae illius vexatissimae, in veterrima membrana scriptum. Inter libros Latinos, magnam partem poëtas, nihil erat alicujus rei, praeter codicem Ciceronis de Divinatione & Natura Deorum, literis Saxonicis exaratum. Nunc in eo sum, ut hos libros, vel saltem partem eorum mei juris faciam. Cujus rei spem non parvam ipse possessor mihi jam fecit: modo eorum loco libros quosdam typis editos rarioribus illi reddam. Trajecti ad Mosam cum nuper essem, in transitu salutavi *Kuchlinum* nostrum, qui rectoratu scholae ibi fungitur. Is affirmavit mihi, se nuperrime invenisse in bibliopolio quodam optimum ac veterrimum epistolarum Symmachi exemplar, ipsumque codicem dono se missurum mihi promisit.

misit. Alteras tuas, dum hîc sum, expectabo. De itinere Gallico prolixe brevi tecum agam. Vale. Aquisgrani. Ipsis Kal. August.

EPISTOLA CXXVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CLarissime Virorum. Unicas, dum Aquisgrani essem, a te accepi: ad quas ilico tum, ni fallor, respondi. Postmodum opinione mea citius inde a parente revocatus sum. Triduo vix domi peracto, cum & classis in procinctu esset, & ventus urgeret, in Galliam transfretandum fuit. Relegi tamen, quantum per summam festinationem licuit, antequam abirem, folium operis tui unicum, quod sub praelo Elzeviriano tum erat, in eoque nonnulla correxi. Quod supererat Notarum jam absolutum credo, totumque adeo librum publici juris factum. Exemplaria haud dubie secum adferet Elzevirius junior, qui quotdie hîc expectatur. Dies jam quartus est, ex quo in hanc urbem veni. Cujus quidem temporis pars potissima nihil agendo periit. Dum sarcinas quaero per civitatem longe vastissimam, quas aurigae cuidam Diepensi commiseram, dum de hospitio commodo honestoque mihi prospicio, dum amicos quosdam paternos meosque salutatum eo, nec domi invenio, transisse dies aliquot summo cum dolore meo deprehendi. Hospite utor eodem, quo & tu aliquando usus es. Tempus nunc est, Vir Clarissime, ut cogites, quod quantumque ab opella mea polliceri tibi possis. Totum me tuum esse si nescis, ut quamprimum agnoscas ac intelligas, quantum quidem in me erit, curabo omni diligentia. Tuarum tantum partium est, homine amicissimo uti: cujus rei spem in postremis tuis videbaris facere. Exemplaria operis tui si amicis nonnullis per me hîc offerri cupis, ecce promptum ac paratum. De editionibus quibusdam Livianis tibi comparandis, quod proxime petebas, denuo monendus sum: literas enim illas, dum tumultuarie ac festinanter vasa colligo, cum aliis schedis adferre mecum oblitus sum; neque nunc succurrit, quas potissimum editiones emptas velles. Vale, meum ac literati orbis eximium decus, & plura brevi expecta, ubi ad me, lassus etiamnum ex difficili itinere, rediero. Lutetiae. Kal. ipsis Octobribus. Anno CIↃIↃCXLV.

Si quid unquam mea causa voluisti, Amicissime Virorum, ut Illustri *Sarravio* quamprimum me commendes, unice rogo, cujus autoritate ad Petavianam aliasque Bibliothecas admitti possim. Quod facile scio obtinebis apud virum tui (si quis alius) studiosissimum. Veni in hanc urbem sine commendatitiis ullis, quia domo ventus praeter expectationem secundus opinione citius me avocavit. Notum autem hîc neminem habeo, praeter *Puteanos* fratres, quos creberrimis amicorum salutationibus ut plurimum distractos nosti. Hunc ergo

ergo laborem mihi concedo, ut verbis paucis Illustri illi viro de meliori nota me insinues, qui vicissim in tui gratiam quidvis velim. Literae impositorum ad te quomodo recta via curari debeant, quaeso, indica. Iterum Vale.

EPISTOLA CXXIX.

J. FR. GRONOVIUS.

Nic. Heinsio.

Lætitiam.

NObilissime & Ornatissime juventum. Heri accepi tuas ingenti cum laetitia, nunc, qua prima occasione licet hinc mittere, respondeo. Uti dolui praeproperum tuum ex patria discessum & aspectum tuum & literas, antequam solveres, mihi invidisse (nam postridie, quam abieras Leida, ego illuc veni) ita mollissimum & secundissimum iter maritimum tibi fuisse gavisus sum. Adventum autem in regiam urbem, nutriculam eruditionis & humanitatis tibi magnopere gratulor. Ad illustrem *Sarravium* ecce tibi. Quamquam nomen tuum, & illa divina virtus amplissimae sint tibi συσταται, & has quoque congressum cum illo tuum anticipasse existimabam, tamen jussui tuo parere volui. Adjunxi unas ad ampliss. *Petavium*, si forte ducere te *Sarravius* ad illum non posset; nam solent interdum frigusculla illis intercedere. Sed & si neutris indigebis, erunt tamen illis testimonio, me abs te amari, te a me fieri pro meritis tuis maximi. De veteribus editionibus, quod te rogaveram, gratiam facio. Nactus enim sum Amsterodami, quas prae caeteris desiderabam, duas Basileenses, priorem, quae primae exhibuit *Symonis Grynaei* additamentum, alteram *Caelii Curionis* maximam, ex qua puto multas liberas correctiones in vulgatas fluxisse. Sed quia aliam operam tuam amice offers, en schedulam, in qua designavi loca, de quibus scriptos codices, Petavianum inprimis & Regium, scriptum quidem recenti manu, sed ex antiquo probae notae, secunda certe decade, quam contuli, descriptum, consulere te velim. Erit id mihi magni beneficii loco, & non sine laude tua, cum annotatis tuis utar. De exemplaribus offerendis, quod offers, peream, nisi doleo & pudet, quod spem tuam & aliorum destituere cogor. Tanta fuit illiberalitas eorum, qui ex opera nostra lucrantur, ut me quoque, nisi maximo meo cum sumtu, illiberalem faciat. Denique quae tuo Patri & *Salmasio* singula totius operis, textus puta & notarum, exemplaria tradi jussi, ita me Deus amet, argento meo ab illis redimere me oportuit. Itaque per occasionem apud *Sarravium*, *Puteanos*, *Heraldum*, *Vallesium*, viros mihi, quoad vivam, venerandos, me excusabis. Tu vero a juniore Elzevirio tibi exemplar meis rationibus adscribendum pete, quo utaris in locis illis conferendis, quodque & absque hoc foret, ante omnes meritus es. Rupellae, quando eo accedes, apud *Philippum Pinettum* Theologum, virum praestantissimum, aliquid scripti Livii reperies,

Digitized by Google

ries, ut & A. Gellium, si bene memini, cujus videndi haud gravatim tibi copiam faciet: an sit tanti, ut horas in iis consumere velis, tu judicabis. *Valesius* aditum facere tibi poterit in Memmianam bibliotheam, quam ego per angustias otii, quod ibi ponere mihi licuit, videre non potui. Puto te hanc hiemem ad minimum illic exacturum, & ne discedere properes, auctor tibi sum: nam prae Lutetia reliqua Gallia tibi sordebit. Quando Andegavum ibis, ad *Claudium Menardum* facile accipies commendatitias a Puteanis: neque indigebis tamen, nam ille te ex meis crebris sermonibus dudum novit & aestimat. Nescio unde rumor ad me pervenit, *Peiraredum* illic adornare novam editionem Statii. Cognosce, quaeso, an ita sit. Non invideo, neque si possim opus novum nuntiare ei, velim: precor immo, ut succedat feliciter. Fac tamen ut sciam. Vale chariſſimum pectus, & bene rem gere. Daventriae a. d. III. Non. Novemb. CIↃIↃCXLV.

Breviorem viam mittendi literas haud scio, quam ut tuas recte Amsterodamum ad Lud. Elzevirium mittas: sumtulum illum facile feram. Tuae integrum mensem in itinere fuere, nec scio a quo ad me missae. Plurimam salutem adscribo experientissimo hospiti tuo. Iterum vale.

EPISTOLA CXXX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CLarissime ac summe Vir. Post longam expectationem quod literis tandem tuis beatus sum, multum sane gaudeo. Quid quod commendatitias, plures etiam quam petieram, addidisti? qua quidem in re hominis amicissimi officio tam prolixe tamque diligenter functus es, ut nullum querimoniae meae locum reliqueres. Subiratior enim, fateor, nonnihil eram; & iniquius pertinax illud silentium tuum ferebam, binis meis provocati, neque quicquam reponentis. Scis autem praecipitem me valde esse in exigendis amicorum officiis. Tum quoque videbaris mihi nescio quomodo in mores tuos ac amicitiam nostram peccare, adeo morosum atque delicatum continua illa diligentia me reddiderat. Nunc vero video ac laetor, totam hanc culpam non tibi imputandam, sed iis, qui meas ad te negligentius curarunt. Tuas ad Ampl. *Sarravium* ante dies sex septemve jam curavi. *Petavium* quaesivi heri, tum ut tuas offerrem, tum etiam ut libros redderem, quos ex Bibliotheca ejus utendos habebam, sed rus abiisse dicebatur. Tuas ergo famulo ejus committendas duxi, cum non ante dies quindecim reversurus sit. Inde ad *Sarravium* me contuli, quem etiam sine commendatitiis ullis (frontem meam vide) salutare ausus fui sub adventum in hanc urbem meum. Postea humanissimi *Riveti* ac *Salmasii* (ut credi vult) literae propius me illi insinuarunt. Tertius tu ordine

ordine fuisti, sed sic quoque primus. Tanto enim studio tantoque affectu, quod obiter ab ipsis factum erat, praestitisti, ut pro commendatione, quam petieram, totum panegyricum viro summo miseris. Ingratissimus ergo sim; nisi pro hoc tam luculento officio plurimum me debere tibi profitear. A laudibus tamen prorsus invidiose in immerentem collatis abstinuisses vellem: metuo enim vehementer, quemadmodum pro maximo erga me amore tuo fecisti (cui tamen nimium indulgendum non fuit) ita accuratissimo judicio tuo (quam tibi gloriam hîc omnes deferebant) male consuluisse ne possis argui. Scis quam exacto illi ingeniorum ac eruditionis arbitro impoui non possit. Praelegit mihi maximam partem epistolae tuae. A candore quod me commendas (quid enim dissimulem?) gratum certe fuit, cujus ego virtutis studiosum ac candidatum profiteor, ad caeteras laudes profecto erubui. Multus inde nobis de te sermo fuit, ad quem summo utrimque studio ac ardore ferebamur. Nihil illo viro doctius candidiusque. Ut de humanitate ejus jam non dicam, cujus tantum non prodigus est. Nemo in hac urbe, cui plus debeam: nemo, cui libentius debeam: parcus enim ac jejunus beneficiorum suorum aestimator est, & qui de iis praestandis cogitare malit, quam de praestitis. Certe bene de me merendi finem hactenus non facit. Denunciavi jam illi horrendi carminis legem, ut & *Puteanis*, ne Livii tui exemplaria frustra expectarent, neque videntur expectasse, nam & ille & hi ab Elzevirio sibi jam comparaverant. Apud caeteros quoque, quos volebas, prima occasione te excusabo. Mandavi jam Elzevirio, ut exemplar mihi quoque quamprimum pararet notarum, quod debere typographos contendo, propter laborem in corrigendis operarum sphalmatis a me exantlatum. Si tamen pater patrumsque ejus tam impudentes sint, ut debitum hoc suum in dubium vocare ausint, rationibus meis ut adscriberent jussi. Petavianum Regiumque codicem quod petis ut consulam, per otium ante discessum ex hac urbe meum facturus sum. Nam nunc ut maxime velim, vix possim, quod *Petavius* absit. Neque periculum in mora esse reor, post absolutam jam a te Livii editionem. Sub adventum veris proximi pedem hinc movebo: aut reliquam perlustraturus Galliam, aut in Italiam statim abiturus: cujus orae desiderio immane quantum flagro: idque vel eo magis, quod hujus urbis bibliothecae ad editionem Ovidianam pertexendam expectationi meae non respondeant. Certe praeter primum tomum partim cum Regio, partim Puteanaeo codice collatum, quorum excerpta jam ante me habuisse scis, & Fastos Petavianos, nihil hactenus magnae rei indagare potui. Memmiana fortassis bibliotheca subministrare aliquid posset; sed ejus usum me impetraturum non puto: hactenus certe ne videre quidem potui. Solus ad eam aditus *Valesio* patet, isque sic satis difficilis. Deducturum se aliquando me eo (petente id meo nomine *Sarravio*) promisit: de usu nihil polliceri ausus est. Narro tibi, non potuisse me tempore magis inoportuno magisque incommodo in hanc urbem venire, quam nunc veni. Bibliothecarum plerarumque ordo misere turbatus ac inversus est, curam quoque earum qui habent, magnam partem absunt. *Bullialdus* ac *Naudaeus* in Italia haerent.

Digitized by Google

Thuanaeam obiter tantum vidi, idque beneficio *Menagii*. Petii jam aliquoties a *Puteanis* libros nonnullos ex ea utendos; sed nescio quomodo lentiores sunt, fortasse propter senium. Quid quod creberrimis amicorum salutationibus fere semper obnoxii sunt, ex quo in bibliothecam Regiam commigrarunt, cujus etiam catalogum hactenus videre non potui, quod in eo describendo illi occupentur. In Petaviana per horas fere duas integras nuper cum Ampl. *Sarravio* me exercui, neque tamen Ovidianis ac Claudianaeis codicibus, quos catalogus indicabat, ullos, nisi duos tresve, invenimus, adeo turbatus est librorum ordo. In itinere Italico (cujus tamen certum consilium necdum cepi) ne plurimum molestiae devorandum mihi sit valde metuo, quod difficillime illic aditum ad bibliothecas obtineri intelligam: quae sola fortassis causa propositum meum interrumpet. *Bullialdus* Venetiis nuper per Legatum Regis Christianissimi ex Bessarionis bibliotheca *Didymum de Plantis* hactenus non editum utendum petierat: sed repulsam passus est. Interim doceas me velim, quibus potissimum artificiis homines morosissimi circumveniri ac expugnari possint. Tum & quas bibliothecas a libris antiquis maxime instructas arbitreris. *Peiraredum* moliri editionem Statianam nescio unde intellexeris, ego quidem hactenus hoc scire non potui. Et si quid judico, non magnopere rivalis ille tibi metuendus est. Cum enim contemptim ac abjecte passim loquatur de libris scriptis, vel inde colligas licet, quid ab hoc homine in re literaria polliceri tibi debeas. Plurimi certe auctoris illius codices, iique antiquissimi, in hac urbe sunt: quorum nonnullos in tuam gratiam fortassis aliquando cum vulgatis committam, si me monueris, quibus ipse usus sis. Nam actum ut agam consultum non puto. Advectum est ante annos paucos huc exemplar satis antiquum ex ruinis Corbeiensibus, quod in bibliotheca Sti. Germani cum aliis multis nunc servatur. Extat & ibidem exemplar longe optimum *Columellae* ante annos octingentos scriptum, ut volunt, qui viderunt: nam mihi aliquoties ejus libri tam venerandi aspectum petenti responsum est, Monachum nescio quem eo nunc uti, ac auctoris latinissimi editionem scilicet adornare. *Zinziberus* professor Andegavensis in hac urbe est, & edit de mutuo dissertationem adversus *Salmasium*, idem & *Fabrotus* minatur (qui librum suum praelo jam paratum mihi ostendit) sed typographum invenire non potest, adeo ad crambem illam toties repetitam homines delicati hic nauseant. Lectionem codicis Leidensis in illo versu Claudianaeo, *trabibusque smaragdis*, jam in observationibus a te prolatam, confirmatam a Petaviano quodam inveni. De mea quoque conjectura ad Ovidianum versum, *letifero Eveno*, non dubito. Puteanaeus enim ille codex optimus, sed a sciolo passum interpolatus, in manu prima una syllaba plus, *in letifero eveneno*, manifeste praefert. Vale, meum decus, & literis imposterum tuis me saepe bea: quas ad aedes *Petri le Petit* Librarii in via Jacobaea destinabis, sub insigni velleris aurei. Habes & hic Sarravianas. Lutet. Paris. CIↃIↃCXLV. XXVI. Novemb.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXXXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Lutetiam.

NObiliſſime & Ornatiſſime Juvenum. Satis praeſagiebat animus tum demum meas tibi praeſto fore, quum iis non indigeres: poteſt tamen officium meum gratum tibi fuiſſe, non quia utile erat, ſed quia imperatum, quam licuit promte, exhibui tibi. Neque ea menſura, quam tua virtus cognita a me poſcebat, aut animus meus libentiſſime tibi debebat, ſed quam feſtinatio & otium, quale tunc erat, implere me patiebantur. Amor tuus tamen omnia prolixe interpretatur: gaudeo, dum ſcias me ea in re nunquam mihi ſatisfacere. Neque tu me ficto diſcrimine neſcio cujus opinionis de me ſummorum virorum terrueris: ſi unquam poſſem, tam ſano & ſincero judicio eam me comparaviſſe exiſtimarem. De locis Livii omnia fiant ex commodo tuo, dummodo impetrare poſſim, ut aliquando fiant. Statio nullo Lutetiae ſum uſus: neque mea cauſſa, niſi forte aliquid eximium & ſupra expectationem obtigerit, fatigari te velim. Si tamen lubet & vacat, videre oportet, quos *Lindenbrogius* & *Behotius* adhibuerint. Ad Italicum iter an conſilium meum te paratiorem reddere poſſit, ignoro; quae ſuccurrunt, libenter ſcribam. Mediceam ante omnia ex viſu & uſu tibi commendo: ex narratione *Iſaaci* etiam Ambroſianam Mediolani. Neutrubi ſcribere licet: poſterior, ni fallor, & gratis patet, ſed ad ſcribendum furtim minor illic copia: in priorem, non niſi pretio aditus, quo tamen & poteris a cuſtode impetrare ut enotes. Modo reperias illum, quem ego expugnavi. Ei praenomen *Angelo*, Clericus eſt ad D. Laurentii, ubi ipſa eſt bibliotheca, claves ejus ſervans. Majorum gentium homines fruſtra adibis, ut ego ſtultus & operi & tempore ſine fructu mihi decolante. Habebat cognatum adoleſcentem: eum mecum includebat, poſtquam multis ſacramentis ei confirmaſſem, nihil a me violatum iri: ſi quis interim ſpectator interveniret, oportebat pugillares & pileum amoveri, ne quis animadverteret me plus quam legere. Primum ſingulas horas Julio (quaſi ſolidus eſt Belgicus aut ſexſtuf.) redimebam, deinde quod feſtinarem, binis. *Paganinum Gaudentium* Piſis alloquere: is forte & nonnihil conſilii dabit: & Florentiae in primis *J. Baptiſtam Donium*, qui & bono iſti Angelo te commendabit. Habitat *nella ſtrada de' tinctori.* Ad utrumque, ſi vis, literas mittam. Romae quum omnia ſint mutata, neſcio, quo te allegem. Si quid tamen poterint, *Holſtenius* & *Allatius* non nolent. Quod in aurem tibi, plus indulgebunt Latinos auctores, quam Graecos perſequenti, & proderit nonnihil apud illos tibi invidia, quam ſibi contraxit opere μεὶ τ πρωτεῖων ὁ δεῖνα. Credo te intelligere, quid velim. Farneſiana in palatio Ducis Parmenſis,

sis ibidem celebratissima, sed eadem, cum omnibus illic, occlusissima. Est & Florentiae alia bibliotheca apud Dominicanos ad aedem D. Marci, ubi Ovidius ille Politiani manu notatus: faciliſque accessus per ejus collegii Monachos. Venetiis ex D. Marci, quae eadem Bessarionis, nihil spera. Attuli ego commendatitias a *Contareno*, legato tum Romae, ad Procuratorem *Nani*: id enim Cyclopi nomen: porrigebat eas mecum *Thomasinus*, magnae Ecclesiasticae dignitatis vir: homo vix dicto, posse bibliothecam videri, cum pateret, se avertit, absque ulla vice vel tralaticiae humanitatis. Est alia in coenobio D. Antonii non valde copiosa, tamen illic servatur Manilius ille Gemblacensis simillimus. Satis sunt humani. Ducet te eo *J. Angelicus Aprosius Vintimiglia* ad D. Stephani religiosus, ut vocant, vir & nostratium & literarum perstudiosus, qui te quoque jamdudum commendatissimum habet. Patavii quicquid erit (cognosces ex libro Thomasini, qui omnium illic & publicarum & prvatarum catalogum edidit) facile impetrabis per *Rhodium* Danum, si illic erit, & *Veslingium* Germanum *Sohierumque* Amsterodamensem. *Ferrarium*, quia uxorem (immo concubinam, si memini recte) domi habet, non adiri ajebant: post lectionem in Academia salutandus est. Ajunt in monte Cassino Benedictinos habere admodum instructam. Est & Urbini, cujus catalogum vidi apud *Naudaeum*. Sed Florentia sola moram & sumtum tibi pensabit. Atque utinam illum optimum Senecam repetere possem, vereor enim ne per festinationem multa omiserim, & apex ibi nullus annotatione indignus. Utinam pariter in meam gratiam primae Decadis Livianae antiquissimum volumen, certe iis, quae designavi, locis inspicias: sed vix poteris mihi vacare: ita tibi ipsi negotium reperies. Commendo etiam tibi Curtium unum & alterum illic vetustissimum, & Appulejum, licet a *Lindenbrogio* praefloratum. Caeterum editorum librorum bibliotheculam tecum portes oportet: adeo ne vulgarissimi quidem illic venales. Haec nunc succurrebant. Vale, & feliciter omnia vota tua exsequere. Apud Helvetios Basileensis copiam tibi faciet *Buxtorfius*: scias etiam Bernae supereſſe Bongarsianam, luculentam, ut e multis audivi; in eadem natione est Sangallensis, quam *Goldastus* celebrem fecit. Satin tibi Tantalo poma porrexi? Incomparabilis *Sarravii* literae mihi mel merum fuerunt: ei propediem scribam, nunc per te salutationem deferri cupio. Ut per occasionem & caeteris communibus nostris. *Menagius* nihil dum edit? Scripsi VIII. Id. Decemb. postridie quam tuas accepi. CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA. CXXXII.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Deventriam.

CLarissime Gronovi. Quod tam luculente desideriis meis super itinere Italico satisfeciſti, plurimum te amo. Abeundum brevi mihi video, & opinione quidem citius. Est in hac urbe mercator quidam nostras, cui *Reinstio* no-

nomen; vir honestus. Is Venetiis annos aliquot vixit, ac etiamnum familiam illic habet. Haesit hîc aliquamdiu nomine mercatorum Amstelodamensium, quorum aliquot naves fiscus Gallicanus sibi addixit, idque perperam & sine ratione, ut ipsi volunt. Hoc negotio perfecto (& jam ad finem propemodum pervenit) denuo Venetias abit. Officia sua ante dies paucos humanissime mihi obtulit, si se comitari vellem, quam quidem occasionem valde oportunam nequaquam negligendam reor. Praesertim cum & alii nonnulli ex nostratibus illi se adjuncturi sint. Iter ipsum quomodo ac qua via facturi simus, necdum constat. Si per Helvetios; Mediolani menses duos tresve morabor, propter Ambrosianam, de cujus bonitate salivam mihi movit *Erycius Puteanus*, cum anno proximo Lovanii essem, qui suo potissimum consilio a Cardinali Borromaeo eam instructam volebat. Servantur & illic inter alia Aldinae bibliothecae reliquiae. Si Massilia Genuam iter facturi sumus, Venetiis aut Patavii aliquamdiu haerebo, donec notitiam aliquam linguae Italicae adeptus fuero. Nam Genuam a bibliothecis ullis antiquis commendari non puto. Romam ubi venero, ad Farnesianam aditus fortassis erit. Fratrem enim Ducis in collegium Cardinalium adscitum, literae, quae ex Italia proxime in hanc urbem venere, docent. Ad *Rhodium* & *Vintimigliam* literas commendatitias si mittes, valde me beaveris. Apud *Rhodium* tamen nomen meum dissimulari poterit. Quod Patavii latere, quam notus esse malim, propter [1] carcinoma illud generis humani, culinae, inquam, Baronianae expraefectum. In Italia quam non tuto inimicitiae exerceantur, optime nosti. Ille autem furcifer, quam non cedat ipsis Italis, fraude, dolo, veneficiis, & hoc nosti. Noverat hoc immortale gentis vestrae opprobrium familiariter olim Romae Vir Illustris *Hadrianus Manmakerus ὁ μαχαιτης*, quod & pessime illi succesſit, vix ac ne vix quidem e manibus Inquisitionis elapso. Adeo ne beneficiorum quidem rationem habet, aut amicis ipsis parcit *Crispinus* ille, monstrum nulla virtute a vitiis redemptum. Literae tuae si post discessum meum huc venient, mittet eas ad me Elzevirii filius, qui apud Petitum librarium hîc vivit. Doleo non potuisse me ante abitum ex hac urbe meum, quod promiseram, de locis Livianis consulendis, fidem liberare. Nam *Petavius* etiamnum ruri haeret, neque ita brevi, ut opinor, reversurus est. Fieri tamen id poterit, ubi ex Italia rediero. Notas tuas mecum veham, & captabo occasiones quavis affectum meum tibi probandi. De libris manuscriptis, si quae illic spes sit, pretio redimendis, & hoc me doceas velim. Scripsi jam proxime tempore valde inoportuno huc me venisse, quod Bibliothecarii plerique absint, ipsaeque bibliothecae negligenter habitae. Quae potissima causa est, cur discessum maturem. Ad Thuanaeam ante dies demum paucos aditum impetravi, cum jam de itinere Italico consilium cepissem. Habes hîc [2] Epicedium in *Pisanium* meum, quod ut scriberem rogavit me Marchiò *Montozerius* affinis ejus, miles & Poëta summus. Lutet. Paris. Pridie Kal. Januar. CIↃIↃCXLVI.

1 Credo esse *Scioppium*, contra quem Dan. Heinsius scripserat satyram.

2 Legitur inter Heinsii Juvenilia lib. II. p. 253.

EPISTOLA CXXXIII.

NIC. HEINSIUS

J. F. Gronovio.

Daventriam.

LUtetiâ etiamnum ad te ſcribo, unde jam ante menſem alterumque me abiiſſe oportuit. Mercator ille, cum quo in Italiam abiturus ſum, vir inſignis & forſan non ignotus tibi, *Reinſtius* nomine, hactenus hîc detinetur, propter lites, quas cum Thalaſſiarcha Gallico de navibus quibuſdam Hollandis, in mari Mediterraneo raptis, exercuit. Quae cum ad finem nunc perductae ſint, ab Ordinibus, ut abire liceret, petiit. Non ultra dies quatuordecim in hac urbe moraturos nos puto. Interim rure huc advenit Ampl. *Petavius*, cum quo de Livio tuo agere decreveram. Sed ecce inopini aliquid negotii intervenit. Compellavit me ante abitum ex hac urbe ſuum Junior Elzevirius, idque nomine cujuſdam ex Proceribus Gallicanis, ut verſus meos ederem. Negavi tertiam vix eorum partem ad manus eſſe. Pleroſque enim domi reliqui, dum nihil minus cogito, quam in Gallia eos edendos eſſe. At ille, quos adduxiſſem mecum, quoſque in hac urbe ſcripſiſſem; nihilominus ut ederem rogavit. Mos gerendus fuit importuno flagitatori. Proſpexit ſtatim mihi de typographo. Et jam in decimo folio occupantur operae typographicae, ita ut pauca admodum reſtent excudenda. Exemplar, ut ad te veniat, quamprimum curabo. Scripſi, Vir Clariſſime, ante menſes duos ad te, & commendatitias ad amicos tuos in Italia petii. Idem bis ab *Iſaaco Voſſio* rogavi, cui & meas illas tibi mittendas commiſeram. Neſcio quid factum ſit. Neuter certe reſpondet. Quod moleſtiſſime me ferre velim ſcias. Nam ut maxime credatis me abiiſſe (abiturum enim brevi me credebam ipſe cum ſcriberem) certe ad parentem meum veſtras mittere poteratis. Niſi diligentiam tuam in reliqua peregrinatione magis mihi probas, quam hactenus feciſti, metuo, ne frigeſcat amicitia noſtra. Sane nec ego nunc ſcripſiſſem, niſi id a me petiiſſet Ampl. *Sarravius*, qui eas, quas hîc vides, mihi commiſit. *Peyraredus* in hac urbe eſt. Neque quicquam tam certum, quam de Statio edendo cogitare illum. Quod jam factum foret, ut ipſe ait, niſi ſuas conjecturas additurum ſe promiſiſſet ὁ μακαρίτης *Grotius*, & vana ſpe per longum tempus virum bonum lactaſſet. Multas ingenioſas conjecturas mihi oſtendit. Quare maturandum tibi erit, ſi eum praevenire velis. Vale. Lutet. Pariſ. CIↃIↃCXLVI. die tertio menſis Martii.

Mediolani agenda quaedam negotia ſunt D. *Reinſtio*. Quo recta, ut puto, ibimus, atque ibi dies aliquot ceſſabimus. Commoda haec occaſio erit Ambroſianae bibliothecae excutiendae. Iterum vale, meum decus.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXXXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Lutetiam.

PRioribus tuis ideo non respondi, quod quocunque mitterem meas, sero venturas existimabam, dum in itinere esses. Miror autem te tantopere succensere mihi ob intermissum literarum officium, cum conscius sis tibi, quam parum mihi in te per hoc tempus praesidii fuerit ad loca Liviana, qui tam benigne initio promittebas. Mirum est *Petavium* nunquam fuisse domi, quando tu de nobis cogitasti, idque hibernis mensibus: sed abfuisset, an regiam videre non licebat apud *Puteanos?* Sed haec nolo urgere: scio enim, quomodo Lutetiae etiam otiosis tempus in potestate non sit: tantum id significo, si rixandum habeam tecum, justiorem mihi caussam fore. Nunc amoto joco, quod commendatitias petis, nihil illis indiges, nisi vexare vis amicos. Meis certe omnibus notus es olim: neque enim vel unus est, apud quem virtutibus tuis narrandis non longas condiderim Iliades. Dabo tamen aliquid, quo eos in memoriam revoces nostri. Patavio nuper a *Vesslingio*, *Ferrario*, *Rhodio* literas accepi jucundissimas, quod optimis praestantissimisque viris meo nomine nuntiabis. Nondum respondere possum, tum quia otio non abundo, exeuntibus cum maxime lectionibus publicis & privatis, dum quae potuere hactenus differri, simul sunt finienda: tum quia mandata quaedam *Rhodii* nondum exsequi potui. *Vintimigliae* librum ad me missum accepi per *Bartholinum* Danum, pergratum quoque; etsi mallem affectui suo in me peperciisset. Binas omnino ab illo accepi, cum plus decies ego ad ipsum, sed etiam ad Illustriss. *Loredanum*, scripserim: in prioribus additum erat: *Se mi vorrà favorir di respoſta con darmi qualche novella di coteſti literati d'Hollando, in particolare de Signori Daniele Heinſio & Nicolo ſuo figliacolo* &c. Quas, ni fallor, ipse ostendi tibi. Ad *Paganinum Gaudentium* Pisas, ad Jo. *Baptistam Donium*, Florentiam etiam dedi non unas, sed responsum nunquam habui. Sunt omnes viri humanissimi, apud quos non alia commendatione opus est tibi, quam prolato nomine tuo. Sed hoc sum auctor tibi, si fieri potest, ut Lutetiae interventu alicujus Procerum commendatitias impetres a Legato Magni Ducis, sive ad ipsum Sereniss. Principem, sive ad aliquem in aula potentem, nulla ut tibi cura sit antiquior. Nam absque hoc aditus ad Mediceam, ut ante hac scripsi, per est difficilis. Propemptici, quem vidisti apud *Sarravium*, si tanti est, misi exemplaria Monasterium ad Illustriss. *Contarenum*, quae Venetias curarentur. Epicedium in *Pisanium* legi libentissime, sed multo magis idem legere gestio impressum. Euge bonum factum, *Peyraredo* non invideo: gaudeo magis oriri plures, qui Statii curam gerant. Et ille bene faciet, credo, & mihi

mihi supererit, quod agam. Itaque nihil propterea festinabo magis: nam & opto ut ille me antevertat. Misit ad me nuper amicus pervetustam editionem Livii: certe Aldinâ fuit prior, nec quicquam habet amplius quam Andreana: forma est in octavo, ut vocant: sed de aetate ejus nihil constituere possum: non annum, non locum, non auctorem habet adscriptum: unum est κειτήριον harum rerum, quod perbrevem ei praefationem (quae tamen tota Quintiliani & Plinii testimonio constat) ad studiosos praefixit *Augustinus Becharius* sacerdos. Hunc ut noscerem, totam bibliothecam Gesneri percurri, nuspiam inveni: vide quaeso an explorare alicunde, forte facilius in Italiâ, possis; quid hominis fuerit, quando, ubi vixerit. Narravit multa mihi *Isaacus* de antiquissimo codice Tragoediarum Senecae in Ambrosiana, qui & doctissima singularum habeat argumenta. Si pateris mandari tibi, ut hoc diligentius cures, quam collationem locorum Livii, tu ipse statue, quid ego desiderem. Nunquam tamen patietur amor meus, ut indigner, si mea tuis posthabeas. Miserunt ad me homines Illustriss. Nuncii, qui Monasterii est, schedulam ab *Holstenio*, in qua de Alexiade Annae Comnenae quaerebat. Remisi literas ad ipsum curandas, quarum haec fuit summa, habere quidem me eam ex illius exemplari descriptam: sed eam me reverentiam habere amicitiae nostrae & virtutum ac beneficiorum erga me ejus, ut quamdiu sperare possim ab illo prodituram, nihil sim conaturus: sin, ut promittebat, eundem codicem infinitis locis emendatiorem communicare mecum velit, audacter me manum promittere. Hoc ei nuntiabis, si in eum incideris. Ego toto semestri nihil egi, aliis servivi. Poëmata tua exspecto, non paullo acrius, quam quae nuper duobus tomis [1] Amsterodami prodierunt. Vale, & feliciter & peracta jucunde peregrinatione ad nos redi. Daventriae raptissime, a. d. prid. Non. Martias CIↃIↃCXLVI.

Accepi etiam *Leonis Allatii* excerpta varia Graecorum Sophistarum, longe gratissimum mihi munus, postquam annum ipsum & ultra in itinere fuisset. Potes ergo & apud illum meo officio fungi. Iterum vale.

1 Intelligit, puto, *Caspari Barlaei*, quae A. 1645. prodierunt.

EPISTOLA CXXXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio

Daventriam.

CLarissime Virorum. Tuas hesterno die ad aedes meas tulit Illustris *Sarravii* puer, quibus nunc confestim respondeo. Quod succenses, Livianos a me codices necdum collatos esse, nolim fieri. Nam *Petavius* non nisi post annum novum rure reversus est, tum videlicet, cum de itinere Italico, quam de libris scriptis conferendis, magis cogitarem. Id si sancte mihi affirmanti non credis, ex Illustri *Sarravio* quaeras licet, quem idem quoque affirmaturum certus sum. Ab illo tempore nullos ex Petaviana bibliotheca libros utendos

dos habui, praeter Claudianum, Virgilii Catalecta, & Lucani exemplar, qui in manus meas praeter expectationem tum inciderunt. Nam Ovidianorum codicum, qui illic extant, tertiam vix partem vidi, adeo miſere diſperſus ac turbatus eſt bibliothecae ordo, quod mecum vidit & miratus eſt heros *Sarravius*. Eos quoque ipſos codices non alio animo utendos accepi, quam ut in locis quibuſdam corruptis a me conſulerentur, nihil minus exiſtimans, quam otium mihi futurum integros conferendi. Interea, dum D. *Reinſtii* (id mercatori nomen) negotia quotidie in hac aula traherentur, convenit me nomine quorundam, ut ajebat ipſe, procerum junior Elzevirius, petiitque ut verſus meos praelo mandarem, ſi omnes edendi animus ac otium mihi non eſſent, partem ſaltem poſſe publicari. Dies tantum ſeptem aut octo opuſculo abſolvendo requiri. Noſſe ſe typographum, qui operam ſuam obtulerit, quique duo quotidie folia mihi exhibiturus eſſet. Vix tandem perſuaſus cum eſſem, raptim verſus aliquot, qui ad manum erant, collegi, & praelo credidi. At vero nequiſſimus typographus adeo promiſſa ſua non praeſtitit, ut per menſem pene integrum in exiguo libello me exerceri paſſus ſit. Caeterum a menſibus jam tribus itineri accinctum me fuiſſe teſtari amici hîc poſſunt, quibus jam aliquoties vale dixeram. De Petaviana bibliotheca quod affirmavi, vix ullum ejus uſum mihi fuiſſe, etiam de Regia affirmare poſſum. Cum enim ex Thuanis aedibus in eam migrarint non ita nuper *Puteani*, omnia etiamnum turbata illic offendi. Catalogum ipſum ut excutere liceret hactenus impetrare non potui, quamvis *Puteanos* fratres aliis in rebus addictiſſimos mihi offenderim. Sed nec Ovidianos omnes codices, quibus uti voluiſſem, obtinui, cum illi interim ſuam mihi bibliothecam ad ſatietatem uſque fruendam indulſerint. Quid quod nec illi, nec Ampliſſimus Petavius ſatis aequo videtur animo tuliſſe, nullum ſe Notarum ad Livium tuarum exemplar a te accepiſſe. Ut auſus non fuerim apud illos pro te intercedere, niſi vulnus hoc coaluiſſet, & oblivione preſſa eſſet haec qualiſcunque ignominia. *Puteani* quidem, poſt allatas in hanc urbem Notas tuas, ſalſe ſubridentes ex Elzevirio quaerebant, me praeſente, nunquid exemplaria aliquot amicis ſuis juſſiſſet mitti auctor. Cum negaret ille, regeſſerunt illi, rem nihilominus indignam fore, ſi emenda ſibi eſſent exemplaria ejus libri, qui magnam partem ex bibliothecae ſuae optimo illo codice adornatus eſſet. Ibi ego meas interpellandi partes eſſe credidi, ac Elzevirios accuſare coepi, quorum avaritia factum eſſet, ne Auctor liberalis eſſe poſſet. Erubuit Elzevirius, & dono ſe miſſurum exemplar Puteanis promiſit. Ex hac, ut puto, hiſtoria facile deprehendes, Puteanis non valde acceptum fuiſſe, ſibi miſſum librum tuum a te haud fuiſſe. Quid quod codicem utrumque, tam Regium, quam Petavianum manu ſcriptum recentiori intelligam: ut in Italia longe vetuſtiores, ac magis tibi profuturos inveniri poſſe crederem. Quid? quod Notae tuae jam prodierunt, nec ſpem opinor eſſe ſecundae editionis, antequam in hanc urbem reverſus ſim, ut cauſae nihil videam, cur magnopere feſtinandum mihi fuerit. Poëmatum meorum editio ſatis feleciter mihi ſucceſſit, adeo benigne a viris doctis ea hic excepta ſunt.

Digitized by Google

Gaulminum prae caeteris praeconem nacta esse miror, qui cum aliena raro commendare soleat, ut nosti, in libello tamen meo commendando prodigus plane est, quantum ex amicis intelligo. Epithalamium, quod tibi scripsi, etiam accedit, id bonos patres Loiolitas offendit plurimum, adeo spurcum ac obscaenum ipsis visum fuit.

Nimirum patres facere hoc, quam scribere, malunt;
Quod malunt vates scribere, quam facere.

Cum quidam ex ipsis, vir paedagogici ingenii, litem hoc nomine mihi movisset, respondi me neque Jesuitis neque Monachis scripsisse. Idem bonus pater praefationem ut haereticam traducebat, quod vitam maritalem in ea caelibi vitae praetulissem. Reprehendebat & multa alia, quae risum, sat scio, tibi moverent, mihi certe moverunt. Exemplaria brevi in Hollandiam mittam, de judicio tuo imprimis sollicitus: quod tamen ante discessum ex hac urbe meum fieri vix poterit. Intra triduum enim Lugdunum, atque inde porro in Italiam abiturî sumus. Neque est, quod palpum ab aulicis Parisiensibus obtrudi sibi denuo patiatur D. *Reinstius*, ac iter in dies aliquot differat, cum equi jam conducti sint. Mediolani negotia nonnulla illi sunt, ubi per dies sex aut octo, aut fortasse plures haerebimus. Senecae Tragoedias ut conferam, operam sedulo dabo, idque eo magis, quia ejus editionem curae nunc tibi esse intelligo. De vetustate tamen codicis illius valde dubito, adeo frequens ac usitatum *Isaaco* nostro est amicis imponere. Petiit nuper a me, ut libros Martialis octo posteriores cum codice Puteanorum in gratiam suam conferrem. Dedi id hominis amici precibus. Ille vero neque gratias mihi hoc nomine egit, neque ad tres meas, quas illi postea scripsi, vel verbo respondet hactenus, quae res fecit, ut morosior paulo essem, cum proxime ad te scriberem. Cave vero existimes, mi Gronovi, commoda mea potiora mihi esse tuis. Non enim tam stipes tamque fungus sum, ut nesciam, quid aera lupinis distent, quantumque inter curas tuas ac meas intersit. Ubi reversus aliquando domum & ad meos ero, faxo fatearis ipse non minus tui, quam mei rationem mihi fuisse. In Italia diu victurum me non puto. Ignotus etiam ut eam regionem, si fieri possit, perlustrem consultum videtur, idque *Puteani* fratres aliique hîc amici unice suadent. Nescio enim quo malo fato meo homines quidam maligni auctorem me fecerint versuum nescio quorum, in Pontificem Romanum scriptorum, qui sane virulentissimi sunt. Etsi autem nihil non egerim per amicos, qui innocentiam meam satis hac in re noverunt, ut opinionem eam ex animis procerum evellerem, metuo tamen ne molestiam ea res aliquam in Aula Romana exhibere mihi possit. *Gaulminum* versuum eorum esse auctorem satis hîc constat. Sunt & alii, qui versus insulsissimos sub nomine meo per hanc urbem circumferant. Adeo de corio meo nunc ludunt homines male feriati. Apud amicos Italos salutationes tuas deponam. *Peyraredum* in Statio assiduum esse verum est. Nihil tamen ab eo homine expectandum puto, cum vita non minus quam moribus desultorius sit. Dixit aliquando mihi, libenter se communicaturum tecum, quae ad auctorem illum observasset, si certus esset,

set, de editione ejus brevi procuranda te cogitare. A tempore aliquo hominem non vidi, & fortassis in Aquitaniam jam abierit. Abiturum enim se circa festum Paschatis ante mensem affirmabat. Reversus ante dies nonnullos ex Italia Cl. *Naudaeus* est. Librorum fere secum trahit milia quindecim, codices etiam nonnullos manu exaratos, qui tamen nondum huc allati sunt. Intra septimanas ad summum quinque Venetiis erimus. Tuas ita ut inscribas rogo. A *Messieurs Messieurs Strycker & De Willem, Marchands Hollandois pour addresser a N. Heinsius, A Venise.* Ita, ubicunque locorum in Italia vixero, optime ad me curabuntur. Vale, meum decus, & frequenter ad me scribe. Lutet. Paris. CIↃIↃCXLVI. Pridie Kal. April.

EPISTOLA CXXXVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CLarissime Virorum, de gemino morbo meo, partim Lugduni, partim & Massiliae contracto, intellexisse te jam nonnihil opinor. Uterque ex lienis obstructione (cum quo malo jam annos aliquot me conflictantem vidisti) natus est. Uterque vitae sedentariae, quam Lutetiae proxime elapsa hyeme satis pertinacem egi, adscribendus. Posterior quidem ea violentia me adortus est, ut pro conclamato aliquamdiu habitus sim. Ita tres ferme menses in itinere Italico miserrime mihi perierunt. Poteram quidem penitus convaluisse, nisi cum imperito medico Massiliae mihi res fuisset. Ut mirum plane sit ex morbo illo periculosissimo me emersisse. Heri & hodie dolores in liene nonnullos denuo sentire coepi. A febricula quoque tentatus sum. His accedit calor aestivus, qui vires ex morbis proximis valde etiamnum dejectas non patitur resurgere. Qua in re infelicitatem meam satis deplorare non possum: cum inter tot praeclaros libros vivendum mihi videam absque profectu ullo. In Marcianam bibliothecam heri me contuleram (nam ad Medicaeam nondum admissus sum, quam obiter tantum vidi) ut optimum Ovidianarum Metamorphoseôn exemplar, & quo vetustius hactenus non vidi, excuterem. Sed intra horas paucas adeo me fatigatum sensi, ut domum me conferre coactus sim. Dum Lutetiae haererem, conjecturam meam ad illum Ovidii locum, *in letifero Eveno*, a codice Puteaneo comprobatam nosti. Parem nunc felicitatem expertus sum, dum Marcianum illum codicem evolvo. Locus est lib. VIII. Metam. Fabula Meleagri. *Plangunt ora simul matres Calydonides; Oeneus* &c. Scripsi aliquando (si forte meministi) ad te, non placere mihi novum illum in fine versus sensum. Praesertim cum libri plerique veteres *Calydonides Eheu*, vel *heu heu* habeant. In ora codicis tui legebatur pro diversa lectione notatum, *Calydonides Eveniaeque*, unde statim suboluit legendum, *Calydonides Evenimae*, quod Patronymicum & postea apud Homerum offendi. Sane in optimo

Digitized by Google

illo Marciano aperte legebatur, *Plangunt hunc matres Calydonides Eveninae.* Probe, nisi quod illud *Plangunt hunc* non placet. Insistens ergo vestigiis vulgatae lectionis *Plangunt ora*, lego totum versum, *Planguntur matres Calydonides Eveninae. Plangi* idem esse Ovidio, quod *Plangere* non nescis. Sic alibi, *Plangitur & trepido constringit vincula motu.* Et lib. v. sub finem: *Dumque volunt plangi.* Ita enim meliores libri, cum vulgo legatur, *Plangere dumque volunt.* In Medicea bibliotheca codices Ovidianos ab aliqua vetustate commendandos non offendi. Dies nunc agitur octavus, quod in hac urbe haereo. Si valetudo in pejus abit, remittente nonnihil hoc calore, Patavium me conferam, ut consulam illic Medicum aliquem ex peritioribus, postea fortassis huc reversurus. Cl. V. *Joh. Baptistam Donium* proxime salutavi, a quo humanissime habitus sum. Libellum tuum de Sestertio recte accepit, & gratias pro munusculo se acturum tibi promisit. Pisis horas tantum paucas moratus sum, ubi parem *Paganini Gaudentii* humanitatem expertus sum. Convivio satis lauto me excepit, in quo poculum sanitati tuae rite libavimus. De literis non unis a te ad illum scriptis nescio quomodo monere neglexi. Intra dies paucos huc venturus est. Tum aurem ipsi vellam, ut respondeat. Habet sub praelo animadversiones censorias in Historiam *Famiani Stradae*, quas absolutas secum huc feret. Quid rerum apud vos geratur, fac quamprimum ut sciam. Menses pene jam quatuor sunt, quod nullas ex patria accipio. Dubium non est, quin multae Venetiis apud Mercatorem haereant. Scripsi jam ad illum hoc nomine, & fasciculum brevi expecto. Vale. Florentiae. CIↃIↃCXLVI. die xxv. Julii.

EPISTOLA CXXXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

Nobilissime & Clarissime Juvenum. Post longam & sollicitam exspectationem tandem redditae mihi gratissimae tuae, quas mense Julio Florentia dederas. Medio omni tempore nihil de te: sed gratias Deo immortali, qui & ab aliis itinerum tam difficilium casibus, & a duplici morbo te salvum praestitit. Velit idem, ut, si qua tibi pericula impendere possint, in longum hoc metu fuerimus defuncti. Tum vero etiam, o vita mea, quantum in te est, valetudinis tuae incolumitatisque omnium primam curam habe, & vide, ne dum nimis avide optima tua vota consectaris, omnia perdas. Scis quantum in tuo capite literae periclitentur, quae in hac solitudine sanorum ingeniorum non magnum modo, sed necessarium unicumque praesidium a te exspectant. Poemata tua necdum vidimus, nec quid eis factum, quidquam habemus explorati. Quas Lutetia dederas in procinctu, illis ante menses aliquot

quot respondi, & meas Venetias, quo jusseras, destinavi. Erant in eodem fasciculo aliae ad *Rhodium*, *Vestingium*, *Ferrarium*, quas nunc ad te missas puto. De amicitiis CLL. Virorum *Gaudentii* & *Donii* magnopere tibi gratulor, & spero, eos faciliorem tibi, quam mihi fuit, usum bibliothecae Medicaeae reddituros. Tu vero ea fruere, quantum potes, nec parem copiam uspiam in Italia exspecta. Scripsi ante mensem fere ad *Angelicum Aprosium Intemelium*, virum praestantissimum & tui amantem: iis inclusi unas ad te *Kinschotii*, qui & ipse gravi morbo Monasterii defunctus, pariter mecum sitit Poëmata tua. Habitat in conventu D. Stephani Venetiis, jussitque me literas meas destinare tantummodo sic, *San Stephano*. Etiam *Boxhornius* tantum non ab Orci cancris valetudine nobis redux. Nos, χάειν τῷ κρείττονι, valemus, sed nihil agimus magni, dum studemus juventuti servire, & a nugis ineptiisque ad lectionem veterum ei viam pracire. Fuit hîc nuper *Petrus Lambecius*, municeps meus, *Holstenii* sororis filius, juvenis praeclarus, & quem speramus egregia multa praestiturum. Parat in Galliam iter, inde in Italiam, & forte Romae apud avunculum ejus invicem videbitis. Vixit etiam menses aliquot in contubernio meo *Tobias Schobingerus* Helvetius, quem etiam sacris nostris ultra vulgarem modum imbui. Is quoque te requiret (nam discessit hac potissimum de caussa, ut in Italiam iret) & si poteritis aliquamdiu una esse, omnibus in rebus praesto tibi esse optabit. Audeon' tibi rursus ingerere de optimo illo codice primae decadis Livianae? videbis, sed ita, ut semper habeas potiora tua, & in primis valetudinem. Nobiliss. *Donio*, Cl. *Paganino*, & si quos in alios incides, nostri memores, plurimam salutem adscribo. Vale, carum caput, & te meque ama. Deus te servet, ac salvum salvis tuis reducat. Daventriae xv. Kal. Septemb. Gregor. CIↃIↃCXLVI.

EPISTOLA. CXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriae.

CLarissime Vir. An pro jure amicitiae nostrae facias, qui tanto tempore nihil ad me literarum dederis, non scio, permolestum id quidem mihi est. Parisiis paulo ante discessum meum, etiam ex hac urbe ad te scripsi, tu vero diligenter taces. *Kinschotius* etiam fidei tuae suas ad me mittendas commiserat, quas non accepi. Ego interim & valetudine neglecta, quae sub adventum in hanc urbem meum valde nutabat, post recentem videlicet morbum; & spretis maximis illis caloribus, tum & rebus meis posthabitis; & in Senecae Tragoediis conferendis & Curtio sedulam tibi operam navavi. Ad Livium quoque transiturus eram, sed taedebat illius negotia meis praeferre, qui oblitus mei videbatur. Credebam etiam in reditu ex Romana urbe meo commo-

Digitized by Google

de id fieri posse; cum tandem ante biduum *Vlitius* noster me monet, de secunda Livii editione te cogitare. Differre iter Romanum decreveram, ut gratificarer tibi, sed ecce commodum supervenit *Donius* noster, qui ab *Holsteinio* literas mihi ostendit, quibus & loca aliquot Livii cum Medicaeo conferenda transmisit. Holsteinianis precibus meas addidi, ne gravaretur in tuae spem gratiae hunc qualemcumque laborem suscipere, quod facturum se recepit. Romam ubi venero (eras autem hinc discessurus sum) non desinam virum optimum denuo hortari ac impellere, ut fidem liberet. Tu, si quid me voles, aut ad Parentem meum, aut Vlitium nostrum mitte. Potes & ad *Kinschotium* Monasterium. Ego quidem hyemem proximam Romae moraturus sum. Volebam plura, sed convasandae sunt sarcinae. Salutat te Cl. *Donius*, *Gaddiusque* ac *Bullialdus* noster, qui aliquo tempore hîc haesit, nunc vero de Constantinopolitano itinere cogitat. Vale. die v. Kal. Novemb. CIↃIↃCXLVI. Florentiae.

EPISTOLA CXXXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Romae.

EGo vero, carissimum caput, non diligenter silui, sed omnibus tuis statim responsum reddidi, & nunc tertium, ex quo in Italia &, ad te scribo. Primas misi ad *Aprosium Intemelium* nostrum, & mandavi, si nondum adesses, eas ut mercatoribus illis, quos postremis tuis Lutetia mihi designaveras, traderet. Curatas recte ad illum scio: nam in eodem fasciculo erant ad *Rhodium*, *Vestingium*, *Ferrarium*, quorum partim jam responderunt. Alteras etiam Venetias per amicum Amsterodamo recta ad mercatores illos destinavi, iisque Kinschotianae, quarum meministi, inclusae erant. Nullum est igitur peccatum meum, si illis usque caruisti, & hac suspicione me liberes velim. Quas autem ego gratias rependam tibi pro opera, ut scribis, in Seneca & Curtio Mediceis mihi praestita? O det Deus isto me tuo beneficio ad plenum frui! non erit certe, qui majus ullum referat acceptum tibi. Praesertim, si & locorum Livii varias a nobilissimo *Donio* impetraveris. Nec enim rem praesentem quidem, sed nec non cogitatam perscripsit ad te *Vlitius* noster. Is nuper comparavit typographum ex Leidensibus mihi, induxitque ut ultro rogaret sibi ut aliquid edendum darem. Ea occasione extorsit mihi singularem librum observationum, in quem promissam quorumdam ad Livium uberiorem tractationem conjecimus cum aliis nonnullis, ut textum variaretur. Jam misi ad eum & exspecto, quam mox praela ferveant. Tarde tandem post acrem exspectationem reddita mihi sunt divina Poëmata tua: quorum genium, sensus, verba, numeros, quorum absolutam cum doctrina & ingenio elegantiam, quid ego depraedicem? Scis, ut singulis capi sim solitus. Quid ergo in isto cumu-

cumulo? Scripserant ad me amici nonnulli, se irasci tibi, cum bona tam multa posses, tam pauca quod dedisses. Respondi postea me voluisse idem illis irasci, & aeque severum tibi venire judicem, cum subito sim gratia corruptus: quod agnoscerem dici mihi posse, in paucis me tamen satis multum esse. Vale, vale, carum pectus, & te ipsum serva. Salutem officiosissimam rescribo amicis, qui nostri memores fuere. Nobilissimis *Donio*, *Gaddioque* per literas, coram CLL. *Leoni Allatio*, *Petro Servio*, *Car. Morono*, & in primis magno *Holstenio* reddes, testaberisque mihi comitatem illorum semper recentem esse. Habes hîc ab optimo Fabricio nostro. Iterum vale, amor noster. Deus te custodiat, & salvum ad salvos tuos reducat. Daventriae. postrid. Eid. Decemb. CIↃIↃCXLVI.

EPISTOLA CXL.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

DOluisse me fateor, & quidem vehementer, Clarissime Gronovi, quod nullas toto illo, quo in Italia vixi, tempore a te acceperim, cum ipse aliquoties jam scripserim. Tandem ante dies paucos *Vintimigliae* nostri humanitate illae ad me missae sunt, quas ante menses totos quatuor, xv. videlicet Kal. Sept. ad me detlisti. Nam quod de aliis scribis, quibus tres ad *Rhoditm*, *Ferrarium*, *Veslingiumque* inserueris, eas non accepi. Multis jam documentis expertus sum, negligenter satis mecum agere mercatores illos Venetos, quare auctor tibi sim, ut ad Patrem tuas imposterum recta cures. Quid quod affinis meus Majo proximo Amstelodamum Leida commigraturus est, ut jussu magistratus Leidensis rerum maritimarum Senatui triennio proximo interfit. Longe tum commodior scribendi occasio ultro citroque futura est. Scribam interim ad optimum *Vintimigliam*, ut tentet, si fugitivae illae tuae alicunde Venetiis in lucem proferri possint. Senecam & Curtium in tuae spem gratiae me contulisse, dum Florentiae viverem, jam aliquoties indicavi. Livium quoque conferre animus erat, si per temporis angustias, & valetudinem minus tum confirmatam licuisset. Operam suam obtulerat *Donius* noster, aut certe amanuensis sui. Monui ipsum ea de re denuo in iis, quas hodie ad ipsum dedi. Si cunctatur (est autem minime praeceps, nosti Italorum ingenia) a Cl. *Holstenio* hoc impetrari, ut opinor, poterit, qui proxima aestate Florentiae aliquo tempore se moraturum affirmat. Egi cum eodem de Alexiade tecum communicanda, & rem, ni fallor, confectam habeo. Restat tantum, ut meis precibus tuae accedant literae, eaeque comes ac officiosae, quibus hominem tui studiosum porro demulceas. Sed nae ineptissimus ego sum, qui tantum artificem coner instruere? Ego quidem nunc in eo sum, ut auctorem quendam

dam Graecum *Joannem Lydum* ab eo impetrem, qui de faſtis Romanis commentarium ſcripſit, plurimi enim uſus in Ovidio illuſtrando is mihi futurus, cum Faſtos divini auctoris & ſequatur, & nonnunquam alleget. Nactus ſum Faſtorum praeſtantiſſimum exemplar in Vaticana bibliotheca, literis Longobardicis ſcriptum, quo *Politianus* uſus aliquando videtur, ſed adeo non omnia in codicis ſui margine vir ille ſummus notarat, quae notanda fuerant, ut uberrimum mihi ſpicilegium reliquerit. Dum ruinas antiquae urbis perluſtro, dum amicos ſaluto, pomeridiani ac veſpertini temporis potiſſima pars nihil agendo mihi perit. Matutinis horis Vaticanam accedo: Sed nihil in illa bonae frugis praeter Faſtos inveni. *Cl. Holſtenio* omnia fere hîc debeo, cujus incredibilis erga me humanitas. Novi & Equitem *Caſſianum a Puteo*, virum longe humaniſſimum, & *Petrum Servium*, tui perquam ſtudioſum. Novi & ex grege Jeſuitarum nonnullos. Illuſtris prae caeteris *Anaſtaſius Kircherus*, vir ſane optimus. Inter me & *Allatium* non ſatis convenit, certe raro hominem accedo, quod aſſiduus fere *Scaligeris* oblatret, qua re adeo bilem mihi movit, etſi id apud ipſum ſedulo diſſimularim, ut magnum aliquando malum ipſi jam nunc parem. *Holſtenius* quoque odit hominem propter petulantis linguae intemperiem. Sed haec apud te confidenter. Nolo enim cum quoquam ſimultates exercere, quamdiu hîc vixero. Volebam garrire tecum: ſed mors amitae unicae chariſſimaeque, cujus nuncius recens etiamnum, tum parentis optimi morbus, adeo me conſternarunt, ut aliquo tempore nec ſtudiis, nec amicis vacaverim. Neapolim poſt menſem alterumque me conferam, niſi excludar ab Hiſpanis, qui peregrinos aegerrime nunc illic admittunt. Poëmatia mea jampridem accepiſſe te puto: amici ſane caeteri jam acceperunt, etiam mellitiſſimus *Kinſchotius*, cui ut me commendes rogo. Eſt enim poſt te eo apud me loco, ut meliori non poſſit. *Salmaſium* denuo turbare omnia, ac fas nefaſque confundere ad me ſcribunt. *Heraldus* librum grandem in folio contra ipſum praelo commiſit, quantum ex eminentiſſimi *Barberini* literis intelligo. Nam, quas amici Pariſienſes ad me dederant, in via perierunt. Vale, decus meum unicum. Romae. XXV. Jan. CIↃIↃCXLVII.

EPISTOLA CXLI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Meum decus. Sacramento quovis auſim confirmare, nihil tuis Fabricianiſque in hac ſolitudine Italica pergratius ad me ferri potuiſſe. Nam ut de tuis nunc nihil dicam, Fabricianis adeo captus ſum ac delinitus, ut omnia hîc ſordere mihi coeperint, poſtquam oris diſertiſſimi alloquio beatus ſum. Stupendum equidem & admiratione praecipue dignum mihi videtur, hominem negotiis

gotiis reipublicae, iisque quotidianis, tantum non immersum, adeo cultissimi illius ingenii sui etiamnum meminisse. Certus sum in hac urbe non esse, quem illi componas, si genus scribendi tersum, minimeque affectatum velis aestimare. Tum facilitas illa prorsus admiranda. Nihil distortum aut coactum. Fluunt omnia. Accedit tanto lepori summus erga me affectus, quem ubique produnt literae, ut, si maxime ab omni elegantia alienus sim, trahi tamen prolixissimo illo amore possim, cujus documenta non nunc primum habere glorior: utinam & mercrer. Quando ad politissimum amicissimumque hominem scribes, luculente testeris illi velim, quo apud me loco sint virtutes tam conspicuae, quas ut admirer maxime, ita nunquam hîc a me mihi satisfieri. In patriam ubi reversus ero, ut ex me ipso id intelligat, operam dabo. Literas illas, quas ad *Intimelium* dederas, periisse miror; cum suas eidem fasciculo insertas *Vestingius* caeterique aeceperint. Scripsi ad amicum illum nostrum, & quid literis illis factum esset sollicite quaesivi. Suspectam jam pridem habeo mercatorum Venetorum Stryckeri & Gulielmii negligentiam, ad quorum aedes literae haud dubie delatae sunt. Quod si est, malae fidei notam a se amoliri non possunt. Cum enim plurimae amicorum meorum literae perierint ad ipsos directae, id tamen hactenus agunt, ut persuadeant mihi eas ad aedes suas non esse perlatas, & in via periisse. Loca illa, quae in Livio Medicaeo conferri voluisti, ut conferantur aut a *Donio*, qui id promisit, aut ab *Holstenio*, operam dabo. *Holstenius* quidem aestate proxima Florentiae per tempus aliquod se moraturum affirmat. Cum ex urbe illa discederem, denuo in eam reversurum me certo opinabar. Nunc cum parens meus, post amissam sororem unicam, cum summa solitudine conflictetur, ac brevi magis etiamnum conflictaturus sit, ubi Amstelodamum affinis meus habitatum concesserit; de reditu in patriam maturando cogitandum mihi video. Florentiae dum viverem, optimam temporis rationem habui, nam praeter Ovidianos ac Claudianaeos codices satis multos diligenter collatos, Virgilio quoque, & Senecae, & Curtio, & Plinii epistolis manum admovi. Cum tamen mensibus tantum tribus in urbe illa vixerim, & quidem ex recenti morbo debilis; tum immane quantum saeviente canicula. In hac autem urbe adeo nihil egi, ut me mei prorsus pudeat, sive id socordiae meae adscribendum, sive quod opinor verius, Romani aëris genio, nihil enim hac urbe otiosius inertiusque nosti. Totum fere in deambulationibus tempus mihi tritum est & exactum. Cl. *Holstenius* mirum qua me benevolentia complectatur, cui omnia fere hîc debeo: adeo nullum officii genus intermittit, quo me demereri sibi possit. Praeter alia, quae dono dedit, etiam *Johannis Lydi* de mensibus Romanis librum hactenus ineditum promisit, qui plurimi usus erit in Ovidianis Fastis illustrandis. Si quandoque ad illum scribes, velim ex te sciat, magnum me praeconem esse beneficiorum illorum, quae tam cumulatim in me contulit. Scribes autem, ut proximè monui, si Alexiadem obtinere velis: quam jam, ni fallor, impetravi. Missurus enim eam est terrestri itinere in Galliam ad *Puteanos*, unde porro ad te perferatur. Mari enim ut hunc thesaurum committat, persuaderi non potest.

Sarcinis alioquin meis eum inseruissem. Tu tantum hoc age, ut precibus meis tuae quoque accedant. Fasciculus nuper ex Gallia perlatus est ad me, in quo illustrissimi *Montauzerii*, *Puteani* junioris, *Menagii*, *Fabroti*, aliorumque epistolae. *Fabrotus* post Basilica absoluta Cedrenum edidit. Nunc autem jussu, ut scribit, Cancellarii, de Mutuo contra *Salmasium* apologiam edit. *Heraldi* quoque ingens ac horribilis liber, ni fallor, jam exuditur. *Salmasius* interim, postquam affinem meum defricasset, & ab illo probe defricatus esset, parenti meo bellum denuo denunciasse dicitur. S. Cyprianum a *Rigaltio* multis locis emendatum brevi quoque videbimus. *Sarravius* in colligendis Grotianis epistolis totus est, a quo tamen literas proxime non habui. Post absolutum observationum tuarum libellum, exemplar ad me Venetias ut mittatur mari rogo, quod affini meo poteris committere, ut & literas imposterum tuas, si quidem Majo proximo Amstelodamum concedit, ut in ultimis meis monui. Cl. *Holstenius*, *Servius*, *Allatius* viciſſim te salutant. Nam *Mironum* ab aliquo tempore non vidi. Vale, mi Gronovi, & medullitus te amantem ama. Romae. CIↃIↃCXLVII. die XVI. Febr.

Clarissime & Charissime virorum, has jam scripseram cum Cl. Holstenium conveni & rogavi, si quid ad te vellet. Scripturum se promisit. Accedam eum denuo, ut videam, si fidem liberarit. Iterum Vale, & ut sciam meas tibi redditas, quam primum respondе.

EPISTOLA. CXLII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Romam.

NObilissime & Maxime juvenis. Male sit illis quibuscumque fraudatoribus, quorum culpa accidit, ut mei apud te officii ratio non constet. Nam ego diligenter, nec ulla mora interposita, tuis omnibus respondi. Etiam accepto volumine Poëmatum tuorum gratias egi tibi, etsi me verba deficerent. Scis nempe, mi Heinsi, quid saepenumero visis singulis ad te scripserim, scis quid de omni genere stili tui judicem, quomodo eo tenear, ut nihil purius, doctius, elegantius putem, quodque propius ad sanam illam antiquitatem accedat. Unum reprehendebant amici tui, quod tam cito ἐφαπτοκέλλον spectavisses, cumque tam multa, tam bona posses, tam pauca dedisses, in te unum malignus, homo in quosvis alioqui benignissimus. Quibus poene acceſſissem, nisi succurrisset in procinctu tibi responsionem adversus me fore, scilicet in tam paucis me multum esse. Nisi illud tecum queri velim, hoc ipso me abs te invidiae magis objectum esse. Sed malo illam ferre, quam beneficio tuo carere, ne me hujus extenuandi caussa & ingrato animo illius metum obtendere autumes. Itaque hoc nomine infinitum me tibi devinctum profiteor, & quam-

quamvis imbecillus, quamvis abjectus iis me adſcribo, qui vehuntur Maeonii carminis alite. Quae autem tu εὐαγγέλια de Seneca & Curtio? O det Deus, hoc mihi munus ſalvum tecum perveniat. Facile gratiam tibi facio eorum, quae de Tito petieram, ſi hunc theſaurum per te nanciſcar. Et ſic quoque excuſandum habeo, quod opera, quam tam belle tibi ipſi impendere potes, abuſus fuerim. Haec mihi ſerva: & ultra abjice omnem de me curam, tibi ſervi: tibi ipſi cum ludum & veniam dabis, corpus & valetudinem cura: habes jam, quo cum omnibus deſideriis meis tranſigere poſſis. Fabricianis tantopere te delectatum eſſe gaudeo, nec deero, cum ad eum ſcribam, quin iſti foculo aut arulae potius amoris, quam tibi paſcit, oleum adfundam. Praeſtiti idem tibi apud ampliſſ. *Holſtenium* in iis, quas ipſi trades: quamquam nec opus eſt, & omnia, quae honoris tui cauſſa hujuſmodi ago, tenuia ac diluta ſint prae meritis tuis. Pergit Alexiadem polliceri, nec rogare te audeo ut urgeas, ne ipſius liberalitati diffidere videar. In hoc vertitur omne meum de illa conſilium, cui deliberatum eſt nihil tentare, niſi auſpicio ejus admittente. Tu tua prudentia utere. Sed vide in primis, ut quem narras Lydum impetrem, de quo neſcio quomodo antea monere te oblitus fui. Nam & ipſe eum vidi, una cum illis, quae jam vertere coeperat, & ſermones mihi cum τῷ κάνυ fuerunt de eo, cujus tu nunc ſpem habeas. Ego impellente *Vlitio* noſtro paravi quidem Obſervationum librum & ad eum miſi, ſed quid eo futurum ſit, etiam neſcio. Si edetur, dum abes, noli quidquam citius exſpectare: conſtitutum eſt mihi prima quacunque editione redimere & abolere notam malignitatis, cujus apud amicos me ſuſpectum fecit in Livio τὸ δεινὸν illiberalitas. Nunc quod vacabat ab illis diurnis, in Senecis eramus: ubi etſi ſolius ingenii remigio rem gerimus (quod genus tu merito non magni facis) ſunt tamen quaedam, quae, ſpero, tibi probabimus. Serviunt enim nobis accuratae illae Gruteri annotationes pro MSS.: nam Tragoedias, etſi inceperam, differo in adventum tuum, quem etſi ex animo felicem & exoptatum tibi opto, tamen, ut nimis properes, non deſidero: ſcio enim quae lucra, dum abes, facias, quibus tamen etiam ne adeo inhies, ut domus patriae obliviſcare. Et obitu amitae ob ſolitudinem patris tui dolui, & proceſſu affinis ex animo gaudeo. Quod ſcribes iterum turbari, teſtor ante ſemeſtre, me ſerio dehortatum & petiiſſe, ne quem factum alienum praeſtare vellet. Non vidi: nam ad me non miſit, praetexto nulla accepiſſe a typographis exemplaria. Tu iſta contemne, nemo facit, quae non ab aliis viciſſim patiatur. *Kinſchotius* noſter valet & lepidus eſt Monaſterii: ut primum ad eum ſcribam, admonebo tui. Vale anime mi, & te ipſum cura. Deus te nobis cum omnibus tuis ſoſpitem reddat. Daventriae a. d. VI. Kal. April. CIↃIↃCXLVII.

Viros Clariſſ. & multis nominibus mihi ſuſpiciendos, *Leonem Allatium*, *Servium*, *Moronum* plurimum ſaluto.

Digitized by Google

EPISTOLA CXLIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

NEscio an eas acceperis, quas una cum Holstenianis Roma non ita nuper ad te dedi. Venetias enim eas ad amicum miseram, quem paulo post e vivis excessisse intellexi. Ego vero nunc post Romanas illas antiquitates perlustratas funestissimi spectaculi pertaesus Neapolim admiror, in qua nihil requiras merito praeter eruditionem & elegantiorum literarum cultum, ad quas tamen civitatem hanc a natura factam credas. Si mei juris sim, aestivos menses hîc velim transigere. Sentio enim & experior aërem hunc Romano longe salubriorem. Huc accedit, quod numis antiquis conquirendis coepi incumbere: quarum copiam haec ora submINistrare mihi possit. Bibliothecas paucas hactenus vidi. Commendatione Cl. *Holstenii* ad eam admissus sum, quam *Jani Parrhasii* legato Augustiniani possident. Inveni illic Ovidii Metamorphosin Longobardicis literis scriptam, sed & illud exemplar eodem fato usum est, quo Florentinum S. Marci, ut vetustae lectiones plerisque in locis a sciolo erasae sint. Suppeditavit quaedam tamen non poenitenda, & si non aliud, monuit certe docuitque, quae suspecta loca sint habenda. Paulo ante meum ex Romana urbe discessum *Fabricio* nostro Elegiam inscripsi, quam hîc mitto, ut, si tanti sit, ad amicum nostrum porro mittas. Misi & aliam ad *Kinschotium* hac paulo meliorem, quam *Pausilypum* inscripsi. Velim eam videas; ut autem videas, exemplar a gratiarum illo corculo pete. Revocabit tibi illa in memoriam delicias pulcherrimi tractus. Habes hîc a *Paganino Gaudentio*, qui se studiose tibi commendat. In patria quid tu, quid caeteri amici agatis cum ignarissimis ignoro, adeo rarae ad me literae scribuntur. Intellexi tamen hîc valetudine minus commoda te uti: quod permolestum mihi accidit. Annos interim diuturnos vel de meis tibi voveo. Vale, virorum ac amicorum summe, & frequenter scribe. Observationes tuas jam prodiisse spero, nisi *Vlitii* absentia moram huic negotio injecit: quem inter & uxorem nescio quid simultatum ortum audio, & vehementer displicet. Neapoli IV. die Maji. CIↃIↃCXLVII.

EPISTOLA CXLIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

NOlim profecto affectum meum ex literis a te aestimari, quas rariores, quam oportebat, ad te misi, dum domo absum. Habeo tamen causae meae patronum ipsum te, mi Gronovi: cujus exemplo impune hactenus hoc lice-

Digitized by Google

licere mihi gaudeo. In postremis quidem, quas per *Vlitium* nostrum curasti, meis omnibus te respondisse affirmas & quidem accurate. Quo tibi nomine multum sane debeo. Si tamen severus officiorum exactor essem, quae utrimque inter amicos praestanda sunt, provocatorias non minus, quam responsorias a te flagitarem. Nunc vero abunde mihi satisfactum reor, quod respondere meis dignatus sis. Quidvis enim ferre certum est, dum in affectu tuo is mihi constanter locus patet, quem nullo meo merito, sed benignitate ac indulgentia tua fretus jam olim occupavi. Responsorias quidem tuas omnes ad me perveniisse prorsus opinor, iis tamen exceptis, quas ad *Vintimiliam* miseras. Monui virum optimum, ac diligenter quaesivi, quid iis factum esset. Sed obiter respondit, illis omissis, de quibus potissimum a me consultus erat: cum affirmaret, eodem sibi die Venetiis in Illyricum aut Dalmatiam proficiscendum, ut quadrageſimali festo per oras illas concionaretur. Ubi reversum intellexero, denuo interpellabo. Omnes enim tuas salvas mihi volo. Scripsi nuperrime, sed breves; & affinem rogavi ut ad te curaret, una cum Elegia *Fabricio* nostro inscripta, eas jam tibi redditas confido. Postea supervenerunt tuae, quas miserimus, & uxorius ille *Vlitius* noster, ut jam dixi, ad me curavit. Quas ad Cl. *Holstenium* dederas, eodem, quo accepi, die Romam misi. *Allatium*, *Servium*, *Moronum* aut per literas, aut coram in urbem reversus, tuo nomine salutabo. Futurum video, ut aestas proxima hîc mihi transigatur. Inveni enim Grammaticorum nonnullorum opuscula, hactenus ni fallor inedita, magno mihi usui futura, quae omnino velim describere. Inter quos *Volusianus Messus*, quem alii *Cornelium Frontonem* volunt. Is fragmenta Ciceronis ac Sallustii multa citat, quae in eorum operibus frustra quaerantur. In phrasibus minus usitatis annotandis potissimum occupatur, quas ex quatuor auctoribus selegit, Virgilio, Terentio, ac iis, quos jam nominavi. Ubi Macrobii Saturnalia absolvero, (quorum veterrimus codex, sed non multum a vulgatis editionibus diversus ad manum nunc est) ad Volusianum describendum transibo. Propertium & Ovidii Amatoria jam excussi, ut & Metamorphosin, literis Longobardicis scriptam, nec Florentino codice multo recentiorem; minus tamen bonum. Quod in iis omnibus locis, in quibus aqua mihi haeret, quaeque corrupta esse constat, vetus lectio penitus erasa sit, adeo quidem, ut ne vestigia quidem literarum supersint. Incipio profecto desperare, inventurum me codices auctoris illius, quales necessarii forent, bonam editionem procuraturo. Juvat tamen me conferendi labor ille, quod conjecturae inter legendum subinde novae nascantur, nec infelices; de quibus ante non cogitaveram. Specimen earum, quae nuper natae sunt, en tibi: eas ut perpendas accurate rogo, nam veras omnes praestare nolo. Lib. VII. Met. Fab. Medeae. *Ter sumptis flumine crinem Irroravit aquis, ternis & hiatibus ora Solvit.* Codices plerique, *terniſque & hiatibus.* Florentinus: *terniſque . . . . iatibus*, erasis aliquot literis. Lege, *terniſque ululatibus.* Lib. XIV. p. 372. Ed. Elz. *magicis Hecaten ululatibus orat.* Paulo post: *currus quoque carmine noſtro Pallent, & pallet noſtris aurora Venenis.* Libri veteres nonnulli, inter quos Neapolit. & Barberin. *Pallent aut pallet.* Ver-

Digitized by Google

ſus minus eſt rotundus, quam Ovidianum deceat. Lege minima mutatione, *currus quoque carmine noſtro Pallet avi: pallet noſtris Aurora venenis.* Avum Medeae Solem fuiſſe quis neſcit? conjunxit, Lunam, Solem, Auroram. Scriptum antiquitus fuit *Pallet aut*, una litera peccante. Deinde ut conſtaret verſus, *Pallet* in *pallent* mutarunt. Tranſeo ad lib. XV. p. 396. oratione Pythagorae. *Fletque Milon ſenior cum ſpectat inanes Illos, qui fuerant ſolidarum morte ferarum Herculeis ſimiles, fluidos pendere lacertos.* Inepte *ſolidas feras* vocat. Libri nonnulli, *ſolidorum more ferorum.* Puto veram lectionem me inveniſſe, etſi conjectura paulo audaciori. Pro *more mole* legendum, & ita, ſi recte memini, excerpta, quae domi habeo. Sed hoc leve. Pro *ferorum*, mutatis prioribus duabus literis, *tororum* ſcribo. *Similes Herculeis laserti Milonis ſolidorum mole tororum* ab aliis quoque laudati. Noſti id Valerii Flacci lib. I. *Conſpicuuſque toris Tyrynthius.* Et de Meleagro ibid. *Oſtenditque humeros fortes ſpatiumque ſuperbi Pectoris, Herculeis aequum Meleagre lacertis.* Romae in Vaticana Martialem in Voſſii noſtri gratiam contuleram. Proponam inde conjecturam, quam neſcio an alii occupaverint. Tu me doce. Locus eſt lib. IX. Ep. XLVIII. *Sic quaſi Pythagorae loqueris ſucceſſor & haeres; Praependet mento nec tibi barba minor:* Veterrimus liber, *Praependetque minor nec t. b. tamen:* qui tamen non optimae fidei. Alius, *Praependetque tamen n. t. b. minor.* Et in margine, *Dependet ſape.* Lege, *Dependet Samiâ nec tibi barba minor.* Comam Pythagorae in proverbium abiiſſe apud Graecos non neſcis. Sed jam ſatis eſt. Monitus eram a Cl. *Holſtenio* veterrimum inter libros *Parrhaſii* codicem T. Livii extare, quem in tuae ſpem gratiae conferre decreveram, ut idem V. C. teſtari poteſt. Atque adeo Macrobio praetuliſſem, ſed inveni non niſi Decadis primae tomum, annos vix quadringentos referentem. In Seneca conjecturas aliquot tibi proponere poſſem, ſed omnes obſervatas tibi credo, qualis eſt illa in Agamemnone Act. II. *Spartamne repetes ſpreta & a tanto viro?* V. C. *& Euro tantum.* Lege, *& Eurotan tuum.* Ubi hinc diſceſſero, caeteras urbes in tranſcurſu tantum luſtrabo, & ſpero hyeme aut vere proximo domi me futurum. Omnino enim ſeni optimo parenti meo ſolitudinis, cum qua nunc conflictatur, taedia ſublevata volo. Ex Poëmatiis meis tam pauca a me publicata, quod queruntur amici, amice quidem illi. At ego multa etiam ex iis, quae extant, magno a me retrahi ac premi poſſe cupiam. Adeo perquam pauca ad guſtum meum ex iis ſunt. Spero me allaturum mecum novum Elegiarum libellum, etſi non bonum, meliorem tamen illo, quem Pariſiis publicavi: quod tute fateberis, ſat ſcio. Nam Elegia illa ad *Fabricium* non admodum feliciter mihi ſucceſſit. Alias duas poſtea in hac urbe ſcripſi (totos enim dies hîc poëtor) quas magis probo. De Alexiade *Holſtenio* noſtro aurem vellicare non deſinam. Obſervationes tuas quamprimum prodire velim. Scripſi jam ea de re ad *Vlitium*, oraviquc, ut quantum in ſe, editionem maturaret. Cl. *Donius*, a quo literas habui, de re ruſtica commentarium parat. Alium de Muſica veterum ſub praelo habet. *Gaddius* ingens volumen parat, in quo de omnibus auctoribus, qui hactenus prodierunt, judicaturus eſt, etiam de iis, quos nunquam legit. Pla-

to-

tonem ait nimis affectate scripsisse. Risumne tenes? Talia infinita sunt. Conatus sum dissuadere, sed nihil profeci. Vale, literati orbis delicium. Neapoli CIƆIƆCXLVII. die XX. Maji.

O' δεῖνα ad ingenium rediit, &, ut audio, malignissime denuo Parentem in postremis scriptis excepit. *Vorstium* denique ac ipsum *Bartholinum*, juvenem candidissimum sane & Parisiis mihi notum, omnes denique probos. Qua malignitate amicos in Gallia suos in ruborem prorsus dedit. *Sarravius*, qui omnia in ipso excusare solebat, obmutuit. At ego gaudebam, quod Militiam ejus vacare intellexeram. Nunquam profecto minus ille otiosus est, quam cum otiosus: nunquam minus pace fruitur, quam cum militiam intermittit. Interim apud populares suos strenue vapulat, *Heraldo* potissimum. Nam *Fabrotus* (quem ego ob candorem morum & prolixam comitatem magni facio) modeste respondet, & quidem me auctore. Ab *Heraldo*, ut idem faceret, impetrare non potui, qui ut omnium bonorum obtrectatorem illum exagitat. Cum Parisiis essem, circumferebantur virulentae ejus literae, in quibus & te & alios professores, quos credebam illi valde amicos, viros certe doctissimos, petulanter exagitabat. Unde rumor per urbem sparsus erat, maximas inter te & ipsum simultates esse ortas. Negavi ea de re quicquam mihi constare: compertum tamen mihi esse, eo illum esse ingenio, ut nec amicis parceret. Potuit ipsarum literarum copia mihi fieri: nisi quod in iis, quibus nocere possim, negligens esse malo, quam accuratus. Nec sane haec eo nunc a me dicuntur, ut honorifice minus de illo sentias, quam hactenus facis (pro viro enim doctissimo si tibi habebitur, mecum senties) tantum ne de affectu & candore ejus nimium tibi pollicearis. Premere hanc admonitionem poteram, nisi & amicissimus mihi esses, & literae illae publice tum temporis per urbem circumlatae sint. Titulus ille § *Maxime Juvenis* in postremis tuis vehementer mihi displicuit. Rogo ut ingenue & sine titulis (iis praesertim, qui non debentur) imposterum mecum agas.

EPISTOLA CXLV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

SUmme & amicissime vir. Bis nuper ad te scripsi. Tertium nunc scribo: breviter tamen & abrupte. Tuae ad Cl. *Holstenium* recte curatae sunt. Ac de Comnenâ rem confectam habemus. Ita enim ille in ultimis ad me, quas hodierno die accepi. Missum est exemplar ad *Puteanos* Lutetiam, ut inde ad te perveniat. Decreverunt regii typographi scriptum illud typis suis committere. Suadeo igitur ut festines, quantum in te, versionem: ac *Puteanis* fratribus gratias agas, qui preces suas meis conjunxerunt, ut amicum nostrum ad

Digitized by Google

ad promissa praestanda faciliorem redderent. Habui ab iis hodie literas, ut & a *Sarravio*, & *Menagio*. Sed nihil aut parum novi. Nunc sum in describendo *Arusiani Messi* de elocutionibus libello, in quo fragmenta Ciceronis & Sallustii multa. Adsunt & alii Grammatici non editi ad manum. Sed ingruunt calores: qui, ut opinor, diligentiam meam praeversuri sunt. Tu, me ama, & vale. Neap. Junii CIↃIↃCXLVII.

Cl. *Holstenii* Nepos A. Gellium Parisiis edidit. Prodiit & *Fabroti* Apologia. *Heraldi* liber ingens praelo brevi committendus est, nec dum tamen commissus. Cedrenum & Curopalatam luculentiores non ita nuper prodituri sunt. *Intimelius* a multo tempore nullas ad me dedit. Genuam eum habitatum concessisse intelligo. Raptissime scribebam.

EPISTOLA CXLVI.

J. FR. GRONOVIUS.

Nic. Heinsio.

Neapolim.

NObilissime & Maxime juvenis. Binas tuas ex juvenili Parthenope, sive mavis otiosa Neapoli, datas uno tempore accepi: Gaudeo te unicis Europae deliciis tam sane tamque caste perfrui. Itaque non vereor, ne tibi Neapolis, quod Hannibali Capua. De Elegia ad *Fabricium* bene cavisti, ne tuae manus exemplum servarem, ipsum a me facto contentum esse juberem. Fecissem enim ne periret ille versus, *Literaque auctorem*. Et charta nescio unde madefacta aliquid vitii fecerat. De valetudine mea minus commoda falsus rumor fuit, quem tamen in hanc partem peccare malo. Si nihil aliud, ut tu me votis tuis bees, quae tamen tuo ipsius tam pretioso capiti damno esse nolim. Ad *Holstenium* V. CL. scripsi, quae res postulabat & tu intelligis, non mei tantum, sed vel maxime tui negotii caussa. Si unquam de te cum cura, ut me semper decet, locutus sum, hîc ut loquerer mihi cura fuit. Itaque magnopere voluissem, etiam te Romae fuisse, cum illas tradendas acceperam, si forte fructus inde aliquis apparuisset. Quod si illis opus non fuit, & tamen omnia tuae virtuti impetrabilia fuerunt, ita ut debebant, melius est, nec poenitet, quod amplissimus popularis meus ultro atque ante meam adhortationem recte se fecisse gavisus fuerit. Quae vero tu evangelia de *Volusiano Messio* & fragmentis quatuor summorum & castissimorum auctorum? O perge describere fideliter, & tibi primum illo thesauro fruere, deinde & publico fruendum trade, vel si mavis, opere censorio loca. Erunt qui digitum tollant, & satis animose tuae laudis benigno pretio conducant, nosque inter illos primi. Sed & quae ad Ovidium, Martialem, Senecam notas, extra aleam mihi videntur. *Eurotan tuum*, videbis mihi observatum in primis meae collationis schedis, cum, quod spero, ad nos fueris reversus. De poëmatis tuis noli queri. Cave ne fastidias, & nimia lima

in

Digitized by Google

in vitium incidas. A *Kinſchotio* prima occaſione elegiam petam, & tuo ingenio pariter fruar. De Obſervationibus edendis ſpes, quam fecerat *Vlitius*, decelavit, haud ipſius, ut reor, culpa: quamquam illius triſtiſſimi, & nunquam ſatis ei dolendi caſus, nos quoque aliquod ſupplicium luere putare poſſis. Cenſorem illum parum cognitorum auctorum amare poſſum ob honorem, quem literatis habet, quo ſi ſolo cenſeri vellent ipſe ejuſque ſimiles, praeclare conſulerent: nunc alia conando etiam laudes ſuas detrectant. φιλολοιδόρου γλώττης βέλεμνα κοῦφα magno animo contemne. Et ab eo, propter quem juſtiſſime doles, meritis jamdudum exſtincta & obruta ſunt, & quam partem ad te pertinere putabis, ſatius eſt te quoque, quod potes, meritis exſtinguere, quam vicem reddere. Ego in Senecis pergo, atque etſi ſolius ingenii remigio rem geram, ſpicilegium tamen habeo non contemnendum. Vis pro praeclaris tuis obſervationibus noſtras aliquot nihili tibi reponi? Epiſt. XXIV. refertur verſus Lucilii, quem *Muretus* & *Lipſius* non intellexerunt, ſola diſtinctione impediti. *Mors non ultima venit; quae rapit, ultima mors eſt.* Ita nempe faciendum, hoc ſenſu. Mors non eſt ultima eorum, quae patimur: per totam vitam morimur & mortibus carpimur; ſed illa, quae nos rapit, ultima eſt mortium, non ſola, ut vulgus putat. Et hunc locum tractaſſe ibi Lucilium dixit ante Seneca. Epiſt. LII. *Quoſdam ait Epicurus ad veritatem ſine ullius adjutorio contendere, ex iis ſe feciſſe ſibi ipſum viam.* Verbum *contendere* non eſt in MSS. bonae notae, ex uno *Pinciani* inſertum, & uno Pall. atque eo corruptiſſimo firmatum: dein omnes alii *ſibi ipſos.* Scribendum eſt. *Quoſdam ait Epicurus ad veritatem ſine ullius adjutorio, ex iis ſe, feciſſe ſibi ipſos viam.* Vides quam ſcita brevitate. Epiſt. LXXXVI *In qua* (villa) *didici ab Aegiale, diligentiſſimo patrefamiliae, quamvis vetus arbuſtum poſſe transferri. Hoc nobis ſenibus diſcere neceſſarium eſt, quorum nemo non olivetum alteri ponit. Quod vidi, hoc dico: illud arboretum trimum aut quadrimum faſtidienti fructus autumno deponere.* Rogo te intelligis, quid ſit *deponere fructus*, & potes hoc conciliare prioribus, quae volunt dicendum fuiſſe, ipſas arbores tantulae aetatis alio loco depoſitas fuiſſe utiliter. Et tamen eſt haec *Lipſii* correctio, ex Electis ipſius in omnes editiones recepta. Sed libri omnes *arborum*, non *arboretum*: & fatetur ipſe hoc eſſe ab conjectura ſua. Sed unam rem non curavit, maxime notandam, τὰ *hoc dico* in quinque Pall. nullum veſtigium ſui habere. Ita ergo recide, & dein pro *illud* ſcribe *illum*: habebis, ni fallor, quod Senecae fuit: *Quod* (nempe olivetum) *vidi illum arborum trimûm aut quadrimûm* (i. e. trimarum aut quadrimarum) *faſtidienti fructus autumno deponere.* Lege ſequentia, & in primis: *Ad olivetum revertor, quod vidi duobus modis depoſitum.* Ita enim hic quoque ſcribendum, non *diſpoſitum.* Epiſt. XCI. extrema: *Numquid detrimenti faceret vir bonus, iniquis rumoribus adſperſus? nec morti quidem hoc apud nos noceat: & haec malam molitionem habet.* Lipſius *molitionem* vel *amolitionem.* Nos, *malam opinionem.* i. e. famam, exiſtimationem. Ut ſcis vocabulum *opinionis* interdum capi, & ex utroque Seneca exempla in promtu habemus. In Patre, Suaſoria VI. *Scipio cum gladium ponere juſſus foret, dicitur abdidiſſe ſe.*

Digitized by Google

Loquitur de socero Pompeji, qui, ut scis, in Africano mari sibi manus attulit. Itaque Nic. Faber: *occidisse*. Sed verum est: *abdidisse in se*. Nosti, *capulo tenus abdidit ensem*. Ibidem: *Injusta bella albo Pharsalica ac Mundensis Mutinensisque ruina vincitur*. Scribo, *Vnius tabellae albo:* & intelligo tabulam proscriptionis. Controversia XXXIV. *Non minus stulte Aemilianus quidem Graecus rhetor, quod genus stultorum amabilissimum est. Hexarida fatuus dixit:* ἀποκτείνατε Παρρήσιον, &c. Bonus Schottus in Declamatorum indiculo nobis *Hexaridam* posuit. Sed scribendum: *amabilissimum est, ex arido fatuus*. Ut eadem Contro. superius, *ex captivo cocus, ex coco lecticarius*. Sed & alios passim *aridos declamatores* traducit. Totum vero illud M. Senecae elegantissimum opus, ut misere affectum est? Certe prae hoc nullum Augiae stabulum est. Habui quidem ab *Isaaco* nostro MS. codicem chartaceum, sed, ut recens, & aeque corruptus, parum profuit. Tamen istis & paucis istiusmodi mimum nostrum implebimus. Scis [1] amicum nostrum Leidae portenta moliri? ex Scythica, quam vocat, lingua Graecam & Romanam, (nam de Hebraea Theologos veretur) deducere? Et hoc adeo serio, ut dissuadentes, etiam Patrem tuum, nullos audiat. Specimen jam dedit Belgica lingua scriptum, & dedicatum Auriacae Principi matri, in quo eam docet, foeminas, atque adeo ipsam, honeste appellari, *Teve*. Jamque alterum sub manu, si non sub praelo est. Hardervici Ordines Geldriae Academiam instituunt. *Vossii* de re poetica propediem exibit. *Swartii* commentarios in Curtium grandes, in quarto ajunt Vltrajecti prodire. Vereor ne *Raderiani* & *Freinshemiani* fraterculum germanum futurum putes. Quibus placuit προπεμπτικὸς, hortati sunt, ut ad Celsi patris τοῦ μακαρίτε [2] Celsum filium in hoc aditu haereditatis tum justae, tum gratiosae idem molirer. Conatus sum: si prodibit, scies: nam etiam delibero. Vale, vale, corculum meum, & re bene gesta salvus ad nos revertere. Daventriae a d. IV. Non. Sextil. Gregori CIↃIↃCXLVII. postridie quam tuas accepi.

Dum exspecto tabellarium, qui has ferat, tertiae tuae supervenerunt, jucunda de Comnena nuntiantes. Gratias tibi ago pro illo studio, quod mihi apud Cl. *Holstenium* praestitisti, facturus idem *Puteanis* fratribus, & in primis ipsi, cum accepero. Neque in me quidquam postea morae erit. Suetonius cum notis variorum Leidae prodiit: si tu domi fuisses, doctiores nos fecisset. Nunc Sulpitium Severum sub praelo habent. *Pareus* de particulis Latinae linguae his nundinis se daturum per literas mihi promisit: an praestiterit, adhuc nescio. Iterum vale. Nonis post acceptas tuas. Si Decadis primae bonum codicem alicubi reperires, & conferendi otium esset, gratum faceres: nam eam totam cum nullo insigni libro scripto contuli. Sed hoc, ut lubebit, & res tuae patientur.

1 *Bexbornium.* 2 *Guilielmum* II. Arausionensem.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXLVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio

Deventriam.

CLariſſime & amiciſſime virorum. Quibuſcum nuper turbis Neapolitani conflictati ſint, atque etiamnum conflictentur, non ignorare te paſſus eſt, ut opinor, rumor publicus. Plebi gliſcit & accreſcit indies effrenis petulantia, quae ne in exteros praeter expectationem aliquando graſſetur, poſt nobilitatem ejectam, vehementer metuo. Sontes juxta ac inſontes crudeliter indies ad ſupplicia trahuntur, nec cauſſae dicendae locus eſt, adeo inauditi paſſim jugulantur, carnificis nomen quilibet ex plebe ſibi vindicat, cultris oblongis armati hoc nomine circumambulant, lanios eſſe dicas, nec finem horum motuum proſpicio: adeo delectantur guſtato ſemel ſanguine atroces iſtae belluae. Quae quidem omnia cum mecum expendiſſem, advocato etiam amicorum conſilio, nihil praeter rem meam facturus videbar, ſi in pedes me conicerem, & Laeſtrigonum infandorum manibus elaberer: mari iter faciendum fuit, ne quid noxae ex aëre Romano attraherem, aut in latronum poteſtatem venirem, qui vias circumquaque nunc obſident, nec inſtituti poenitet, cum omnia hactenus ex voto ſucceſſerint. Per hanc urbem tranſeunti tuae mihi occurrerunt, longe quidem gratiſſimae illae & peramanter ſcriptae, ad quas accuratius reſponſurus ſum, ubi Venetias venero, eo enim intra biduum contendo. Bononiae fortaſſis dies aliquot morabor, ſi aditus patebit ad S. Salvatoris bibliothecam. Tuas ad *Gaudentium* noſtrum miſi, & reſponſum die craſtino expecto. Maximi vir optimus te facit, ut & *Donius Gaddiuſque*, qui amice te ſalutant. *Donius* quidem dialogos ſuos de veteri Muſica, ſcriptum elegans & terſum, abſolvit, exemplar ut ad te mitterem rogavit, quod occaſione prima volo expectes. In Seneca, quae notas, digna te ſunt. Placuit imprimis conjectura illa, *Unius tabellae cibo*. Doleo auctorem illum ad manus mihi non eſſe, ut accuratius omnia excutere poſſim. Sed hoc Venetiis fiet. Vale, decus meum unicum, vale, Florentiae CIↃIↃCXLVII. die XXI. Aug.

Tempeſtatem illam in domo Vlitiana exortam, in cauſa eſſe doleo, quo minus Obſervationes tuae lucem videant. Incidi hîc in juvenem praeclarum, qui peſſime de amici noſtri facinore ſentiebat. Bis ad illum ſcripſi, cum ſolatia mea imploraret. Literas eas Hagam recta deſtinavit affinis meus, quod ignoraret eum Bredam commigraſſe, metuo itaque vehementer ne perierint. Hoc ut ex te ſciat rogo, ne fortaſſis in hac calamitate ſe deſertum a me ſuſpicari poſſit. Venetiis hanc jacturam ipſi reſarciam. Neapoli antequam abirem [1] Elegiam ad te ſcripſi, in qua mirificam diligentiam tuam & fidem in ſcribendis

1 Legitur ea libro 1. Elegia 7. vid. mox Epiſt. 149.

Digitized by Google

ad me epistoliis commendo. Tu hoc age, ne perperam laudatus videri possis. Prodiit hîc *Nardii* Medici in Lucretium commentarius. Peream male, si quicquam in auctore illo intelligit. Initio praefationis, audax facinus vocat, quod carmine Philosophiam attingere ausus est. Sed satis jam ineptiarum.

EPISTOLA CXLVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

NObilissime & amicissime juvenum. Ad communem & perpetuam voluptatem, quam mihi literae tuae praebent, in postremis accessit haec extraordinaria, quod maximo de te metu ob furores Neapolitanos liberatus sum. Igitur Soteria libens tuo nomine persolvam Deo immortali, & eum veneror, ut posthac quoque aut nihil, dum abes, aut frustra pro te timeamus. Tu quoque, ut adhuc, prudens esto, neque ullo casu fortitudinis laudem sequere, & *tantum vivere pugna*, *Inque pios Patris posse redire sinus*. Amici nostri domesticam seditionem quantopere doluerim, verbis vix possum adsequi. Quantum ad sustinenda conjugii onera in concordia & lenitate animi situm sit, exemplo meo experior. Atque ut utrimque peccatum esse non iverim inficias, ita magnus fuit error generosi hominis, quod oblitus est se vivere in Batavia, ubi si frigusculà ejusmodi publicentur, semper fama potiores sunt sequioris sexus partes. Sed detestabilis prorsus fuit sequestrorum insania, qui, quae vulnera parcente manu & mitibus remediis placare, dein omnibus integumentis obnubere ac luci subtrahere deberent, ea postquam furialibus facibus exulceratissima reddidissent, tantum non in theatro, cum sua & suorum aeternum poenitenda traductione, prostituerunt. De literis tuis eum monebo, quae si in manus istorum inciderunt, vix ad illum pervenerint, nisi nuper admodum mentes ad sanitatem sint revocatae. Unas ab eo, postquam Bredae vivit, habui, in quibus erat, instar discidii & familia erciscunda & liberis partiendis esse factum, propeque fuisse, ut judices id confirmarent, nisi, qui rem maxime ursisset, praestantis amici nostri parens in ipso apparatu decessisset. Ego Principi Auriaco accessum ad imperium & patrimonium sum gratulatus. Dices, non hoc meum fuisse? Vero, sed meum erat, amici nonnihil in aula valentis auctoritati parere. Res tamen non omnino male cessit: certe & Proceres plerique plausu, & ipse princeps congiario sedecim millium aeris, sive mavis quadringentorum flor. studium nostrum prosequutus est. Exemplar in formam epistolarem complicatum misi ad affinem tuum, ut si possit, ad te mittat, quod si Venetiis accipies, potes illic alicui amicorum, & in primis *Loredano*, cui gratissima erit tua salutatio, relinquere: apud me aliud tibi servabitur. Proceres Geldriae Hardervici in vicinia nostra Academiam instituunt:

eo

eo me arcessiverunt: sed tenuit conspiratio senatus & civium, & soceri uxorisque. Annua tamen quatuor millibus aeris (100. flor.) mihi aucta: quod cum speraret etiam collega Philosophus eodem vocatus, comiter dimissus est. Ego in Senecis pergo. Quid tibi videtur de illo Controv. VII. *Hic, qui unde vivat non habet, quam care tyrannicidae vestro se mancipat?* Controversia est de eo, qui fratre tyranno occiso incidit in piratas, scripsit ad hos pater: si manus ei praecideritis, duplam pecuniam, quam pro redemtione poscitis, dabo. Legerim itaque, *tyrannicidam vestrum emancat.* Nisi mavis, *tyrannicidas vestros.* Nam & sic de uno potest intelligi. Verbo autem *emancare*, pro mancum seu mutilum facere, utitur & Controv. 33. extrema: *gaudeo me non omnes emancasse.* De Poëtica re *Vossii*, credo, prodiit, & indies exspecto. Ejusdem de Philologia exercet operas. [1] O' κεφαλεφ τῶν μῶ pergit ad Tanaim sedere: jam alter liber processit, nihil, ut audio, novarum rerum sterilior. [2] *Swartius*, nunc Rector Bredanus, sed quem expectant quidam Hardervici mihi suffectum iri, grandes commentarios in Curtium edere dicitur. Nobiliss. & Ampliss. *Donii Gaddiique* mihi vivit vigetque memoria: oroque ut officiosissime eos a me resalutes. Faxo, si ullo modo fieri potest, aliquid nostrorum ad eos perveniat. Vale, meum & aevi eximium decus, & cum fuerit commodum, salvus cum salvis tuis rebus ad nos redi. Daventriae VI. Non. Octob. CIↃIↃCXLVII. qua hora postremas tuas accepi, ut videas cordi mihi esse, ut Elegiam tuam merear. Nihil mihi erit longius, quam dum illam videam. Iterum iterumque vale.

1 *Boxhornius*, quod nomen *cornua arietis* notare indicat.

2 *Eustathius Swartius*, *Barthio* familiaris, apud quem diu habitavit, & a manu fuit, & cui etiam plurima sublegit. Vid. *Barth.* XVII. Ad. 9. ad Stat. v. Silv. 1. 170. & ad Claudian. IV. Cons. Honor. 650. Rector Scholae Sylvaeducensis in Epistolis *Vossii* selectis 118. dicitur, Ultrajectinae etiam Scholae praefuit. Ambiisse munus agentis Principum Megalopolensium apud Ordines Belgii, patet ex Epistola *Rutgersii* inter Gudianas CXL. Omisit eum Valer. Andreas.

EPISTOLA CXLIX.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

AMicorum eruditorum princeps. Si prolixissimo erga te affectui meo satisfactum vellem, quotidie profecto literis meis compellandus esses. Quod quia non licet, amicissimis ac tui plenis cogitationibus mihi conor satisfacere. Venetias salvus adveni, quam urbem expectationi meae non respondere fateor, adsunt enim viri literati oppido quam pauci. Unde futurum video, ut Mediolanum post dies quadraginta forsan discessurus sim, ac inde porro in Gallias. Monendum itaque ea de re te duxi; ut si quid hîc curatum a me velles, tempestive id fieri posset. Taedet jam profecto me longae peregrinationis: & velim

lim unice quamprimum vobis adesse. Videor jam videre mihi gratulationes illas amicorum, & laetos circumquaque vultus.

[1] *Me meus Aöniis Gronovius induet ulnis.*
Ah pereat! si quem non manus illa trahit;
Digna vel Ausoniae Suadâ cultrice vetustae.
(Quam procul [2] heu Latio nunc Venus ista suo:)
De me, Dii, facile est, si rumpit stamina Clotho:
Hanc modo [3] detexat Parca benigna colum.

Sed desino ineptiarum, piget enim caetera describere. *Vintimilia* noster Genuam ex hac urbe discessit nuper habitatum. Queritur in postremis ad me suis vir bonus, nullam hactenus sui mentionem publice a te factam. Audi ipsum. „ *Godo che il nostro gent^mo Gronovio stia di continovo affaticando. Ma stupisco,* „ *che nelle sue opere non si ricordi de gli amici. Io non istamparei un foglio, che* „ *non li nominassi, ed egli ha stampate piu opere, e s'e scordato di tutti. Ma io* „ *burlo. Non voglio da gli amici, se non quello, che piace loro.*„ Sed haec in aurem tibi. Vides ambitionem monachorum! Prodiit hîc nuper horribilis liber, *Academicorum Incognitorum* vitis ac elogiis insignitus. Sunt autem amicorum in eo plerorumque, ac imprimis tua, & adeo inepte expressae effigies, ut *Incognitos* recte appellari non negarim, etiam eos, qui maxime mihi noti essent. Tu quid rerum nunc agas scire imprimis velim. Vale, meum decus. Habes hic a *Donio*, viro eleganti, & qui nihil inepte molitur. Exemplar libri ejus ab affine meo accipies, ubi in Bataviam advenerit. Venetiis. CIↃIↃCXLVII. die xxv. Sept. Raptim. multa nocte.

1 Pars est elegiae VII. Lib. I. Nic Heins. ad J. F. Gronov. p. 18. vid. supr. Epist. 147.
2 *A Latio*, legitur in edita.
3 *Continuet* editum. vid. Epist. CLXI.

EPISTOLA CL.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VIr Celeberrime, amicorum optime, maxime. Multo tempore nullas a te accepi, cum ipse jam allquoties scripserim. Venetiis diligenter S. Antonii bibliothecam excussi, totus pulvere tineisque conspersus, si antiquissimus ille Manilius compareret. Sed tantum abest, eum a me inventum, ut nullum prorsus antiquioris illic notae codicem offenderim, qui usui mihi posset esse, si graecos aliquot excipias. Aut raptum igitur oportet, aut in aliâ eum bibliothecâ tibi visum. Diligentius inquiram, ubi proxime Venetias sum reversurus. Illustrissimus *Lauredanus* affirmavit, se misisse tibi ante menses aliquot duo exemplaria libri illius, qui *Gloria Incognitorum* inscribitur: & miratur

Digitized by Google

tur nullum se responsum hactenus a te habuisse. Bonâ mihi fide fassus est, unice se velle, libros a te suos in Latinum sermonem transferri. Quasi vero aliud non sit quod agas. Metuo ne & idem a me petat, ausus propterea non sum familiarius illo uti. Alius ejusdem ordinis me convênit, rogavitque, ut amores suos, faeminam nescio quam nobilem, & sterilem, sibi dilectissimam, (quam adeo vivis coloribus depingebat, ut nihil praeter solum nomen dissimularet) Elegiâ prolixâ celebrarem. Praescribebat praeterea tanquam dictator, carminis leges, a quibus deflectendum nequaquam foret. Alui hominem stolidissimum vanâ spe, & promisi per otium ea de re me cogitaturum. Quid agas? ita nunc hîc vivitur. Dux quoque *Vindocinensis* famosi libelli, in Gallos scripti apud nos, Latine vertendi necessitatem mihi imposuit. Quae res toto biduo jam me exercet. Feci tamen id libenter in optimi principis gratiam, quoque nihil fingi humanius potest. Habent hîc sub praelo *Fortunii Liceti* de Lucernis veterum ex secunda editione commentarium, cui multa accessura sunt. Rogavit me *Rhodius* noster, ut ad Cl. *Smithium* scriberem hoc nomine, eumque de editione monerem. Si quae ex suis addi vellet, integrum id illi fore. Scripsi hodie, & epistolium ad affinem meum misi. Metuo tamen ne aut pereat, aut diutius certe in via haereat, quam par est. Velit enim typographus quamprimum scire, quid sibi expectandum sit, alioquin intra duos menses librum vulgaturus. Rogo ut hîc opera tuâ nobis adsis, & ad amicissimum virum ea de re scribas: ut tanto celerius responsum habeamus. Quas proxime tibi scripsi, cum Donianis, ut & has, ad *Vossium* nostrum misi. Vale. Patavii. die XVI. Octob. CIↃIↃCXLVII. Raptim.

EPISTOLA CLI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

NObilissime & Summe juvenis. Binas postremas tuas recte per *Vossium* accepi, plenas suavissimi & sinceriissimi amoris. Quo quidem supra quam verbis exponi potest afficior, & coelum tenere me arbitror. Primum, quid honestius cuiquam, quam abs te sic amari? Neque enim haec amicitiae tantum fides est, sed etiam personae indicatura: atque ea est tui judicii auctoritas, ut non tam quid facias, demonstres, quam quid faciendum sit, praescribas. Praesertim cum plurimi ingentes viri in illis locis, quae transiisti proxime, & cum maxime transis, multo majoribus officiis, quam qualia possunt a me proficisci, hoc a te contendant & redemtum cupiant; ego autem longo illo nostro discidio, non nisi inanibus incultisque literis te mei admoneam. Deinde proprie jucundius nihil est, tum mea causa, quem voti omnium maximi compotem reddis, tum etiam tua, in quo agnosco pristinam illam solidam virtu-

Digitized by Google

tutem, animumque firmum, neque prae tot novis neceſſitudinibus veteres faſtidientem. Quare & gaudeo te tandem domum reſpicere, & immani faſtu efferor, meam inter eas manus eſſe, quae te huc potentius retrahunt, quam illic aliae tenent, & complexu tuo, ut ſic dicam, livent. Unum mihi mellitiſſimis in verſibus tuis diſplicuit, quod tam paratum te ad decidendum cum Parcis de tuo capite oſtendis, dum meo caveas. Ego vero, ne ſirint fata, ut turbato etiam mortalitatis ordine ſequar illum, quem omnes, qui literas, ut decet, florentes cupiunt, ſibi optant ſuperſtitem. Quis enim vivit hodie, cui Latinae Muſae tantum, quantum tibi, debiturae ſint, ſive reſtitutis antiquis, ſive puriſſimi & cultiſſimi ſtili tui genio expreſſis? Itaque non princeps ille magis apud Naſonem tuum templorum, quam tu Auſoniarum Camaenarum, & Poſitor & ſanctus Repoſtor. Vive igitur, mi Heinſi, ac te primum ama: nos in poſterioribus ſatis habebimus loci, quo ſuperbiamus. Nobiliſſimi *Donii* literae mihi gratiſſimae fuerunt, cui, cum librum accepero, aut etiam citius aliquid reponam. *Intemelii* affectum & deſiderium amo, & cogitabo, quemadmodum illi ſatisfacere poſſim. Diſcrucior non comparuiſſe tibi Manilium MSt. quem tamen profecto non alibi vidi. Liber erat in maxima forma. Teſtes mihi Reverendiſſ. *Thomaſſinus* & *Fredericus Maripetrus* N. V. & ex Regularium Sanctorum Salvatoris coetu Canonicus. Ita enim ſe appellat in titulo, quem in albo amicorum mihi reliquit. Requires, ubi ſit iſte coetus, & an forte ſit error meus: ego certe non aliter, quam in D. Antonii conventu audiſſe me memini. De libro Gallico vide quaeſo, quid facias: illud certe cura, ut res ſecretiſſima ſit, nec tibi apud illos, quos forte in reditu tranſiturus es, periculum creet. Illuſtriſſimum *Lauredanum* mentionem mei apud te feciſſe laetor, eique velim ſalutationem meo nomine & officia mea paratiſſima deferas. Quas vides, ad eum ſcripſeram acceptis prioribus tuis, &, ni grave eſt, ipſi reddes. [1] Pariſienſes involarunt mihi Alexiadem: nam, ut habuerunt Holſtenianum exemplar, invenerunt hominem, ut audio, Jeſuitam *Poſſinum*, qui raptim operam transferendi promitteret & impleret. Jamque ajunt ſub praelo eſſe. Scilicet homini peregrino hanc laureolam concedere non potuerunt. Cujus potiſſimum culpa ſit ignoro. *Cramoyſius* literis ad me datis in *Seguerium* Cancellarium confert. Ego poſcenti Elzevirio nuper partem animadverſionum ad Senecam tranſmiſi: ad Naturales quaeſtiones, & Ludum, (ubi tu mihi occurriſti per occaſionem loci, quem aliquando in ſchedis Rutgerſianis apud te correctum vidi) hoc eſt, ad ultima proſa Lucii, his diebus abſolvi. Reſtant ſola Marci: quibus abſolutis Tragoedias aggrediar. Sed in has non habebunt typographi ante tuum adventum. Qui nobis & tibi tuiſque ut optatus contingat, Deum optimum maximum oro. Vale, vale, mihi & Muſis cariſſimum caput. Ad Cl. *Smithium* hoc ipſo die ſcribam. Iterum vale. Daventriae a. d. IX. Kal. Nov. Jul. quo die tuos poſteriores accepi CIↃIↃCXLVII.

1 De hac injuria multis agunt Gronovius & Heinſius in ſequentibus Epiſtolis, quas ſi vidiſſet Cl. *Fabricius*, potuiſſet inde augere ſua, quae habet lib. v. Biblioth. Graec. cap. 5. pag. 392.

Plu-

Digitized by Google

Plurimum saluto Viros Clarissimos & Nobiliss. *Vestingium*, *Vezzanum*, *Ferrarium*, *Rhodium*: *Vezzani* Ocellum Lucanum, promissum mihi, adhuc exspecto.

EPISTOLA CLII.

NIC. HEINSIUS

J. F. Gronovio.

Daventriam.

CUrae leves loquuntur, ingentes stupent. Heu funestum literatis in Italia viris hunc autumnum! Ut omittam, *Johannem Victorium Rossium*, qui se *Janum Nicium Erytraeum* appellabat, Romae e vivis sublatum, Florentiae *Evangelistam Toricellum*, *Galilaei* discipulum, & Magno Duci unice charum, Pisis *Vincentium Rinierium*, *Cavalierium* Bononiae, & hos quidem tres postremos Mathematicos praestantissimos, & scriptis satis claros. Ut, inquam, hos omittam, tibi fortasse vix notos; *Petrum Servium*, optimum amicissimumque mihi hominem, & in flore aetatis raptum, vix defleram; cum ecce vulnus novum, & caeteris longe atrocius, de *Donio* nostro funestum nuncium. Fuit nobis vir ille summus. Fuit, amicissime Gronovi, pridie Kal. hujus mensis vita defunctus. At ego calamitatis hujus ignarus ipso illo die, & eadem ferme, qua excessit, hora, literas ad illum exarabam, affectus erga ipsum tui indices. Nihil profecto restat miserae Italiae praeter sordes, tanto viro sublato, si unum alterumque ex eruditioribus excipiamus. Primas tamen *Donius* noster tenebat. De morbo ejus nihil intellexeram, nisi quod nobilissimus *Cavalcantius* literis suis mentionem de febricula, qua laboraret, inseruisset, quae literae diebus quinque aut sex ante mortem amici nostri exaratae, & fatali die mihi redditae sunt. Proximo septiduo a *Valerio Chimentellio* ecce literas alias, quibus magno in periculo eum esse moneret: postero die tertias, a *Carolo Datio*, quae me prorsus perdiderunt, funestas plane, & magnae calamitatis nuncias. *Datium* illum, amicissimum mihi juvenem, impense diligebat; cui & potissimam curam scriptorum suorum edendorum moriens mandavit. Curabo ut apud nos ea prodeant, si inter Italos typographi non inveniantur. *Gaddius* etiam graviter aegrotavit: melius tamen nunc habet. Ignosce, quaeso, si breviter nunc tecum ago: totus enim in dolore etiamnum versor. Ex *Vossii* nostri literis intelligo Alexiadem non tibi, sed Jesuitae cuidam Tholosati cessisse, quod certe contra mentem Cl. *Holstenii* factum est, & mihi summam indignationem expressit. Non ausus tamen sum ea de re ipsum monere, quod dubitarem, cum ipse rei indignissimae non memineris in tuis. *Puteanum* tamen Carthusianorum Generalem scitatus sum, & responsum brevi expecto. Si vera nunciavit amicus noster, auctor tibi sim, ut in instituto pergas: & Alexiadem typis minoribus apud nos cures excudendam. Potes e-

nim observasse multa, quae Jesuitam fugerint. Principis Auriaci liberalitatem tibi gratulor, quanquam meritis tuis longe inferiorem illam sat sciam. Orationem ipsam libenter videbo, & si accepero, cum *Lauredano* communicabo. Quaerit ille omni studio, virum literatum, cui scripta sua in sermonem Latinum convertenda obtrudat. Haec ratio est, cur ipsum vix accedam. Perduntur ingenia nobilitatis in urbe illa continuis adulationibus, quas admittere non debebant, si saperent. Sed nos videmus manticas. Vix credas, quanta cum patientia viros magni nominis inter suos interdum differentes audiam. Talis & Florentinus iste Elogiorum scriptor, caetera mihi admodum amicus, nisi quod adulari ipsi non possum. Emendatio tua in Seneca elegans est, &, si quid video, vera. Elegias meas praelo hîc brevi commissurus sum. Accedet illis tibi inscripta. Plura de rebus meis proxime. Salutat te *Rhodius* noster. *Ferrarius* cum morbo multos menses conflictatur: melius tamen nunc habet. Vale, meum decus. Patavii. CIↃIↃCXLVII. v. Eid. Decembr.

Jac. Gaddius, qui scripsit Elogia, Exemplaria, Historica, & varia, quae A. 1636. 1637. & 1638. prodierunt Florentiae.

EPISTOLA. CLIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Deventriam.

VIr & amice summe. Si quicquam me invito evenit, id certe de Alexiade testari possum, quam subreptam tibi indignissime fero. Scripsi atroces literas ad P. *Puteanum* Romam eo nomine, ita tamen ut rei nefandae suspicionem, quantum in me, ab ejus fratribus amolirer. Nihil aliud respondit, quam ignarum se esse facti hujus. Scripsi & ad Cl. *Holstenium*, qui quo animo tam insignem injuriam, sibi non minus quam tibi factam, sit laturus non scio. Hactenus quidem nil respondit, nosti quam lentus sit. Ego interim non video, quo pacto Alexias ex istarum harpyiarum manibus evelli possit. Si me audias, perges in instituto tuo, & editioni Alexiaden parabis, ac minori forma typis committes; ne inpune ferant istam petulantiam. Non dubito, quin multa loca restitueris, multa observaris, quae *Possinum* fugerint. *Holstenii* nepos Romae est: & quantum ex P. *Puteani* literis intelligo, a vita monachali non abhorret. Sed reluctatur hactenus huic desiderio avunculus. De *Donii* morte jam intellexisti, incomparabilem profecto jacturam res literaria fecisse mihi visa est, erat enim ille Italorum omnium doctissimus. *Intimelius* ubi terrarum sit cum ignarissimis ignoro. A mensibus quidem quatuor aut quinque nihil scripsit. Puto eum per Italiam oberrare, & vitam desultoriam agere. Ita enim in ultimis minabatur. Venetias brevi cogito. Excutiam demum Sti Antonii bibliothecam, si Manilius appareat. *Maripetrus*, qui eo te dedu-

deduxerat, jam a biennio diem suum obiit, violenta morte sublatus. Cum enim melancholiae obnoxius esset, nescio quam ob causam, in mare se praecipitavit, atque ita submersus est. Ab Illustriss. *Lauredano* responsum hic habes. Est profecto tui perquam studiosus, caetera ex ejus epistola abunde cognosces, si quid repones, ad me mitte. In Senecis expurgandis totum te esse vehementer gaudeo. Domum reversus Tragoedias cum cura denuo percurram, & videbo, si quid conjecturarum possim corradere. Etsi hac ope nihil indiges, qui tripodem domi habes. Elegiae meae lucem tandem vident, postquam menses fere duos cum typographi socordia conflictatus sum. Haec nunc causa est, cur raptim breviterque ad te scribam. Mittenda enim sunt ad varios amicos exemplaria, & epistolae exemplaribus, ut fit, addendae. Ad parentem quoque exemplar nunc per Tabellarium mitto. Vobis caeteris amicis expectandum erit, dum navis ex his oris ad vos veniat, quam brevi discessuram opinor. Faxo tum in meliori charta versus illos accipias editos. Inscripti sunt *Cassiano a Puteo*, quo ego viro, peream, si quicquam amabilius, omnique virtutum genere cumulatius, in tota hac peregrinatione mea offendi. Quo magis miror, cum, cum Romae esses, non salutatum a te. Incredibili enim affectu flagrat rei literariae pro virili promovendae. Vret aemulos nostros, sat scio, quod ausus sim homini in urbe Romana viventi versus meos inscribere. Sed illos non moror: cum ita de me meritus sit, ac indies etiamnum mereatur, ut sine piaculo praeterire hoc non potuerim. Illust*is Vestingius*, cum *Ferrario Rhodioque* te salutat plurimum. Vale, mi Gronovi, meum decus. Patavii. Eid. Jan. CIↃIↃCXLVIII.

EPISTOLA CLIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Dolentium.

DE Alexiade quod evenit, non potuit tibi magis invito evenire, quam mihi. Scripsi aliquoties ad *Holstenium* nostrum de hac re, nec responsi quicquam obtinere potui. Quidvis tamen suspicari malui, quam ejus culpa hasce turbas excitatas. Literas tandem ab eo habui, quibus excusat diuturnam ab urbe absentiam, eamque causam ait, cur scriptione sua me non beaverit. Ut videas qua fide, quique diligentia me gesserim in hoc negotio, quidque de ipso Holstenio existimandum tibi sit, verba epistolae subjungam. *De Alexiade*, inquit, *factum nollem, quod tibi nuncianti non credidissem, nisi me paulo post submissum a regio typographo protrepticon confirmasset. Id fidem meam nostramque amicitiam restor, me non alio animo codicem meum Lutetiam misisse, quam ut Putearum fratrum opera porro ad Gronovium nostrum perferretur: idque tuo me fecisse consilio haud dubie rotordaris. Nunc, manu veluti praedae injecta, & mihi beneficium periisse,*

& amiciſſimo homini editionis ſpem laudemque interceptam video: mirorque plurimum, qua fronte in protreptico Cardinalis Barberini juſſu codicem ſubmiſſum ſcripſerint, quem Gronovio deſtinatum, injecta, ut dixi, manu interverterunt: neque enim ex Barberina, ſed ex Medicaea bibliotheca deſcribendum curavi: eique rei hominem Graecum Roma Florentiam meo ſumptu perduxeram: neque vero concoquere potui, quin acriter ea de re conquererer apud regii typographi praefectos, quod ipſorum culpa fides mea vacillet apud eum, cui ſtudia & obſequia mea probare inpenſe cupio. Haec ille. Caetera epiſtolae pars in Elegiarum mearum libello commendando occupatur. *Lambecius* Romae ipſi adeſt, & ad cucullum aſpirare videtur, quantum ex optimi Patris *Puteani* literis deprehendo. Obſtat tamen avunculus, & ſapit. De Alexiade quid tibi nunc ſtatuendum vide. Deum teſtor, in mea cauſa nihil amplius a me fieri potuiſſe. Ita totus te demereri velim. Tu vero, mi Gronovi, tam raro ſcribis, etiam provocatus, ut, quo magis tui recordor, eo magis oblitus mei videaris: ac parum abſit, quin mendacii me ipſum convincam, qui publice nuper haec de te, aut ad te potius ſcripſerim,

Saepe ſalutatis tua venit epiſtola nobis,
Redditaque in profugas crebra tabella manus.

Cur enim, cum Amſtelodami nuper eſſes, ſcripturienti *Voſſio* noſtro nihil literarum tradidiſti ad me curandum? Sed omitto querelas. Intra dies octo aut decem Mediolanum me convertam, Italiae tandem vale dicturus. Vale & tu, Vir Clariſſime, meque, ſi moleſta ſcriptio eſt, ſilendo ſaltem ama. Venetiis, Anno CIↃIↃCXLVIII. XV. Kal. Mart.

EPISTOLA CLV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Patavium.

PRinceps juvenum. Gratiſſimas tuas gratiores fecit optata manus illuſtriſſimi *Lauretani*. De Alexiade Τέτλαθι δὴ, νεφδίη, ἣ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης. Videbimus an tinniturus ſit aliquid ſufferti, quem jejuni laudis captatores nobis praeverterunt. Et ſi quidem, bene erit: nos tamen vivemus, nos tamen pro opibus noſtra muniemus moenia: ſin, quoniam occuparit alter, ne primus forem, ne ſolus ſit, ſtudebo, quod ſupererit. *Maripetri* caſum doleo. Tuas vero Elegias & editas gaudeo, & ſic deſidero, ut nihil magis. Jamque in anteceſſum deleo ex animo omnes formas quotidianorum ſcriptorum tuae unius venuſtatis exſpectatione, nec mihi dulce erit quicquam, donec illas guſtavero. Feliciter illi navi, quae tantas delicias vehet. Tu vero nihil verere ab iis, quos invidere poſſis exiſtimare viro, cujus virtutem digniſſimo munere honoraſti. Gratia ſeculo, in quo nati ſumus, quo experiamur indies magis illa μορμολύκεια in derisum & ludibrium abire. Caeterum quando tu ad nos? Siles enim

enim. At cave refrigescat illud desiderium, quod prae te tulisti, venerandi senis parentis tui, tamdiu desolati, recreandi & amplexum ineundi tot veterum amicorum, qui metu pro tam caro capite propemodum emoriuntur? Veni, dum adhuc supereſt memoria morum patriae, ne prorsus peregrinus redeas. Nos conquieſcimus, nisi quod exſpectamus, quam mox Senecas ordiantur Elzevirii (nam hi quoque se hîc miscuerunt) & Hackius. Interim lento gradu in Tragoediis pergimus. Et subnascuntur indies quaedam praeterea tot praeclara, quae scis suppeditare Medicaeum. Velut, si vacas, illud in Oedipo p. 32. *Inter ruinas urbis & semper novis Deflenda lacrimis funera ac populi fruem, Incolumis adsto, scilicet Phoebi reus.* Versus ultimus sic concipitur in Vossiano & Mog. apud Delrium: *Incolumis ergo tu Phoebi reus.* Neque aliter videtur fuisse in pluribus Gruteri. Scribo: *Incolumis unus. Ergo tu Phaebi reus Sperare poteras sceleribus tantis dari Regnum salubre?* Alloquitur se ipsum. Hippolyto p. 85. *Luctus & lacrimas & dolor, Et limine ipso mista lamentatio, Hospitia digna prorsus inferno hospite.* Redux Theseus loquitur. Ergo, *Auspicia*, pro ominibus. Ut Troad. *Nec abominandae mortis auspicium patet.* Agamemnone vers. 56. *Phoebum moramur, redde jam mundo diem.* Umbra Thyestis loquitur. Quanto ergo melius: *reddo.* Hoc ait discedens. Abeo, & ei locum do. Thebaide, vel potius Phoenissis vers. 49. *quid segnis traho? Quid vivo?* Immo: *quid segnis traho quod vivo?* hoc est, illam partem qua vivo, qua nondum recepi mortem. Nam vers. 114. *in cineres dabo Hoc quidquid in me vivit.* Sic & vexato loco vers. 181. *Hoc parte mortem perage, quae coepit mori*, legendum puto. Habebam forte heri in manu Ausonii Caesares. Quid est in Vespasiano:

Olim qui dubiam privato in tempore formam
Par aliis princeps transtulit in melius.

Quid hoc vel laudis vel probri, *Par aliis?* Annon fuit: (*Rarum aliis*) plerique enim licentia sumus deteriores. Tum in Marco: *qui scita Platonis Fecit ad imperium.* Annon *Vexit.* Scio *vehere* antiquis saepe esse ferre, portare. Sic nondum desinimus nugarum. *Mericus Casaubonus* Londini recudi fecit patris in Persium commentarium cum sua praefatione, in qua impudentiam & petulantiam *Leonis Allatii* in suum patrem egregie perstringit. Vale, & me ama, de reditu cogita. Daventriae. a. d. XII. Kal. Mart. CIↃIↃCXLVIII.

EPISTOLA CLVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Mediolanum.

SIne caussa irasceris & invidiam mihi facis. Affirmo sancte, nullas me tuas accepisse, quibus non diligenter responderim, measque aut ad affinem tuum,

aut ad *Isaacum* noſtrum miſſitarim. Si tardius curantur, ne mihi vitio vertas. Nam Amſterodami quidem quoties ſum, tam iniquis excludor ſpatiis temporis, ut ne ad matrem quidem vacet ſcribere. Vix credes, ſed verum eſt: bis aut ter accidit mihi, ut hinc profectus mecum ferrem literas, quibus conſtitueram illic reſpondere: fruſtra fui, & faſciculum, in quo eas compoſueram, ne ſolutum quidem huc retuli. Sed & cum proxime illic eſſem, tuas jam huc miſerat optimus *Voſſius*, priuſquam eum, priore tranſitu non viſum, Haga redux compellarem. Quibus tamen, ut domi fui, moram non feci, ſed & addidi alias ad Illuſtr. *Lauretanum*: quas nunc tibi dudum redditas ſpero. De Alexiade ſcripſi proxime. Amo nihilominus curam tuam, & imperavi mihi, ut crederem, quae ad te ſcribit popularis meus. Gaudeo te tandem ſerio de reditu cogitare. Deum precor, ut bene ambules, beneque tuos & nos reviſas. Me nuper tertiana obſederat cum duobus ſatellitibus morbis, quorum alter caput, alter ſtomachum perpetuo, etiam per illius intervalla, vexabat. Quaſi tres hebdomades cubiculo & ſaepius lecto me clauſerunt. Nunc Dei benignitate convalui, ita tamen, ut pauca ſuperſint priſcae veſtigia fraudis. Interim diſceſſu collegae Juriſconſulti Harderwicum, Geldrorum Academiam novam vocati magiſterium collegii noſtri, quod Rectoris Magnifici vocant, ut ſcis, mihi accipiendum eſt perendini die oratione, vereor ne febriculoſa: ita breve interfuit tempus inter aegrotationem & actionem. Etiam propemptico illum dimiſi. Scis quam malus poeta ſim & poene illuſtribus viris [1] B. & P. addendus. Si tamen placet hic guſtus, ſervabitur tibi exemplar.

Nunc tua, Chriſteni, te quo vocat inclita virtus,
Fauſtum perge (nihil fata moramur) iter.
Magnaque miratus Pindi ornamenta Sicambri,
Sunt etiam ad Salam, dic, loca Piериſin:
Parva calet, ſed thure frequens & odoribus ara,
Haud quamvis magnis relligione minor.
Et, bene vos etiam, cohibet quos Sala relictos,
Ad tua dic laetus pocula, noſco meos.
Cumque tibi claudet latus Iſendornius: unus,
Unus abeſt. Cur non, hei mihi, triga ſumus?
Certe ego, quem poſthac mihi garrula praetinet auris,
Hardebones credam mittere ſaepe ſonum.

Vale, decus & deliciae noſtrae. Daventriae, ſtatim ut tuas accepi. ad. d. XIV. Kal. April. Jul. CIↃIↃCXLVIII.

1 *Boyo & Plantae.*

EPI-

EPISTOLA CLVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

AMicorum decus. Quas ego ultimas ad te dedi, iis particulam *Holstenianae* epistolae inserueram, qua negaret ille, sua culpa suove consensu evenisse, quod Galli Jesuitae Alexiadem tibi involassent. Si redditae sunt, est quod vehementer gaudeam. Unice enim volo, perspectam habeas curam, quam rebus tuis promovendis tantum non assiduam impendo. Tuae quidem A. D. XII. Kal. Mart. exaratae recte ad me pervenerunt, tardius tamen quam oportuit, credo, quod absuerit domo aliquamdiu *Vossius* noster. Emendationes in Tragoedias Senecae ac Ausonium quid mirum optimas esse? Tuae sunt. Habeo hîc penes me fragmentum scriptum Declamationum Senecae, quod inspectum a te velim, etsi antiquum non sit. In Ambrosiana bibliotheca magnus est Ovidianorum codicum numerus. Meliores seligam, cum vulgatis editionibus conferendos. Duos Fastorum libros jam evolvi, quorum altero vix vidi meliorem, si duos tresve excipias: ut dolendum sit, integrum non esse. Possessorem olim habuit magnum illum *Vincentium Pinellum*, cujus libri omnes ex naufragio reliqui a Cardinali *Borromaeo* redempti sunt. Inter caeteros Ovidianos libros spero & alios bonae notae non defuturos. Ante discessum, quem mense proximo ex his oris auspicabor, catalogum librorum MStorum (& sunt supra xv. milia) exhiberi mihi ab humanissimo *Ferrario*, bibliothecae ejus praefecto, curabo, diligenterque investigabo, sintne Liviani codices nonnulli, a vetustate commendandi. De Tragoediis etiam illis Senecae meminero, etsi nihil sperandum puto. Vidi enim multa exemplaria nullius pretii, quibus argumenta illa accederent, quorum *Vossius* noster te monuit. Ad *Lauredanum* tuas recte curavi. Habes hîc responsum, nec citius a me mitti potuit, quod diu satis in itinere versatus sim, dum Mantuae, Veronae, Brixiae, aliisque civitatibus perlustrandis occupor. Elegiarum mearum exemplaria brevi ad vos perventura spero. Abiit enim Venetiis jam ante mensem navis, cui sarcinas meas credidi. Italiam nisi amem ac observem, ingratissimus profecto sim: quae eo cum applausu versus illos exceperit, ut non expectationem tantum meam, sed ipsa vota, superarit. At inter aures Batavas, vix unam alteramque futuram video, quibus nugas meas probaturus sim. Adeo Midarum plena illic sunt omnia. Genevae mensibus forsan duobus moraturus sum, ut deesse scribendi occasio tibi non possit. Vale, mi Gronovi, meum decus. Mediolani A. D. III. Kal. Majas. CIƆIƆCXLVIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Mediolanum aut Genevam.

NObiliſſime & maxime juvenum. Quibus *Holſtenium* ex ipſius literis purgas, & recte accepi, & dudum illis repondi. Tua autem mei mearumque rerum, quae a te deſiderari poteſt, cura adeo mihi perſpecta eſt, ut me citius ipſi mihi, quam tibi excidere poſſe certum habeam. Declamationum Marci Senecae veterem librum & ego vidiſſe vellem. Forſan etiam videbo tempori: nam qui dudum aliis ſuper alias miſſis literis me urgebant, ut iſtam telam detexerem, nunc neſcio cur contantur, & ne inceperunt quidem. A *Voſſio* habui in charta ſcriptum, ſed ita depravatum, ut magis plura loca ſuſpecta facere quam illa, quae jam ſuſpecta ſunt, juvare poſſet. Juvit tamen nonnihil. De Tragoediis Senecae non eſt quod amplius te fatiges, ſi argumenta illa non ſunt alia, quam quae Luctatio Grammatico tribuuntur in Franciſci Raphelingii editione, aut ſi ſunt ſequioris aevi. Sed in Livii primam decadem, ſi quid excerptorum ex aliquo meliori codice mihi comparare poſſes, quod tamen commodo tuo fiat, non ingratum mihi accideret. Haud ſcio an has accepturus ſis, antequam Italia decedas. Ubicumque tamen, cum Genevae duos menſes facere conſtitueris, vide an non velis etiam Bernam Helvetiorum inviſere, ubi Bongarſiana bibliotheca ſupereſt. Etiam Fanum Galli inſignes, ut audio, habet tum publicam, ſive monaſterii Sangallenſis eſt, tum privatam *Schobingerorum*, nobilis ibidem familiae: ex qua *Tobias Schobingerus* ante biennium menſes aliquot domi meae egit, ſeque totum Graecis & Latinis literis dedidit. Genevae ſi videris *Gothofredum*, explora quaeſo, quid ejus animum a me alienarit. Nam cum humaniter me exceperit, dum illic eſſem, poſtquam regreſſus in has oras ad ipſum & *Morum* (noſti declamatorem, qui ut audio nunc Middelburgum vocatus eſt ad profeſſionem Theologicam & conciones Gallicas habendas, mire in id laborante *Salmaſio*) literas dedi, ab neutro accepi reſponſum; ſed per *Sarravium* ſignificavit *Morus* antiquius eſſe, ut *Gothofredo* ſatisfacerem. Ego quid peccarim, cur homini ſatisfacere debeam, juxta tecum ſcio. *Barthius* vivit, & in *Vlitium* noſtrum, quem *bliteum* appellat, blitea facit epigrammata. Mihi quoque viſa Diatribe iratus eſt. Neſcio quem habet Panegyriſten, quem jactat *Reineſio*!, *Vlitio*, & omnibus, qui ipſum heroa & deum negant, graves dicturum contumelias. Ego his diebus relegi commentariolum de Seſtertiis: multa feci meliora; plurima quae addam habeo. Vidiſtine *Pigafettae* de eadem materia? *Pignorius* alicubi mentionem facit tanquam editi. Sed & *Matthaei Hoſti* de re nummaria grandem & copioſum, ut colligo ex illis, qui allegant, librum fruſtra hactenus

quae-

quaero. Si in eos incideris, vel mihi vel tibi emes: tua enim usu scio mea. Vale, o carum & sanctum caput, & salvus revertere. Daventriae. postrid. Eid. Junias Gregorianas CIↃIↃCXLVIII.

Lauredanus hactenus abstinuit se ab eo, quod minabaris. In postremis ostendit optare se, ut Historia Cypria hîc in Belgio edatur, qualem paratam habeat, correctior. Itaque antequam illi respondeam, tentabo typographos, etsi parum me effecturum sperem. Iterum vale, Tuas ad *Smithum* misi statim, quando hîc aderat consul Noviomagensis, affinis affinis mei, & per hoc meus.

EPISTOLA CLIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CLarissime & Amicissime Virorum. Cum feliciter post triennem in peregrinis regionibus moram ad meos sim reversus, nihil alienum a necessitudine tam arcta facere me credidi, si confecti auspicato itineris nuncius ipse ad te venirem. Brevior nunc sum, quia variis distractus negotiis, quae ingerunt se hinc inde recens advenienti. Libri, quos Venetiis huc miseram, jampridem advenerunt, quos tamen excutere necdum licuit, eos inter Seneca Tragoedus est, ad Florentinum exemplar a me collatus. Aliam Genua arcam misi libris itidem repletam, cui quid factum sit scire hactenus non possum. Ubi ad manus meas pervenerit, depromam inde Controversiarum Senecae fragmentum, & Tragoediarum exemplar, etsi recentissimum, quod meum *Vintimilia* esse voluit, ac proinde etiam tuum: ab eo literas hîc habes, quas tempestivius ad te mittere non potui, quod desultorio Gallias more pervagatus sim, nec fixam ullibi sedem posuerim. Conspectu tuo beari vehementer velim, nihil tamen hîc mihi polliceor, quia hyems imminet. Amstelodamum si tibi ob negotia excurrendum, illic & me sistam. Tempus tantum certum aliquod praescribe; nunc Vale. Brevi plura. Amstelodami. CIↃIↃCXLVIII. Octob.

EPISTOLA CLX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

ERgo reversus es salvus ad salvos tuos? O laetum nuncium! Est Deus & piorum preces exaudit: cui quidem, cum tu, o sacrum & pretiosum ca-

put, tam longinqua peregrinatione feliciter confecta, tot periculis defunctus, tot thesauris literariis potitus, nominis ac virtutum tuarum monumentis passim fixis ac relictis immortalibus, ad lares patrios redux es incolumis, laudes grateſque toto pectore ago, & hoc deliciis noſtris, Muſis dico & Gratiis, bene evenire cupio. Unum mihi nunc ad ſummam felicitatem deeſt, quod ad exoptatiſſimum amplexum tuum occurrere etiamnum prohibeor. Jam quidem dudum res privata me in Hollandiam vocat, ſed moratur materfamilias, quae jam quatuor & ultra hebdomades minatur quotidie ſe puerperam futuram, & cum maxime gravibus doloribus, non ſine cruciatu animi mei, futura gaudia (quae praeſumo ſpe & votis & eventu priorum, tribus enim antefoetibus minimo labore defuncta eſt) expiat. Non poteſt res diu pendere, atque ideo ante initam hiemem confido vel Amſtelodami apud affinem, vel Lugduni apud parentem mihi copiam fore ſalutandi tui. De collatione Florentini exemplaris in tempore mones. Adorno enim jam notas meas rogatu Hackii veſtratis, & aliquantulum proceſſi: nec dubito in feſtinatione illa me multa praeteriiſſe, quae curioſos oculos tuos & diligentem manum fallere non potuerunt. Itaque nihil eſt mihi longius, quam dum codicem tuum nanciſcar. Ubi venero, videbis ſpecimen, quod incepi, & in anteceſſum relinquam Hackio. Alterum ut juvabit videre, ita tenue ſubſidium eſt poſt illum, quo nihil majus meliuſve in eo genere. Sed controverſiarum qualiſcumque liber utilis erit, cum optimis deſtituamur. *Pareus* obiit. Scripſit mihi legatum, in quo ſunt Metamorphoſis & Epiſtolae Heroidum in membranis. Cum mercibus Francofurtenſibus eas exſpecto: & tu quoque exſpectabis, ſi tanti judicas. Vale, vale, decus noſtrum, & collationem Florentinam, quam primum fieri poteſt, ad me mitte. Saluto veſtros quam officioſiſſime & reverentiſſime. Daventriae III. Eid. Octobr. Jul. CIↃIↃCXLVIII. *Loredanus* bis ſcripſit ſe mittere ad me ſuorum Academicorum vitas, juſſitque, ſi forte prius, quod perditum rebatur, exemplar reciperem, id amico darem: ſed de neutro quicquam aliud inaudivi. Iterum vale.

EPISTOLA CLXI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

AMice comiterque mecum agis, Vir Clariſſime, ſicut nihil ſupra, qui tam luculente teſteris gaudium ſuper felici ad meos reditu. Non ſinit me profecto hoc epiſtolium dubitare de tuo erga me affectu, nec temporis tam longi ſpatiis, nec interſtitiis locorum remotiſſimorum concuſſo. Audeo igitur denuo meis veſtigiis inſiſtere, & aditum affectare ad amicitiam tuam, qua nihil pretioſius inter κειμήλια mea recenſere poſſum. Praeſentem te compleſti

& vehementer aveo. Veni ergo, veni: ne diutius tam chari capitis aspectu fraudemur. Senecae Florentini excerpta te hîc expectant. Ea jam misissem, nisi deprehenderem multas conjecturas nugatorias codicis illius margini a me adscriptas, dum festino. Velim igitur curis secundis auctorem illum percurrere, antequam ad te veniat, & mutare, si quae praeter rem a me annotata sunt. Hoc ut facerem, propter domesticas occupationes a me impetrare hactenus non potui. Italiam meam ad te venisse Sororius affirmat. Novam fortassis editionem dabo, emendatiorem longe ac auctiorem. Dum enim ipse Venetiis vivo, & amicis operas typographicas corrigendas permitto, multa irrepsisse video, quae non commissa magno velim. Habeo & cur expostulem tecum, qui me non monueris de errore in Elegia ad *Fabricium* commisso, ubi secunda in *Saluberrima* producenda fuit. Dubitabam ipse, dum hoc scriberem. Sed errorem negabat *Rhodius* noster. Cui ut accederem, tua auctoritate factum. Ita enim mecum argutabar, moniturum te fuisse, si quae displicerent, qui Elegiam illam vidisses. Alibi quoque vox *Strepera* occurrit, quam Latinam vix puto. Sed hoc inter errores typographicos deprehendes oportune. Nescio etiam an Latinum satis sit in Elegia tibi inscripta, *detexere colum. Tela detexitur.* De colo non constat. Emendavi igitur, [1] *Hanc precor absolvat Parca benigna colum.* Sed talia multa sunt, de quibus ut nunc agam non permittit *Vossius* noster itineri accinctus. Illi enim has committo. Ovidios *Parei* avide expecto: sed te magis. Scribe ergo, quando expectandus sis. Academicorum incognitorum vitae penes me sunt, quas *Lauredani* nomine tibi tradam. Adventum in has oras tuum vel eo magis necessarium puto, quod Eloquentiae professio in aliquem brevi sit conferenda. Ego te aliis praelatum velim. [2] Ὁ δεῖνα tamen nescio quos tenebriones commendat, cujus gratiâ, quantum audio, excidisti. Sed de his coram. Vale, meum decus. Lugd. Bat. CIↃIↃCXLVIII. Nonis Novembr.

1 In ultima editione correxit, *Hanc modo continuet P. b. c.* meliori, ut puto, omine.
2 *Salmasius.*

EPISTOLA CLXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & Clarissime Heinsi. Quantopere salvo ac reduce te gaudeam, non ex verbis meis, quae animum aequare nunquam poterunt, tam cognoris, quam ex perpetuo tenore amicitiae nostrae judicabis. De qua nihil jam in posterum vereor: ita enim & tuos mihi perdidicisse mores videor, & meos teneo facioque, ut ab invidentia & suspicionibus, sed & aemulatione, quae, utcumque bona, facillime in pravum detorquetur, praecipuis ne-

ceſſitudinum peſtibus ambos eſſe nos alienos exiſtimem. Officia autem ſumma quidem, ſed ea tamen aequitate, alter ab altero exſpectamus, ut ſi quod datur majus & antiquius, id alterum in alterius gratiam migrare neuter velimus. Quae & ipſa res dum non cogitatur, dum ſolis nobis obnoxios noſtros volumus, atque immoderata & poſcimus & ſperamus, multas amicitias dilui atque interire deprehendi. Ceſſo adjungere alia, quae homo natura ad amandum, concedendum atque indulgendum factus, minimeque longinqui odii aut plumbearum irarum, ea etiam fortuna ingruente, ut gratiis hominum indigerem, ſaepe apud me collegi, ut propoſita animo vitarem, nec mea culpa aut ſtudioſis mei carerem, aut quos paraveram, effunderem ac perderem. Poſſum igitur aliquid conſtantius aliis rebus humanis in amicitia noſtra mihi promittere, nec te facere minus multis experimentis demonſtraſti. Ego, quo nunc propius eſt ut videamus, eo magis ad te aſpiro, totuſque promineo, nec gratum eſt quidquam auribus, dum locare ſe tibi geſtiunt totum diem, atque utinam annum, nobile illud tuum triennium narranti. Uxor poſtrid. Eid. Octobr. Jul. quarto foetu, altero virili me beavit, ſed poſt graviſſimos atque etiam inſolitos labores infirma eſt & viribus fractis, neque officio adſidendi & hortandi deeſſe poſſum: omnia tamen ad ſalutem ſigna ſunt, & proxima hebdomade ſpero mihi commeatum fore. De Florentini Senecae exemplari, ut conſtituiſti, etſi vereri non debebas, ne, ſi quid conjecturarum tuarum non probarem, id nihilominus publicarem, atque ad illud diſputarem. Afferam mecum pertextas meas notas uſque ad Herculem Oetaeum, ut eas videas agnoſcaſque, nihil me cupere tibi ſubripere eorum, quae forte ipſus praeterii. Vereor autem, ne, cum omnia feci, typographus antiquum obtineat, & quod jam non ſemel accidit mihi, in vanum laboraſſe jubeat. Nam quid de illo ſperes, qui cum ultro me ad hanc operam invitarit, paullo poſt ſcriptis literis rogaverit, a criticis abſtinerem, explicationibus potius obſcurorum locorum immorarer, hoc eſt iſto novo more centones farcirem, quod a me nec peti debebat, nec exſpectari. Suſtineo tamen & tentabo, an ſanius ſentientem facere poſſim. Italiam illam tuam, ipſa Italia elegantiorem, bis accepi, ab ampliſſimo affine tuo, & a *Kinſchotio* noſtro, & utrique reſpondi. In qua ſi tot luminibus perſtrictus, obſtupefactus, occoecatus unum naevulum non deprehendi, non eſt quod mihi iraſcare. Jam dudum eo me redegiſti, ut ad legenda tua magis ex intelligentia voluptatem capturus & profectum accedam, quam judicio accingar. Et quid emendatorem deſideres, qui ſic ipſe tua emendare noris? Si ὁ δεῖνα factus eſt a me alienior, & ſuos habet candidatos, ſcito nulla id mea culpa accidiſſe, ne me negligentiorem in colendis amicis, quam dudum putes. Quod autem tu optas, agnoſco benignum animum tuum, & narro tibi ſimpliciter, ſi videro mei rationem haberi, poſſum induci, ut fatear fautoribus meis, gratum ipſis fore, & me ingentis beneficii numero habiturum. Ut ambiam contra competitores, hoc vero eſt, quod ab amico tuo non impetrabitur, ut eum magis ames. Nunquam feci, vel longe incertior rerum mearum, & cum in diem viverem propemodum, & quot nuntios acciperem

Digitized by Google

rem domo, totidem plagas, totidem patrimonii ruinas. Ne tu id nunc me facturum putes, postquam statum nactus sum, quem Dei virtute & mea diligentia ac frugalitate satis tuebor: ad haec homo modestissimorum votorum, & jamdudum ita composito animo, ut cujuscumque a fortuna adsignati loci tolerantissimus essem. Is nunc scilicet, post quam deferbuit illa eminendi & aemulandi omnis libido, prensare, hoc est, ineptus esse, idque in oculis tuis sustineam? Non ita degeneres sumus, ὦ θαυμάσιε, & opes vanaque nomina contemnere didicimus. Quod si ille, quem designas, serio agit, quod eum dicis agere, tum vero me actum non agere melius erit: nunquam enim tam vehementer pro me ipso nitar, quam pro aliis ille solet. Sed haec differamus in congressum nostrum. MS. Ovidii in itinere sunt, & jam, ut audio, Colonia Agrippina decessere. Itaque cis paucos dies, spero, praesto erunt. Vale, Carissimum caput, & saluta vestros. Daventriae III. Non. Novembr. Jul. CIↃIↃCXLVIII. Cupio videre Senecam tibi ab *Intemelio* datum, ne solus mihi omnibus literis mentionem mei factam imputes: Volo quamcumque tantopere desideranti vicem reddere.

EPISTOLA CLXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & Clarissime Heinsi. Video te hoc habere cum Bruto commune, ut quod cupis, cupias vehementer: simul autem video cupere te, ut me quotidianum congerronem habere possis. Quod quidem ut ego quoque exopto, ita nunc flagrantius desidero, quia tu vis, quam quia illum locum hoc mihi honestiorem & fructuosiorem judico. Itaque quae & Dordraci & domi in meam gratiam egisti, scito mihi esse gratissima, & quicunque fuerit eventus, ea me in memoria habiturum. Ne me accusares, quasi deessem tibi, in reditu praestiti, quod tibi promiseram: locutus sum Harlemi & Amsterodami cum duobus quondam discipulis meis, ut materterarum maritis rem commendarent: quod quidem uterque summo studio se facturos receperunt. Quem scribis accusasse te, ego vero non dubito, quin honorifice de me loquatur, praesertim absente, & maribus terrisque diviso: sed haud scio an me vicinum velit, ignoratione meorum morum, & metu aemulationis. Hunc igitur vide, ut illi eximas, & quantam jubeat, fidem des illi, eo me ingenio non esse, quo fortasse suspicatur, neque ullum inventum iri, qui magis in ejus sit futurus potestate. Quamcumque illi fidem dederis, ego praestabo, aut tuam, quam scis vitam contra mihi caram esse, amicitiam perdam. Sed etiam, si sperat adhuc se impetraturum, ut utramque provinciam conjungat, ne joco quidem vel ipse te meo nomine prensare velim. Ad *Pilium* jussu tuo scripsi,

& mitto aliquid ſcholaſticarum nugarum, & quia certiorem viam ignoro, tibi curandum committo. In Seneca ſum ſane, & ſatis ſaepe mihi occurres. Faciam ut agnoſcant omnes te a me coli, etiamſi non inepti ſimus. Declamationum codicem utinam brevi nanciſcerere! certe ubi nactus fueris, noli quaeſo me morari, ſi forte in iſto Augiae ſtabulo nonnihil nos iuvaret. Vale, decus & praeſidium meum, & me ama. Citius ſcripſiſſem, ſed ſegniorem me facit tum frigus, tum dolor dextri humeri, quem, poſtquam huc redii, demum ſenſi graviorem; & ne nunc quidem omnem ſentire deſii. Iterum vale. Daventriae Prid. Idus Decemb. CIↃIↃCXLVIII.

EPISTOLA. CLXIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

TAndem de rebus tuis datum nonnihil intelligere, Virorum Amiciſſime. Ad *Pylium* quae volebas mitti, mittam brevi. Hactenus enim nautarum opera non liçet uti, ob fluvios gelu paſſim concretos hac hyberna tempeſtate. Scribam denuo ad *Blyenburgium*, ut hominem officii admoneat, tuique apud avunculum ſuum rationem ut habeat. Hagam proxime excurram, ut *Graſwinckelium* cacteroſque, quos illic habes, amicos impellam ad negotium hoc, quantum in ipſis, promovendum. Si quid praeterea a nobis fieri velis impera. Parens meus ſua commendatione nobis aderit: ea de re certus eſto. Tu interim hoc age, ut *Bouckhorſtio* de meliori nota commenderis. Multum ille hîc poteſt. Nihil reſtat, niſi ut velit. Ut autem velit, pet cognatos inſtigandus eſt. Puto haſce reddendas tibi a *Voſſio* noſtro fore. Convenimus nuper ſimul *Boxhornium*. Tui mentionem ita illic fecit *Voſſius*, ut qui addictiſſimum tibi ſe profiteretur. Promittit heros noſter affectum erga te luculentum. Ego ſatisfactum tibi fore arbitror, ut nuper ſcripſi, ſi nihil contra te moliatur. *Spanhemium* pro *Hornio* ſtare affirmat. Sed cum illi proximum adeſſem, tibi non minus favere videbatur. Reliqua ex *Voſſio* intelliges: cui & Curtium ad te ferendum tradidi, ſi fortaſſis notarum aliquid Blanckianae editioni adjectum velles. Sed feſtinandum: cum librum ille, Curatoribus Academiae noſtrae inſcribendum, ante Nonas Februarias proditurum affirmet. Rogo ut codicem hunc, & ſi quos praeterea utendos a me accepiſti, occaſione commoda remittas. Volo enim bibliothecam in ordinem accuratum redigere, cum vere proximo in Flandriam profecturus ſim. De libris, quos ex Liguria expecto, nihil hactenus intelligo; niſi quod adfuturos brevi auguror. Quod ſi fit, Senecam utrumqne tibi ſiſtam, ut promiſi. Nunc quod addam non habeo. Sarravianae litterae, quas hîc turbas dederint vix credas. Earum auctoritate permotus Salmaſius, mendacii reum apud multos me fecit. Ego vero cum quid-

vis

Digitized by Google

vis ferre malim, quam hanc ignominiam, litteras querelarum plenas ad *Sarravium* scripsi, ad quas responsum quotidie expecto. *Salmasio* autem *Holstenianae* ad *Lambecium* epistolae apographum misi, in quo mentiri jubeatur, rogavique, ut de hoc crimine primum se purgaret, deinde alios accusaret se longe honestiores. Excandescet, sat scio: sed ego ad hunc ignem jam frigeo. De *Sarravio* tamen aegerrime fero. Sed & tu fidem Gallicam expertus es. Vale. Lugd. Bat. CIↃIↃCXLVIII. a. d. IV. Kal. Jan.

EPISTOLA CLXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam,

DE rebus tuis nihil a mense alteroque jam intelligo. Per *Vossium*, ni fallor, scripsi proxime. Hagae fui postea, negotiumque tuum *Heyldersichio*, *Graswinckelio*, caeteris amicis, commendavi. *Kinschotius* praecipue ac *Petrus*, *Hugonis* puer, *Grotius* tibi favent, & me absente rem urgebunt. *Rusius* putabat *Bouckhorstium Jansnigio* studere, in *Salmasii* gratiam. Etiam, atque etiam igitur vide, ut spes tuas apud illum in tuto loces. Dordraci quoque, quantum potui, causam tuam egi. *Blyenburgio* aurem denuo velli, ut omnia apud avunculum tentaret, cum Hagae mihi nuper occurreret. Spero facturum. *Baersdorpium* conveni semel hoc nomine. Sed alii tum aderant, ut cum illo libere agere non potuerim. Revertar eo brevi. Interim *Goesium* nostrum rogavi, ut cum eo ageret. Et jam egit. Parens meus pedibus laborat multo tempore. Inde fit, ut Hagam non possit excurrere. Operam tamen dabo, ut Curatores, qui post octiduum venturi sunt, hîc conveniat. Jam enim convalescit. Elzevirius me monuit operas typographicas ad N. litteram jam perveniisse in Senecae primo tomo. Necesse igitur esse, ut reliqua mittas, aut operis cessandum fore: cum duo jam se exerceant in editione illa. Ejus nomine nunc ad te scribo. Tu hoc age, ne illis hîc desis. De sarcinis Genuensibus ne γῆ quidem hactenus. Miror insignem oscitantiam mercatoris. A *Vlitio* hîc habes, quae aliquamdiu penes me haeserunt, quod *Vossio* absente neminem Amstelodami haberem, ad quem mitti possent: cum *Goesius* noster toto fere mense jam nobis adfit. De carminibus in *Boyum* ac *Plantam* scriptis vide ne arcanum tibi creditum cuiquam retegas. Volo enim omnino ignorari me auctorem: nec quisquam rei conscius est praeter te, *Kinschotium*, *Valliumque*, qui & suas operas contulerunt. Puto libellum brevi edendum fore. Vale. Lugd. Bat. pridie Kal. Febr. A. CIↃIↃCXLIX. Raptim.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

TU quidem omnibus vere amici juſtis cumulatiſſime perfunctus es: reliqua, quae caſus feret, feremus. Etſi, ſi dies recte puto, jam oportet factum eſſe, quod vel ſperari vel metui poteſt. Niſi forte iſtis quoque rebus indixerint juſtitium ferales illi ex Caſſiteride nuntii. Heu conſolationem abominandam! ſed tamen, quicquid de nobis conſtituat fortuna, non poteſt eſſe tam inopinatum, quam illa ſecuris. Secundum Senecae tomum petent Elzevirii ab Hackio, a quo & primum acceperunt. Illi utrumque olim dedi, cum ipſe & Lud. Elzevirius operis ejus conſilium cepiſſent. Tertius quoque jam paratus eſt. Sarcinas tuas & tua ipſius cauſſa in portum pervenire velim, & citius mea, ut Aproſiani Senecae meminiſſe poſſim. A *Vlitio* poſt annuam intercapedinem tandem vidiſſe aliquid gaviſus ſum, & en, quod ei remittes. De carminibus elegantiſſimis tuis in [1] *Pedem* & *Compedem* apud neminem verbum feci, praeterquam *Schelium* noſtrum, cujus conſcientiam, credo, non refugis, quod nec faciunt facetiſſimi illi tui ſocienni. Fuit hîc nuper dies aliquot, quos geniales una egimus, non ſine honeſta ſuaviſſimaque tui memoria. *Voſſius*, ex quo hinc diſceſſit, etſi valde rogatus, ut, priuſquam Monaſterio abiret, certiorem me faceret, ne verbum quidem ad nos. Et, quo magis doleo, tradideram illi exemplum praefationis, ad quam ſcribendam ſcis mihi legatos auctores fuiſſe. Rogaveram magnopere, ut quid viſum illis fuiſſet, clanculum & ſincere me edoceret. Rumor fert neſcio quid in illa quoque aula turbari, utinam falſus! Vale, nobiliſſime & chariſſime Heinſi, & me ama. Magis gaudeo te velle, quod agitatum quocunque eventu fuit, quam qui poſſunt effectum reddere. Iterum vale, & veſtros ſaluta. Idibus Februar. Jul. CIↃIↃCXLIX.

1 *Plantam*, a planta pedis, & *Boyum*, a vinculis, quae *Bojae* dictae, & noſtratibus *Boeyen*. Vide Cangii Lexicon, & Altaſer, ad Anaſtaſii Theodorum pag 64. & nuper Eccard. ad Leges Salicas pag. 175. hi vero Planta & Boyus in *Saturnalibus*, quae Heinſius, Kinſchotius & Wallius, collatis operis ediderunt, miſere vapulant. inſerta ſunt ex illis, Poëmatis *Heinſii*, quae illum auctorem habebant.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

PArtim ab urbe abſens, partim etiam diſtractus occupationibus domeſticis litterarium per tempus aliquod officium in me deſiderari paſſus ſum, vir amiciſſime. Accedebat huc, de rebus tuis quod adderem vix fuiſſe. Curatores enim negotio infecto, quantum audio, diſceſſerunt. Id quod profuturum tibi exiſtimo. Tempore enim ac mora fervor ille adverſariorum & primus impetus deferbeat neceſſe eſt. Metus erat, ne dum toti ſumus in amicis tibi conciliandis, imparatos adhuc quodammodo, nec munitos ſatis praeceps Curatorum opprimeret conſilium. Tibi vero ea in virtutibus tuis fiducia debet eſſe, ut dubitare non poſſis, quin qui multos rebis tuis promovendis jam addictos expertus es, plures proxime ſis experturus. Quicquid candidati cacteri a Curatorum benevolentia ac favore polliceri ſibi poſſint, tu tuis meritis appone; cum nullus ex competitoribus ſit, qui vel umbram lucis tuae ac famae queat ſuſtinere. *Thyſios*, *Blanckardos*, *Janigios* ne time. Inter illos tui ratio habita eſt, qui cum cauſâ excident, ſatis gloriae ſe conſecutos exiſtimabunt, quod tecum commiſſi fuerint. De profeſſione interim in quenquam conferenda nihil decretum. Conſuli Dordraceno parens meus litteris te commendavit, idem & ego praeſens feci, & rogatu meo *Blyenburgius*, ut nuperrime ad me ſcripſit. *Pylius* quoque partibus ſuis non defuit, Kinſchotianis inſtigatus epiſtolis. *Heylderſichius* quid egerit non ſcio: multa certe liberaliter promiſit. Salutaturus eum proxime, & in negotium tuum inquiſiturus, hoc reſponſum a famulo tuli, herum conveniri non poſſe, quod in luctu eſſet ob ereptum ſibi filium. *Wimmenomius* multum hîc poteſt, ſed metuo ne a *Salmaſio* delinitus ſit. *Graſwinckelium*, alioſque ſplendidiſſimis tamen promiſſis lactare non deſinit, quam ille liberalitatem haereditariam habet. *Kinſchotius* apud propinquos ſuos caeteroſque amicos magna cura ac fide cauſam tuam egit. Et haec quidem de rebus tuis. Elzevirii in Seneca diligenter pergunt. Tomum itaque tertium ut brevi mittas neceſſe eſt. Horrendus ille magni regis caſus mirum quam conſternarit omnium hîc animos. Mitto tibi hîc verſus [1] meos & Boxhornianos. Auctores ut diſſimulentur rogo. Diſtichis praeterea aliquot mortem regiam celebravit amicus ille noſter, quae tanti ipſe facit, ut *Scriverio* praeſente affirmarit nuper, cum Catonianis ea ſe non permutaturum. E caelo quartus cecidit Cato. Sed non vacat jam jocari. De ſarcinis Genuenſibus nihil hactenus. Mira mercatoris illius eſt ſupinitas. Nec averſor tamen hanc moram, modo

1 Leguntur lib. III. Sylvarum pag. 192. Boxhornianos non reperi.

Digitized by Google

modo ad me perveniant. Ad *Vlitium* curabo cras aut perendie. *Boxii* negligentiâ fit, ut tergo poëtarum [1] Theologi ac Jurisconsulti consultum hactenus sit. Trahit enim libelli editionem, cum totus sit in Epicediis ac libellis, res Anglicanas spectantibus. Nobilissimo *Schelio*, quaeso, me commendes. *Kinschotius*, *Rusius*, *Grotius*, caeteri amici, quoties convenimus, saluti ejus litamus non uno poculo. De *Vossio* miror & indignor. Libris aliquot insignibus me emunxit discessurus. Interpretem Aristotelis Graecum a me habuit, quem unum inter omnes desiderabat; habuit Aëtii opera; Graecum codicem manusc. de portibus maris, aliosque libellos, ea conditione, ut mihi nonnullos ex suis, quos ultro offerebat, refunderet. Sed nihil horum ille: ne scribit quidem. Caninii grammaticam sibi petebat: & abstulit, tradidisse tamen non puto. Curtium cum Florentino codice collatum si tradidit, bene habet, nolim enim illum perire. Notas in Claudianum meas brevi describam, & editioni parabo, de editione tamen ipsa consilium adhuc incertum, velim tuae censurae eas committi, antequam juris fiant publici. In locis tribus quatuorve, qui in mentem nunc veniunt, expedias me rogo. *Ancipites habeant arces* recte contra Barthium olim defendisti. Sed cur *ancipites* vocat? An quia ne arces quidem tyrannorum fortunam in tuto locant? Haereo. lib. 1. in Eutrop. vers. 331. *Nascitur ad fructum mulier*. Non videtur Latinum satis esse. Forsan *foetum* scripserit Claudianus, & τὸ *fructum* ex Glossa irrepserit. Conf. Olybrii. vers. 50. Cur *Sollicitis collibus?* an quia auri fossores pallent? longe quaesitum hoc videtur. Conf. Manlii 324. quid sibi volunt *Spargentes flammae?* an pro *Sparsae*? Durum est. Exemplaria si in promptu habes, suggere. Consul. IV. Honor. 636. 637. pro duobus illis versibus primae editiones & scripti omnes habent,

Ister sanguineos egit te consule montes.

Quaero hactenus cujus liberalitati duos debeamus. Alterum e textu ejicias, si tibi sic videtur. Τὸ *Alpinos montes* quam frigidum! Cur enim *Alpinas rupes* non dixit, cum posset? *Sanguinei montes*, ut *praeruptus aquae mons* apud Virgilium. Et intelligit *cumulos stragum*: sic lib. 11. in Eutrop. *cumulis immanibus aggerat undas*. Haec nunc. Plura brevi. Vale, meum decus. Lugd. Bat. IV. Eid. Mart. CIↃIↃCXLIX. Raptim. Apud Lucanum lib. 11. 120.

Vix te sparsum per viscera Baebi
Innumeras inter carpentis membra coronae
Discessisse manus.

sic legit vir magnus, at scripti, quos vidi, omnes, *Discerpsisse?* sine sensu. Videtur scriptum primo, *Disperssisse*, idque pro *Disperiisse*. Claudian. lib. 11. in Rufin. vers. 517.

---- *Consumpto funere vix tum*
Deseritur, sparsumque perit per tela cadaver.

Juvenal.

Obtritum vulgi perit omne cadaver.

In

[1] Intelligit, credo, *Bysum* & *Plautum*, in quos Saturnalia edebantur cum maxime.

Digitized by Google

In Claudiani tamen loco pro *vix tum*, Legebam, *vixdum*. Sed tres antiquissimi scripti *victor*, quod non est de nihilo. Victorem Rufinum facit; quod consumpto ejus corpore furor plebis necdum satiatus esset. Lucani locus huic lectioni obstare videtur. Scribe quid sentias. Sed quid hoc, *Sparsum per viscera?* an *per vulnera?*

EPISTOLA CLXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

SCis Vespasianum triumphi die fatigatum tarditate & taedio pompae dixisse, merito se plecti, qui triumphum, quasi aut debitum majoribus suis, aut speratum unquam sibi tam inepte senex concupisset. Ego in nupera exspectatione literarum tuarum, idem, quatenus res mea patitur, & passus & fassus fuissem, si unquam avide illi spei indulsissem. Nunc me facile & continui, & contineo: vestris autem officiis, eoque quod vobis est spei reliquum, laetor: quae si in irritum ceciderint, feremus fortiter. Monasterio literas & exemplum praefationis recepi. Placuit legatis, & scribunt, jubere Reginam, ut opus perficiatur, videndique ejus desiderio teneri. Spero intra quatuordecim dies me tibi adfore, tertiumque tomum, qui pridem paratus jacet, una cum praefatione in manus tibi traditurum. Carmine Latino, quod misisti, magnopere sum delectatus, ejus omnia nitida & praeclara, nisi quod scio auctorem posthac vitaturum vocem *subditorum*, non enim haec ea significatione, ut nunc in ore vulgo est, veteribus accepta legitur. In altero quid mirer, non video, in quo nihil praeter sonum secutus est auctor. Homo fastidiosus & impatiens illud ablegaret ad ultimum vocabulum suum. Credo horribilem illum ex Insula nuntium etiam praecipitasse annos optimi & maximi [1] senis, quem magno literarum luctu scis nuper occidisse. Heu quam pauci nunc restant ex uberrimo illo eruditorum proventu, quo sub *Lipsio* & *Scaligero* floruit Belgium. Quam nulli subnascuntur? Itaque tu & ego mox velut in solitudine erimus. *Isaacus* sane narravit mihi penes te duo exemplaria Caninii esse, seque rogavisse, ut alterum mecum communicares: se abstuliisse, ut traderet, id enimvero dissimulavit. Curtium tradidit, &, [illegible]eri potest, cum venero, mecum tibi reportabo. Plane nova editione opus est. Non quod in Modiana non fere omnia jam recepta sint, sed quia ille audacula quaedam de suo intermiscuit, etiam quae ex vett. libris ipse mutavit, postea in sequentibus spreta sunt. *Ancipites arces* puto, quae obtinentibus tantum dant timoris, quantum fiduciae. *Ad foetum* sane placet magis, quam *ad fructum:* & hominem in fructu esse, licet paullo alio sensu, noluerunt JC. nostri. *Spargentes* pro *Sparsas* non memini legisse. An scripsit Claudianus, *parcentes?* nam & *impune vagus* ignis, & *fida incendia* mox. Vide. Bene, *sanguineos montes*. Nec repugno

1 *Vossii* Patris.

τῷ *disperiisse* in Lucano. *Sparsum per viscera* suspectum esse non debet, est enim divisum. Senecae, Plinius, & ejus aetatis saepe sic usurpant de solidis & cohaerentibus, cum proprie ad liquida & non uno spiritu cohaerentia pertinent. Vale, Divine Heinsi, decus nostrum, & me ama. Daventriae Idib. Mart. Jul. CIↃIↃCXLIX. Haud scio an quid eorum, quae ad Claudianum molitus sum, probes: ob unum certe ne vapulem, ipse deprecor. Locus de Eutropii domino. Distinguendum enim est: *Candida pollutos comitatur curia fasces, Forsitan & dominus. Praebet miracula lictor* &c. Vet. *domini*, nempe comitantur. Hoc & ego dudum in libello Observ. correxeram, & vidi postea anticipasse *Valesium* ad Ammianum. Itaque, si cui vis, huic inscribas licet, de me taceas. Iterum vale. Sed & frustra gloriatus sum in illo, *Quae levat:* Habet enim Delrius.

EPISTOLA CLXIX.

J. FR. GRONOVIUS.

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime & Clarissime Heinsi. Nuper ita me morata est Haga, ut quod in suavissima consuetudine tua ponerem, nullum mihi vacuum tempus superesset. Sic & Amsterodamum & Geldricam Academiam, nemine salutato, soli *Schelio* meo affixus, transii. Quod & contra destinationem fuit meam, & plerosque amicorum non parum offendit. Sed illi quidem, cognita caussa, facile placabuntur. Nunc scire aveo, quam perstent Elzevirii in consilio duobus utendi praelis, & tertium quartumque tomum operis nostri uno tempore subjiciendi; legerisne & exegeris praefationem ad Principem, apud quam impune non licebit mihi esse negligenti: num quae, sive in illa, sive in Notis, mutanda censeas. Pro simplicitate illa, qua inter nos agere solemus, nihil sensuum tuorum in his rebus me debes habere celatum. Schedas Ovidianas *Boecleri* vix tandem inveni, & hîc habes. Mirifice diripior in hoc lectionum exordio: tamen in exscribendo Curtio tuo quotidie lineam duco: ubi absolvero, una cum Caesare ad te redibit. Parvulas res satis multas quamvis in hac festinatione adverto, inter quas illud nuper lib. v. c. x. prope finem: *Nabarzanes cum Bactrianis militibus in vestibulo praetorii aderat, titulum solennis officii occulto sceleri praeferens.* Scriptus, ut & Bongarsianus Danielisque, *praeferentes.* Nempe scribendum praeterea, *aderant.* Et usus est hoc genere loquendi, quo Livius lib. XXI. ex nostra restitutione: *Dux cum principibus capiuntur.* Et Naso tuus v. Fastor: *Consul cum consule ludos Postumio Laenas persolüere mihi.* Scriptos Senecas e Liguribus si nactus, noli quaeso me morari. Vale, meum decus, & existimationem meam in Annaeano opere tibi commendatam habe. Daventriae VII. Kal. Majas Jul. CIↃIↃCXLIX.

EPI-

EPISTOLA CLXX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio

Daventriam.

QUam justa Dei Opt. Max. judicia sunt! *Dorislaus*, ludi litterarii olim in hac urbe magister, qui fracta re deinde in Angliam concesserat, atque illic prospera fortuna usus, causisque dicundis ac litibus exercitatus, mox inter judices Regi morituro datos electus, &, ut nonnulli volunt, carnificis munere defunctus (Regem enim manu ejus obtruncatum sunt qui ferant) Legatione tandem publica functurus ad Ordines reipublicae nostrae Hagam proximis diebus advenit. Non tulerunt Angli praesentiam tam invisi capitis, quorum sex nudius tertius in hospitium publicum, in quo diverterat, irruperunt, caenantemque plurimis vulneribus confoderunt personati. Haec in transcursu. Elzevirii in Senecis tuis lente pergunt. Tomus secundus ubi absolutus erit, tertium simul ac quartum edituros se promittunt: nec deerunt illis adhortationes meae. Dedicatio operis elegans est omnino, & te digna, gratissimamque Reginae fore confido. *Boecleri* schedas ad Metamorphosin pertinere video, nec magnae rei esse. Ad epistolas spectare ipse persuaserat. Observatio tua ad Curtium valde mihi probatur. Utinam plura hujus generis codex tibi meus suggerat. Saturnalia tandem hîc vides. Si tanti tibi videbuntur, ad *Schelium* mitti possint. Aliud exemplar tibi apud me paratum erit: nam nunc non nisi unicum hoc ad manus est. Brevi plura: haec enim amico praesente exarabam, pede stans in uno. Vale. Lugd. Bat. CIↃIↃCXLIX. Idib. Majis.

EPISTOLA CLXXI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

NEscio quo modo evenit, ut cum nuper ad te scriberem, de morbo *Spanhemii* nostri nihil addiderim, qui lethalis demum illi fuit. Causa morbi non longe quaerenda. Nosti simultates viro pacis amantissimo non unas exercendas fuisse, nosti ultimas cum [1] *Alastore*, quas multo minus, quam caeteras, concoxisse videtur. Gaudet ista bellua & laetatur in tacito sinu, bonis omnibus plorantibus, sed illum dirae suae aliquando manent. Ego quidem casum Academiae nostrae & calamitatem ex animo miseror. Nam ne quidem sperandum reor,

1 Ita *Salmasium* semper Heinsius, in epistolis & carminibus vocare solet.

Digitized by Google

reor, ut parem *Spanhemio* Theologum Curatores sint inventuri, est enim plerumque id genus hominum factiosi admodum seditiosique ingenii: nihil nostro illo pacatius, ut brutis, plane ac belluinis moribus fuisse oporteat, quibus cum illo non convenerit. Utinam de *Boucharto* invitando cogitetur. Sed hîc quoque turbabit *Alastor*, adeo ille nihil jam ferre potest, quod famam aut eruditionem prae se ferat. Viderint Curatores. A *Vossio* nostro litteras tandem habui Kalendis Majis Stockholmii scriptas, id jubente sereniſſima, ut ait ipse, Regina, quae versus meos, Parisiis ac Patavii editos, videre velit, ut quae poësin unice in deliciis habeat. Caeterum quia tam inexpectata magnae illius principis curiositas votorum meorum modestiam longe excedit, & quia amici nostri ingenium uterque novimus, dubitavi aliquamdiu, an quamvis prolixe serioque id adfirmanti assensum praebiturus essem. Manum tandem dedi, idque eo magis, quod ejus periculo, non meo, rem agi viderem. Audiamus ipsum, praefatus pauca de morte patris sui, ita tandem de rebus meis ille; *Redeo igitur ad veterem scribendi consuetudinem, idque non tantum sponte mea, sed & jubente sereniſſima Regina, quae ut miro omnium studiorum desiderio tenetur, ita imprimis poësi delectatur. Quantum ea in arte valeas jam ex aliis cognovit, vult tamen etiam ipsa tua videre poëmata, existimatque sese in illis dignum tanto patre filium esse reperturam. Mittas ea ergo prima, quae sese offerat, occasione, & consequeris gratiam Sereniſſimae Regiae Majestatis. Non autem vult, ut carmen aliquod in laudem suam mittas, sed ea poëmata, quae jam olim Parisiis & Patavii ediderit. In quo quidem an parendum sit Majestati ejus, tuo relinquo arbitrio. Id tantum tibi adfirmo, si Principem hanc nosses, habiturum te ampliorem carminibus materiam, quam tibi unquam contigerit, vel contingere possit, nam neque majus neque amabilius, neque divinius quidquam toto orbe reperiri posse existimo. Animus erat etiam ad* Gronovium *nostrum scribere, sed tempus non patitur, ut id nunc faciam, rogo itaque, ut & significes illum commendatiſſimum esse Sereniſſimae Reginae, eamque summopere expectare ejus Senecam. Sed & hoc quoque, mi Heinsi, pene exciderat, desiderari quoque ab ea editionem Ovidii tui & Claudiani, magis tamen Ovidii, quem unice deperit.* Haec & plura ille. Elzevirios conveni jam, seduloque adhortatus sum, ut diligenter in Seneca pergerent, nam lente hactenus procedunt operae, ajunt chartam se Francofurto expectare, hanc morae causam esse. Claudianum meum, postquam hinc discessisti, non inspexi. Lib. 11. Eutrop. vers. 97. versus ille aliquamdiu me exercuit, *Jamque iter in gremio pacis solenne parabant.* Offendit enim me hoc, *in pacis gremio*, idque eo magis, quod libri duo antiquissimi *paucis* agnoscunt. Vide, quaeso, an expedire te possis. Saturnalia jam accepisti, puto: quae cum venia legenda sunt, ex tempore enim & aliud agentibus exciderunt mihi & *Kinschotio*: nam nihil causae erat, cur in adversariis tam ignavis dedolandis omnes ingenii vires experiremur. Et sane nostrum me magis miseret, quam illorum, qui vapulant, quod otio tam turpiter abusi simus. Ecce jam tibi [1] carmen, quod cum versibus meis editis ad sereniſſimam

1 Adscriptum erat huic Epistolae, sed quia legi potest inter Poemata Nic. Heinsii lib. 1. Silvarum pag. 139. omisi hîc.

Digitized by Google

mam Reginam misi, summa festinatione exaratum: cum non cunctandum videretur. Cave tuae censurae quicquam mihi dissimules. Haec raptim. Vale, meum docus, & nobilissimum *Schelium* a me saluta. *Vossio* negotium tuum commendavi. Lugd. Bat. IV. Kal Junias. Anno CIƆIƆCXLIX. Salutat te *Aprosius* noster. [1] *Petrus Bapt. Burgus*, belli Suecici Scriptor, vir optimus, mihique amicissimus, Genuae nuper e vivis sublatus est.

1 Prodiere ejus *Commentarii de Bello Suecico* Leodici Anno CIƆIƆCXXXIX. in 12° edidit praeterea libros II. de *Dominio seren. Republ. Genuensis in mari Ligustico* Romae CIƆIƆCXLI. in quarto. Scriptor ubique studia partium prodit, & Papae & Austriacae domus obnoxius in Suecos & omnes, qui a Romano Pontifice discessionem fecerunt, debacchatur, & stilum atrocem exercet. An Cl. *Struvius* in Biblioth. Historica Cap. XVII. §. 10. erraverit, qui *Joannem Bapistam Burgum Martem Sueco-Germanicum* edidisse libris III. Colon. 1644. in 12° scribit, nescio, cum editionem illam non viderim, sed Leodicensem, quae libris tribus commentarios *Petri Bapt. Burgi* descriptos exhibet. Video etiam *Christ. Gryphium* capit. II. §. 6. de Scriptoribus Historicis seculi XVII. editionem alteram Anni 1643. memorare, quae imagines additas, sed invenustas habet. Tribuit ille huic *Burgo* rarum animi candorem, quia in fine libri III. magnificum elogium *Gustavi* contexuit; sed in quo tamen culpat haeresin & alieni regni usurpationem, & implacabilem Caesaris & Catholicae religionis hostem vocat. Cap. VIII: §. 8. hujus auctoris librum de *dignitate Reipub. Genuensis* memorat in Fol., quem etiam ignoro, & dubito an non idem sit, qui de dominio maris agit.

EPISTOLA CLXXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam:

NObilissime & Clarissime Heinsi. Binas tuas accepi longe gratissimas. De [1] quadruplatore, semper ita existimavi, neminem ex omnibus, qui vel consilium vel operam, vel nimium favorem in re tam dira tristique commodarunt, evadere posse, si pedem extra feralem insulam ponat. Itaque non tam casum, quam hominis stultitiam ac temeritatem miratus sum. At vero mors [2] illa immatura, & propemodum letalis Academiae vestrae, cum primum de illa cognoscerem (cognovi autem ex Ampliss. Viri affinis tui literis) ita me commovit, ut prae magnitudine mali & doloris diu non essem apud me. Non necesse est, ut exponam tibi caussas, sed tu ipse scis, neque publice neque privatim, ipsius dico optimi viri τοῦ μακαρίτου domusque ejus, tempore magis alieno potuisse hanc cladem contingere. Sed a cothurno ad soccum. Admirando Poëtarum pari acclamo sane: *Io Saturnalia.* Nihil festivius neque elegantius dici potuit aut scribi. Et quia hoc quoque imperas, ponam quaestionem tibi: tu videbis, in quam partem vergere velis. Nimirum an non habeat speciem νεωτερισμοῦ, *comitia ad Apollinis*, dein *comitia frequentissimo Senatu.* Neque enim iste locus comitiorum, neque comitiis ratio Senatus habetur-

1 *Doristario.* 2 *Spanhemii.*

betur, ſed populi, hoc eſt, centuriarum, curiarum, tribuum, quibus intermixtus quicumque vellet e ſenatu, non tamen ut ſenator, ſed ut pars centuriae, curiae, tribus. Satis dixi. Neque enim temere hoc in tuis debet fieri, neque ſi rite & non temere fiat, ut verboſe fiat, opus eſt. De unica Regina, euge, nunc bene erit, immo jam bene eſt. Quid ni laetemur, o mi Heinſi, qui ambulamus per vias frequentiſſimas, omnibus incogniti? Patere me trahere me una ibidem: ſed de te verum eſt, & tribus fortaſſe aut quatuor tui ſimilibus: qui cum caeteris omnibus diſſimiles ſitis, diſſimillima loquamini & cogitetis, mirum non eſt vos illis ignobiles ignorabileſque converſari, & tum demum habere, qui vos noſcat, cum aut inter vos, aut ſoli vobiſcum eſtis. Quae autem haec felicitas? atque, o dii, propria ſit! Tandem nacti ſumus Principem, cui non ſimus barbari? quae nos intelligat? cui ſuci illi, qui paſſim pro nobis gerunt, ad noſtra pabula ſedent, noſtra loca occupant jure ſuo, non poſſint imponere? Recte igitur feciſti, quod paruiſti amico noſtro, quem ſerio agere & ex officio argumentor, etiam ex verbis, quae mecum hîc de te habuit. Carmen tuum eſt mellitiſſimum. Quid autem tu me vis ſemper patruum aut Ariſtarchum eſſe? ipſe tuis cerulis indigeo. Tamen, de *totque clientibus una eſt*, vide an Horatio probare poſſis, qui *clientam* maluit dicere. Etſi JCti tradiderint verbum hoc, *ſi quis* tam maſculos quam foeminas complecti. Quibus ſi acquieſcis, & ego ſane: non enim reprehendo, ſed ſubjicio tibi, ut cogites. Claudiani locum legi, relegi, & ſane mihi quoque ſuſpectus eſt, ſed nihil extrico. Utinam permovere poſſes Elzevirios, ut paullo alacrius procederent. Vereor enim ne exſpectatio mora intereat. Notas ad Marcum nitidiſſime jam deſcripſi. Nunc capto intervallum, quod mihi adoleſcentum noſtrorum plerumque inepta deſideria, quibus tamen obſequendum eſt, concedant ad praefationem ad Lectorem Notis praefigendam. Alteram illam ad Reginam placuiſſe tibi gaudeo. Sed quid videtur? adjiciamne diem & annum, an omittam? Haud ſcio quidem cur alterutrum magis minuſve deceat, vel non deceat: tu tamen dic, quid tibi videatur. Curtium abſolvi, & exſpecto commodam occaſionem remittendi. Mox ad Tragicum revertar. Gratum eſt, quod ab *Aproſio* ſalutas (rogoque ut meo nomine vicem ei reddas quam humaniſſime) ſed quod nihil audio de ſarcinis tuis Genuenſibus MSS. id mihi permoleſtum eſt. Debeo illi dudum literas, & mittam, ſpero, proxime: nunc enim plures aliae inſtantius urgent, nec te differre audeo. *Schelium* noſtrum jampridem hîc exſpectamus: ideo & Saturnalia eum manent: nec tamen omnino feriantur, ſed ambulant per manus hominum bonorum, qui ſi non omnia capiunt, diſcunt hoc ſaltem, malis Poëtis non ſemper Saturnalia eſſe. Auctores tamen celatos habeo. Vale. Tranſierunt hac nuper *Mallingrodius* & *Rottendorfius*, legati Monaſterio, viri & ipſi docti & literarum amantiſſimi: ſed & tui miratores: certe vidiſſe, & quidem nuper admodum, poëmata tua narrabant: & fortaſſe quaerent occaſionem tui videndi, Patriſque tui ante omnia. Vale, dulce decus meum, & ipſum matronamque domeſticam veſtram, a me reverentiſſime ſaluta. Daventriae a. d. IV. Kal. Jun. Jul. CIↃIↃCXLIX.

EPI-

EPISTOLA CLXXIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Spanhemium vix extuleramus, cum raptus nobis *Walaeus*. Nunc in gemino luctu versatur Academia. Videtur profecto, Vir Clarissime, nescio quod astrum eruditis inimicum nunc regnare. Adeo Europam universam perrepunt haec contagia. De *Gaudentio* ac *Petro Bapt. Burgo* jam intellexisti. *Scioppium* e vivis excessisse nunc nuncio. Ita ad me eques *Puteanus*, qui & alios addit tibi, ut existimo, non notos, viros tamen praestantes, quique magnam inter Italos de se spem excitarant. *Spanhemio* ac *Walaeo* successores, sine dubio indigni dabuntur. Nam id agi hactenus videtur, ut evertatur occultis machinis haec Academia. Nullus honor virtutibus, nullus meritis locus, qui si ullus esset, de te certe invitando jam transactum foret. Sed hi patriae meae mores sunt. Favori gratiaeque dantur omnia, meritis nihil. Si arrogare quicquam mihi possem, viderer & jure de fortunae meae malignitate questurus, cujus pertinaciam in ultima forsan barbaria expugnaturus sim, in patria nequicquam id polliccar mihi:

Nullas habet spes Troja, si tales habet.

Quibus tamen calamitatibus fortem animum habeo, quem opponam. Ea indole sum, ut dignitates divitiasque possim contemnere, si magno studio magnaque contentione ac ambitu sint petendae.

Non talem Heinsiadae patri Rutgersia mater
Edidit, ignavamve adeo stat amare repulsam:
Nec tanti licitamur opes. Est spretor honorum,
Est supra fortunam animus.

Nec Dii sirint, ut cujusquam benevolentiam hujus mercedis spe captem. Aliis hae curae somnos rumpant. Mihi χρήματα θεόδοτα πολλὸν ἀμείνω. Habeo, quod satis sit, si modico contentus sum, & sum profecto. Nec adeo abjectae sunt fortunae meae, ut lauto matrimonio eas non possim erigere: sed inter tot dotatas neminem vidi hactenus, quae me traheret hoc lenocinio. Discant posteri mei ex me virtutem, fortunam ex aliis. Haec nimia forsan, & praeter rem, quae eo spectant tamen, ut exemplo tuo me ostendam sapere. Scio enim, tuum te esse malle, quam fortunae tuae. *Saturnalia* non displicere tibi, est quod gaudeam. Idque eo magis, quod extemporaneum scriptum sit, & ab aliud agentibus effusum. Nae profecto otio nostro abutimur, qui tam ignavos hostes invaserimus! Corio enim elephantino tam probe tecti ac muniti sunt inscitissimi tenebriones isti, ut vel acutissimos ictus impune sustinere possint ac retundere. Tam alto ignorantiae veterno sopitos nemo excitare possit, nisi qui simillimus illis sit. De *comitiis* rectè mones. Utinam plura carpi non mereantur! Mihi certe multa displicent, quae hactenus non vacat emendare. Ne quid dissimulem, securum ac negligentem reddidit adversariorum supinitas. Hinc peccandi fiducia. Reginae versus meos

Digitized by Google

misi: parendum enim fuit. De successu ne quid promittam mihi, tenuitatis meae facit conscientia. Obsequium meum optimae principi si probabitur, satis est: caeterorum nihil ambio. De *clientibus* sic habe. Communis generis eam vult Charisius vocem, ut & *hospitis* & *antistitis*. *Clientam* tamen dici ab Afranio Horatioque non negat, quomodo & *hospitam* dicimus & *antistitam*. Ego quia *de Superis*, hoc est Diis Deabusque loquor, ut sequens versus satis evincit, minus bene me expressissem, si faeminini generis vocem versui inseruissem. Nec dubito quin Horatius Afranium imitatus ἀρχαϊκῶς *clientas* dixerit. Versu XIV. pro *plectra diserta* rogo corrigas, *plectra sonora*. E Claudiani loco sic me expedio: τὸ *in gremio* videtur corruptum, cum duplex *ss* degenerarit in *m*. quod non raro fieri in veterrimis libris nosti. Tollendum deinde *o*, ultima vocis littera. Sic pro *in gremto*, habebis *in gressi*. pro *pacis*, *paucis* esse in duobus codicibus omnium antiquissimis jam monui. Legendus igitur totus versus hoc modo,

Jamque iter ingressi paucis solenne parabant

Terrestri via iter ab Eutropio confectum innuit, cum via maritima soleret confici. Vide an manum dare conjecturae huic possis. Elzevirios hortari non desino. Intra triduum tomum tertium auspicaturi sunt. Notis ut eadem opera manus admoveantur, quantum in me curabo. Codices Genuenses necdum ad me perlati. Audio de novo Amstelodamum naves aliquot ex Italia advenisse: forte & illam, quae sarcinas istas vehat. Sed cum *Goesius* nobis adsit, in Zelandiam mecum abiturus, non potui in rem inquirere. Revertemur intra decem dies. Faxo tum intelligas, quid expectandum sit. Praefationem tuam denuo perlegi. Ita bene mihi sit, ut ejus lectione satis expleri non possum! Compta, venusta, elegans, erudita tota est; plurimum reconditae antiquitatis habet; quare & futurum est, ut a paucis capiatur ille lepor. Amicum quidem nostrum, qui se veteris eloquentiae restitutorem credi velit, nihil in ea videre aut intelligere existimo. Idem ille, nuper magno supercilio me accusabat, quod obscurus ut plurimum in versibus meis essem. *Laestrygonas* enim & *Antiphaten* sibi inauditos hactenus, quos epicedio in Regem Carolum meo inseruissem. Et hoc quidem praesente *Scriverio*. Dignus ipse, qui ad Laestrygonas ablegetur, atque illos eloquentiam doceat. *Mallincrotium Rottendorfiumque* Hagae nuper salutavi: mox cum iis in hac urbe pransus sum. Viri profecto doctissimi sunt, & quorum similes multos patriae nostrae velim adesse. *Rottendorfius* de libris aliquot Ovidii MStis spem fecit. Haec summa cum festinatione. Diem mensemque ut addas dedicationi nihil necesse. Vale, meum decus, & tuos omnes a me saluta. Lugd. Bat. a. d. XV. Kal. Jul. stil. Gregor. CIↃIↃCXLV. [1]

1 Adjunctum erat epigramma in obitum *Frederici Spanhemii*, quod legitur lib. III. Silvar. pag. 191. & ad ultimum distichon, ubi de *amicorum lacrimis* agit Heinsius, ita clauserat carmen: *Momus* (*Livor* in edito) *& ipse dolet*. Et haec adscripserat: *sibi hoc dictum interpretetur Alastor Claudius, quem moriente Spanhemio lacrimasse constat. Adeo atroces etiam illae animae scelerum suorum conscientia quandoque torquentur*: De his lacrimis alterum est epigramma editum eadem pagina.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXXIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

FAlsus opinionis meae si fui unquam, nunc certe fui, idque duplici nomine, tum quod in Zelandia Flandriaque ac Brabantia haeserim diutius, quam existimaram, tum quod domum reversus nullas a te litteras invenerim. Fore enim arbitrabar, ut, si meae gratiae nihil epistolii dare velles, Senecae saltem tui a te extorquerent, quod frustra mihi vindicaturus essem. Tu vero, mi Gronovi, quem fraternum hactenus in modum diligo, quemque Castorem meum appellare soleo, id nomen convenire tibi non existimas, nisi Amyclis te natum mihi persuadeas. Male sit Harpocrati tuo, qui tam constantis silentii mystam sibi legit. Sed ut serio rem agamus, tomus Senecae tertius finem spectat. Notae tuae restant, quae tomum quartum sunt confecturae: ad eas praelo committendas mox se convertent Elzevirii. Rogarunt igitur me, ut exigerem quod reliquum penes te est notarum. Nam de Controversiarum fragmento, quod a Clarissimo *Ferrario* acceperam, spes decolavit. Tam indignis modis Genuensis mercator me lusit, qui cum libros Genuae comparatos huc miserit, illorum oblitus est, quos Mediolano advexeram. Quae tam insignis oscitantia bilem mihi vehementer commovit. Scripsi quidem ad illum, sed sperandum non est, ut fasciculus in tempore possit huc deferri, quem in Doganâ reliquisse videtur: quod si factum, metuo, ne sarcinae illae mihi perierint, & ego fraudatus sim optimorum ac rarissimorum librorum non parva copiâ. Perspexisti & tu, credo, mercatorum ingenia, qui dum suis rebus promovendis unice incumbunt, alienas susque deque habent, & ut plurimum negligunt. Sic ab altero Neapolitano nummos veteres & libros, qui sexcentis circiter florenis constiterunt, quosque toto biennio jam domi suae servat, nullis precibus extorquere possum. Senecam Tragicum, quem dono mihi *Aprosius* dedit, in manus tibi tradam. Nam festinatione nulla hîc opus. De *Schioppii* morte falsus rumor fuit. Nunciarat id mihi tamquam rem certam Eques *Puteanus*. Sed cum deceptus is fuerit a *Forstnero* quodam Germano, qui Patavio recens Romam advenerat, & jam ad *Rhodium* de libris ϗ μακαρίτυ postumis emendis scripsisset, hominem & vivere & valere pro responso accepit, meque erroris hujus, quanquam sero, admonuit. *Alastor* totis Furiis in me insurgit ob epitaphium Spanhemio scriptum, maximumque malum in primo, quem editurus est, libro minatur. Responderi illi per amicos curavi, etiam atque etiam videret, ne praeveniretur. Mihi enim certum esse, homini insane maledico nihil imposterum indulgere. Sed, quod omnium facetissimum est, in *Heidanum*, qui cum *Latio* fere solus ei amicissimus fuit, apud quosvis

Digitized by Google

quotidie debacchatur. Orationem ejus funebrem, ut ſoloecam, barbaram, ineptam, ex Cunaei Orationibus ſublectam, paſſim traducit. Rationem hujus facti nullam ſcire poſſum, niſi quod *Spanhemium* ipſum, & *Rivetum*, in illa nimis laudarit *Heidanus*. Tum quod *Alaſtori* noſtro, poſt invidioſas laudes, *motus heroicos* adſcribat, quos *inſaniam* interpretatur acutiſſimus *Alaſtor*. Vides quam periculoſum ſit hominem arrogantiſſimum laudare, qui eo ſuperbiae ab adulatoribus ſuis redactus eſt, ut digne ſe laudari non poſſe arbitretur. *Stevartus* libellum ei nuper inſcripſit, in cujus praefatione ὁ δεῖνα, *heroem auguſtiſſimum*, & *ipſo Auguſto auguſtiorem* vocat: nihil ab eo neſciri contendit. Unum illum tantum ſcire, quantum omnes, quotquot hactenus vixerunt, eruditos. *Juſtellus* ad plures abiit. Ita *Puteani* ad me. Tu vale, & rem bene age. *Voſſium* noſtrum in Suecia manſurum, eoque nomine bibliothecam ſuam ad ſe deferri curaſſe conſtans rumor eſt. Elzevirii Baudianas epiſtolas auctiores luci parant. Si quid ad rem habes, communica, quaeſo. Lugd. Bat. CIↃIↃCXLIX. Nonis Aug.

Bullialdus in locum *Paganini* a Magno Hetruriae Duce invitatus eſt: qui oblatam conditionem non videtur acceptarus.

EPISTOLA CLXXV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

Jam minuerunt, puto, querelas tuas meae, quae in via atque adeo propiores tibi, quam mihi erant, cum tu illas deſiderabas. Nam quod ſerius demiſſae, ſane pigriorem me fecit iter tuum, quod facile cogitabam ultra promiſſum reditus diem prorogatum iri. Habes igitur, & habebis, quando voles, ſine Amyclis Caſtorem. De Senecis ad umbilicum adductis, mihi nuntii beati. Utinam nunc perſuadere hominibus poſſes, ut ſtatim adderent frontem cum dedicatione! Hoc deſidero, non tantum, quia praeſente te fortaſſe maculis libera prodiret, ſed etiam quia fidum hominem habeo, qui cis paucas tempeſtates, menſem forte, minatur iter in Sueciam, & poſſet iſtos tres tomos portare in anteceſſum. Amabo te, incumbe in hanc curam. Poteris apud eos hoc praetexto uti, quod magnopere deſideremus uterque, tu atque ego, ut Praefatio mendis careat: de illo autem nihil poſſe certi ſperari, niſi nunc praeſente te perficiatur. Nam ut ipſam tibi porro commendem, non puto opus eſt: ita & meo honori & majeſtati illius, cui inſcripta eſt, faves. In Marcum hîc habes. Alloquium ad lectorem quarto illi tomo praefigendum habebis proxime: jam enim profligatum eſt, ſed nondum redegi in mundum. Quod ſcribis & λόγον & carmen ἐπιτάφιον motuum laudatorum eſſe novam cauſſam, nihil levius exſpectabam, ex quo utrumque cognovi. *Is*

Voſ-

Digitized by Google

Voſſius non tantum manebit in Suecia, bibliothecamque ſuam eo tranſtulit, ſed & patriam Reginae viginti millibus florenis vendidit: haec ſub ipſius adminiſtratione erit. Caeterum locus ei in palatio conſtitutus, ſtipendium quinque millium florenorum annuorum adſignatum, victus praeterea in aula. Sic mihi nuper hîc retulit *Tollius*, cujus frater etiamnum domi Voſſianae Amſterodami agit. Epiſtolas *Baudii* nulla parte augere poſſum. Tres fuere penes *Guilielmum Grotium*, quas ab eo acceptas, cum Jo. Janſonius eandem editionem repeteret, *Boxhornio* tradidi, ut adjungerentur: ſed neſcio cujus negligentia tamen ſunt omiſſae. Eas ſi non habes, a G. *Grotio* petes. *Juſtellum* deceſſiſſe doleo, quemadmodum laetor rumorem de *Schioppio* falſos nos habuiſſe. *Heraldi* commentario grandi quid fit? Vale, mi Heinſi, & de praefatione memento curare. Daventriae. VII. Id. Sextil. CIↃIↃCXLIX.

EPISTOLAE CLXXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

PRoximas meas una cum notis in Marcum Senecam accepiſti, credo. Nunc en praefationem ad Lectorem, quam Notarum tomo praefigi velim, una cum carmine *Rottendorfii*, quod ab eo ad me miſſum putavi non incommodo hîc poni, inſtar alius ad Reginam praefationis. Audieram ab *Iſaaco* noſtro Graeca, quae apud M. Senecam reſtituta ſunt, *Scaligero* deberi: eum communicaſſe ea cum *Vulcanio*, codice MS. ejus in primis adjutum; hunc cum [1] *Schotto*, qui diſſimulata laude *Scaligeri* ſub ſuo nomine ediderit. Si vera eſt haec hiſtoriola, vos eam noſſe oportet. In fine hujus, quam vides, praefationis aliquid ea de re poſueram, ſed delevi poſtea, partim incertus, an verum ſit, partim ne dicerent in cauda praefationis venenum eſſe. Ad librum de vita Beata cap. XIII. *Virtus ſalva eſt:* an *veritas*, an *virilitas?* totam eam obſervationem velim abs te, ſi res integra eſt, deleri. Epiſt. XCV. locus eſt: *Habeamus in commune, quod nati ſumus.* Ibi non ſatis me expreſſi. Τὸ *Quod* volo eſſe pronomen, non conjunctionem. *Quod nati ſumus*, volo eſſe, quod cum nativitate accepimus: ut noſti illa: *homo natus, vir natus.* Hoc alibi explicabo latius: nunc ad illa verba in notis: efficiamus, ut ad commune bonum vel commodum creati ſimus: ad illa appinge quaeſo: *tales vel tale animal, quale creati ſumus.* De Praefatione ad Reginam, quae te proxime oravi, credo tibi curae fuiſſe. Hanc quoque fas perlegas & emendes, aut ſi quid diſpliceat tibi, me in tempore moneas

[1] Ex Epiſtola *Schotti* ad Lipſium XCII. patet, Schottum Graecas lacunas ex Covarruviano codice ſupplevisſe, & optaſſe, ut in *Lipſii* aut *Scaligeri* manus perveniant, quia poſt mortem *Jac. Dalechampii*, ad quem miſerat notas ſuas, apud heredes haerebant, & quas recepiſſe Epiſt. XCV. & XCVII. Lipſio ſe juſſiſſe mitti, ſcribit.

Digitized by Google

neas. Vale, Decus meum, & meam famam tibi commendatam habe. Daventriae postrid. Id. Sextiles CIↃIↃCXLIX.

EPISTOLA LXXVII.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

QUod questus nuper apud te sum, amicissime clarissimeque virorum, aut nullum aut parvum ab hominibus nostris pretium virtutibus poni, ut te solarer id potius factum, quam quod meritis meis plus deberi arbitratus sim, quam hactenus defertur. Indignor aliorum rationem non haberi, de me gaudeo. Quid enim honorificum magis, quam negligi aut contemni ab istis mortalibus, qui litteris ac eruditioni bellum indixerunt? Ad magistratum hujus civitatis nemo post *Goesium Swanenburgium*que, hoc est toto decennio, promotus, qui praeter vernaculam linguae alicujus peritus esset. Nuper etiam tres Scabini ex infima plebis faece lecti, quorum unus pistoris famulus olim fuerit, ac pistor etiamnum sit, caeteri non melioris illo notae. Quod facinus sibilis ac carminibus famosis jure meritoque exceptum. Vides, quam non frustra Fornacem inter Deas olim retulerint Romani. *At nos litterulas stulti docuere parentes.* Sed per me licet, male sibi consulant suisque civibus, dum Academiam nostram inscitia non inquinant ac pessum dant. *Veslingium* ut invitarent ad professionem Medicam auctor nonullis fui, illi vero virum nullius pretii homini doctissimo elegantissimoque praelaturi sunt, nisi me fallunt praepostera illorum consilia. *Bouchartum* ad ministerium ecclesicae Gallicanae nuper evocarunt, cum ad professionem Theologicam debuissent, quasi vero homo opulentus, optimoque loco natus, ac magnae inter suos existimationis, Ministerium ecclesiae patriae sit deserturus, ut eandem peregre dignitatem, qua domi fungitur, amplectatur. Jure ergo ludi se questus est, oblatam conditionem aspernatus. Non tu solus es, mi Gronovi, in quem injurii sint Vatinii nostri. *Boxhornianam* de Jure successionis dissertationem vendi nuper vetuerunt, ejusque scripti exemplaria a lictoribus direpta: cum *Salmasianus* tamen liber, contumeliis in hostes Regios atrocissimis plenus, apud Elzevirios impune nunc edatur, magistratu consicio. Sed missa haec faciamus. In Virgilii loco, *animos tollent fata*, sensus videtur constare, animos tollent, propter aquam interlabentem, & halitum subeuntem. Libelli mei in Sueciam perveniisse nondum videntur, quos *Appelbomio* commiseram, ille, ut sumptibus, credo, parceret, nobili cuidam perferendos dedit; cui quid factum sit sciri hactenus non potest. Queritur interim de hac mora *Vossius*, ob quam ne succenseat mihi sereniissima Regina vereor. Purgavi itaque me litteris apud *Vossium*, factique culpam in *Appelbomium* conversi. Dedicationis tuae partem

tem potiſſimam hîc habes; ut ſine mendis ederetur operam omnem adhibui, ſi quid peccatum apographo a te miſſo licet adſcribas: aqua enim in uno alteroque loco mihi haeſit: ſed fortaſſis fruſtra. Habes & primum notarum folium, ſecundum etiam emendavi. Negligenter ſic ſatis operae ſe gerunt, & graviter nonnunquam impingunt, quod jam aliquoties tempeſtive a me praeventum. Quo magis doleo Amſtelodamum me nunc evocari, trahunt me eo neceſſaria quaedam negotia; quod intellexerim Neapolitanum mercatorem, cui nummos veteres libroſque in Hollandiam mittendos commiſeram, ex ea urbe diſceſſurus, re fracta foro ceſſiſſe. Quod ſupereſt, tentandum mihi, ſi quid forte tabularum ex iſto naufragio colligi poſſit. Intra dies paucos revertar. Elzeviriis interim in mandatis datum, etiam atque etiam viderent, ne quid errorum obreperet me abſente Notis tuis. De Claudiano edendo inter illos & me convenit: quem intra viginti dies praelo commiſſuri ſunt. Mitto hîc obſervationum initium: caetera miſſurus, ubi deſcripſero. Rogo accurate ac attente pagellas iſtas perlegas, perlectaſque mihi remittas, de erroribus etiam libere moneas, nihilque, quod carpi poſſit, intactum relinquas. Caetera ipſe emendabo adhuc perpolienda, quae ad ornatum verborum pertinent: tumultuaria enim opera pagellas illas effudi, nec perlegi ipſe. Quae notata vides in margine, ut ſuperflua delebuntur. In Statii loco, *fulgorque reciſus*, nihil mutandum videtur, & muto ſententiam. *Interciſam diem* ſic Claudianus dixit. *Heraldi* ingens liber ſub finem anni hujus prodibit, ſic ipſe nuper ad me. Quibus *Salmaſio* reſpondet jam edita ſunt: reſtant Rerum quotidianarum libri tres. Voſſianam bibliothecam quadraginta florenorum millibus a Regina emptam idem *Salmaſius* credi vult, tibi potius accedo, qui de viginti millibus ſcribas. De *Schotti* ingrato in *Scaligerum* animo nihil memini. Extat in bibliotheca publica ξ πάνυ exemplar ex editione *Mureti*, in quo lacunas Graecas ſupplevit, quod neſcio quomodo exhibere tibi neglexi. Puto illum Graeca iſta a *Vulcanio* habuiſſe, nam inter ſchedas ejus nonnulla ad rem hanc facientia vidi: *Vulcanium* ex *Schotti* libro deſcripſiſſe exiſtimo. Certe codex ille venerandae vetuſtatis, cum altero, Antverpiae apud Jeſuitas etiamnum ſervatur, ut ex *Rubenio* intellexi: nec arduum fuiſſet eum impetraſſe tibi, ſi ſic voluiſſes. Pariſiis etiam apud *Mentellum* quendam Medicum Naturales quaeſtiones vidi editionis Aldinae, a viro quodam docto ad libros veteres caſtigatas: quas mihi tum offerebat tecum communicandas. Haec nunc, ſumma cum feſtinatione, itineri accinctus: plura proxime. Vale meum decus. Lugd. Bat. pridie Kal. Septembr. CIↃIↃCXLIX.

Titulum Senecae praefigent Elzevirii, quem ante praefixerunt, mutanda tantum inſcriptio, quam pro libitu concinnabis, quantum tamen fieri poterit, breviſſime. Ut hîc feſtines tua intereſt. Iterum vale.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Daventriam.

TAntum quod acceperam tuas hodie, cum mihi cathedra fuit conſcendenda. Idemque faciendum poſt meridiem, & duas praeterea horas privatim docendum, niſi auctio librorum, &, cui has portandas dabo, mihi diem exemiſſent. Nomen illi *Joachimo Borgheſio*, pater Rector ſcholae Groningenſis, ſtudia ſatis elegantia, & ſingulari impetu ad literas noſtras fertur, mores, ut audio ex iis, qui a puero hominem norunt, & ipſe paucorum dierum adſidua conſuetudine percepi, probiſſimi ac ſimpliciſſimi. Quare cum in Academiam veſtram migret, audeo tibi eum tradere digniſſimum, qui te familiarius colat, & bonitate tua congreſſibuſque tecum crebris & proficiat, & tibi devinciatur. Agnoſco autem fidem tuam & curam in illis, quae tibi commendavi, & vidi lubens ſpecimina operis Annaeani. In praefatione ſtatim averſo latere primae paginae grande vitium eſt admiſſum: *quam eandem caſtis immortalium*: cum debuiſſet: *quam deabus, eandem caſtis*. Duo leviora, *bonorum artium*, & *quales in ipſis riguerunt*, pro *viguerunt*. Diſtinctiones alicubi quoque omiſſae nonnihil obſcurant. Quae etſi mallem vitata, tamen pro fato librorum, & operarum tum ſtupore tum negligentia, ut ille Plautinus dicebat Ballio, *Minus malum eſſe illum, quem conduxerit, quam cenſuerat, coquum, qui nihil etiam dum praeter cyathum & cantharum harpagaverit*, ſic ego illas minus malas ducam, quae caetera reliquerunt, ut intelligi poſſint. Tu videbis, quid illis ſit faciendum, & an alicubi de illis poſſit lector moneri. Schedas tuas ad Claudianum cras percurram, & prima occaſione remittam. De Saturnalibus magnas gratias. Nunc dormiturio. Vale, mi Heinſi, & me ama. Daventriae, quo die tuas accepi, a. d. x. Kal. Septemb. CIↃIↃCXLIX.

Diſcrucior nuntio, qui te Amſterodamum evocavit, nec mea potius, quam tua cauſſa. Utinam effugerint res tuae illud hominis fortunarum incendium. Puto te accepiſſe notas ad Marcum una cum praefatione generali, quarto tomo praefigenda.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

ITa me Musae ament, ut juvit legisse specimen, quod misisti, tuarum in Claudianum annotationum, doctum, elegans, accuratum, ut nihil magis. Tu tamen non credes me legisse, nisi aliquid reprehendam. Quid si tam diligens fuisti, ut nihil reprehensione dignum excidere tibi paterere? Et certe nihil admodum occurrit, quod mihi ipsi non facile excusarem. Unum tamen alterumque subjiciam monentis, non castigantis, vice: tu videbis quam bene. Cons. Olyb. Vers. 6. *fastigia* valde probarem, si adjungeretur aliud verbum, quam τὸ *torqueat*. Nunc videtur dicere, *novo torqueat vestigia*, novo & inusitato more, superbius & insolentius incedat, rotetur progrediendo. 1. In Ruffinum vers. 297. *sed motibus impar*, nescio quomodo non potest placere. Lib. II. vers. 69. *dolor afficit unus*, optimum & Tullianum: haud quaquam tam bene, *officit*. Illa in scriptura, *refluvis Bosphorus*. De *fuco*, praeclaram & utilem multis locis observationem mihi praeripuisti: dudum enim miratus fueram, non potuisse doctos viros inter *succum* & *fucum*, praesertim tot locis, distinguere, & congesseram quaedam in eam rem, quae nunc tibi cedent, me libentissimo secundissimoque. Quod ut certius scias, mitto etiam hîc, quae dudum oblita nuper nescio quid quaerens inter schedas meas reperi, foliolum collationis Ovidianae, quod miserat *Boeclerus*, & Claudianum a me in Anglia cum MS. codice *Patricii Junii* collatum. Videbis an usui esse tibi possit. Ignoscas, quod in proximis dubitaveram, an accepisses praefationem meam, quasi potuisses mihi respondere de *Schotto*, si illam non accepisses. Hoc per festinationem mihi exciderat. De codicibus illis Antwerpianis utinam citius novissem. Nunc serum est, nisi forte in futuram novam editionem aliquid parem. Cogor abrumpere, quia instat, cui tradam has portandas, egregius juvenis ἡ ὁυκ ἀπαίδευτος, discipulus aliquamdiu meus, & civis primarii filius, *Nilandius*. Eum, cum te adibit, solita tua humanitate excipies. Non audeo tibi amplius meas Notas in Senecam commendare: ita impudenter tua opera utor: facies tamen quod poteris. Heri apud Reverendiss. *Mallincrotium* & nobiliss. *Rottendorfium* facta est tui mentio, digna eruditione ac moribus tuis. Etiam saluti tuae propinavimus, ac dimissus sum bene madidus. Videbis ipsos, credo, aut Hagae aut in urbe vestra. Vale, vale. Daventriae a. d. IV. Kal. Septem. Julian

Digitized by Google

EPISTOLA CLXXX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

ULtimis litteris specimen notarum misi ad Claudianum, Vir Clarissime. Censuras tuas avide expecto. Nullus enim dubito, quin inveneris nonnulla in schedis istis, quibus assentiri non possis. Lib. 11. in Rufin. 438. *vivosque imitata retentus* non videtur mutandum in *receptus*. Muto igitur sententiam: quanquam non multum refert. *Retentus* a retinendo. Reliqua describere uno impetu decreveram, sed propositum hoc interrupit casus inopinatus, quem velim audias. Poëmatia mea Serenissima Regina & legit, & laudavit lecta, addiditque gratum sibi fore, si in Sueciam excurram. Promiseram me id facturum sub coronationis solemne festum: sed cum id dilatum sit in annum proximum, acceptum magis sibi fore significavit, si moram non traxero. Consultum igitur visum, ut invitationi tam comi manus praebeam, meque itineri accingam. Instat enim hyems, ante cujus exortum in patriam redire gestio. Osculo victricis dexterae me expediam, ubi Rutgersianum negotium Majestati ejus commendaro. Si quid praeterea in rem tuam possum, impera. Sub finem hebdomadis proximae discessurus sum, si occasio commoda offeretur. Die Martis igitur sequenti Amstelodamum me conferam, ut amicos consulam de itinere quamprimum suscipiendo. Senecarum exemplar si interim parari potest, mecum id feram. Sin minus, ut brevi mittas auctor tibi sum. Id enim te facturum jam promisi. Atque utinam stato tempore Amstelodami te possis sistere! sed tu videris. *Vossius* noster valet, teque plurimum salvere jubet. Hodie me venturum scripsi, misique [1] carmen, quod hîc vides, Serenissimae Reginae; quod instar gratiarum actionis est. Vide, an delicatis magnae principis auribus respondeat: quibus ut prober, mea interest. Securum me quodammodo priorum successus facit; spemque dat, non minus gratas hasce Musas fore. Tu vero, mi Gronovi, quin patronam talem homini amicissimo gratularis: in qua votorum summam consecutus videor; occinoque mihi ipsi frequenter ista,

Jam dominas aures, jam regia tecta meremur,
Et Chelys Augustâ judice nostra sonat.

Quid restat ergo, nisi ut *Boyos Plautosque* ad Zulychemiana & Catziana praetoria plorare jubeam, aut, si mavis, in spem esuritionis cantare, magnos, si Diis placet, admirandosque poëtas. Sed jocari jam non vacat. Habes hîc, quae in notis tuis absoluta sunt: folium secundum & quarti partem non potui emendare, quod domo abfuerim. Haec multa nocte semisomnis: Lugd. Bat. A. CIↃIↃCXLIX. IX. Sept. stil. Gregor.

1. Et hoc legi potest lib. 1. Silvarum pag. 140.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXXXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

Quidni gratuler tibi Sereniſſ. Reginam tam propitiam? Ego vero non tibi modo, ſed & mihi ipſi gratulor, qui ſemper tuam felicitatem meae, & majorem quidem, partem duxi. Immo etiam omnibus, qui ſerio literas colunt; quibus in extrema deſperatione haec repente inexſpectata lux eſt exorta. Quod enim hoc exemplum dicam? aut quam benignitatem numinis terras reſpicientis? Nihil profecto ſimile videre majores jam inde a temporibus M. Antonini. Nam utcumque forent principes, qui faverent ſtudiis; qui tamen ea ſic intelligeret, qui ſic diſtingueret ingenia (unicum ſi Julianum excipias, quem propter odium Chriſtiani nominis ſciens praetereo) exſtitit nemo. O nos igitur beatos, qui quod regia gratia potimur, nullius nil niſi aulici gratiae debemus: nec adulatione, pecuniave aut mille indignitatibus ſumus conſecuti, ſed honeſtiſſimis artibus, quibus geſtimus poſteritati probari. Juvat, juvat viviſſe in hunc diem, & hactenus injurias, contemtum, invidiam pertuliſſe, ut hoc praemium conſtantiae noſtrae eſſet, noſci & aliquo loco poni ab incomparabili Regina, cui ſoli conceſſum eſt a fatis, juſtum dilectum agere ingeniorum. Ergo fauſtis avibus, & diſce, quam nobis referas, quam tradas poſteris hiſtoriam de magnitudine & gloria tantae Principis, quam tot ſecula ſuſpirarunt, quot ſeculis docti Principibus barbari & ignorati vixere. De me, ſi tam ſplendida materia ſermonum, quibus eam adorabis, aliquem locum memoriae noſtri dabit, hoc ejus Majeſtati adfirmabis, me, ſi quemquam mortalium, fideliſſima devotione illi dicatum, juratum, conſecratum eſſe: uno hoc gaudere vitae fructu, quod in tempora, quae nomen ejus nobilitabit, inciderim: omnes mihi horas eſſe longas, dum hunc ſenſum (quod ejus Majeſtati clementiſſime placuit) publice patefaciam: interim precari, ut, quod commodum illi videatur, deminuat de ſpe, quam de Senecis noſtris nimiam concepit: video majorem viribus meis eſſe, & periculum, ne decepta exſpectatio tranſeat in indignationem, quae me profecto ad neceſſitatem ultimam deduceret: ſed omnem habere ſpem in ejus clementia poſitam; & quotidie pro Majeſtatis ejus regnorumque illius ſalute non tantum omnibus precibus venerari Deum, ſed & vitam meam caputque devovere. Haec per ego te communes deos oro, ut quam ampliſſime exponas, & omni fide Majeſtati ejus confirmes. De Scazonte nolo praejudicare, ut omne judicium exſpectes ab illa, cui ante omnes placere debet: ſuſtine paullulum, mox tanti potens ſuffragii, noſtra puncta faſtidies. Vale, vale, Nobiliſſime & Clariſſime Heinſi, & vive noſtri memor. Daventriae a. d. IV. Eid. Septembr. Julian. CIↃIↃCXLIX.

Voſſium noſtrum, *Freinshemium*, *Boeclerum*, & ſi dabitur, *Loccenium*, VV. CLL. a me peramanter ſalutabis. Ad *Voſſium* ante octo dies ſcripſi, & cras iterum ſcribam, miſſo ſimul Euripide cum MS. collato ad matrem ejus. Iſtas ſcripſi, ut, ſi fors fuat, ipſi oſtenderes Reginae. Idque ut facias, te oro & hortor. Utinam vero praeſens tibi mandare potuiſſem, quae vellem! Sed prohibeor, & ſummam hîc habes. De tuis ad Claudianum ſollicitus ſum. Ea cum ego bis, ter, perlegiſſem accurate, & mirifice probaſſem, nec niſi de minutiis quibuſdam te monendum haberem monuiſſemque, dedi ad te cum literis referenda juveni cuidam hinc Lugdunum contendenti. *Nilandio* nomen eſt, ipſe, ut & parentes, mihi amici; ſed confirmabat mihi, ſe praeterito die Lunae, hoc eſt, ante octo dies ſperare, Leidae fore. Nam jam quatuordecim dies ſunt, quod ei faſciculum dedi. Erat in eodem Claudianus, quem ego in Anglia contuli cum MSS. membranis *Patricii Junii*, quem diu oblitum nuper admodum inter libellos quoſdam, quibus raro utor, abjectum inveneram. Erat & pagina collationis Ovidianae cum codice *Boecleri*, quae etiam in manus venerat. Haec omnia vereor nunc, ut ante feſtinatum hunc tuum diſceſſum accipias. Nihil tamen interibit. De exemplari, quod feras Reginae, vides propter brevitatem temporis id parari non poſſe. Debet enim decore religatum, & auro cultum eſſe. Sed ſi ſolutum exemplar tecum ferre velis, & quaſi non meo juſſu tradere interea, dum, quod ego deſtinabo, paratur, non vetabo. Et id mea fide ab Elzeviriis ſumas, vel a Ludovico Elzevirio, ſi habet, & hoc commodius eſt. De caetero ſpero tibi fortunas meas ſatis commendatas eſſe & fore. Itaque Deum immortalem enixe oro & orabo porro, ut ſalvus eas, optata perficias, ſalvus ad nos redeas. Vale & vive. Agitur hîc conventus nobilitatis noſtrae, ad eum venit heri *Schelius*, & me ſecum coenare voluit. Jucundiſſime meminimus tui, literas & carmen miro plauſu relegimus. Laetabatur honore tuo. Jocabatur bellum indicendum eſſe Sereniſſ. Reginae, quod omnia pulchra Belgis eriperet. Tibi quoque felix iter precabatur. Vale denuo.

EPISTOLA CLXXXII.

NIC. HEINSIUS

J. F. Gronovio.

Deventriam.

EXemplar Senecae tui Sereniſſimae Reginae offerendum ante abitum meum parari poterat, ſi Ludovicum Elzevirium tempeſtive ea de re monuiſſes. Id quia factum non eſt, auctor tibi ſum, clariſſime & amiciſſime virorum, non niſi notis abſolutis de munere iſto in Sueciam mittendo ut cogites. Exemplar interim mecum feram non adornatum, quod Reginae exhiberi poſſit: alterum penes Elzevirium reliqui, e quo praefationis naevi ſublati ſunt. Quod me-

Digitized by Google

nemineris velim: nam a caeteris exemplaribus fruſtra id expectes. Notae ubi abſolutae erunt, faſciculum illum ad me mittas rogo, quem Heroinae noſtrae traditurus ſim. Sed feſtinatione opus: mihi enim certum moram in illis oris non trahere. Monendi igitur a te Elzevirii hortandique, ut maturent editionem. Claudiano quid futurum ſit neſcio. Si triduo etiamnum hîc moraturus ſum, textum emendabo. Notas in ipſo itinere abſolvam: mea enim intereſt hac hyeme Claudianum prodire. Notas perlegendas tibi mittam, antequam praelo committantur, ut in iis mutes deleaſque pro libitu, non tantum ea, quae diſplicebunt, ſed de quibus dubitabis. Nam abſit, ut nugas ingenioſas lectori venditare velim. Alios etiam, ut vidiſti, auctores in notis emendavi: qua in re nimium fortaſſis mihi indulſi. Studio tamen id factum, ne perirent labores iſti, cum certum mihi ſit, ſtudio critico poſt Ovidium luci datum, non ultra vacare. Quae delenda cenſebas, delevi. Τὰ *faſtigia* nondum prorſus improbare poſſum. *Torqueat faſtigia*, pro torqueat conſulatus. Conſulatus autem pro conſulatus tempore ponitur. Sic alibi, *anni bis ſenas torquent hyemes*. Hac ratione ſi tibi non ſatisfactum, nihil obluctor, & licet obſervationem illam deleas, ubi notarum copia tibi rurſus fiet. *Veſtingium* noſtrum Patavii obiiſſe nudius tertius hîc intellexi. Male ſit latoribus ultimae tuae, elegantiſſimae profecto terſiſſimaeque, per quos non licet illam Sereniſſ. Reginae exhiberi. Nam adeo lutulentam caenoque reſperſam Elzevirio tradiderunt, ut nihil ſordidius inquinatiusque viſum mihi meminerim. Vide ergo, aliamne ſcribendam exiſtimes, quae tutius monſtrari poſſit. Litteras certe tuas ſubinde expectabo. Vale, meum decus, nobiliſſimoque *Schelio* ſalutem plurimam meo nomine dicas rogo. Argute quidem ille, qui exiſtimet bellum Suecis indicendum, ne pergant praeclara omnia Batavis eripere. Arbitror tamen majori jure Batavos facturos, ſi bellum ſibi ipſis indicant, qui bona ſua non capiant, ac eripi ſibi patiantur. De me interim ſecuros eſſe vos jubeo. Per Suecos enim non ſtaturum certus ſum, quo minus fideliter vobis adhaeream. Sapiunt illi, mi Gronovi, nec ad quamvis mercem excitantur. Vale. Lugd. Bat. CIↃIↃCXLIX. pridie Kal. Octobr. ſummâ cum feſtinatione. Claudiano *Patricii Junii* in Angliâ uſus ſum. Voſſiana quoque excerpta videram, quae uſui proinde eſſe non poſſunt. *Andreae Schotti* excerpta utinam videre potuiſſem, quae penes *Sixtinum* fuerunt olim.

EPISTOLA CLXXXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

NOs vero jam in medio mari te navigare putabamus, & ventos ferentes ſerenoſque dies tibi optabamus, ego, inquam, & *Schelius*, mirati reſponſum

ſum nullum abs te venire. Ille quidem jam, ſoluto conventu nobilium, diſceſſit. Et agnoſco potuiſſe exemplar parari, quod Reginae traderes: ſed ſperare non poteram, tantum etiam morae te illic facturum: ita paratum diſceſſum tuum ſignificaveras. Differemus igitur, & ſpero facile interea finitum iri opus, dum te Sancta illo & Piiſſima Siren detinet, ut officio tuo, quod tam benevole offers, uti poſſim. Placuit etiam conſilium de alio exemplo faciendo literarum, quas, ſi tibi videbitur, per occaſionem Reginae legendas dari velim. Itaque accipe, &, cum opportunum erit, monſtrato (ita voveo) utriuſque noſtrum gratiam auge. Claudiano tuo ut ſummo ſtudio faveo, ita, quod a me exſpectas, tam debitum promeritumque tibi operae, id optima fide praeſtabo. *Veſlingii* obitu diſcrucior. Vale, mi Heinſi. Deus tibi proſperet iter, & feliciſſime te ducat ac reducat. Tu quoque in omnibus cura habe tui, & ne quid temere. Iterum vale, lux mea, & optatis omnibus fruere. Daventriae a. d. VIII. Kal. Octob. Jul. CIↃIↃCXLIX.

EPISTOLA CLXXXIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VIr Clariſſime. Tandem poſt longam moram ventus favere coepit: craſtino igitur mane aequor arandum: quod ut feliciter ſuccedat, Deum veneror. Nam valetudo plane nutat, & neſcio quid adverſi minatur. De *Veſlingio* ſcripſi proxime. *Kinſchotius* noſter peſſime habet, febricula correptus: ne tabes ſubſit iſti morbo vehementer metuo, & ut dicam quod ſentio, actum eſſe de elegantiſſimo amiciſſimoque juvene, prorſus credo. Quod ſi fit, parte mei carere incipiam, & mihi ipſi ſupereſſe. Affligit ea res me mirifice. Sed divinae benignitati haec permittamus neceſſe eſt. Claudianum a me caſtigatum hîc habes, paucis pagellis exceptis, quas proxima occaſione mittam, una cum Graecis verſibus hactenus ineditis, quos ad manum nunc non habeo, inter ſchedas meas diſperſos. Notas inter navigandum abſolvam, quae & cenſurae tuae ſeſe ſiſtent, antequam edantur in publicum. Ad Elzevirium cum ſcribes, monendus eſt, Claudianum penes te eſſe: notas mox ſecuturas: ne ille ad alios libellos edendos ſe convertat. Vale, meum decus, &, ſi me amas, frequenter ſcribe. Amſt. MDCXLIX. Nonis Octobr. ſcribebam multa nocte.

Senecae exemplar mecum feram: nullo tegumento tamen comptum. In Claudiano ordo ſervandus eſt, qualem in indiculo hoc, qui praefigendus, expreſſi.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXXXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

AMstelodamo antequam discederem, Claudiani editionem Raphelengianam, manu mea emendatam, ad te misi. Eam tibi redditam existimo. Habes hîc Graeca, quae desiderabantur: ea, quia festinandum, non vacat describere. *Allatii* manum agnoscis. Epigrammata εἰς Μιμάδα Γηγένεσαν, ἢ εἰς ἄλλον τυπτηθέντα, subjice, quaeso, duobus epigrammatis εἰς κένταλλον, quae in Raphelengiana editione leguntur. Carmina duo εἰς τὰ Σωτῆρα (nam caetera Claudiani non sunt) sequi debent carmen illud, *Christe potens rerum:* duo enim alia, quae in vulgatis editionibus leguntur, in scriptis codicibus non extant, nec Claudiani esse persuadeor. Fragmentum τῆς γιγαντομαχίας Gigantomachiam Latinam sequi debet. *Allatii* manum diligenter serva, quae utilis esse possit ob glossas marginales. In Claudiano nihil mutavi, nisi quod aut ratione aut scriptorum meliorum auctoritate niteretur: si quae tamen perperam mutasse videbor, aut si quae dubia occurrent, vulgatam lectionem ut revoces, tutissimum existimo. Notas magna ex parte descripsi, caetera absolvam, ubi Holmiam venero. Tu interim Elzevirio mitte, quae penes te habes, aut, quod malim, *Goesio*. Is enim Leidam evocatur sub festum S. Martini, ut novo magistratui creando intersit. Editionem ipsam hac hyeme omnino absolvi velim, quicquid de reditu meo tandem fiat: quem tamen non protrahendum existimo. Illud monere neglexeram, Indici Graeca illa, quae hîc habes, suo loco inserenda esse: quod a me factum non est. Pagellam unam alteramque carminis in Herculem mittam proxime: nec est, quod editionem haec morentur, cum ex vulgatis exemplaribus suppleri possint. Praesta, quaeso, mihi hîc Gronovium illum, quem rebus meis addictissimum hactenus expertus sum. Holmiam cras contendemus, si ventus favere pergat. Vale, Virorum amicissime, & summae festinationi ignosce: modo enim huc adveni: etiam abitum parat tabellarius. In Claudiano edendo is ordo omnino servandus, quem in indice expressi, rogo ut in ipso textu id accurate notes, ne hîc impingant operae typopraphicae. Holmiam ubi venero, *Erpenium*, aut alium quemcunque, per litteras rogabo, ut curam editionis habeat. Vale iterum. Elsenorae CIↃIↃCXLIX. Octobr. stilo novo. Editionem ut apud Elzevirios, quantum in se, promoveat, *Goesio* mandavi.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXXXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

PErveniſti ſalvus? & benigne exceptus es & ? frueris ſpectaculo, quo nullum majus hodie laetiuſque in terris? Quando mihi nuntios tam beatos? Spero equidem, & confido: ita, niſi fallor, poſt tuas Elſenorae datas commodior tibi tempeſtas fuit: quae ſi defuiſſet, vel terra reliquum potuiſti iter conficere. Fac igitur, quamprimum caſus tuos, vel proventus potius, ne quid ominer dubii, cognoſcamus. Claudianum tuum fere totum perlegi: ſed, ita me Muſae, quocumque oculi inciderunt, tam eleganter & diligenter abs te habitum vidi, ut meam tam diſparem limam applicare religioni ducerem. Epigrammata Graeca inſerui ſuis locis, ne in his quidem auſus ſum mutare quicquam, etſi quibuſdam in rebus dubitarem, &, ut videbatur, corrigere pronum eſſet. Quia primum e MSS. edebantur, credebam religioſe te ſervare illas, quas inveniſſes, literas: ſi quid mutandum cenſeres, Notis reſervare. Simul cum his libellum ad fratrem adfinem tuum mittam. Elzevirios quoque, quod juſſeras, praeſens monui, penes me eſſe, & cupere te, ut ſtatim praelo darent. Meae in Senecas notae ſunt abſolutae: jam vidi ultima: in indicibus nunc laborant, ſi non jam laboravere. Te autem jam deſideravi: Ecce enim, neſcio quis audaculus praefationi ad lectorem, inſcio & invito me, integram ſententiam, παρενθέσει incluſam, ineptiſſime inſeruit. Et quamquam de eo monuerim in erratis, idem haud dubie curabit, ut hoc lector neſciat, admonitiunculamque meam delebit. Quas poſtremas ad te dedi, ſerius advenerunt, quam ut in Hollandia videres, ſed jam tamen ab affine tranſmiſſas puto, aut ſi non ſint, te tamen officio functum. Nihil enim aliud in illis commendaveram tibi, quam ut Sereniſſimae Reginae devotionem meam, cum commodo fieret, deferres ac teſtarere; *Voſſium* & *Freinshemium* meo nomine quam humaniſſime ſalutares. Idem nunc quoque te oro. Vale, Nobiliſſime Heinſi, & me ama. Dii te maximae Principi probabilem praeſtent. Iterum vale. Daventriae a. d. IV. Non. Novembr. Jûl. CIↃIↃCXLIX.

EPISTOLA CLXXXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

QUia aſportaſti tecum imperfectum opus Annaeanum, & poſtremam partem, ſimulatque perfecta foret, mitti juſſiſti, en eam tibi. Quod mutari

in

in praefatione vobis visum est, mutatum est hoc modo: *nec disputo, utrius sit majus meritum: neutrius enim quod praecipuum est, solum est, sed ubi ille crepidinem &c.* ut statim perscripsi tibi. Certe per eundem, qui responsionem ad tuas Amsterodamum portabat, tabellarium ad Elzevirios literas dedi, quia mutandum hoc omnino esset, & jam in parte istius folii alia, passimque in distinctionibus peccatum esset, totum primum folium, meo sumptu, recuderent. Hoc me moratur, quo minus Sereniſſimae Reginae nondum etiam exemplar meo nomine mittam. *Jarrigius* Mopsus Nisam tenet, ut validus narrat rumor. Hilara Saturnalia. Vale, nobiliſſime Heinsi, & me ama. Hoc malo, quam Nisam tenere. nec Galataeam relinquam. Iterum vale. Daventriae Nonis Decembr. CIↃIↃCXLIX.

EPISTOLA CLXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CLaudianum meum tantae tibi curae esse, Vir Clariſſime, & laetor, & pro affectu tam luculento quidvis debere me tibi profiteor. Notas necdum absolvi, cum densiſſimis premar hactenus negotiis, quae rebus meis ut vacem non permittunt; restant tamen pauca, quibus sequenti hebdomade finis imponendus, nisi Magna Princeps Upsaliam perendie profectura me secum trahat. Ad Epigrammata perventum vides, ut magnae rei non sit caetera pertexere. Quae hic habes operâ tumultuariâ, & nocturnis, ut plurimum, horis exaravi. Ne perlegere quidem licuit, quae properanti & aliud agenti exciderunt; adeo meus non sum. Exigebat, fateor, haec res majorem curam, nisi quod urgent Elzevirii, qui, nisi solito more fallunt, ipsum Claudianum praelo jam commisere. Nolui itaque ullam in me moram esse, caetera, ut jam dixi, cum praefatione proxime, aut saltem intra dies quatuordecim missurus. Interim ut haec perlegas, & quicquid aut festinando, aut ex inscitia peccatum, mutes corrigasque, vehementer atque anxie rogo, cum de existimatione mea agatur, quam commendat tibi abunde, sat scio, necessitudo nostra. Spero quidem tempestive me adfuturum vobis, ut editioni ipse interſim, sed hoc incertum, nec in mea potestate situm, quo magis danda tibi opera, ne mihi hic desis. Editionis curam *Johannes Erpenius*, doctiſſimus juvenis, in se recepit, a cujus diligentia multum mihi promitto. De caelesti heroina nostra proxime nonnihil scripsi, cujus veneratione satiari non possum, adeo fidem omnem superant tot ac tantae certantes in uno pectore virtutes. Poësi praesertim ita capitur, ut hactenus non viderim, qui caperetur magis. Itaque frequenter, velim nolim, cantandum mihi, sed sine rivali: adeo nullus est in hoc regno, praeter Reginam, qui pretii multum huic studio ponat. Advenit tamen Legatus nuper ex Gallia, quem mirificum in scribendis versibus artificem fe-

ferunt. Et crediderim, quod regina sic arbitretur ipsa. Senecas tuos quando tandem videbimus? In dedicatione mutata a te existimo, de quibus monebaris proxime. Tragicum ut addas auctor tibi ac Elzeviriis sum. Id enim gratum imprimis futurum incomparabili heroinae. *Vossius* noster amanter te salutat, scripturum se pollicitus occasione proxima, quae jam non semel elapsa. Nosti procrastinationes amicissimi hominis. *Freinshemius* valet & *Boeclerus*. Nobilissimus *Schelius* noster quid molitur? Salveat ille plurimum meo nomine. Et si tanti est, ferat hoc a te [1] epigramma, quod strenae loco sereniss. Reginae intra dies paucos destinavi. Vale. A. CIↃIↃCXLIX. a. d. IX. Kal. Jan. stilo Gregor.

1. Legitur lib. 1. Silvar. pag. 147.

EPISTOLA CLXXXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

TErtiis, en, ad unas respondeo tuas, mi Heinsi. Primis promiseram me emendaturum, quod Serenissima Regina praecipere dignata est. Alteris, quod tu jusseras, quarti tomi, simul perfectus fuit, exemplar ad te misi. Hîc habes recusum illud primum folium meo sumtu integrum, & in primis sublatum illud, quod displicebat. Nihil in me fuit morae. Heri demum mihi redditum est. Et tamen aliquot dies abibunt, antequam exemplar, quod Suae Majestati ipse destino, comtum nonnihil & deauratum (non pro ipsius magnitudine, ne quidem pro animo meo, sed pro loci hujus captu) dimittere a me possim. Nam mutato illo primo folio, aliud exemplar totius primi tomi (jam enim paratum erat, antequam acciperem tuas) parandum est. Interim has, quas incluси literas, differre ultra commodum non est visum. Si nihil aliud; ut tu (quid minus animo quam frater meus?) eas mollibus fandi temporibus captatis traderes. Nec scio, quamdiu mansurus illic sis. Dubito interdum an aliud exemplum earundem literarum velim alia via mittere, si fortassis hae perierint. Sed spero fortunam nobis propitiam fore. Utinam sit & in tradendo! de quo constitues cum *Vossio* nostro. Vale, mi Heinsi, & rem tuam nostramque bene gere. Daventriae a. d. IV. Kal. Jan. CIↃIↃCL. quae tibi felices exoriantur.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA. CXC.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

IN penultimis tuis recte monebas, Graeca illa codicis Vaticani parum emendata esse, qua de re ob summam festinationem non cogitaram: tui igitur arbitrii esto illa emendare, aut in textu ipso, aut, si hoc serum est, in erratis typographicis. Legitur alicubi εἰς μιμάδα, ubi legendum videtur; μαινάδα: tu videris. Lib. I. in Eutrop. v. 291. *Thebas ac funera Trojae.* Nihil mutandum. Dele igitur in notis, quicquid tentavi in illo loco, & mone, τὸ *labes*, quod inscriptis plerisque est, non esse admittendum. Sic *Thebas* & *Trojam* Lucretius quoque conjunxit. lib. v.

Cur supera bellum Thebanum & funera Trojae,
Non alias alii quoque res cecinere poëtae?

Vale. Raptim CIↃIↃCL. XII. Kal. Febr. Jul.

EPISTOLA CXCI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VIr Clarissime. Quanquam febriculâ tentatus debilisque, ab incomparabili nostra heroina revertor hoc ipso temporis momento: quam non alio convenio nomine, nisi ut epistolam tuam, hodie demum mihi redditam, offerrem. Dedit eam mihi legendam, ut quam elegantissime scriptam affirmaret, gratissimamque sibi testata est. Restat, ut exemplar sibi a te destinatum aliquando accipiat. Id omnium commodissime tutissimeque *Appelbomio* commendabis. De caeteris tum viderimus. Reditum in patriam meum, quando vobis sperandus is sit, nescio. De eo certe cogitare nunc non vacat. Neque quicquam hîc impetraturus sum, nisi ut amicis valedicam, & in has oras recurram. Vides me captum? Quid? quod luculentis humanissimisque litteris a patre nuper me petierit, tanquam munus alicujus pretii, & quod acceptissimum sibi fore profiteatur. Addit & multa in laudes meas, quae jugulabunt homines illos, quotquot iter Suecicum improbarunt. Senex noster quid ad haec responsurus sit, ignoro. Credo tamen manus daturum. Vale. Claudianum iterum tibi commendo. Ex arce Holmiana. CIↃIↃCL. V. Kal. Febr. Jul.

Digitized by Google

EPISTOLA CXCII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Davintriam.

IN patriam reversus, & itineris longi molestique difficultatibus expeditus, vix tandem ad te scribo, Clarissime Gronovi. Nudius tertius huc appuli, ejus rei ut inter primos certiorem te facerem & vetus necessitudo nostra requirebat, & divina Princeps, quae discedenti inter ultima mandata jussit, indicarem tibi, Senecas tuos sibi acceptissimos fuisse, pluribus id se testaturam, ubi exemplar destinatum sibi acceperit, nec commissuram, ut de illiberalitate sua possis conqueri. Advenisset exemplar illud me in illis oris haerente maluissem. Sed quia lentius processit negotium, *Vossius* noster ut hîc tibi adsit necesse est. Oblatam tibi a collegis Hamburgensibus ad se legationem Regina intellexit, & non admissam miratur. Ea in re ut uxori tuae non male, ita an tibi bene consulueris ignoro. Habes hîc duas a cognato tuo. Si quid in negotio vestro effectum cupitis tu ac collegae tui, auctor omnino vobis sim, ut manuscriptos, quos cathedralis ecclesia possidet, codices, quique & pauci, nec magno illic in pretio sunt, Reginae offeratus: certus enim sum, gratius illi nihil donari posse, cum in eo tota sit, ut bibliothecam suam tali supellectile instructam reddat, certa nullis sumptibus parcere. Suos jam dedit *Vossius*, ego meos daturus sum. Age, quaeso, ea de re cum cognato tuo, sed ita ut dissimules meo instinctu id fieri. Ex eventu negotii vestri apparebit, opinor, consilium non futile a me vobis datum. [1] Filius ejus Tubingae studio Juridico nunc operam dat, juvenis, ut audio, summae expectationis summaeque spei in re litteraria: molesta mihi fuit ejus absentia, dum transirem per civitatem Hamburgensem, unice enim cupiebam illum mihi conciliatum, quo affectu erga litteratos omnes esse me nosti. Poteram etiam ejus opera certe aliquid de *Barthii* Claudiano intellexisse, nunc nemo illic inventus, qui desiderio satisfecerit. Audio illum Argentinam & Basileam nunc cogitare. Quapropter rogo te ac obtestor, mi Gronovi, ut ad illum scribas, si quid aut Ovidii, cujus editionem brevi paraturus sum, aut Claudiani in bibliothecis illis invenerit, quod notae alicujus sit, id communicare mecum ne gravetur. Argentinae quidem in bibliotheca publica praestantissimum exemplar Ovidianarum epistolarum, Constantinopoli allatum, servari *Boeclerus* monuit. Nam metamorphosis, ex qua excerpta vidisti, non est magnae rei. Bernae inter Bongarsianos codices auctoris utriusque codices extare ex catalogo didici. Sed & in id inquiras, cum illi scribes, velim, an venales adhuc libros ullos scriptos habeat *Barthius*, omnes eum vendidisse

[1] *Lucas Langermannus.*

Digitized by Google

didisse intellexeram, praeter unicum Claudiani exemplar, praestantissimum illud, & quod magno apud eum sit in pretio. Si supersunt illi membranae adhuc aliquae, emptores facile invenerit me aut *Vossium*. Haec nunc. De caeteris confabulabimur, ubi ad nos veneris: adventum enim brevi tuum sperare me jubet collega tuus, harum lator. Illud tamen te rogo, ut praemoneas me, quando sis expectandus, ne domo ipse absim, cum veneris. Famulum quaero Latinarum litterarum peritum, talem si nosti, mone, sed velim, qui ingenii non sit admodum obtusi, quique spem de se concitet fore, ne perpetuam servitutem serviat ad majora natus. Vale, meum decus & summae festinationi ignosce. Libros, quos utendos a me accepisti, ut tecum feras rogo, mihi enim vasa colligenda, feras & Claudianea ἀνέκδοτα, manu *Allatii* descripta. Lugd. Bat. CIↃIↃCL. XII. Kal. Maj. stilo Gregor.

EPISTOLA CXCIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

ET adventu tuo mirifice sum laetatus, & pro opera, quam mihi dedisti in portandis avunculorum literis, maximas tibi gratias ago. De exemplari Senecae quid fuerit factum, Dii norunt: sed tamen ante mensem a *Rottendorfio* literas habui, id missum in Sueciam cura Domini de *Greigerson*, Commissarii Generalis exercituum Suecicorum, nec se dubitare, quin jam tum regiis manibus exceptum esset. Sed de his, ut & de legatione (de qua semper hactenus ita mecum est actum, ut aliquid restaret agendum, ne meam istam culpam putes) & caeteris, de quibus meministi, coram. Has enim effundo tantum ea de caussa, ut me sub initium sequentis hebdomadis exspectes, de quo voluisti praemoneri. Quae mandasti, mihi curae erunt. Vale, decus meum. Daventriae. v. Kal. Majas CIↃIↃCL.

EPISTOLA CXCIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

EN tibi, Nobilissime Heinsi, famulum, qui, ut spero, omnibus rebus tibi se probabit. Nomen *Johanni Mauricio Veslingio* est, quo ipso tibi gratior erit, cum tanti viri & amici, nuper defuncti, vocabulo te suo admonebit. Proposui ipsi, quae facienda & ferenda habiturus esset, ad omnia manus promisit,

miſit, alacrem & paratum ſe affirmavit. Tradet Euripidem tibi, quem deſideraſti. Amſterodamo diſceſſi, quo die appuli, invitatus tempeſtate & vento. *Voſſiam* tamen ſalutavi, & literas illic ab *Iſaaco* ad me inveni. Scribit eadem, quae tu nuntiaras, Senecas tandem redditos & Sereniſſ. Reginae ab ſe oblatos & libenter viſos: ſuum ſilentium excuſat: valetudinem divinae Principis ire in melius. De adventu ſuo nihil, quem tamen & mater exſpectat. Adfinem tuum quaeſitum, cum oſtiatim regionem mihi indicatam oberraſſem aliquandiu, & a nemine reſponſum, quod vellem, acciperem, jamque omnium (quippe ut feſto die omnes ad januas) vultibus notarer, pudore confuſus quaerere deſii, & me inde ſubduxi. Video in *Sixtini* librorum catalogo volumen, in quo Senecae nonnulla, de beneficiis, de clementia, epiſtolae, Quaeſtiones naturales; item aliud, in quo Senecae declamationes. Utinam vel tu, vel *Voſſius* emeretis, ut mihi quantumvis brevis eorum uſus contingeret! nam tertium epiſtolarum volumen, permittente *Sixtino*, aliquando vidi & contuli. Video ibidem quatuor vel quinque Arnobios, etiam Elmenhorſtianum, quem te quaerere ajebas. Tentabo, an unum ex iis nanciſci poſſim, vel Romanum, vel Heraldi. Vale, mi Heinſi, & me ama. Daventriae. IV. Non. Maj. Julian. CIↃIↃCL.

EPISTOLA CXCV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

EUripidem tuum, Vir Clariſſime, tradidit mihi, quem miſiſti, famulus. Ego & pro hoc & pro illo multum tibi debeo. Puer enim modeſtus eſt, quantum video, & de quo bene ſpero. Euripides magno mihi uſui erit apud optimam principem, cujus tamen pertinax valetudo de futuris gaudiis cogitare me vix ſinit. Non aegrotat tantum illa, ſed decumbit, idque ex tertiana febri. Quod genus morbi, quanquam letale raro ſit, lecto tamen affixam haerere dominam non placet. Quod haud faceret, ſat ſcio, niſi vires miris modis debilitatae eſſent. Nos huc praeter vota nihil conferre poſſumus. Spero clementiſſimum Deum tam ſacri capitis fructum diu nobis indulturum. Elzevirio Victorium in poëticen Ariſtotelis & Mythologos veteres tradidi, quibus Senecae Tragoediae, manu exaratae, adjectae ſunt, ut iis ante diſceſſum meum utaris, ſi tanti eſſe videbuntur. Scis enim codices meos ſcriptos Reginae offerendos. Ait Elzevirius jam eos ad te miſſos, nec dubium eſt, quin recte curati ſint. De Senecis *Sixtini* ut deſiderlis tuis ſatisfiat curabitur. Puto enim in mandatis a *Voſſio* habere *Junium*, ne ullo pretio deterreri ſe patiatur, quominus juris ſui faciat quicquid eſt inter Sixtinianos libros exaratorum codicum. *Elmenhorſtii* Arnobium, ſi aequo pretio haberi poſſit, meum eſſe

esse velim. Sin minus, feram. *Le Mairius* enim, postquam annos totos octodecim a Salmasio lusus est, id nunc agit, ut Arnobium luci det, non *Elmenhorstianis* tantum commentariis illustratum, sed *Heraldi* etiam, & *Stewechii*, & *Canteri* & caeterorum, qui aliquid operae in illum contulerunt, observationibus ornandum. Accedent Octavius Minucii & Firmicus. *Salmasius* ipse in Zelandia aegrotat. Vale, mi Gronovi, cum tuis, meque, ut facis, amare perge. Lugd. Bat. A. CIↃIↃCL. a. d. XIV. Kal. Jan. Gregor.

Menagius opuscula Balzacii Latina edidit, ac Reginae nostrae inscripsit. Vides ad illam certatim omnes concurrere. Literas ad mercatorem Amstelodamensem recte a te curatas spero. Quo magis miror, nihil responsi me hactenus ab illo accepisse.

EPISTOLA CXCVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Lugdam.

SEnecam membranaceum tuum, Nobilissime Heinsi, conferre coepi, non quod magnum inde adjumentum sperarem, (scis enim post Florentinum omnes codices sordere) sed ut magis multiplex tuum in hoc opere erga me beneficium dicere & praedicare possem. Quam etiam paruerim literis tuis, festinare jubentibus, ex eo cognoscas licet, quod jam ad Agamemnonis quintum actum perveni. Si nihil aliud, subnata sunt quaedam hac iterata lectione, quibus nollem carere. Ut in Troadibus: vers. 192.

non parvo luit
Iras Achillis Graecia: at magno luet
Desponsa nostris cineribus Polyxene;
Pyrrhi manu mactetur & tumulum riget.

Omnino enim, nisi tu nevis, scribendum puto: *& magno luet, Ni sponsa nostris cineribus Polyxene Pyrrhi manu mactetur.* Minae enim universae sunt, in Graecos ipsos. Et statim ante:

Ite, ite inertes, debitos manibus meis
Auferte honores.

Hoc mecum sentis, ubique metri studiosissimum Senecam fuisse. Ergo non potest haec lectio tolerari. Liber optimus: *manibus debitos meis.* Eodem vitio, sed facilius, ut spero, corrigendo. Annon enim probabile est Senecam scripsisse: *manibus justos meis Auferte honores.* Ut Medea vers. 997. *justa jam functis habent.* Nec difficilis conjectura de corruptione. Ex *uistos*, *uitos*, aliquis *debitos* fecit. Sed quo haec? quo omnia mihi, nisi offeram & probem Sanctissimae Dominae nostrae, cujus morbo durae literae tuae iterum me vulnerant. Nec tamen sperabo, nos adeo stirpem invisam superis esse, ut tanto prae-

praesidio, postquam vix exortum est, statim privemur. Ὁ μὴ γένοιτο, οὐδ' ἴσαι. De MSS. *Sixtini* libenter audivi, quod nuntias. Sed & de *Heraldo* Mairii. Literas tuas mercatoris domesticis ea hora, qua Amsterodamum veni, ipse manu mea tradidi. Quos libros emi velim mihi, mandabo *Junio* nostro, qui suam operam mihi obtulit. Ita cavebimus, ne forte *Vossius* & ego in licitando certemus, nam quos ille voluerit, iis ego ultro cedam. Sunt autem perpauci. quos designatos apud ipsum videre poteris. Vale, mi Heinsi, & saluta vestros, meque ama. Daventriae VI. Kal. Jun. Gregor. CIↃIↃCL.

EPISTOLA CXCVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

CODICEM Tragoediarum Senecae remitto en tibi, postquam eum integrum contuli, quatenus scilicet integrum passa est puerilis stultitia hominum, nimiam voluptatem animi in pictis imagunculis habentium. Facile tuebitur locum in copiis nostris, si non inter triarios, at inter velites, aut hastatos. Octaviam in conferendo diligentius consideravi, & nonnulla de conjectura correxi. Quid quaeris? Senecae non est, sed tamen proxime post illud aevum scripta: nec tam inepte, ut quondam putavi: sed nihilo minus corruptam censeo, quam postremam Thebaidem, sive Phoenissas, aut Oetaeum Herculem. Huic tamen succurrit Mediceus: illas quis juvabit? Quam locupletem te Sixtiniana fecerit auctio, quid factum MS. & an factum, quod opinabare, scire aveo. Discrucior in primis, nondum quicquam me ex *Junio* intellexisse, quem offerentem officium suum libens procuratorem meum feceram. Narrarunt adventores nobis pleraque librorum addicta vili. Dicitur alius scripsisse magnam pecuniam factam. Illud laetatus sum nuper videre me in novis, Sereniss. Reginam convaluisse. Sperabimus igitur citius adventurum *Vossium*. Tu quid de itinere tuo constitueris, scire cupio. Vale, nobilissime & clarissime Heinsi, & vestros saluta. Daventriae VIII. Eid. Jun. Jul. CIↃIↃCL.

Ante discessum tuum fac mihi designes vicum & domum affinis tui Amsterodami, ut sciam, quo mittere debeam, quas ad te destino. Ὁ δεῦρο quando ibit? aut quid constituisse dicitur?

EPISTOLA CXCVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VIR Amicissime. Speraveram Sixtinianae bibliothecae auctioni te interfuturum, haec causa est, quod tuis nihil hactenus reponam. Senecam

quia

Digitized by Google

quia non misisti, mitte quaeso: navis enim intra dies octo aut novem Holmiam abitura, cui sarcinas meas credam. Ipse discessurus hodie, ut in portu Vlensi *Canterstenium* offendam, quem illic etiamnum ventis adversis detineri constans rumor est, ac cum illo porro in Sueciam contendam. *Vossius* quotidie hîc expectatur, qui jam ante mensem Holmiâ discessit. Ejus tamen adventum expectare non possum, quanquam maxime vellem, quod effluxerit jampridem tempus, quod rebus meis componendis a Regina impetraveram. In Seneca quae curis ultimis emendasti, mirifice placuerunt. Utinam auctorem illum brevi dares publico! scis hoc illam flagitare, cui nec Dii quicquam hactenus negarunt. Prodiit vastus *Barthii* commentarius tandem in Claudianum, quem a librario heri accepi. Codices septemdecim jactat, ad quorum fidem poëtam illum castigarit. Video tamen in multis illum haerere, e quibus feliciter satis me expedivi: poteram & ego triginta codices jactasse. Notas meas, etsi limam requirebant, non inspexi, postquam e Suecia reversus sum, ne ille quereretur, aliquid sibi sublectum, ejus rei testes mihi typographi. Tu vale, & si me amas, frequenter scribe. Famulus satis gnavum sedulumque se praebet hactenus. Amst. CIↃIↃCL. XVIII. Junii.

EPISTOLA CXCIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Dies decem & octo circiter jam sunt, quod Holmiam adveni: ubi omnia sic satis salva, praecipue Regina, quae una instar omnium. De inauguratione nihil hactenus certi, adeo aliis negotiis conficiendis, quae praemitti oportet, comitia protrahuntur: quantum ego quidem auguror, intra menses duos nihil sperandum. *Vossius* noster jam in Galliis est, ni fallor, inde reversus te, ut arbitror, compellabit. Si biduo distulissem iter Suecicum, conveniissemus Amstelodami: quando ad nos rediturus sit, non constat, promisit tamen solemni festo se interfuturum. ὁ δεινὰ bona tandem fide in Sueciam videtur cogitare, & puto viae jam se commisit, duo quidem ex famulis ejus, quos praemisit, ante dies aliquot huc advenerunt. Ex Sixtinianis libris paucos comparavi, plures pro me *Junius*, cum auctioni ipse, non nisi tribus diebus, interesse possem, quod in procinctu itineris starem: iis libris quid factum sit non scio. Rogaveram quidem *Junium*, ut eos ad *Goesii* aedes deferendos curaret, quo sarcinis meis insererentur, quod & ille futurum in se recipiebat. Haerent jam in hoc portu sarcinae, negat tamen *Goesius* Sixtinianos libros iis additos, quod *Junius*, quanquam per famulum identidem compellatus, promissum non praestitisset. Metuo ne manum iis injecerit *Vossius*; cujus tamen gratiae hoc dedi, ut libros omnes manu exaratos

aut cum manu exaratis collatos, elabi mihi passus sim, quos omnes sibi vindicavit. Bibliotheca immenso pretio distracta est; quod mirari satis non possum, cum potior librorum pars negligentissime a *Sixtino* habita computruisset. Ciceronem *Gulielmii* venditam puto septuaginta florenis, & *Vossio* addictam: emit is & duo aut tria Senecae exemplaria, *Gruteri* manu passim notata. De Octavia recte judicas, scriptum est non magni pretii, sed quod Hercule Octaeo tamen praestet, quam ego Tragoediam sine indignatione non lego, tam insulsa apparet. *Freinshemius* novam partem supplementi Liviani praelo paratam habet. Ajebat nuper *Rottendorfium* scripsisse nescio quid de inventa magni auctoris decade aliqua prope Coloniam, in monasterio hactenus mihi ignoto. Metuo itaque ne praeveniatur *Croyus*, nisi festinet suum nobis Livium dare. Aderat mihi hesterno die clarissimus *Boeclerus*, qui promittebat se aliquid fasciculi hodie tibi missurum. Nescio quid inter illum & professores caeteros Upsaliae turbatur: questus est, ut audio, de injuriis sibi illatis apud Serenissimam Reginam, & abitum aperte minatus est, quod negavit illa se permissuram, nihilque non egit, quo exacerbatum ejus animum placaret. Sed frustra, ut nonnulli volunt, puto illum vitae Academicae pertaesum ad aulam aspirare: hoc uno modo exorandum, ut in Suecia maneat. Haec in aurem tibi, nolim enim hominis non male de me meriti res turbatas meâ operâ propalari: cum non desint illi in patria hostes, quibus acceptus sit futurus iste nuncius. Occurrebat mihi etiam nuperrime in hac urbe *Loccenius*, vir omnino bonus, cujus filiam duxit *Schefferus*. librum hujus de re veterum navali Jansonius edendum in se recepit. Haec de rebus nostris; apud vos quid fiat fac sciam. *Conringium* adduxit illustrissimus *Salvius*, & puto hîc mansurum, quanquam neget ipse id hactenus. Vivit & hîc *Christianus Ravius*, qui Arabicas apud nos litteras professus est, nunquam nisi magna locutus. Summis Reginae occupationibus fit, ut studia in tempus valere jubeat. Claudianus meus parum abest, quin ad insaniam me redegerit, adeo nihil in illo promoxent Elzevirii. Vale. Holmiae. Eid. Jul. Julian. CIↃIↃCL.

EPISTOLA CC.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

Literas tuas admodum exspectatas heri accepi, & laetor, te salvum, quodque plus est, ad salvam Dominam perveniisse. *Vossius*, me per *Junium* tantum quod salutato, & rogato si quid vellem Lutetiam, transiit. Nam & tam brevem diem responso meo definierat, ut facile appareret, nec me, nec literas meas moraturum. Ex auctione vix tres accepi libellos, quibus hoc adest boni, quod eos tenes sine invidia: nam si quisquam oculos adjeciisset, satis scio, caruissem.

sem. Illi, cui mandata te dedisse scribis discessu tuo, & bonus apparuit cognatus, & malus mandatarius. Corrogaverat binis ad me diligenter scriptis a me, aliis a *Tollio*, *Altingio*, mandata: destituit omnes. Jure cui studuit. Sed quid opus erat ultro deferre aliis officium, quod studio suo sciret contrarium fore? Nos altum in utramque aurem dormientes poene domesticum bellum subito excitavit: sed magnum casum fortuna reipubl. discussit. Miseram *Gevartio* exemplar Notarum, quod meo nomine traderet *Alberto Rubenio*, & isthoc exemplo ad pulchram aemulationem, & sua observata e compluribus MSS. publicanda instigaret. Dedit ad me ipse literas postea humanissimas, & pleraque illorum sex chartis, seu foliis vel quaternionibus, conscripta transmisit. Pauculis locis nostra corrigit, interdum vere, ubique ingeniose: sed longe plurima aut consentiunt cum nostris, aut talia, ut ipse nostra praeferat. Rides me quasi καυχώμενον. Non facio: & tamen dum audis laudari doctrinam, & maxime candorem ac praeclarum animum amici nostri, quem tu primus indicasti mihi (nam meministi, credo) non feres aegre, si clanculum ego quoque & in sinu gaudeam nonnullo laborum fructu. Libellum Observationum hoc tantum moratur, quod animosus typographus, dedignatus informes typos hujus oppidi, curavit fundi novos Batavicorum aemulos. Idem, quia intellexit perpauca exemplaria priorum Observationum distracta, egit mecum, ut eas rederem incudi suae: quo nihil mihi contigit magis optatum: itaque illas quoque σὺν θεῷ mire videbis interpolatas. Senecae Tragoedias apud Hackium, qui me tamdiu lactavit, prodire tandem audio cum scoriis illis usitatis pannucearum annotationum per eundem, qui Sallustii margines conscribillavit. Vellem, aliquo laboris nos levaret: sed nosti hominem. Ampliss. *Freinshemio*, ubi commodum erit, meo nomine officiosam salutem dicas, eique gratias agas pro supplemento Liviano, quod ad me missum a *Vossio* nostro libenter sane vidi & legi. Gratissimum erit etiam, quicquid a Cl. *Boeclero* veniet. Vale, decus nostrum, & me ama, & crebro salutemus inter nos. Daventriae. Nonis Sextilib. Julian CIↃIↃCL.

EPISTOLA CCI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio

Daventriam.

SI ad manus tuas pervenerunt, quas non ita nuper exararam, Gronovi amicissime, itineris mei successum ignorare nequaquam potes. Claudiano meo manum a typographis ultimam tandem impositam confido. *Goesium* itaque nostrum rogavi, exemplar ejus ut ad te mitteret: quod aut factum jam ab illo, aut faciendum brevi arbitror, rogavi etiam, ut alterum *Schelio* tradendum ad te mitteret, si is Hagâ in Transisulaniam profectus esset, sin Hagae etiamnum

haereret, curae *Erpenio* fore, ut exemplar sibi destinatum accipiat. Senecae manu exaratas tragoedias nuper cum aliis libris accepi, pro quo gratias immensas ago. *Vossium* quotidie hîc expectamus: emit ille Parisiis, quod notum jam tibi existimo, Petavianam bibliothecam. Sixtinianos quoque codices pleroſque nactum existimo. Bremenses Goldastianos etiam meliores jam miserunt. Ego meos, suos *Vossius*, Reginae donavimus, quibus libris in unum congestis futurum est, ut regia bibliotheca codicibus scriptis egregie instruatur. De Claudiani & Ovidii exaratis exemplaribus excutiendis ut cognatum tuum moneres, quem Germaniae bibliothecas diligenter pervolvere intellexi, rogaram, curae id fuisse tibi confido. Claudiano enim manus brevi denuo admovebo, ut emendem, quae ab operis typographicis satis multa errata occursura praevideo, eadem cura & Barthii commentarios evolvam. Mox Ovidio manum admoturus. Cum ad reverendissimum *Mallinckrotium* scribes, aut *Rottendorfium*, rogo quaeras, quid factum sit lusibus illis in Macrinum, quos a *Kinschotio* mutuos acceperant, meus enim is liber est. *Salmasius* ante dies octo huc advenit. Reginam tamen non vidit hactenus, quod defluctio lectulo illum teneat affixum: melius tamen nunc habere sunt qui dicant. Inaugurale festum differtur indies: intra dies tamen viginti quinque celebrandum fore plerique existimant. Habeo prae manibus denuo carmen, cujus partem tibi olim recitavi, cum apud nos esses, cui finem jam impositum oportebat, nisi continuis amicorum interpellationibus turbisque aulicis fieret, ut de nugis hisce cogitare vix possem. Vale, meum decus, & si me amas, frequenter scribe. Holmiae CIↃIↃCL. Non. Sept. Gregor.

Cum frequentius a scriptione me avocarint ante dies septem hasce exarantem amici, factum est, ut praeter expectationem tabellarius elaberetur. *Vossius* noster interea reversus est, qui plurimam tibi salutem dici voluit. *Salmasius* paulo melius nunc habet: in lucem tamen nec prodiit. Iterum vale.

EPISTOLA CCII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Vir Clarissime. Claudiani mei exemplar jam oblatum tibi nullus dubito. De eo quid apud vos sentiant ut indices, nescio an debeam exigere: tam pauci illic sunt, qui rerum talium gustum habent. O' δεινα magnum mihi malum minatur, nec scio quo id nomine. Sed bene habet, quod ab illa parte nihil metuam, adeo ad morsus ejus jam occallui. Conflictatur modo cum podagra sua, modo cum colicis doloribus, unde fit, ut dominam non nisi bis compellarit hactenus. Carmen meum, cujus tibi partem exiguam recitabam, cum in paternis aedibus vere praeterito congrederemur, Reginae oblatum est, placuit-

Digitized by Google

euitque, ut ferunt, sic satis. Voluit illa, ut typis Jansonianis in lucem prodiret, id itaque nunc mihi curae est; ut morem geram, spero intra dies paucos proditurum, hoc est ante ipsa inauguralis festi solemnia, quibus celebrandis omnia jam parata, cum Princeps Palatinus post longam expectationem ex Germania salvus advenerit. Exemplar carminis ut ad te veniat curabitur. De Seneca tragico piget toties monere. Hackium in eo edendo jam versari non refert. Ait enim Elzevirius, qui hîc nobis adest, non obstituram editionem illam, quominus notis tuis auctorem eundem illustratum praelo committant, ut plane non videam, cur tantopere tergiverseris. Me quidem si audias, non procrastinabis amplius, nec eripi tibi e manibus paticris occasionem optimam, qua aurem dominae vellas super dedicatione philosophi, id enim ni feceris, metus est, ne obliviscatur muneris accepti, tot praesertim negotiis nunc oppressa. *Heraldi* librum atrocissimum prodiisse non nescis cura filii, & fortasse jam videris, ego illum avide videre expeto. Quaeris quid *Scribonius* hîc *Largus?* aestuat ac rumpitur, patremque una ac filium se perditurum minatur. De *Junio* jure conqueri visus es. Pari profecto more mecum egit. Libros enim cum omnes, quos mihi emerat, non passus sit haectenus sibi extorqueri, pro omnibus tamen satisfaciendum fuit. Scripsi hodie ad illum epistolam paulo morosiorem, instigante *Vossio*, qui negligentiam ejus nec tuetur nec excusat. Cum *Rubenio* tam bene tibi convenire laetor. Observationum tuarum novam brevi nobis editionem sperandam, id quoque. Ampl. *Freinshemius* in *Boecleri* locum Upsaliam evocatus est, & accepit conditionem. Cura bibliothecae cui deferenda sit, nisi amico nostro, post rem in Galliis ex sententia Reginae confectam, emptisque Petavianis codicibus? Negat tamen hoc futurum ipse, longeque recusat. De conjectura tamen non frustra me fore existimo. *Boeclero* quid futurum sit nescio: nisi quod constat non passuram dominam, ut ex Suecia se recipiat. *Salmasius* aedes Freinshemianas in aula, ut ferunt, incolet. Sed audeon' aliquid tibi in aurem? Est negotioli nonnihil dominae in Italia, cui expediendo operam meam non ita nuper obtuli: quam illa vultu satis laeto oblatam accepit, omnia tamen incerte. Si processerit iter, hac hyeme processurum vix dubito. Voluissem itaque curam a te habitam precum mearum, quibus petebam in codices per Germaniam Ovidianos ut inquireres. Per Germaniam enim iter erit faciendum. Videbo, ut naneiscar juvenem aliquem, Graecae ac latinae litteraturae peritum, qui in bibliothecis excutiendis usui mihi possit esse. Sed haec uni tibi. Plura post inaugurale festum, cui nunc vacandum. Vale, meum decus cum tuis omnibus, & si me amas, frequentius scribe. Holmiae. Nonis Octobr. Julian. CIↃIↃCL.

Digitized by Google

EPISTOLA CCIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

CLaudianum tuum cum gratulatione & plauſibus omnium acceptum eſſe, noli dubitare: ſed quid tu in illo praeſtiteris, quantus labor fuerit tuus, quantum virum egeris, qui aſſequantur, hîc quidem ſunt peroppido pauci. Fui nuper in Hollandia, quo tanquam ex rure meo in Heliconem profiſci antehac videbar: nunc vix inveni unum aut alterum, quîcum tralaticium de ſtudiis ſermonem sererem. Itaque de illa re non debes turbam in ſuffragium mittere, ſed contentus eſſe conſcientia tua, & judiciis perpaucorum, quos non livor aut ſtupor impedit. Hi enim fatentur & ſciunt, talem abs te datum, qualis ab nemine alio dari poſſit hodie quidem; ſummum poëtam & ſcriptorem doctiſſimum a ſummo poëta & ſcriptore doctiſſimo. Carmen tuum exſpecto vehementer. Quod ſcribis de metu oblivionis & aure vellenda, exoſculor animum tuum: ſed nec etiam metu illo afficior, nec ſi quando eo afficiar, id remedium, ſed potius ſtrenuum ſilentium, applicabo. Aut erit illa meliore memoria erga eum, quem ſemel noſſe profeſſa eſt, nec ad quam exornandam, Natura, Virtus, & Fortuna foedus aeternum junxere, tam communi parte deſtitutum reliquere; aut ſi tam ignave rem geſſit iſte, ut poſſit in oblivionem venire, veniat eo ſane, & praeceps jaciatur in Lethen. De illo ipſo autem, quod in appellandi velut lenti nominis ſuſpicionem poſſet venire, etſi conſtitutum erat antea, nunc valde deliberandum cenſeo, & cenſebo, quamdiu poterit videri potius eſſe flagitatoris, quam officioſi. Cujus enim frontis, vel obtrudere invitis quicquam, vel exigere ingratiis a quoquam, quod ille ultro deberi non putet? Non ea profecto frons homini, cui tu tam bene vis. Quod geſtum eſt non poteſt poenitere illum, qui geſſit: non enim ipſius conſilio aut temeritate, ſed magnis auctoribus factum eſt, nec quicquam utriuſque perſona factum eſt indignum. Si defuerint, quae fortuna ſaepius abjicere & perdere ſolet, quam donare, ſortem hoc animum tolerare jubebit, & gratias aget genio ſuo, qui non eſt tam indulgenter habitus, ut ſine illis pati non poſſit. Itaque, o niveum, o carum pectus, quod ad iſtam rem attinet, tu in utramvis aurem dormias licet, neque propterea tuae infrequentiores huc veniant. Non enim appetuntur, tanquam ſymbolum aut ſyngraphum laturae: ſed ſi modo nuntiaverint, nec te quoque apud majores, neque iſtum tuum apud te frigore feriri, ſatis hilarem lectorem habebunt. Ad *Junium* fruſtra literas dediſti: agit enim Groningae, & videtur non tam cito Amſterodamum rediturus, ſatis id indignante vidua *Voſſia*. Libellus meus procedit; & brevi videbis. Elzevirii Livium reddent praelo, atque in eo totus ſum: non pauca etiam in Notis meis re-

reformabo. De MSS. Ovidiis sane aliquoties cognatum meum monui: sed adeo tarde meae ad illum, & ipsius ad me, quaedam omnino non curantur, ut curae hujus meae rationem tibi reddere non possim. De *Loccenio* fuitne aliquid veri? indigne habitum & tractatum ab improbis, qui etiam capite scelus expiarint, aufugisse, ut diu nesciretur ubi esset terrarum. Sic nescio quis narravit *Christenio*; ille mihi: & ambo pro affectu erga praestantissimum & doctissimum virum aegerrime tulimus; sed ego nondum credere possum, quod abominor. Vale, nobilissime & divine Heinsi, & me ama. Daventriae III. Kal. Nov. CIↃIↃCL. Salutabis meo nomine ampliss. *Vossium* nostrum, cujus matrem nuper Amstelodami salutavi.

EPISTOLA CCIV.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

INsolens plane mihi visum, quod tanto tempore litterarum nihil a te acceperim, vir clarissime. Claudianum quidem, quem tibi *Schelioque* offerri jusseram, oblatum confido. Misi & ad *Goesium* itinere maritimo Christinae meae Augustae exemplaria aliquot non ita nuper, quorum unum ut ad te curaret rogaram. Spero impetrasse me quod volebam. Miraberis audaciam meam, an imprudentiam potius, qui victricibus Anglorum armis insultem in isto carmine, & partes victas tueri non subterfugiam. Sed ita voluit Augusta, quae versus istos expungere paranti obluctata est, addiditque in toto panegyrico nihil illis sibi visum pulchrius. Injuriam itaque & sibi & mihi me facturum, si illos tollerem. Suo periculo posse legi. Parendum fuit, mi Gronovi, optimae principi: cujus ego favorem pluris facio, quam parricidarum omnium. De caeteris judicium tuum avide expectabo, sed ea conditione, ut nihil me illorum celes, quae carpenda censebis. Id enim felicius in tanta messe errorum praestabis, quam ὁ δεῖνα, cujus censura risum in plerisque mihi expressit. Per illum enim non licuit sine soloecismi nota mihi *omnem heroida* ipso carminis initio, quanquam Statio tuo auctore, dicere. *Librare sceptrum* non licuit, & *detare diem sereno*, & *trahere in spectacula mundum*. Quem ille Gallicismum vocat, quaesi dicas *tout le monde*. Ut Ovidium etiam Gallice locutum nunc discam, cum ausus dicere, *Ingens orbis in urbe fuit*, de advenis ad spectacula Augusti concurrentibus. Sed finis ineptiarum non esset. Vides quid sit ab odio & invidia transversum rapi. Adeo nihil intactum reliquit in libello isto Latinissimum & Ciceronianum caput. Debet, ut existimo, hanc insaniam morbo suo. Est enim ejus valetudo isto loco, ut parum absit, quin mihi quoque maerorem exprimat. Nunc colicis doloribus, nunc podagra sua ita obsidetur, ut e lectulo vix emergat. Quid porro futurum sit nescio. Vidi

qui

qui non optime ominarentur. Corpus illi ſanius ex animo precor, magis tamen mentem ſaniorem. Auguſtam rarius accedo, quod negotiis infinitis opprimatur. Unde fit, ut Senecarum meminiſſe non potuerim. Quanquam amici potius noſtri foret rem promovere, qui me abſente exemplar obtulit, ut non neſcis. Sed non te latet, quam in ſuis etiam ſit negligens. De itinere meo Germanico Italicoque, quanquam nihil urgeat Domina, cogitationes necdum abjeci: praeſertim cum SConſulto heri legatio ad Imperatorem ſplendidiſſima ſit decreta, cujus onus comiti *Magno Gabrieli de la Gardie* impoſitum, viro, ut ex fama noſti, elegantis ingenii, moribuſque ad aulam factis, quemque prae caeteris unum Auguſta in pretio habet. Poſſem occaſione illa Germaniae partem praecipuam perluſtrare; niſi quod mei juris eſſe malim. De libris manu exaratis, qui illic terrarum etiamnum ſuperſint, nuper aurem vellebam. Ut mirer deſideriis meis hactenus te deeſſe. Mirus ille fuit profecto nuncius, qui aures noſtras inopinato ante dies octo perculit de morte Principis Auriaci. Rebus novandis commodiſſimam occaſionem affulſiſſe arbitror: quod proximus tabellarius indicarit; quem fruſtra toto biduo, & quidem impatienter, expectamus. Metus eſt, ne quid illi acciderit ſiniſtri in tranſitu freti Balthici. Inter alia ſpectacula nuper hîc exhibita, leonem in arena commiſſum vidimus cum urſo ingentis molis, atque uro, ſed pugnae ſe ſubducentem. Equis etiam atque apris vulpibuſque non pepercit modo, ſed & ovibus. Quod mirum omnibus viſum, praeſertim cum famelicus toto biduo jejunaſſet. Habes hîc [1] epigramma ejus argumenti. De MSS. Germanicis aurem rurſus vello. Ovidii optimos codices Erfurti eſſe in collegio portae Coeli *Zingerlingus* me docuit. Superſintne etiamnum illic curaturum ſe ut brevi intelligam amicus promiſit. Vix puto fore, ut ante vernum tempus viae me committam. Quanquam de ipſo itinere omnia adhuc incerta. Vale, meum decus. Holmiae. CIↃIↃCL. XXII. Novembr.

Has jam exararam, cum a *Goeſio* litteras accipio, quibus tuae III. Kal. Novembr. exaratae erant additae. De Seneca Tragico quod toties monui, non mea feci ſponte, ſed juſſu magnae Principis. Vide igitur quid tibi faciendum. Ego quidem ſententiam non muto. Negotium matris quod commendas, rem gratam facis, ſed quid velis non ſatis intelligo. Litterae enim illae, quas luculentas ante de ea re ad me dediſſe viſus es, huc perlatae non ſunt. Qua eas viâ curaris, tute videris. Id moneo, *Ludovicii Elzevirii* opera ut hîc parce utaris: nihil enim iſto homine negligentius: quod magno meo malo non ſemel ſum expertus. *Schelius* ubi terrarum agit? nihil quidem de illo tu?

De *Loccenio* nihil prorſus mihi conſtat, quem nuperrime hîc vidi. Errorem in nomine eſſe exiſtimo, & *Boeclerum* voluiſſe, qui hoc narrarint. Is hîc obambulat in Germaniam, ut ferunt, abiturus. *Freinshemius* in locum ejus Ubſaliam abiit, cui in cura bibliothecae ſucceſſor *Voſſius* datus. Iterum vale.

1 Legitur inter Poëmata Heinſii lib. I. Sylvar. p. 147.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

QUum *Schelius* noſter in tranſitu & brevi complexu, ſe aliquid ad te gratiarum pro Claudiano tuo mihi mandaturum diceret, (quod quidem ut faceret, non deſii inſtare) utrique veſtrum me debere putavi, ut conjungerem meas illis, etſi jam binas ad te poſterior dedi. Valeſne ergo & vivis? & cur tam diu deſidero tuas? an aureus ille dies, non lutei principis barbarum Teridaten extorto diademate induentis, ſed Sueciae felicis ei, per quam beata eſt, aureae Principi coronam imponentis, ita te admiratione defixit, ut necdum marius officium faciat ſuum? Nobis certe & auditus animum percuſſit. Quis percenſeat omnia? Sed in primis placuerunt illae imagines ducum (quantus ſtimulus recte in poſterum quoque gerendi!) Babylonicis, veluti Peplo Minervae Chriſtinae intextae. Literas a *Fabricio* nuper habui, Italiae tuae lectione, ut videtur, paullo antequam ſcriberet, delectato, & ſe, quae in Gallia edidiſti, nondum vidiſſe conqueſto. Libellus, quem hîc praelo commiſi, intra menſem, ut ſpero, abſolvetur. Potuiſſet citius: ſed non nimis urgeo operas, quando Elzevirii rurſus Livio me alligarunt. Et accidit res peropportuna: adoleſcentes frequentes oraverunt, ut privatis ſcholis Livium ipſis praelegerem. Sic enim adſuefeci meos, ut pro politicis & ejuſmodi nugarum collegiis aliquem veterum auctorum ſibi recitari petant. Sane labor eſt haud exiguus, dum contendo, ut etiam rudiuſculi ſimul hiſtoriam, ſimul verba Romana diſcant: ſed ingenti cum fructu & meo & illorum procedere me video. Subnaſcuntur interdum in ipſa diatriba, quae in muſeo multa meditantem fugere: Ut lib. I. cap. LV. *Eo magis Fabio, praeterquam quod antiquior eſt, crediderim, quadringenta ea ſola talenta fuiſſe, quam Piſoni, qui quadraginta millia P. A. ſepoſita in eam rem ſcribit: quam ſummam pecuniae, neque ex unius tum urbis praeda ſperandam* &c. Hoc poſtremum membrum eſt refutatio Piſonis, itaque non potuit ita concipi oratio, quae neceſſario vult ſubaudiri aliquod, & quidem ex praecedenti, *ſcribit*, Rhenanus igitur: *quia ſummam pecuniae.* Sigonius, *quia ſumma pecuniae*, & caetera in recto caſu. Sed vide, an non τὸ *QUAM* ſit exſtirpandum, utpote ab imperito homine adjectum. Nam ipſa illa quadraginta M. P. A. vocat ſummam talem &c. Lib. IV. cap. XIII. *Tela in domum Maelii conferri, eumque conciones domi habere.* Sermone Livii non habentur conciones domi, ſed *coitiones* ſaepe. Hoc paullo poſt: *quod eas largitiones coetuſque in privata domo paſſi eſſent fieri.* Et plura talia. Sed heu mihi! cui maxime haec probaturum me ſperabam, magnus ille *Memmius* interea deceſſit. Quem illi ſubſtituam, aut potius cui Livium meum, *Memmio* orbatum,

commendabo? nam quae ad illum scripsi, nunquam profecto abolebo: sed, si dignum reperero, ei sic comparatum cum praefationibus ad *Memmium* inscribam: sin minus, hae solae in limine comparebunt. Habui ab τῷ μακαρίτῃ literas humanissimas, ante paucos menses, quibus ad illas, quas domi vestrae scribebam, & tu, si meministi, manibus tuis complicabas, respondérat. Alii Parisienses nostri immemores sunt, & quod maxime miror, *Sarravius*. Si nulla foret alia causa, cur *Vossium* transeuntem Belgium alloqui cuperem, ea erat, ut scirem, quis mihi locus apud illum supereſſet gratiae. Vale, nobilissime Heinsi, & cum τῷ πάνυ *Vossio* perge me amare. Prid. Kal. Decemb. CIↃIↃCL.

Hamburgensis res interdum nunciatur mihi in periculo esse, interdum expedita & sine periculo. Tu id melius, credo, scies, siquidem legati collegii etiamnum, ut puto, isthic sunt. Quod ego non veni, culpa est hominis, qui me delusit, cum alios jamdudum ad id iter destinasset. Si quid increpabit periculi, memor illorum eris, quae antea scripsi: sin, non est opus mentionem illam facere, ne videar aliquid petere in praejudicium illorum, qui etiamnum possident.

Dum hae jacent, exspectantque Schelianas, iterum hîc adfuit ipse, & tandem inclusas Zwolla misit. Sed res major apparuit interea quoque non illic ex memoria Dominae decessisse. O quam te memorem, Virgo. Video jam domi sacratum vultum, video de coelo datam Avitam & Auctam. Quid nunc? An cum Livio orbo, interea dum confit de Seneca Tragico, gratias agam? dispice & considera.

EPISTOLA CCVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

PUto jam constare tibi, Heinsi nobilissime, non esse, quod queraris de raritate aut tarditate mearum literarum. Omnibus enim tuis statim respondi: postremas etiam misi, cum nihil abs te, cui responderem, haberem. Christinam Augustam avidissime exspecto. Quod tibi negotium matris meae commendaram, res ita se habet. Est mihi Hamburgi sacerdotium: Canonicatum vocant. Ejus nulli mihi sunt fructus praeter pensiones aedium, quas *Curias* dicunt. Alioquin reditus sunt ejusmodi, ut ad domum familiamque non modo ἀρκούντως, sed laute etiam & beate splendideque sustinendam sufficiant. Ego cur non amplius inde redigam, in causſa est, quod nunquam illic, tanquam Canonicus, annum solidum egi. Annum residentiae vocant. Pensio aedium est praeterpropter ϛoo. florenorum. Hos saltem annuos capere potui etiam absens, ab anno aetatis XXV. nunquam tamen in hunc diem cepi, sed adsignavi matri, post-

poſtquam quicquid erat ipſi relicti a patre Wiſmariae & in Archiepiſcopatu Bremenſi, per bella Germaniae & continuas calamitates, partim urgentibus importune creditoribus cognatis noſtris, quo aes alienum inter exilia & fugas contractum diſſolveret, alienatum, partim decoquentibus & pereuntibus alio alia clade, qui nobis debebant, ſubtractum interiit. Quicquid autem hoc eſt, quod illic mihi reſtat ſpei, jam in periculo eſt. Plerique enim ex regiis in Archiepiſcopatu Bremenſi miniſtris his Canonicatibus inhiant, & quamquam in pacificatione Monaſterienſi excepti ſint diſerte, cautumque, ut maneant omnia quo in ſtatu tunc erant, inveniunt tamen clauſulas, quas cavillando maligneque interpretando volunt ſibi eadem licere in noſtros Canonicatus, quod uſurpant in Bremenſes. Jure puto vix poſſe: ſed ſi fraus ac vis praeponderet, putem beneficio optimae Principis poſſe me ſervare. Per libellos ſupplices aut allegando merita ſua impetrant alius hanc, alius illam curiam ſacerdotalem: (cui rei jam etiam nova phraſis inventa eſt: appellant enim *einen hooff ausbitten*, ſive *uytbidden*) dein poſſeſſores pellunt, aut ſaltem ubicumque poſſunt, omnibus manum injiciunt, tanquam ſine vindice praedae. Spero, ut dixi, non eventurum hoc in noſtris: ſed id te ſpeculari oportet, facileque poteris cognoſcere, cum ſint illic a collegio noſtro legati: & quidem, ſi eveniat, certus ſum, Dominam noſtram ſcientem nunquam quemquam ita ditaturam, ut me, vel potius quod me magis angat, matrem meam plectat. Eſt & Bremae ſacerdotium minus, ſeu Vicariatus ad altare D. Caeciliae, perpaucorum ex haerediolis fructuum, quos etiam mater percipit: jamque mihi periiſſe putabam: ſed nuper cognovi adhuc ſalvum eſſe. His omnibus ſi quid immineat periculi, verbulo uno apud optimam Principem, & non invitam, abs te impetrari poſſe puto, ut extra damnum ſim. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτη. Lepide nuntias de Leone in ſpectaculis, idque lepidiſſimo epigrammate celebraſti. Cur tamen *inexplendum* maluiſti, quam *inexpletum?* Si Germanicum iter aggredieris, invenies Viennae in bibliotheca Caeſarea, quod te delectet: ei praeerat, cum ego illac tranſirem, *Michael Mezlerus*, vir ſatis humanus. Nec poenitebit excurrere Monacium, aut Auguſtam Vindelicorum. Alibi num quid ſuperſit, parum compertum habeo. Liberalitatem Dominae me percepiſſe noſti ex illis, quas poſtremas ad te dedi, quibus inerant Schelianae. Literas, quibus gratias egi, miſi ad *Appelbomium* curandas, ſi placuerint, haud dubio mentionem illarum faciet Auguſta. Senecam Tragicum jam ſolum tractarem, niſi Livius intercederet: adeo quotidie multa offeruntur ad me in eo occupandum. Nuper adeo quod natum ſit, vide. Lib v. cap. xxvi. de obſidio Faliſcorum: *Videbaturque aeque diuturnus futurus labor, ac Vejis fuiſſet, ni fortuna imperatori Romano, ſimul & cognitae* REBUS BELLICIS *virtutis ſpecimen*, ET *maturam victoriam dediſſet.* Poſterius & inſeruit Rhenanus. Legimus: *ni fortuna imperatoris Romani ſimul, & cognitae re non bellica virtutis ſpecimen, maturam*, vel *ei maturam* &c. Non enim acie, non operibus, non inſidiis, non oppugnando, quae proprie res bellicae, ſed juſtitiae & fidei exemplo Faliſcos ſubegit Camillus. Simul cum his literis primi tomi dimidium ad Elzevirios jam pipulo poſcen-

scentes innumeris mendis, etiam operarum, sublatis mitto. Gellium etiam passim correctum L. Elzevirio precanti dedi: sed nihil accedet notarum, nec nomen meum praeponetur. Vale, decus meum, & me ama. Daventriae a. d. III. Kal. Januar. quae erunt Anni CIↃIↃCLI. qui tibi felicissimus decurrat: sed & τῷ πάνυ *Vossio* nostro, cui novum munus Deos fortunare volo.

EPISTOLA CCVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

NOn multis nunc te morabor, Gronovi amicissime, cum futurum existimem, ut, si non conspectu tuo brevi fruar, commodiora saltem sint haec mihi tecum commercia. Post dies enim sex septemve in patriam iter paro, ut ante Germaniam Italiamque perlustrandas mensem alterumque amicis indulgeam. Christinam meam Augustam jam accepisti credo. Ego tuas omnes, exceptis iis, quibus matris negotium commendabas. Doleo itaque vehementer ante abitum non posse me gratificari tibi hac in re. Sed & hoc per commendatitias me absente fieri poterit, nisi periculum in mora. *Schelio* nostro pro humanissimo epistolio plurimum debeo. Livium tuum sub Elzeviriano rursus praelo exerceri laetor. Quae in illo observasti valde placent. Utinam peregrinatio isthaec mea aliquid hîc commodi adferre tibi possit. Famulum meum an ducturus sim mecum ambigo. Quanquam enim non est, quod magnopere de illo conquerar, tamen & linguarum imperitus est, & equitationi adeo non adsuevit, ut miserum prorsus spectaculum fuerit videre nuper, dum huc contendebam, hominem equuleorum ista tortura ita exercitum, ut in vitae discrimen febri contracta adduceretur. Quid? quod, ut intelligo, ab ista peregrinatione animo prorsus alieno est. Certe me ignaro per mercatorem *Vossio* nostro operam suam offerri nuper curavit, qui & oblatam recusavit, & rei totius certiorem me fecit. Litteris etiam Latinis tam leviter imbutus est, ut ne describendi quidem provincia tuto illi demandari possit. Vide igitur, an nanciscì alium queas, qui & mihi sit utilior in hac via illo, & qui ipse ex hoc itinere fructum aliquem percipiat. Sed hac de re aut coram aut per litteras pluribus. Fac quaeso Amstelodami aliquid a te epistolii apud *Goesium* adveniens offendam. O' δεῖνα pergit cum adversa valetudine conflictari. Vidi qui non bene de isto morbo sperent. Caetera sui similis est, & minarum in Claudianum meum plenus. In Christinam etiam meam censuras exercet, sed ineptas & ridiculas magna ex parte. Haec pede stans in uno. Vale, meum decus. Holmiae. Anno CIↃIↃCLI. pridie Nonas Januarias Julianas.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

SI vota mea valuerunt, aut salvus jam advenisti, aut propediem advenies Amsterodamum. De itinere Germanico Italicoque multum gratulor tibi, quod, praeter alia & valetudini tuae & studiis spero profuturum. Spero quoque, antequam accingas te viae, fore ut amplexu mutuo nos exhilaremus. Quas videris accepisse ultimas, cum, quas prid. Non. Jan. dedisti, scriberes, non sunt ultimae, quas ego ante has ad te dedi. Sed istas, opinor, ante discessum tuum perlatas etiam habueris. De famulo, si abhorret ab itinere, nec satis est usui tibi, praesto sane est multo doctior adolescens, qui velit hanc subire provinciam, sed haud scio an permissuri sint parentes. Tamen si jusseris, iturum se in Hollandiam dixit, & ipsum tecum collocuturum. Christinam Augustam tuam nondum vidi. Tu vero vide, qualia nos vel Cluvienus. Destino exemplar Sereniſſimae Reginae, sed nondum paratum est: destino *Vossio*, *Freinshemio*, *Boeclero*, *Loccenio*, *Scheffero*: eum fasciculum visne tibi commendari? nam, si grave est, matri *Vossiae*, aut *Appelbomio* delegare possum. Libere igitur mecum ages. Feriae nostrae non incipiunt, nisi adulto jam Martio: interea difficulter abesse domo potero, ne, quae exorsus sum cum auditoribus meis, non possim absolvere. Sed etiam longus taediique plenus labor in Livio recensendo museo me alligat. Valde tamen desidero coram tecum. Significabis igitur quam primum, ut certum habebis, quo usque in Hollandia futurus sis. Debeo & exemplar Patri tuo & Leidensibus caeteris, sed compactum nullum in promptu erat, erit proxime: nam has properavi, ne sine meis inventis transires illuc. Vale, decus & praesidium meum, meque ama. Daventriae. VI. Fid. Februar CIↃIↃCLI.

Nobiliss. sororem tuam affinemque amplissimum saluto cum observantia summa. Ad *Vlitium* cures, quaeso, tradi naviculatori Bredano, sunt enim, ni fallor, certi. *Schelium* Hagae invenies.

EPISTOLA CCIX.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

TRanseunti per hanc civitatem & Leidam contendenti, Vir Clarissime, geminas a te mihi tradidit *Goesius* noster. Multas verborum ambages non

Digitized by Google

est quod nunc a me expectes, cum ad patrem festinem. Adventus mei nuncium latere te nolui, hoc nunc scriptionis argumentum. In Suecia omnia satis salva. Si ad nos excurras, de Seneca aut Livio dedicandis Reginae pluribus agemus. Tum de famulo quod scribis. Observationum novarum libellum accepi. Cum cura eum excutiam, ut omnia tua soleo, ubi majus otium affulserit, quod affulgebit brevi. Suum *Vlitio* exemplar mittetur. Habes hîc a *Boeclero*, cujus res nunc meliori loco sunt, adeo quidem, ut de reditu in patriam cogitationes omnes videatur deposuisse. Ad nos si excursum paras, litteris tuis ut me praemoneas necesse est, ne alio profectum domi non deprehendas. Vale, meum decus. Negotium matris tuae *Vossio* commendabitur: confido illum tibi hîc non defuturum. Amstelodami.

EPISTOLA CCX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

SAlvum te advenisse in patriam, mi Heinsi, gaudeo, tantoque magis, quanto miserius metui, ne injuria temporis, & illae nobis quoque & molestae & periculosae & damnosae inundationes, iter tuum impeditius redderent. Nunc nihil habeo quod optem majus, quam ut te quamprimum videam, amplecter, exosculer, & aures meas dulcissimis sermonibus tuis permulceam. Id quod futurum spero Deo volente, proximo, postquam has videris, die vel solis vel lunae, seu quarto nonas Apriles vel tertio, vestrate computandi ratione. Conterreor tot navium prope Hardervicum nocturna illa navigatione aut pereuntium, aut vix evadentium fama. Semel autem quot hebdomadibus, die videlicet solis matutinis horis, naves inde Amsterodamum ambulant. Eam occasionem observabo. Interim salve, & me exspecta. Salutem quoque meo nomine dices omnibus vestris. Daventriae raptim IX. Kal. April. Gregor. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

DUm comitatem hospitii vestri animo grato ac memori retracto, atque inter haec Hardervici *Cornelio Tollio* praedico humanitatem tuam, qua oblatam per me amicitiam ejus exceperis, excidit mihi dicere, quaeri abs te puerum,

nam, qui cum ad alia ministeria per iter, tum in primis ad Graecos & Latinos libros volvendos ac describendos uterere. Cum ille, se talem unum in omni ipsorum Academia non nosse dixisset, simulque aliquandiu solitudinem verorum studiorum deploraremus, injecit aliquid de fratre suo, qui quondam in aedibus *Vossianis*, nunc ni fallor, agit Ultrajecti, atque id tum quidem per alios sermones, qui se ingerebant, abruptum & leviter transmissum est. Postea datis ad me literis scripsit, se cum Patre de illa re egisse, quem paratum esse, filium ad hos usus tibi tradere, modo paullo liberalius & honestius habeatur, rogavitque ut suam commendationem mea aliqua juvarem. Quod quamquam necessarium non putarem, tamen & tua & illorum causa, quam libenter, tam secure facio, censeoque neminem magis idoneum, hoc est, tam bene educatum, tam Graece & Latine peritum, tam studiorum & capacem & amantem, tam fidum obnoxiumque tibi, tum laborum, itineris & equorum patientem, obvenire tibi posse. Nam & quem unum (licet cum isto non comparandum) hinc destinabam tibi, non dimittit hospes consul hujus urbis, spe facta, post biennium aut circiter cum discipulo suo in Galliam iturum. Vale, mi Heinsi, & etiam atque etiam considera, an non optimum sit te facere, quo & tibi ipsi praeclare consulas, & totam familiam, nihil humile in literis promittentem, obliges. Saluto officiosissime divinum patrem tuum, Amplissimum affinem, & sanctissimam matronam sororem tuam, siquidem etiamnum vobiscum sunt, nec non optimam *Stenoviciam*. Iterum vale, Heinsi nobilissime. Daventriae Idib. April. Jul. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCXII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

TRadidit mihi tuas hesterno die *Cornelius Tollius*, virorum amicissime: cujus egregii juvenis & praeclari benevolentiam quod conciliaris mihi, plurimum te amo. Ex ejus partim ore, partim etiam ex tuis illis intellexi, actum inter vos de famulo, quem in comitatum peregrinationis Italicae adscisere decrevi, litterarum humaniorum non omnino rudem, quo & mihi majori esse possit usui, & suis etiam studiis prodesse. Fratrem suum, quem tu prolixe commendas, obtulit mihi. Neque quicquam difficultatis occurrit (aperte tecum ago) quominus oblatam conditionem admittam: nisi quod expertus sum illorum plerosque, qui liberalium artium studio tenentur ac incumbunt, aliis litterarum imperitis arrogantiores esse, minusque ad obsequium promptos. Hunc quoque metus est, ne fortuna fratris inflatum nonnihil reddiderit. Quanquam, si sapit, cogitationes istas procul habere debet. Majus incommodum praevideo ab iis, apud quos habitavit olim. Non enim ignoras,

ras, cum ex me intellexeris, quid de illo ſpargant. Quibus ego etſi fidem hactenus non praeſto, illorum tamen odium ac invidiam quî poſſim ſubterfugere vix video, *Iſaacii* imprimis, quem jam nunc non valde aequum ac propitium experior, quod monui bene multa fideliter. Purgavit illum quidem ab hac nota exiſtimationi ejus inuſtâ frater: ſed & *Iſaacii* favor mihi neceſſarius, quamdiu negotii aliquid in Suecià peragendum ſupereſt. *Cornelio* igitur verbis humaniſſimis gratias egi, promiſique me cogitaturum de iſta re. Curabo interim tentari *Iſaacii* matrem, quae in *Cornelium* ipſum potius, quam *Cornelii* fratrem, facti culpam derivare viſa. Vale, meum decus. Haec ſummo mane feſtinans, dum Hagam cogito. Salutant te pater, ſoror ac affinis, cum caeteris domeſticis. *Schelium* tuo ſalutabo nomine. Famulus urget abitum quotidie, quo magis in hoc negotio feſtinandum. Nec ego invitum detinere velim. a. d. IV. Kal. Majas Greg. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

ET haec, quae ſcribis, vaticinatus eram *Tollio* noſtro, cum praeſens, tum per literas, & abs te ſapienter cogitari agnoſco. Volenti tamen ei atque imperanti quamvis vanum officium negare non poteram. Et alia via per literas ſubmonuiſſem, quid in ea re difficultatis foret, niſi ultro id in mentem venturum tibi nihil dubitaſſem. Tu igitur prudentia tua utere, interim & apud matrem ejus diſſimulabis, me huic commendationi fuiſſe interpoſitum. Scimus enim uterque, nihil tale ambos mediocriter laturos. Habui nuper literas a *Rottendorfio*. Scribit ex Decano ſe audiiſſe, Claudianum abs te cum fuſo commentario vel editum, vel editum iri: qua de re ſi conſtitiſſet ſibi, geminas membranas potuiſſe tibi ſuppeditare, velleque etiam nunc, ſi deſideres: Ovidii etiam habere quaedam manu ſcripta. Videbis & imperabis, quod e re ſit tua. Addit P. S. *I. Horrionem* ante aliquot annos ſeſquidecadem Livii ediſſe: vereri autem ſe, ne & illa ſit ſuppoſiticia. Amabo te, fandone unquam audiviſti de pulchra illa ſeſquidecade? Si quid ſcis, participa: ſin, exquire quantum poteſt. Habui & ab *Reineſio:* inibi, *Barthium* latere Lipſiae & muſſare, ferre familiares ejus oculorum quodam malo teneri, ſeponere ſtudia iſta, & refrixiſſe paene totum: ſibi natum adverſarium, *Andream Rivinum*, Medicum & Profeſſorem Lipſienſem, editorem Κυηγιδων ex verſione Latina, ſi librum vidiſti, & ſermonum quorundam Hildeberti Cenomannorum epiſcopi: qui partim ſui (nam perſtrictus ab *Reineſio* in v. L. erat) partim *Barthii* ulciſcendi cauſa, theſibus editis in *Reineſium* invehitur, multa ejus reprehendit, *Barthii* quaedam excuſat: (folium enim literis unum alterumve inclu-

cluſum miſit) ſuam depulſionem ſub praelo eſſe. Habere ſub manu Inſcriptiones ineditas, quas cum commentario adornet: ſperare ſe ab *Iſaaco Voſſio* impetraturum, quas penes ipſum eſſe ſciat: interprete ac parario eam in rem uti cognato meo *Luca Langermanno*. *Scaligeri* in Caeſarem notae an prodierint, & ſit aliquid titulo dignum, ſcire haveo. Omnino melius eſt te apud *Voſſium* ne verbum quidem facere. Μὴ τὸ πῦρ τῇ μαχαίρᾳ σκαλεύειν, ex praecepto Pythagorae. Tu tamen conſules, quod optimum tibi videbitur. Ego in tranſitu eam videre non potui: itaque nec narrabis illi, me vobiſcum fuiſſe. Vale, dulciſſimum pectus, & me ama. Daventriae VIII. Kal. Maj. Jul. CIↃIↃCLI.

Quando habebo CHRISTINAM AUGUSTAM? &, ſi quod ſupereſt, Italiae tuae exemplar? Divinum parentem tuum & domeſticos veſtros hoſpites, ſi quidem adhuc adſunt, ſaluto officioſiſſime.

EPISTOLA CCXIV.

NIC. HEINSIUS

J. F. Gronovio.

Daventriam.

PRobari tibi conſilium meum de *Tollii* petitione non admiſſâ laetor. Quanquam ita a me diſceſſit, ut nec de repulſâ queri poſſit, nec de facilitate mea multum ſibi gratulari. Curae mihi rem fore promiſi, idque verbis, quantum potui, humaniſſimis. De famulo me cogitaſſe ſemper non ignoras in hoc iter admittendo, qui ingenio ac eruditione, ſi non polleret maxime, ſpem tamen bonam de ſe daret. Ut non tam mihi, quam fortunis ſuis iſta peregrinatione promovendis aliquid emolumenti adferret. Nec negarim talem mihi in *Tollii* fratre offerri, qualem votis deſtinaram. Unus ille de *Iſacio* & *Iſacii* matre ſcrupulus ſupereſt, quem caute praevidiſti. Tentavi jam illum ſuper ea re, tentabo & illam, cum Amſtelodamum hodie vocer. Quanquam obniſuros nullus dubito. Curabo tamen, ut ſententiam utriuſque intelligas. De te ſecurus eſto; nomen tuum huic fabulae non immiſcebitur. *Tollium* interim conciliare mihi perge, cui optime volo. Fateor quidem, *Iſacium* noſtrum deprehenſum ſubinde a me, cum ad exactam amicitiae legem non omnino ſe compoſuiſſet. Sed cum is non tam ex malignitate, quam imprudentia a ſe peccatum credi vellet, mihi in id incumbendum, ne eundem cum illo errorem errem. Habui ab illo epiſtolam nuperrime, quâ Memmianam bibliothecam juris regii factam nunciat, eamque propediem in Suecia expectari. An Petaviana jam appulerit non addit. Juſſus ille Miltonianum ſcriptum, ſimul ac allatum in aulam eſſet, *Salmaſio* ſiſtere, quod invitus, credo, fecerit. Qua fronte exceptum ſit, vellem ſimul monuiſſet amiciſſimus *Wullenius*, qui ejus rei certiorem me facit. De Rottorfianis Ovidii & Claudiani codicibus ſalivam moviſti. Quid ni oblatos amplectar? Da igitur operam, ut ad

me ocyus perferantur. Egit heri mecum Johannes Elzevirius, Abrahami filius, de Naſonis editione, quam in octava, ut vocant, forma notis variorum illuſtratam, pro more nunc recepto, velit adornari, quod non perſuaſit. Idem Hackiuſque Horatium cum veteri Scholiaſte variiſque notis majori forma daburit. Addam fortaſſis Venuſinas *Rutgerſii* lectiones. Aulus ille Gellius Ludovici Elzevirii ſub tuo nomine proſtat in catalogo nundinarum Francofurtenſium. Caeſar prodibit brevi. De *Scaligeri* notis nihil certi conſtat. Conſcriptas eas in gratiam *Pauli Merulae* olim, cum is Coſmographiam ſuam luci pararet, *Backerus* monuit; qui eas poſſedit, donavitque poſtea juveni cuidam, humaniores in hac Academia litteras docto, quem *Paulum ter Haer* nominant, Amſtelodamenſem patria. Notae iſtae jam ſub praelo ſudant, colophonem operi impoſiturae. Seſquidecadem Livianam ab *Horrione* editam ignorabam, niſi tu monuiſſes. Nugas maximas puto. Doctiſſimum *Reineſium* valere gaudeo. Inſcriptiones illas ineditas, quas memoras, in lucem proferret mallem, quam aut cum *Barthio* luctaretur, aut *Rivino*, *Barthii* patrono, quem in rerum natura eſſe neſciebam, tantum abeſt, ut libellos ab illo editos viderim ullos. Inſcriptionibus iſtis quod acceſſionem a *Voſſio* ſperat ſe impetraturum *Langermanni* opera *Reineſius*, utinam fruſtra non ſit. Tam enim familiares *Voſſium* ac *Langermannum* non puto. Vos videritis. Quas habet amicus ille noſter, ex ſchedis Holſtenianis, quibus & ego uſus, potiſſimum, niſi fallor, collectae ſunt, inſcriptiones. Excerpſerat iſtas maximam partem ex tribus quatuorve tomis operis immenſi *Holſtenius*, quo *Pyrrhus Ligorius* omnem antiquitatem ex marmoribus antiquis illuſtrare aggreſſus erat. Tomi iſti in Farneſiana Romae bibliotheca ſervantur. Autographum in Taurinenſi extat, & quidem integrum, triginta circiter voluminum opus. Ex eo *Caſſianus Puteus* vir nobiliſſimus, & ad promovendas litteras natus, deſcribi nuper mihi diſſertationem curavit de re veterum navali, cum *Scheffero*, Upſalienſi profeſſore, communicandam; qui ejus argumenti commentarium molitur. Curavit idem *Puteus* ex eo opere excerpi inſcriptiones omnes hactenus ineditas, quae nunc penes Holſtenium ſunt, ut ejus curâ prodeant, certe corrigantur. Plurimas collegerat *Joh. Baptiſta Donius* noſter, ut noſti. Eas apud illum, dum viveret, non ſemel vidi. Nunc apud haeredes ſervantur Florentiae. Plurimas etiam *Gruterus*, quae ad *Sixtinum* poſtea pervenerunt. *Sixtini* ſchedas magna ex parte vindicavit ſibi per *Junium Voſſius*. An inter illas compareant inſcriptiones, brevi ſciam. Meas cum ſcriniis in Suecia reliqui. Italiae meae exemplaria hîc habes ſex, tria Chriſtinae. Plura ad manum non ſunt. Unum, quaeſo, *Malincrodio* mitte. Caetera tui juris ſunto. Accepi ex Italia nuperrime per tabellarios, & jam in Sueciam miſi, pulcherrimum & elegantiſſimum *Octavii Ferrarii* Panegyricum, Auguſtae noſtrae inſcriptum. Doleo ſic feſtinandum fuiſſe. Dignus enim erat, qui typis denuo deſcriberetur. Parat idem *Ferrarius* de re veſtiaria novum commentarium. *Rhodii Scribonius* necdum prodiit. Is ſalvere te jubet. Habui & a *Rubenio*, qui locum Ovidii, in quo aqua mihi ſemper haeſit, proponit. Lib. II. Art. *Effugere hinc non eſt*, qua-

quare tibi possit amica Dicere; non omni tempore sensus adest. In quo me non expedio. Vide, an possis. Alii codices habent, *sensus obest*, vel, *obest*. Ego etiam cogitabo. *Bouchartum* brevi hîc expectari audio. Vale meum decus. Lugd. Bat. prid. Eid. Majas Gregor. CIↃIↃCLI.

Exararam jam has ad te litteras, cum alium ex Suecia fasciculum accipio. Ex [1] Vossiana Epistola excerptum hîc habes. Quod communicandum tecum existimavi, non ut te cum tuis committerem, sed ut rebus tuis oportune ac tempestive consuleres. Deprehendes hinc fortasse; quid cognati tui moliantur. Ego certe partium mearum putavi, rei totius certiorem te facere. Tu affectum boni consule, & si quid praeterea factum vis, impera. Agnoscis credo Augustae summam benignitatem. *Salmasius* post acceptum *Miltoni* scriptum fremit ac frendet, auctoremque ejus se cum toto Parlamento perditurum palam minatur. Sed illos primos impetus sufflaminabit, credo, nonnihil respondendi molestia ac labor. Habui e Lutetia a *Puteanis*. Mittunt *Rigaltii* dissertatiunculam super loco quodam Ciceronianae Orationis pro Balbo *de fundis populis*, libellum communicatum tecum volebam, qui paucarum est pagellarum, nisi quod die Lunae proximo in Sueciam mittendus est. Petavianam jam solvisse e portu Gallico adfirmant, de Memmiana nihil. Dubium igitur adhuc an empta sit. *Bouchartum* in procinctu esse nunciant. Adversam *Valesii* natu majoris valetudinem in caussa esse, ne una proficisci possit. Ovidium a me flagitant. *Barthii* Claudianum negant hactenus in Galliam perlatum. *Miltoni* apologiam jam viderunt. *Salmasium* cum adversa conflictari putant valetudine, quod de eo nec ipsi, nec *Sarravius* quicquam litterarum a multo tempore acceperint. Valet tamen is, & bene habet. Haec illi. Quantum ad Inscriptiones, meministi credo illarum, quae Domburgi in Zelandia non ita nuper repertae de *Dea Nehalemiâ*, & mirificis [2] amici nostri commentariis illustratae. Effossae sunt duae tresve aliae post illud tempus, quas ego *Goesiusque* noster, cum ante biennium Domburgi essemus, descripsimus, petam eas ab illo, si tanti videbuntur. Multae depromi etiam possunt, quae in Gruteriano opere non extant, ex *Gualtheri* Inscriptionibus Siculis, Aedium Barberinarum editione secunda, quae priori auctior nuper prodiit, ex Antiquitatibus Neapolitanis *Capacii*, aliisque libris, in Italia non ita pridem editis. Iterum vale, meum decus. Amstelodami. Eidibus Maijs.

1 Data XII. April. hujus anni, quam integram postea edemus.
2 *Boxhornii.*

Digitized by Google

EPISTOLA CCXV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

SCis, Heinſi nobiliſſime, nihil mihi fuiſſe gratius diſerta illa epiſtola, quam poſtremam ad me dediſti. Tardius tamen reſpondeo, laboribus ἐγκυκλίοις, interpellationibus, diſcurſitationibus, ſcribundis etiam literis interdum, quas praeſentes & ſine ſpe veniae inſtantes poſcebant, impeditus, ita ut vix tandem hoc otioli per dies τῇ πεντηκοστῇ ſubſervientes & feriatos nactus ſim. De comite nihil habeo quod addam. Videtur ſane nemo magis illo tibi uſui futurus, ſi poſſit eſſe: ſed plumbeas matronae iras deleniſſe te vix ſpero, &, ut ſpeciem praebuerit concedentis, an imperatura ſibi tantum ſit, filium ut ne ſtimulet, vehementer dubito. Fratrem ſatis agnoſcentem, quae illi praedixi, ſcito, quicquid ſtatues nihil mutaturum illius animi, quem tibi devovit. Pars epiſtolae Voſſianae ita me affecit, ut vix temperare gaudio poſſim. De re quidem ipſa omnia ſecunda in ſpe habebam; ſed tanta clementia divinae Principis ſollicitum me habet, ne quid committam, cur abuſus illa videar. Magis enim mihi curae eſt, quid illa de meis moribus judicet, quam ut nanciſcar, quod, cum illa liberaliſſime dederit, a me poſtea avare injuſteque deſideratum exſtimet. Ego vero nulla commoda opto, quae cum cujuſquam mortalium vel vera vel credita injuria ſint conjuncta. Itaque ante omnia id orem, ut ſi fieri poſſit, omnes poſſideamus uti poſſedimus: Sufficit mihi ſcire clementiſſimam Reginam, etiam meam illic non minimam rem agi, & quidquid, ſive pro tempore, ſive pro prudentia ſua divina ſtatuet, id mihi nocere non poſſe. Eoque nomine velim amicum noſtrum S. M. pro me ſubmiſſiſſimas grates agere, &, ſi quid praeterea me petiturum pro magnitudine regalis animi ſui exſpectavit, id unum orare, hanc uti erga me indulgentiam ſervet differatque, donec petere poſſim, quod nec ipſi dare, nec mihi accipere ſit invidioſum. Chriſtinae Auguſtae tuae (nam non poteram ferre, tam praeclarum ſpecimen non intelligi) ego jam per aliquot dies juſtum interpretem hîc egi, & quoſdam ita commovi, ut totum deſcripſerint. *Mallincrodius* ſuum exemplar habebit: tertium *Tollio* deſtinavi, ni tu illi quoque dediſti: nam quod apud illum una legimus, commodatum erat. De Italia tua jam liberalis fui & ero. Codices Rottendorfianos faxo ne quid moretur, ubi ad me venerint. De Naſone, laudo conſtantiam tuam. Ne, quaeſo, tam viles nos ducamus, ut iſti plebi miſceamur. Horatio ſi addes Venuſinas lectiones avunculi, & utili in publicum & pio munere fungere, idque magnopere hortor. In Gellio me avaritia typographi prodidit. Tamen deſtinaveram dudum Reginae exemplar, quod ad te mitto cum epiſtola, cujus exemplum hîc addidi. *Voſſio* mittam alia via, & fortaſſe ſcribam etiam: interim ex te, quae ſupra ſcripſi, prae-

praeſciſcat. In Caeſarem exſpectabimus quid ſit: ſed miror hominum confidentiam, qui in re, ubi fama eorum vertitur, veſtro paucorum ſane, qui ſoli poteſtis judicare, conſilio non utuntur, ſi tamen, quid ſit fama, ſciunt. Quae de Inſcriptionibus ſubmones, illis quoque ſum delectatus, & mea ad *Reineſium* reſponſio inſtructa eſt, itaque & illas de *Nehalennia* omnino deſcribi & mihi mitti velim. Quae ex Italia & Gallia accepiſſe te ſcribis, ſane quam dolui videre me non potuiſſe: ſed eſt tanti illis caruiſſe, ut citius habeat, cui, quidquid habere poſſumus dulce, transſcribere & debemus & parati ſumus. *Ferrarium* & *Rhodium* ſalvos eſſe gaudeo, & cum reſcribes, a me humaniſſime ſalutari velim. Jamdudum ad eos aliquid deſtinaſſem, niſi mittendi via me defeciſſet. Terruerunt & typographos ac bibliopolas piratae. Dedi tamen Elzevirio faſciculum ſatis grandem ad Illuſtriſſ. *Loredanum*, in quo Notarum ad Senecas & Obſervatorum addidi *Ferrario* tradenda ſingula exemplaria. Iis, ſi volet, & *Rhodius* utetur. Quando futurum ſit, ut faſciculus iſte in viam detur, haud ſcio. Ovidii locum, quia jam credo perſanavit *Rubenius*, aegre aggredior: quis enim tanto ingenio velit certare? & neſcio quomodo iſta facilius reſpondent incidentibus in ea aut ultro tentantibus, quam ex imperato. Quia tamen apud te mihi licet peccare, cogitabam: *Effugere* HAEC *non eſt*, nempe taedia. Nunquam tam beatus eris, ut non aliquando puellae taedio ſis, quantumcumque amatus. Cauſam porro hujus rei a me non exſpecta: ſed ſi quam habes fidam, & arcana ſua apud te non diſſimulantem amicam, illa te docebit, ipſas quoque illas delicias Veneris tantopere cupientibus quandoque in faſtidium venire, & ſenſum non omni tempore adeſſe: ſive propter juſta foeminarum, quae menſtrua vocant, ſive vitio generis humani, quos poenitet interdum, quorum cupiunt maxime, ſive denique vitio proprio ſexus, & habent intervalla, cum torpet hebes locus ille. Dum exſpectas codices Rottendorfianos, interim ne nihil agas, inſpice, quem hîc ego necopinato paravi, & tanto animoſius, ut tibi utendum darem. Quid boni ſit, ex te diſcam: nam mihi nondum conferendi otium fuit. Quem Elzevirio mandaram, ut tibi Gellium traderet, puto redditum eſſe. Vale, decus & praeſidium meum, & me ama. Divinum quoque Parentem, et, ſi te Amſterodami hae deprehendent, Ampliſſimum Affinem & ſororem nobiliſſimam a me quam obſervantiſſime ſaluta. Daventriae. XXV. Kal. Non. Jul. CIↃIↃCLI.

Putavi me facturum elegantius, ſi in literis ad Reginam nihil ipſe de mea re adderem, ſed id totum relinquerem beneficio *Voſſii* noſtri: volui tamen id te quoque ſcire, ut conſilium meum tibi probarem. Dum has moratur tabellarius (tota enim hac hebdomade ante diem Veneris nemo hinc profectus eſt) interea mihi redditae ſunt tuae poſteriores cum Inſcriptionibus. Etſi videam tibi vix otium fore conferendi codicem meum, nolui tamen exſpectationem tuam lactare, ſed eum nihilominus miſi. Tu vide, ut ante abitum mihi eum remittas. Ante omnia ut *Voſſium*, quae ſupra ſcripſi, moneas, rogo, & ut pauculos dies pueri ſtultitiam feras, dum per pacem & bona verba illum demittas: aut dimittas ſtatim, ſed amice & clementer. Iterum vale.

EPISTOLA CCXVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VIr Clariſſime. Dies jam ſunt quindecim, & quod excurrit, cum luculentas ad te dedi, quibus tum alia nunciabam multa, tum praecipue quam bono loco res tuae eſſent apud Reginam. Iis cum nihil hactenus reſpondeas, quod tamen ut fieret tua maxime intererat, negligentius curatas ſuſpicor. Miſi & per nautam eodem tempore exemplaria Italiae meae & carminis panegyrici. Ab eo tempore Holmiâ litteras accepi, quibus ſignificatur, Reginam velle, ut iter Italicum per Gallias, quanta fieri poſſit feſtinatione, promoveam. Scis obſequii gloriam mihi relictam. Intra dies igitur ad ſummum vicenos ita componi negotia privata poſſe confido, ut morae ac procraſtinationi locus non relinquatur. De famulo, litteris humanioribus imbuto, minime jam ſollicitus. Jubet enim Auguſta, ut alumnum quendam ſuum, qui Pariſiis a multo haeret tempore, mecum feram, Graecis codicibus deſcribendis jam operatum. Meus abitum urgere pergit, & tantum non importunus eſt, quo nomine heſterna veſpera bilem mihi non leviter commovit. Mitiſſimis ab illo verbis petieram, ut expectaret, dum de alio mihi proſpexiſſem. Eam moram quia moleſte fert, ut quam primum ſe ex aedibus proriperet noſtris dixi. Malo enim carere ſervo, quam fovere invitum. Apud *Boxhornium* noſtrum locus illi eſſe poterat, ſed tam ſtolidum animal non auſim amico obtrudere. Videbo quid conſilii capturus. Si diſcedit, ut minatur, intempeſtive, non id a me praemii feret, quod ſibi fortaſſis pollicetur. Illiteratum facile invenero. Habeo inſcriptiones aliquot ineditas *Deae Nehalenniae* ſacras, eas ecce, ut a *Goeſio* deſcriptae ſunt. Ut remittantur ad me poſtea rogo. Vale meum decus. Lugd. Bat. Prid. Kal. Jun. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCXVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

EPiſtolam tuam, clariſſime atque amiciſſime virorum, non modo non recte ad me curatam, verum etiam de iis, quae te ſpectabant, certiorem jam factum *Voſſium*, ecce nuncio. Curae illi fore confido, ne quid a collegis tuis turbetur. Ad Auguſtam heſterno die ſcripſi, tuaſque illi litteras miſi: quae quin

quin gratissimae sint futurae, non est quod dubites. Gellium opportuniori occasione mittam, quam brevi non defuturam auguror. In litteris tuis ad Dominam quod negotii tui mentionem nullam facis, laudo consilium. Commodior enim beneficio exigendo locus videtur futurus, ubi Livius prodierit, cui manum ut admovere pergas, auctor sum. Ultimis Holmiâ scribebant, in procinctu esse Augustam, ut Gothlandiam aliasque ex vicinioribus insulas perlustraret. Jubebar ego expectare pleniora mandata de itinere Italico; ea ubi accepissem, integrum mihi fore, ut abitum ex his oris festinarem. Mandata illa die crastino apparitura existimo. Occupationes tamen domesticae non ferunt, ut ante initium mensis proximi discedam. Fieri etiam possit, ut consilium interea mutet Regina, nam negotium quod a me fieri cupit in Galliis, alio longe loco est, ac arbitratur ipsa, ut de eo conficiendo nihil prorsus sit sperandum. Hoc si tempestive rescierit, iter meum minus fervide perget urgere, sin minus, obsequium illi meum probare nitar, meque viae stato tempore committam. Ovidium tuum *Goesio* discessurus tradam, utar eo interim, si possim. Codices Rottorphianos si accepisti, illos etiam ut Amstelodamum mittas rogo, ero illic post dies sex septemve, forsan & citius, si Trajecti amicum non invenero, qui mihi ista in urbe compellandus. Convenire te ante discessum meum velim: vide igitur an res tuae ferant, ut ad nos possis excurrere, sin; per litteras quaeso impera, quid fieri in Italia Galliaque velis, promptissimi obsequii animum faxo exosculeris. Fasciculos etiam, si quos paras, ut curentur recte opera dabitur. *Schelius* nudius tertius cum Hagae essem, abiisse ad plures *Claudium Sarravium* nunciabat: ita se ex Gallo quodam militum tribuno intellexisse. Verusne sit hic rumor, haud dixero: qui nullas a diebus quatuordecim e Gallia accepi litteras: negant etiam se accepisse Elzevirii. Christinam meam Augustam qui eruditae juventuti sic commendes, amanter quidem facis, praeter ordinem tamen; cum longe infra praeconii tui benignitatem carmen id censeri debeat. Succensere mihi serio *Gevartium* intelligo, quod in Austriacos asperius nonnulla dixerim. Sed si *Ferrarii* orationem legisset, Romam a Carolo Quinto crudelissime direptam, cum direptione Alarici Gothica odiose comparantis, si expugnationem Magdeburgicam invidiose ab eodem descriptam atque exaggeratam, ignosceret sat scio mihi, cum videret hominem pontificium, Mediolani sub imperio Austriacorum natum, oratorem denique, non poëtam, sic Austriacis insultantem, ut hostium nemo acerbius mordaciusque possit. *Tollius* secum exemplar tulit, cum adesset nuper: de illo igitur securus esto. In Cinnamo quam diligenter operae pergant, doceri cupio. De fratre ejus omnes cogitationes cogor deponere. Cum adessem ultimo *Junioe*, quanquam in alio sermone toti essemus, invecta est illa ultro tanto impetu tantaque animi commotione in furem, ut vocat, domesticum; ut arduum mihi esset, ab intempestiva digressione exulceratum ejus animum avellere. Lites, carcerem (& quae non?) illi minabatur. Minime igitur consultum putavi communicare cum illâ, quid inter nos actum esset: quod, per me quidem, ignorat hactenus. Puerum meum dimittam die crasti-

craſtino, ne moleſtus eſſe pergat. Viatici nomine florenos viginti quinque illi deſtinavi, cum praeter victum & veſtitum nihil, ut ſcis, promiſerim. Liberalitatem meam plenius experiri poterat, ſi voluiſſet. Alius mihi oblatus eſt, quem frugi herus praedicat, natione Scotum, cum illo hodierno die transigam. *Holſtenio* parum abfuit, quin cura Vaticanae bibliothecae demandata fuiſſet. Italum non eſſe adverſarii argutabantur. Bononienſis igitur quidam illi praelatus. Tacitum videtur denuo editurus Elzevirius: gratum ſibi fore dixit, ſi & textum recenſeres, & breves notas adderes, rogavitque ut per litteras ea de re tecum agerem. De Ovidii loco amplius cogitabo, dum *Rubenii* litterae compareant. Gellium ab Elzevirio nullum accepi. Salutant te parens meus, & qui nunc nobis adeſt, Goeſius. Vale, meum decus, & frequenter ſcribe, alias etiam a me ante abitum expecta. Lugd. Batav. CIↃIↃCLI. Nonis Juniis Gregor.

EPISTOLA CCXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

OPtem & ego, amiciſſimum caput, congreſſum noſtrum, priusquam diſcedas: ſed excurrendi mihi copiam non facit medius curſus laborum noſtrorum, qui ſine magno & meo & illorum, qui me audiunt privatim, incommodo non poteſt interrumpi. Mandata vero, quae habeam potiſſimum, niſi ut juxta negotium Dominae te ipſum quammaxime cures, & ſerves incolume Muſis & amicis hoc ſacrum caput? nam ut memoriam mei excites apud eos, a quibus mihi cordi eſt amari, id ego te ultro facturum ſcio, etiamſi nihil mandavero. Cuperem quidem nonnulla eſſe libelli, quem poſtremum edidi, exemplaria: ſed tot faſciculis vix audeo reciſas tuas ſarcinas onerare, etſi humaniſſime promittas. *Sarravius* ſi obiit, eſt illa profecto ingens literarum clades. Mihi quidem ille jamdudum obiit, qui tot meis ſollicitatus ne tralaticia quidem ſalute me dignum cenſuit: opto tamen, quia dubitas, ut nos iſte rumor falſos habuerit. Illum, quem dicis indigne accepiſſe perfectiſſimum foetum tuum, vellem majore animo eſſe. Si quid tentabit pro titulo, quem gerit, verum iterum faciet illud. *Nec malus eſt ſervus, nec bonus hiſtoricus.* De puero laudo magnopere: effeciſti, ut ille ubique & tuum & meum, qui tibi commendavi, beneficium agnoſcat, brevique acturus ſit poenitentiam, quod ſua commoda parum intellexerit. De Tacito poſſem aliquid, ſi ocium eſſet: ſed nec eſt, & nolo me fieri herbam parietariam. Satis erit, ſi Livii & Senecae bene habitorum ſuſtinere famam potero. In Livio & pergo ſtrenue, & tu σπένδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνεις. Quicquid de illo promiſeris, praeſtabo. Non eſt enim liber unus, quos quidem relegi, in quo non tantum notaverim, ut

vel

vel hoc ad modicam laudem sufficeret, ut taceam, quae in editis meliora feci. Pagellas Claudiani, quia primae aut vetustissimae editionis videbantur, ab homine, qui misere illis abutebatur, retraxi: videbis an quid boni sit: nam mihi ne inspicere quidem licuit. *Rottendorfium* iterum monui, ut MSS. mitteret: sed ille raro domi est, & identidem a vicinis Principibus evocatur: ita fit, ut tardius fere respondeat. Dionysius Halicarnassensis Lib. VIII. saepius affirmat lege Cassia Latinos populos civitate donatos. Id ego credere illi non possum, & suspicor liberaliorem fuisse, quam ipse Cassius, cui hanc largitionem adscribit. Ubi de ipso foedere loquitur lib. VI. nulla mentio civitatis. Altero, quem dixi, libro Sp. Cassium, ait, partem agri voluisse dare Latinis & Hernicis, *recens civitate donatis*: quos Hernicos accepisse, ait, idem foedus quod Latinos. Mox Cassium inducit jactantem, *aequum civitatis jus Latinis impertitum*: idemque in sequentibus ter super haec affirmatur. Velim videas, an hoc ita sit in Graeco, quem non habeo. Occasio quaestionis est locus Livii lib. XXV. cap. III. *Testibus datis, tribuni populum summoverunt, sitellaque allata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent.* Hoc placet *Sigonio*: mihi haudquaquam, partim quod illo tempore Latinos omnes habuisse civitatem credere non possum, partim quod etiamsi habuissent, non erat id tempus sortiendi, qua in tribu essent, sed nec puto populos aut privatos civitate donatos tribum accepisse sorte. Itaque conjicio: *sitellaque allata est, [1] ubi sortirentur tribus, ac dein suffragium ferrent.* Sortitionem intelligo de tribu praerogativâ. Digna tamen & illa res est, quae excutiatur: nec auctorem alium, quam iftis locis Dionysium habet *Sigonius*. Apud Livium in illa historia silentium altum civitatis. Tu, si quid habes, & quid tibi videatur de ista conjectura, communica, & verba ipsa Dionysii, ni grave est, mihi describe. De Gellio graviter expostulavi factam nobis injuriam cum Elzevirio, & spero in officio fuisse vel fore. Vale, anime mi, & me ama. Daventriae. Non Jun. Jul. CIↃIↃCLI.

Rubenio nostro jam, ex quo huc ex Hollandia redii, literas debeo, & scripturientem decies alia interpellarunt. Faciam tamen quam primum potero: interim, si ad eum scribes, roga, quaeso, ne mihi irascatur, neu quae suspicetur: fuerunt enim omnia ejus mihi gratissima, ut propediem & ex meis ipsius cognoscet literis. Videbo an proxime aliquid in Galliam curandum ad te mittere possim.

[1] In editis notis legitur, *ut sortirentur tribus.*

Digitized by Google

EPISTOLA CCXIX.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

TRajecto redux, quo proximis diebus profectus eram, tuas hîc offendi, vir clarissime, nudius tertius, quibus Claudiani vetustam editionem mittis, mihi hactenus non visam. De Rottendorphianis codicibus si quid sperandum, novi diligentiam tuam. *Sarravium* ad plures abiisse verus rumor fuit. Febre correptus, quae illi mentem turbabat, intra paucos dies fati necessitatem expertus est, prid. festi Pentecost. e vivis sublatus. Hoc *Menagius* ac *Jacobus Puteanus* ad me, qui tenerrime illum amabant; ut dubitari jam non possit. Inique profecto tecum egit, qui accepti beneficii memoriam tam cito obliterari apud se passus sit: nec mecum benignius, nosti historiam: de me tamen poenituisse illum ferunt, saepiusque perfidiam ἐξ δεῖνα incusasse, apud quem tuto nihil non deponi posse arbitratus erat. Multum in isto capite amiserunt reformatae in Gallia ecclesiae. De itinere meo omnia adhuc incerta. Mandata enim regia, quae jam ter expectare atque opperiri jussus sum, non comparent, videbimus quid hodiernus tabellarius ferat. Si quid fasciculi ad *Holstenium* aut alios curari vis, satis superesse temporis existimo, quo id commode fiat. *Bouchartus* cogitationes suas de itinere Suecico in autumnum proximum rejecit, quando sperat librum, quem de animalibus S. Scripturae ingentem praelo commisit, Reginae inscribendum, absolvi posse. *Henricus Valesius*, qui una cum illo profecturus erat, nunc sententiam mutavit, Galliam certus non deserere. *Bullialdum* brevi hîc expectamus. Novus *Balzacii* liber, Gallico idiomate scriptus, ac varios sermones complexus, brevi prodibit. *Menagius* amanter te salutat. Livium tuum majori, quam hactenus, forma procudi velint *Puteani*: qui communem esse in urbe sua doctorum omnium querelam de exiguis illis typis significant. *Barthii* Claudianum tandem acceperunt, sed indignum judicant, cui locum in bibliotheca sua indulgeant. [1] Amici nostri mater quam infensa sit *Tolliis*, jam, credo, nunciavi ante: non igitur video quid in negotio isto fieri a me possit, nisi atrocissimam illorum indignationem velim incurrere, quos amicos ac faventes mihi maxime volo. Commendant certatim omnes juvenem boni omnes, inter quos *Antonius Aemilius*, Trajectensis humaniorum litterarum professor, qui Dominam *Thienhoviam* aliosque hoc nomine compellarat, meque ipsum non semel convenit. Convenit & ipse *Tollius*, fratremque denuo commendavit. Adfuit & ipse juvenis, tradiditque carmen propempticum, non inelegans. Amicus autem noster, cum quo rem a me communicatam fuisse jam ante indicavi, quod eo ignaro nihil tentan-

[1] *Isaaci Vossii.*

tandum ducerem, vide quam callidum consilium commentus sit. Ad rem quidem ipsam nihil respondet: caeterum significat gratum Sereniſſimae Reginae fore, si *Resandrum* quendam Suecum, sumptibus ac impensis regiis educatum, mecum feram, qui amanuensis operam mihi navet. Haeret ille Parisiis jam anno toto, & quod excurrit, libris Graecis describendis occupatus; quo nomine illum eo ablegavit noster, atque ita apud me subinde descripsit, ut hominem morbo melancholico prorsus furentem. Parendum tamen erit, quanquam integrum mihi Domina reliquerit, ut cui vellem eam demandarem provinciam. *Salmasius* in Miltono defricando totus est: quem a me subornatum instigatumque palam praedicat, magnumque mihi ac patri malum hoc nomine minatur in apologia, quam parat, nobis tribus simul insultaturus. Mira profecto est haec hominis insania: quam impune tamen non feret: vidi freneticam ejus epistolam, qua existimationi nostrae dira quaevis portendit. A *Gevartio* tandem litterarum aliquid habui, de carmine hoc tantum: *Panegyricum tuum cum adjunctis poëmatiis a D. Wallio nuper recepi, ingentis spiritus opus, & quod recentem te a Claudiano ista lusisse evincit.* Haec ille. Censuras tuas mecum communicatas velim. De illo versu quod monebas, *quanta gravi vis judicio felixque facultas; judicium* vix eo sensu apud bonos auctores sumi, vide an non pro me faciant ista Ovidii Trist. v, El. ult.

Et petere Aoniae suadebant tuta sorores
Otia, judicio semper amata meo

Et art. Amatoria:

Sunt qui praecipiant herbas saturea nocentes
Sumere; judiciis ista venena meis.

Tacito breves notae addi possent. Vidi hîc apud *Johannem Sixium*, juvenem omnino bonum, partem MStorum *Sixtinianorum*, inter quos Commentariorum Caesaris antiquissimum exemplar, Lucani etiam egregium, & Senecae nonnulla, Inscriptiones etiam multas non visas. Amico nostro quid in mentem venerit, ut haec eripi sibi passus sit, miror. De Halicarnassaei loco videro, ubi Leidam revertar. Gellium ab Elzevirio tandem accepi: notas ei quasdam videtur additurus cognatus ille *Boxhornii*. Ad *Rubenium* quae vis, curae erunt, ut & caetera. Queritur *Vlitius* de rebus tuis nihil se a multo tempore intelligere. Vale, amicissimum pectus, & summae festinationi ignosce, cum Leidam hodie cogitem. Amstelodami CIↃIↃCLI. XX. Junii Gregor.

A *Vossio* epistolam modo accipio, qua nunciat Petavianam tandem bibliothecam in Holmiensem portum appulisse, una cum quadringentis codicibus, magna ex parte Arabicis Hebraicisque, quos Amplissimus *Gaulminus* Reginae donavit. *Reinesio* inscriptiones suas communicatas velit, sed eas inter scrinia Salmasiana Leidae haerere adfirmat. Iterum vale.

De mandatis nihil; ea *Spiringium* allaturum puto, qui pristinae dignitati restituendus in procinctu stabat, ut in Bataviam proficisceretur.

Digitized by Google

EPISTOLA CCXX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

PRimum ignoſcas, oro, animo variis cogitationibus diſtracto, quod cum proxime ad te ſcriberem, nullam feci mentionem elegantiſſimae Elegiae, qua ſimul [1] *Graſwinckelium* ornaſti, & meam imprudentiam, qui victus ipſius inſtantia neſcio quid etiam nugarum in illam rem effudi, merito coarguiſti. Eam vero, ut omnia tua, & vidi ego libentiſſime, & cum illis, quos admirari ſcripta tua docui, communicavi. *Rottendorfium* per cives hujus urbis, affines meos, per quos ei Senecas & alios libros remiſi, tertio monui de illis, quae tibi promiſit. Triduum egerunt Monaſterii, videre ipſum, quippe, ut eram ſuſpicatus, domo profectum, non potuerunt, literas tamen meas & mandata familiae reliquerunt. De *Sarravio* ergo ſine dubio palum factum eſt? Certe & Eccleſiae reformatae, ut ais, & literae magnam jacturam fecerunt. *Menagium* gaudeo mei meminiſſe. Habeo parata exemplaria libelli, quae ipſi, quae *Puteano*, quae *Rigaltio*, quae *Holſtenio* vel tradas vel mittas. Livium quidni & ego cuperem majore forma edi? Ex Germania idem ſum monitus, & quidem ex ore Principis alicujus. Sed quis illos homines inducet, qui omnia ex ſuo conſilio & ſpe lucri agunt, nobis, non ut advocatis, ſed ut vilibus operis, utuntur? Hiſtoriolam de amico noſtro, qui tibi provinciam tam bello comite ornat, riſi, & illius acumine dignam judicavi. Miror ſuſpiciones δ δεῖνα, qui Anglos contra ſe excitatos & ſubornatos putat. Scilicet non ſatis ipſe crabrones ſtimulavit, ut lenti ac ſtupidi non ſe commoverent, niſi veſtro flabello inflammati. De voce *judicium* hoc eſt quod volebam. Nos vulgo eam uſurpamus de vi illa animi & ingenii, per quam facere poſſumus delectum rerum & dijudicare illas: ut cum dicimus, *hominem magni*, aut *nullius judicii*: nunc animadverti hanc ſignificationem ſapere Galliſmum aut Belgismum: certe exemplum ejus apud veteres requiro, quos video *judicium* dicere, non pro facultate mentis judicatrice, ſed pro effectu ejus, ſeu pro ſententia & re, quae judicatur, ut etiam Ovidius in illis, quae allegas. *Vlitius* quod de me queratur, non habet, qui libellum, quem ei per te dono miſi, acceperit necne, juxta cum ignariſſimo ſcire me ſinat. Ego certe poſt illas ad eum datas nihil ab eo accepi, quod monere potes, ſi forte quas dedit, male ſint curatae. Proxima hebdomade σὺν θεῷ εἰπεῖν, praelo dabitur primum folium novi libri Obſervationum, quas expreſſerat idem ille optimus *Vlitius* mihi, ut Livio Leidenſi daret. Sed haereo in titulo, quartumne an quintum dicam, an partem ſecundam aut neſcio quid. Fortaſſis inſcribam Senatui noſtro.

[1] Legitur illa lib. III, Elegiarum, pag. 66. inter Heinſii poëmata.

Digitized by Google

ſtro. An igitur diſcedam a mea priſtina ſimplicitate, & *Noctes Tubantas*, vel *Tubantes*, aut ejuſmodi quid phalerarum vocabo? Da conſilium. Quid habes de *Heilerſichio?* nam hîc nuntiantur φοβερά, & quae vera nolim. Vale, praeſidium & decus meum, & incomparabilem virum Patrem tuum a me quam officioſiſſime ſaluta. Daventriae poſtrid. Id. Junias Jul. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCXXI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio

Daventriam.

TUas heſterno die, Vir Clariſſime atque amiciſſime, lubens excepi, quibus reſponſionem debitam tanto minus differendam duxi, quod proximis diebus domo abfuturus vix occaſionem te compellandi commodam tum invenero. Elegidii mei mentionem nullam penultimis tuis factam non eſt quod tam operoſe excuſes, neque enim iſtam in ſpem miſeram, qui cenſorem nugarum mearum te potius deſiderem, quam laudatorem. De ſenſu & *Judicii* apud Latinos auctores manus tibi do. Videbar intellexiſſe, non alia ſignificatione in veterum monumentis occurrere, quam ſi pro loco, in quem judices conveniebant, ſumeretur. Hoc me decepit. Poterit igitur in carmine meo reponi, *Quanta gravi vis arbitrio!* quod te non obnitente fiet, arbitror. De *Sarravii* morte cum communicarim tecum nuncios, cur *Smithii* noſtri, viri optimi integerrimique e vivis nuperrime ſublati, ignarum eſſe me paſſus es? Metuo ne & de *Holſtenio* funeſti aliquid mox intelliganus. Valetudine enim illum valde adfecta eſſe proxime monuit Eques *Puteanus*, adeo quidem, ut deſint vires, ne in Hetruriam ſe conferre poſſit, ad captandum coeli temperatioris frigus benigniſſimum, ut quotannis plerumque ſolebat. Recepit itaque ſe in monaſterium Sti. Onuphrii, quod baſilicae Vaticanae vicinum noſti, & ab aëris ſalubritate multum commendari. Memini in iſtam quoque urbis partem politiſſimum virum *Petrum Servium* habitatum conceſſiſſe, cum lento morbo, quem & fatalem expertus eſt, obnoxius eſſet. Spero amico noſtro felicius iſtam habitationem ceſſuram. *Menagio* ſcribam die craſtino: faxo tum intelligat de exemplaribus libelli tui, quod mones. Equiti *Puteano* ſi unum miſeris, praeter ordinem nihil facies. De *Tollio* adeo ſollicitus amicus noſter videtur, ut non modo Suecum illum mihi obtruſerit, ſed alium etiam poſtea Germanum ultimis litteris, quem ego Holmiae noram, juvenem elegantis ingenii, & cujus [1] elegiam mihi inſcriptam ſatis venuſtam, tibi, credo, exhibui, cum hîc eſſes. Is ex aedibus heri, cujus liberos erudibat, ejectus eſt, inſtigante *Boeclero*, cum quo atroces inimicitias exercebat, Freinshemianis partibus addi-

1 *Johannis Chriſtiani Kochii* Argentoratenſis elegia ad *N. Heinſium*, legitur in libro 1. Adoptiv. Carm. pag. 44.

Digitized by Google

addictior. Ego autem *Boeclerum* non magis, admisso *Keckio*, offensum habere mihi volo, quam, *Tollio* in comitatum meum adscito, *Vossium*. In eo etiam facetus est amicus ille noster, quod comitatu tam amplo me instructum cupiat, de commeatu & viatico nihil addat. Apage tam bonum patrem familias! Atque hae illius partes esse debuerant: de comitatu ipse mihi abunde prospexissem. Circueat igitur quantum volet, & amanuenses undique e latebris protrudat, hero tamen illos fatuo non venditabit. *Keckius* interim, illa plenus fiducia, jam in itinere, credo, haeret, ut me comitetur. [1] *Scribonii Largi* atrox contra rempublicam Anglicanam scriptum, praelo Holmiensi jam commissum ferunt. Miser iste senecio prorsus delirat ac insanit. Misit duas in hanc urbem nuper epistolas, rabiei Sycophanticae non inanes, quibus omne se virus in me conversurum minatur, quod *Miltoni* scriptum probari a me intelligat. Ego vero & dixi & dicam porro, malam a *Miltono* causam tam bene actam, quam Regis infelicissimi causam pessime egit *Scribonius*. Hanc meam libertatem si ferre non potest, rumpatur. Adulatoris a me partes non est quod exigat; cum nescire non debeat, quam me servilis obsequii clientem hactenus non sit expertus. Hoc etiam maligne & Salmasiane, quod regibus non minus ac *Miltonum* me infensum fingit, cum publice jam bis testatus sim, quid de parricidio Anglicano senserim. Inter regicidas si locum mihi dat, ut omni procul dubio daturus, videbis brevi pro meritis ornatum & depexum. Nihil neque senectuti ejus, neque valetudini adversae parcam. Ita illum excipiam, ut parentem meum ille jamdridem excepit, pejus etiam, si potero. Comitatem & benignitatem omnem jam nunc valere jubeo & facessere. *Commercia Turnus Sustulit illa prior*. Interim ne nihil agat; ex febricula decumbit, quam illi vindictae studium illud ardens conciliasse visum, sic ultimi ferebant nuncii. *Vlitium* hîc expecto, itaque nihil litterarum illi paro. Ubi venerit, officii admonebitur. Scribit & *Rubenius* se mense forsan proximo nobis adfuturum. Te videre & complecti desiderat, si tantum otii mihi indulgebunt domesticae occupationes & mandata regia, una fortassis ad te excurram. De literis tuis interim spem illi, quam volebas, feci. Observationes tuas praelo committendas laetor. De inscriptione libelli, quanquam mei consilii non indiges, placet ut simplex sit nec longe quaesita, ita os obstruxeris & *Scribonio*, & alteri illi amico nostro, qui invidiam Germanis passim maximam conflare nituntur, ut nosti, tanquam phaleratos istos titulos immane quantum admirantibus. De *Heilderfichio* & *Zulichemio* tristia narrantur, an vera nescio. Sciam cras aut perendie, quando Hagam cogito, & si fieri poterit, faciam ut intelligas. Locum Ovidii Arte Amatoria accuratius perpendi, omnino legendum, *non omni tempore sensus adest*, cum libris scriptis, quod tamen frustra sic interpretatur magnus *Scaliger*, ac si velit, neminem omnibus horis sapere. Scribe minima mutatione,

Effu-

1 Ita puto appellari ab Heinsio *Salmasium*, quia scribat ego, & plurima in lucem protudebat volumina.

Digitized by Google

Effugere hunc non est, quare tibi possit amica
Dicere, non omni tempore sensus adest.

Non omni tempore sensus Veneriarum deliciarum dominae tuae adfuturus, quare fieri quandoque possit, ut tibi dicat, *Effugere hunc non est.* Quod importunis & odiosis convitium dici solitum. Nosti illa, *Effugere non est, Basle, basiatores. Sensum* interpretor voluptatem, quae ex Venere aut amoribus percipitur, ut lib. II. *Tu quoque cui Veneris sensum natura negavit, Dulcia mendaci gaudia finge sono.* Si postrema illa, *non omni tempore sensus adest*, a puella etiam vis dici, nihil repugno. Vale, meum mel. Lugd. Bat. CIƆIƆCLI. a. d. IV. Kal. Jul. Gregor.

Initio lib. v. Metamorph. pro eo quod est in vulgatis, *fremitu regalia turbae Atria complentur*, libri vetustissimi, *fremida turba* agnoscunt, atque ita etiam pro diversa lectione tuus, qui nunc penes me, codex. Id an Latinum existimes scire velim. Haereo enim, nec ex illorum numero sum, qui sexcentis vocabulis Romanum sermonem ditare gestiant.

Haeserunt hae diebus aliquot penes me. Interim a *Vossio* literas accipio, quibus videtur arbitrari, me jam in Gallias profectum, cum ante sex hebdomadas indicaret, expectanda pleniora Reginae mandata, quae ego nulla accepi. Puto igitur Lutetiam missa. Scribam itaque mox ad Mercatorem, qui res Augustae ea in urbe agit, quaeramque an mandata ulla acceperit. Si accepisse se adfirmabit, in pedes statim me conjiciam. Amicus noster adeo totus est in manuscriptis suis, & bibliotheca excutienda, ut aliarum rerum minime satagat. *Salmasii* in *Miltonum* invectivae jam eduntur. *Graswinckelius* noster etiam Regum causam suscepit defendendam contra eundem *Miltonum*: quem librum Elzevirianis typis velit edi. Ego poëmatia mea coepi colligere, praelo mox committenda. Si intelligam a *Salmasio* me tangi, nec est cur dubitem, habeo quod illi ista occasione reponam. Quia enim calumniarum non desinit,

Maledictaque culpae
Adiicit, & non est patientia libera nobis,
Ibimus in poenas, &, quo vocat ira, sequemur.

Fasciculos, quos promisisti, si pares quamprimum recte feceris, ne quid in te morae sit. *Boeclero* scribam ante abitum, si quid una vis, mitte. Ad equitem etiam *Puteanum* si epistolium exares, probabo institutum; sed hoc tempestive satis fiet post menses duos. Valde vir ille optimus Inscriptiones antiquas videre desiderat, in Germania edendas. Elzevirii edunt librum Hispani cujusdam mirum, de *duplici terra*. Nomen scriptori *Josepho Antonio Gonsales de Sala*. Scripsit adolescens in Petronium olim commentarios. Vidi epistolas ejus aliquot, satis humanas ad Elzevirios scriptas. Ad *Smithium* τὴν μακαρίτην nuperrime Catalogum manuscriptum satis ingentem miseram nummorum veterum, qui in Italia venales sunt: eum ut mecum feram oportet, nec video, quo pacto ab haeredibus impetrari possit, qui nullum ex iis notum habeo. Elogia, quam *Graswinckelio* inscripsisti, elegans est & erudita, ut ejus te pude-

re

re nequaquam debeat. *Heilderſichii* & *Zulichemii* res tam malo loco non videntur eſſe, quam *Arſenii Somelsdyckii*, in quem faba nunc cuditur. Certiora mox intelligemus: mihi enim Hagam nondum licuit excurrere. Ovidium tuum jam abſolvi, eum apud *Goeſium* relinquam, aut, ſi occaſio erit in promptu, tibi reddam. Vale, virorum amiciſſime. Kal. Juliis. Gregor. Amſtelodami, ubi adhuc per triduum morabor.

EPISTOLA CCXXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

SAne ita eſt, uti ſcribis, in optimo quoque *Smithio* fautorem noſtrorum ſtudiorum & vetuſtae φιλοκαλίας amiſimus. Vtinam modo ne nuntii aeque graves de *Holſtenio* ſequantur, & reſtituat illum nobis habitatio mutata! Catalogum nummorum venalium puto te recepturum optime per generum Rev. & Cl. *Heidani*, cui, ni fallor, [1] *Colvio* nomen, & magnum, ut audio, illic pondus & pretium eſt. Amicus noſter, ut video, ſatis regie inimicitias & amicitias exercet. Porro Quirites! Timagenes Auguſto Caeſari tantum non indixerat odium, lingua intemperanter utebatur, hiſtorias rerum ejus geſtarum ab ſe ſcriptas combuſſerat: eum tamen Pollionis domi eſſe optimus princeps patiebatur, hactenus ſe ultus, ut Pollionem θηροτροφεῖν diceret. Favorinum oderat Hadrianus: tamen in urbe eſſe, & coli atque adiri non indigne ferebat. Sed haec ſi ſcriberem noſtro, Vulcano eſcam pararem. Te tam ſubito accuſari, quaſi non ex animo dixeris, *Unica abeſt abſitque* profecto miror. Sed nec poſſum laudare delatores illos & emiſſarios, per quos reſcivit laudari adverſarium ſuum, non propter cauſſam, ſed quod qualemcumque cauſam ex argumento egit. Oportet hodieque illic ſubſidere, qui omnes rumuſculos ſermunculoſque captent, praecipue de illis, quos merito ſibi ſcit eſſe inimicos, & perſcribant. Senſus & lectio, quam das Ovidio, valde placent, praeſertim ſi addatur interrogatio: *Dedecet ingenuos taedia ferre ſui. Effugere hunc non eſt, quare tibi poſſit amica Dicere? non o. t. f. ad.* Non decet hominem ingenuum & pudentem ferre ſui taedia & ingratiis obverſari. Quare igitur velis committere, ut amica tua poſſit de te dicere dicatque: *effugere hunc non eſt?* Crede mihi, non omni tempore placent puellis Veneriae deliciae. *Fremida* certe annotatione dignum: ut ab *algeo algidus*, *ninguo ninguidus*, *uveo uvidus*: ut *uvidus* uvens, vel qui uvet, ita *fremidus* fremens. Exemplum tamen exſpectabimus. Ad *Rubenium* hîc habes, quem ſi tecum hîc mihi complecti, & quidem domi meae hoſpites, licebit, in coelo me eſſe putabo. Ad *Caſſianum Puteanum* faciam quod jubes:

1 Fallitur. Fuit *Dionyſius Crucius* dictus, qui *Mariam* majorem *Heidani* filiam duxit; quae poſt viduitatem iterum in Patris mei *Franciſci Burmanni* thalamos conceſſit.

jubes: immo ingens beneficium a te accepisse me putabo, si tantum virum mihi fautorem effeceris. Mittam vel ad ipsum, si vis, *Gonsalium* exemplar: sed haud scio, an gratum sit futurum, cum illic ἄνευ ἐπιθέτου appellatus sit: ergo contineamus nos, nec per ambitionem ludibrium debeamus. De Poëmatis tuis colligendis laudo consilium. Vive, dum vivis. Meus libellus retinebit, quando ita suades, simplicitatem pristinam. Festi Avieni in Arateis de Argo ita lego: *neque enim se Thessala cymba Solemni in faciem rostro movet, extima puppis Surgunt oceano: velut alto a gurgite nautae, Cum portum tenuere avidi, volitantia raptim Sipara convertunt, tergoque incurva remulco Litora certatim subeunt.* an *convellunt*, aut *convolvunt*. An qua parte melius aut aliter Grotius? Post novem paginas: *Argo, qua curvis puppim superattrahit oris, Tingitur, & duro cingit vada coerula dorso.* Sic lego, & aliter intelligo atque *Scaliger* ad Manilium p. 387. Quid *Grotius*? Ego editionem Avieni non habeo aliam, quam Parisiensem Morelli in quarto 1559. Adolescens quidam nudius tertius me poscebat sensum obscurum quorundam versuum in epistola Cydippes: quos post paullulum meditationis ita respondi legendos:

Hei mihi, quod gaudes, & te juvat ista voluptas!
Hei mihi, quod sensus sum tibi fassa meos?
Si me digna forem, tu nostra justius ira &c.

Credo idem jam a te observatum esse. An quid aliud habes?

Fuit hic nuper, qui se Baronem *Risenburgium* appellaret, & *Racoccii* diceret legatum: datumque sibi in mandatis in Hollandia, ut *Bisterfeldium* arcesseret Lugdunum, ad duplicem professionem Theologiae & Philosophiae, stipendio duûm millium fl. proferebat etiam literas commeatus, Ordinum sigillo subsignatas, & binas a Curatoribus Academiae ad *Racoccium* & *Bisterfeldium:* dein querebatur servum sibi cum XL. ducatis aufugisse, & petebat pecuniam mutuam in sumtum viae Bremam usque, depositis pro pignore illis literis. Ego diffisus homini negavi mihi nummos in promptu esse, sed consilium dedi, ut hic potius exspectaret, & ex Hollandia pecuniam peteret. Invenit alium, qui illi credidit. Scire velim, an noveritis hominem, & datas illis literas bona fide esse. Ad Boeclerum mittam ad te proxime. Quaeso respondeas de loco Avieni, & Barone isto quam primum. Homo dicitur remisisse pecuniam, & literas istas repetiisse, nos tamen dubitamus & fraudem suspicamur.

Quae ab Rottendorfio heri accepi, descripta ad te mitto.

EPISTOLA CCXXIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

FRustra hactenus speravi, Vir Clarissime, aliquid responsi adfuturum ad illas, quas ante dies jam decem ad te perlatas oportet. Interim abitum

meum urgere *Vossius* non desinit, ita petente, ut fert, Regina: cum ego omnem jam cunctandi materiem consumpserim, cras Dordracum cogito, amicis valedicturus. Roterodami in transitu de navi mihi prospiciam, qua in Gallias tuto deferri possim. Spero me post decimum abhinc diem pransum paratum fore. Tu itaque ne cuncteris oro, si quid fasciculorum paras. *Freinshemium* in extremis esse *Vossius* noster proxime nunciabat, ejus etiam conjugem gravissime aegrotare, quem morbus iste exitum sit habiturus, non nisi Lutetia nunciare potero, quo suas omnes amicus noster imposterum missurus. *Wullenius* etiam ab aliquo jam tempore nec scripsit, nec scribet, ut arbitror, cum & is uxorem optimam, cum adversa diu conflictatam valetudine, nuperrime exuerit. *Holstenii* valetudo meliori nunc paulo loco est. *Salmasius Miltonum* suum defricare pergit, in edendo horribili isto scripto graviter desudant operae typographicae in Suecia. Me & patrem immortalitate etiam illa, ut gloriatur, occasione donaturus. Agat sane quod agit, ego vicissim meis partibus non deero.

--- Si quid mea carmina possunt,
Gallus & Hesperiis & Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

Miror intemperiem profecto hominis furiosi, & quietis impatientem animum. Tot praestantium animarum ultrices scilicet illum

Exagitant Furiae; & Furiarum maxima conjux.

In Gallis avide expector, habui literas nuper aliquot hujus argumenti, humanissimas imprimis a Marchione *Montoserio*. A *Rubenio* modo accepi, qui de itinere ad nos suo consilia in annum proximum rejecit. Affirmat nihil se literarum ad te dare, ne occupationibus tuis molestus sit, interim haec Liviana communicari tecum voluit, quae a te perlecta ut ad me revertantur rogo. Vale, meum decus, & summae festinationi ignosce. Probat *Rubenius* correctionem meam, *Effugere hunc non est*. Tu quid censes? Ovidiano tuo codice jam sum usus, quem aut *Goesio* tradam, aut Elzeviriis tibi reddendum. Salutat te parens meus. Lugd. Bat. CIↃIↃCLI. ad. III. Eid. Jul. Gregor.

Graswinckelio nostro, qui nescio quid in *Miltonum* parabat, typis Elzevirianis edendum, publica auctoritate silentium impositum, sic ipse mihi nudius tertius, cum Hagae essem.

EPISTOLA CCXXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

Cum Lugdunum Batavorum commorandi aliquamdiu gratia iret cognatus meus, *Ludovicus Pincier*, Lubecensis LL. Studiosus (nam & alioqui te salu-

tatu-

taturus erat gnarus & nominis tui & amicitiae noſtrae: vixit enim hîc antehac una cum conſobrinis *Langermannis*, & poſt cum altero eorum *Luca* Helmaeſtadii: cui nihil aliud peto, quam ut humanum praebeas vultum) nolui diutius exſpectare te promiſſa mea. Habes igitur hîc exemplaria ad *Rigaltium*, *Puteanum*, *Bochartum*, *Valeſium*, *Menagium*, *Caſſianum a Puteo*, *Holſtenium*. Habes etiam literas ad eundem *Puteanum* Equitem (quas potes claudere meo ſigno illaeſo, &, ſi vis, vel citius mittere, quam librum) & *Boeclerum*. Haec tibi tanta negotia ipſe imponi voluiſti: de caetero nihil tibi mando, quem ſatis ſcio fideliter anniſurum, ut ex hac re gratiam mihi, non odia, aut contemptionem, compares. Proximas meas, quibus incluſae erant ad *Rubenium* & exemplum Rottendorfianarum, recte tibi redditas puto. Fac quaeſo cognoſcam, quod rogaveram, de Barone *Riſenborgio*, & an fuerint illae ſincerae literae de vocatione *Biſterfeldii*. Non poteram inducere animum, ut crederem hominem legatione tanta fungentem, & res pecuniamque omnem credere incertae fidei famulo, nec pecunia facile deſtitui, nec ſi deſtitueretur, vel ab Ordinibus vel Academia, cujus negotium procurandum ſuſceperat, vel non potius ab ipſis hujus urbis magiſtratibus, quam a privatis ſub tali pignore mutuum petiturum. Secus illi mea non defuiſſet quantumcumque brevis arca. Explora, quaeſo, per famulum tuum, vivatne illic etiam *Chriſtophorus Arnoldus* Noribergenſis, & an acceperit faſciculum, quem per nautam jamdudum eſt quod ad eum miſi: cui inter alia inerant exemplaria libelli mei, *Revio* & *Scriverio* deſtinata una cum literis: vel ab his potius cognoſce, an haec acceperint. Vale, decus & praeſidium meum. Daventriae. a. d. III. Kal. Quinctil. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCXXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

QUas ego nuperrime ad te dedi, virorum amiciſſime, una cum Rubenianis in Livium tuum emendationibus, eas recte tibi redditas confido. Heſterna veſpera Dordraco reverſus domum tuas offendi, quibus catalogum ſcriptorum *Rottendorfii* codicum, & alias *Rubenio* inſcriptas addidiſti. Pro catalogo gratias ingentes ago. Ovidii quidem & Claudiani nonnulla illic extare animadverto, ſed quorum uſus vix ſperandus, cum in procinctu Italici itineris ſim, atque eas propterea cogitationes in annum proximum differre cogar. Ad *Rubenium*, ne quid in me morae ſit, die craſtino tuas curabo. Nunc hîc a *Vlitio* habes, qui librarii incuria factum queritur, ut obſervationum tuarum lectione hactenus fraudetur; rem ex ipſo, ut arbitror, plenius cognoſces. Catalogus nummorum veterum, quem Smithio miſeram, per *Heidani* generum

Crucium jam mihi reſtitutus: omitte igitur curam. *Scribonius* quid in me moliatur neſcio. Sibi quidem magnum malum creaverit. Ludimagiſtrum vocat paſſim *Miltonum*: qui tamen & nobili loco natus, ut ferunt, qui hominem norunt, & in re lauta conſtitutus, variis peregrinationibus, aſſiduiſque ſtudiis privatus aetatem, quam quadraginta annis grandiorem vix numerat, exegiſſe narratur: donec a conſilio ſtatus Anglici ad ſcribae provinciam in iſto collegio ſuſcipiendam invitatus eſt. Virum eſſe miti comique ingenio ajunt, quique aliam non habuiſſe ſe cauſam profitetur *Scribonium* acerbe inſectandi, quam quod ille & viros e maximis celeberrimiſque multos nihil benignius exceperit, & quod in univerſam Anglorum gentem convitiis atrociſſimis injuriis valde ſuerit. Si quis Anglorum verſibus illis meis, quos tu noſti, aliquid reponeret, nunquid ridiculus tibi viderer, ſi illum a *Scribonio* inſtigatum aſſeverarem? Sed illius ineptias, quarum finis non eſſet, miſſas faciamus. Poëmatia mea limam curatiorem exigebant: manum iis ultimam ne potuerim admovere; variis in urbes vicinas excurſibus factum, nunc qualiacunque ſunt, publice ut legantur oportet. Unici id mihi ſolatii, meliora ab adverſario non eſſe expectanda. Exemplaria Obſervationum tuarum, amicis Italis Galliſque deſtinata, quia hactenus non comparent, ne ſero huc mittantur, metuo. Naves enim in portu Roterodamenſi Gallias aditurae paratae jam adſunt, quibus ego, quamprimum ventus faverit, me ſim commiſſurus. Quantum igitur in mora ſit periculum tute vides. De *Freinshemio* nihil in ultimis *Voſſius*, meliori itaque, quam ante, valetudinem ejus loco eſſe auguror. *Rubenium* hoc anno non eſſe nobis expectandum jam monui. De *Puteano* recte feceris, ſi cogitare pergas, eſt enim vir ille praeſtantiſſimus, doctorum omnium amore digniſſimus. In Avieno legit ſecundum verſum Grotius, *Solenni in faciem monſtrat more: extima puppis* &c. reliqua fere, ut tu: niſi quod *tergo remulco* Latinum vix putat, cum *remulcum* ſit ſubſtantivum: velit itaque cum antiquis libris, *tergumque in curva remulco*, ut ſit ſenſus, *Litora ſubeunt certatim tergum navis remulco*, quod vix aſſequor. Altero loco, nihil Grotius, niſi *tangit* pro *tingit*, quid ſi *findit vada* legas? Epiſtola Cydippes inquinatiſſima eſt. *Hei* pro *ſi* ſcribendum utroque loco memini jam olim me vidiſſe, idque arbitror notatum mihi ad oram codicis in Suecia relicti. In caeteris aqua haeſit: neque video quid tua correctione aptius excogitari poſſit. De Barone *Rienborgio* riſi. Impoſtorem enim puto. Ab *Heidano* viginti quinque florenos mutuos credo ſumpſit, quos poſt biduum ſe redditurum promiſerat, ſed eo inſalutato abiit, hoc ipſe mihi *Heidanus*. Metuo ne & Curatoribus Academiae noſtrae verba dederit: cum indicarit illis *Biſterfeldium* ſibi familiarem valde eſſe, obtuleritque operam ſuam, ſi quid ad *Biſterfeldium* vellent; ad quem literas puto impetravit, quibus aurem denuo vellerent de profeſſione theologica jam ante oblata, an conditionem admitteret. Ille enim ad *Biſterfeldium* recta ſe cogitare affirmabat. Diligentius in rem inquiram. Vale, meum decus. Literis tuis ut in itinere me convenias ſubinde rogo, ac perſcribas fideliter, ſi quae nova ad te ab amicis perſcribentur, rem literariam ſpectantia, e Germania praeſertim, unde

rariſ-

Digitized by Google

rarissimae ad me perferuntur. Lugd. Bat. Anno CIↃIↃCLI. a. d. XIV. Kal. Aug. Gregor.

Valesius junior panegyricum Dominae inscripsit nihil Ferrariana deteriorem, sic ad me *Vossius*, qui & addit negotium tuum reginae commendatissimum esse. Literas illi tuas measque exhibuerat. Gellium nondum acceperat.

EPISTOLA CCXXVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Deventriae.

TRadidit mihi proximis diebus cognatus tuus Observationum exemplaria, quae in Galliis Italiaque volebas curari. Literas ad Illustrissimum *Puteanum*, quas addideras, jam Romam misi. Postea nihil de te audire mihi contigit. Puto tamen geminas meas postremas tibi exhibitas. Responsionem tuam si Amstelodamum ad Goesianas aedes misisti, male factum: ille enim cum tota familia nunc Leidae est, & vereor, ne in alienas incidat manus, si quid literarum domum ejus perferendum volueris. De barone *Risenbergio* lepida omnino fabella est. Egi ea de re cum Syndico nostro. Rogavit is me, ut ex te quaererem, quo pretio literas Curatorum hujus Academiae oppignorasset. Si exigua esset summa, posse creditoribus satisfieri. Caeterum cum ego in procinctu Gallici itineris tum starem, atque etiamnum stem (cum ventis adversis hactenus conflictatus indignum in modum) cognato tuo negotium fervide commendavi, ut ille, literis, quantum in se, prospiceret illis, Syndicumque voti compotem reddere conaretur. Livii hîc nonnulla habes, quae jam olim apud me inspexisti, ut si usui tibi esse possint, iis pro libitu utaris. Typographus quidam Salmuriensis non semel jam Elzevirium monuit, esse in urbe sua virum doctum, qui multa in Livium observarit: ea illum tibi communicata velle, aut ipsi Elzevirio. Errata aliquot in prioribus editionibus commissa in hanc schedulam, ut vides, conjecit, quae Elzevirius ut tibi mitterem voluit. A *Rhodio*, *Ferrario*, *Liceto*, aliis amicis Italis nuper habui. *Ferrarius* Panegyricum denuo mittit, manu sua castigatum, quem ego in Gallias mecum feram, ubi necdum visum arbitror. Idem scribit Prolusiones se nuper edidisse, in quibus parenti meo verbis admodum honorificis parentarit, quem ad plures abiisse ex falsis rumoribus tum percepisset. Idem nunc est in parte Rei Vestiariae secunda adornanda. Regina pro panegyrico torquem illi aureum magni ponderis decrevit: quo nomine gratias mihi agit. *Licetus*, qui operas typographicas toto jam anno exercet, commentario de Lucernis veterum edendo, mox & alium de Gemmis Annularibus magnae molis edituus Sereniſſimae Reginae inscribendum: nunc morae hujus impatiens, multa

Digitized by Google

de typographorum oscitantia praequestus, ait, ne tanta cunctatione malum nomen apud optimam Principem videatur, se commentarium etiam de Lucernis mox proditurum, tanquam prodromum, Reginae destinare. Dedicationem literis addit valde operosam. Salivam credo illi movit munus *Ferrario* destinatum. *Rhodius* in Scribonio suo Largo adhuc desudat, mox Celso manum admoturus. Ad *Boeclerum* etiam hodie curavi. Vale, meum decus, & si quid in Galliis curatum vis praeterea, fac sciam. Ex Germano quodam intellexi hodie, *Bochartum* hîc mox expectari, ita se ex *Blondello* ferebat audivisse. Lugd. Bat. CIↃIↃCLI. a. d. XXIV. Julii Gregor. Festinationi tumultuariae rogo ignoscas.

Locus est apud Ovidium intricatus Pont. II. El. v.

Dumque silent, adstat; status est vultusque diserti;
Spemque docens doctae vocis amicus habet.

Nihil hîc intelligo. Primo bene editiones quaedam & scripti, *Dumque silens adstat*. Sequenti versu pro *docens*, membranae nonnullae, etiam veterrimae Sarravianae, si memini, *decens*. Puto scribendum minima mutatione, *decens amictus*, hinc *togam componere* & similia: sic & eleganter habitum Phoebi cytharam pulsantis describit lib. XI. Met.

Ille caput flavum lauro Parnasside vinctus
Verrit humum Tyrio saturata muricе palla. &c.
Artificis status ipse fuit.

Sententiam tuam de hoc loco scire velim.

EPISTOLA CCXXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

BInis tuis responsum debeo: prioribus, quibus nuntiabas te accepisse *Rottendorfii* catalogum, & mittebas (quod mihi opportunum fuit, gratiasque eo nomine ago) quae petieram ex Festo Avieno & Dionysio: posterioribus, quas receptis meis a cognato meo scripsisti. Si quas dedisti alias, ut videbantur hae postremae significare, redditae nullae sunt. *Risenbergius* quicumque sit ille, nostrati creditori fidem praestitit: nam missis Suolla literis cum argento publicas, quas deposuerat, repetiit recepitque. Credo non fuisse tanti, & ad majus opus eas servare. Petierat a me sex Ducatos, Brema rescribendos: ab illo quatuor imperiales abstulerat. Quae de *Vallesio*, *Ferrario*, *Liceto* nuntias, gratissima fuerunt, & laetor virtuti maximae Principis nostrae respondere seculum foecunditate ingeniorum, quae merito illam praedicent. Sed sumne ego infelix, qui nihil eorum legere possum? Si fieri potest, cura, quaeso, ut ex Gallia vel Vallesianum nanciscar. Locum ex Ponticis praeclare abs te re-

Digitized by Google

restitutum puto, & per eum licere nobis in utramque aurem dormire. De Poëmatis tuis non intellexi satis: absente igitur te uno corpore publicabuntur? Ἔξεχε ὦ φίλε ἥλιε: qualiacumque sunt, bona & egregia sunt. Caeterum, ut scias, *Langermannus* meus nunc est Parisiis, quem immortali beneficio obstrinxeris, si, quod a me petit, notorem illi te commendatoremque apud illustres literis viros praestiteris. Atque ut id fiat commodius, literas ad illum his inclusi, quas per servulum mittere ad illum potes, & ad te arcessere. Quamquam peccarit in eo, quod solum mihi nomen mercatoris, apud quem inquirendus esset, designavit ignarus, opinor, moris & magnitudinis urbis. Itaque difficile tibi erit hominem invenire: sed ταυτόματον, spero, κἀλλιον βουλεύσεται. Quae Salmuriensis notavit, omnia, & multa alia ejus generis, jam correxi in parte illum, quam dudum habent Elzevirii. Si quae ab ingenio observata habet, non ingratus recipiam. Et de eo monebo ipse Elzevirios per literas, quando haud scio, Lugdunine an Parisiis has visurus sis. Sed ubicumque videbis, Deum veneror, ut felicissime tibi omne iter cedat. Meas quidem, quando ita vis, nusquam desiderabis, sed vellem ex desolata nostra etiam literis Germania saepius aliquid scribere tibi possem: nunc semestribus singulis vix unas a Reinesio accipio. Quod hoc ipso die ab operis specimen opusculi mei accipiebam, hîc inclusi. Vale, magnum decus meum, & semper esto felix, nec cessa meo officio apud fautores nostro, quacumque transieris, fungi. *Philippum Vincentium* Rupellarum ministrum decessisse audio. Vidi penes illum partem Livii & duos, ni fallor, Gellios in membranis non contemnendis, ut primo aspectu videbatur. Vide an ea servare posses. Iterum Vale. Daventriae. XVI. Kal. Sextil. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCXXVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

NOnum diem Parisiis jam ago, virorum amicissime, ita distractus compellandis ac excipiendis amicis, ut vix respirare liceat. Mira est procerum & doctorum erga me benevolentia, quam quo minus promereor, eo magis jactare ac commemorare audeo. Apud illustriss. *Coadiutorem Parisiensem*, ac Marchionem *Montozerium* mecum pransus est diebus proximis *Menagius* noster, uterque tenerrimis arctissimisque complexibus me excepit. Cras *Fabroto* diem diximus. *Naudaeus*, *Patinus*, alii sequentur, quibuscum rus erit adeundum. Ita aestivos fallo calores, qui de itinere Italico cogitare me non sinunt. Frequens tui inter nos mentio. Quantum video, manuscriptis libris excutiendis vix licebit invigilare: sub initium enim mensis proximi fore auguror, ut coelo magis temperato viae committi tuto possim. Libelli tui exemplaria,

Putea-

Puteanis fratribus (quorum major natu peſſime habet, morti, ut metuendum, vicinus) *Menagio* etiam *Valeſioque* tradidi. Omnes gratias immortales tibi agunt. *Bocharto* ſuum etiam miſi, quid reſponſi laturus ſim, avide expecto. *Rigaltio* quod debeatur, cum ab urbe abſit, *Puteanis* tradidi. Tuas heſterna veſpera accepi; ex quibus ſummo cum dolore meo deprehendo, periiſſe illas, quas Vlitianae epiſtolae addideram, ac Rubenianis in Livium correctionibus. Puto hanc Ludovici Elzevirii negligentiam, quam & alias ſaepe expertus ſum: ad illum enim curandas Bonavontura miſerat. Valeſianam orationem, quam nec ipſe vidi hactenus, ut conſequaris curae mihi erit. Habet is nunc a me Ferrarianam, de qua quid cenſeat, mox intellexero. Inveni hîc geminam a *Petro Poſſino* epiſtolam, (una cum Theophylacto de inſtitutione Principis recens a ſe edito) qua narrat Alexiadem jam fere abſolutam, eam ſibi in animo eſſe ut Chriſtinae Auguſtae inſcribat, niſi ego diſſentiam, mox ſecuturum Cinnamum. Reſpondi illi humaniſſime, vir enim bonus eſt, recte facturum, ſi & Cinnamum eidem Reginae inſcribat. Alii alios parant. *Fabrotus* Balſamonis Paratitla, aliaque juridica Graeca hactenus inedita. De poëmatis meis edendis *Goeſius* viderit: illi enim ea cura demandata. Sed puto obſervabit primo, quid moliatur ὁ δεινα, quem ex amoris impotentia ſic inſaniviſſe olim ex amicis fide dignis hîc intelligo, ut vinculis conſtrigendus fuerit: expecto totam hiſtoriam accurate deſcriptam. Serviet & hoc telum mihi aliquando. *Langermannum* tuum cum in hac urbe eſſe ac vicinum habitare mihi intelligerem, conventus a me eſt domi ſuae. Juvenis modeſtus eſt, & eruditus, quantum apparet. Deduxi illum ad *Puteanos* fratres, alioſque viros literatos, etiam ad praefidem *Thuanum* heſterno die, quem una ſalutavimus, ejuſque e bibliotheca ſcriptos aliquot codices deprompſimus, ut Macrobii Saturnalia, Prudentium, Catalecta veterum poëtarum, Martialis aliorumque, ac Ovidii nonulla. Senecae multa ibi extant, geminum epiſtolarum ejus exemplar illic & vidi ſatis antiquum. Sed excutiendi otium non erit. *Langermanno* tuas tradidi, videtur non abhorrere ab itinere Italico, ego vero velim expenſis regiis id fieri poſſit, nam *Reſander* ille homo eſt, ut hîc intelligo, non modo morbo melancholico ad inſaniam uſque correptus, quod jam ante cognoveram, ſed potator etiam ſtrenuus, & venerius nepotulus, ut amicus noſter deridendum me Italis propinare voluerit, quo ſe ulciſceretur, credo, de *Tollio*; ſed & ego illum viciſſim luſero. Cum enim mercator Sereniſſimae Reginae, qui res ejus privatas agit, plane diſſuaſerit de *Reſandro* in comitatum meum admittendo, literas hodie ad dominam dedi, quibus moneo conſultum magis de *Langermanno* videri, & facile, arbitror, impetravero, niſi quid turbet amicus noſter, quare ſi quid illi impoſterum voles, mihi mitte: habes hîc ab illo. Vale, meum decus, & literarum. Plura volebam, ſed laſſus admodum ſum ſcribendis in Sueciam atque Italiam literis: rogo igitur feſtinationi ignoſcas, & frequenter impoſterum ſcribas. Pariſ. CIↃIↃCLI. Prid. Eid. Aug. Gregor.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

PErveniſſe te ſalvum Lutetiam & illuſtrium virorum incredibili humanitate excipi gaudeo, & ſuperis habeo gratiam. Mei quoque cum dicis meminiſſe nonnullos, amo te & fruor credulitate. De literis nihil eſt, quod vereare: omnes accepi, & omnibus, puto, reſpondi. Quod ut agnoſcas, eae, quas Rubenianis addideras, nuntiabant de gravi *Freinshemii* morbo, & *Holſtenium* convaleſcere: alteris loca Avieni & Dionyſii adjeceras. *Langermanno* meo quae praeſtitiſti, quaeque de illo cogitas, ob ea gratias & debeo, & habeo tibi immenſas. Crede mihi, dum apud me fuit, non modo ſtudiorum elegantium rudimentis eum feliciter imbui, ſed vel in primis, ut veteres avias ei de pulmone revellerem, & animum ejus plenum officii redderem, mihi cordi fuit. Ni bonus, fidus, gratus eſt, quanticumque ſpondere velim. Certe ſi non eſt, magis me, quam quisquam unquam mortalium, decipit: ſed ad fallendum natus minime videtur. Itaque perſta, & totum tui beneficii redde. Ego oppreſſus illis, non gravibus, ſed minutis multis meis occupationibus nunc ad illum non ſcribo: faciam proxime: omnia tamen poſthabui, ut *Voſſium* de veſtro utriuſque deſiderio alloquerer, ne ille me ob cauſſas, quas ſuſpicari poteſt, hac de re parum laborare putaret. Scripſi igitur accurate, & ita, ut ſciat, me non tantum favere illi, ſed vehementer etiam hoc deſiderare: cum his literae illae Amſterodamum ad matrem ejus mittentur. Ego in Livio quotidie aliquid. Nuperrime lib. XXXIII. cap. XXXVIII. me exercebant illa: *Smyrna & Lampſacus libertatem uſurpabant, periculumque erat, ne ſi conceſſum his foret, quos metuebat, Smyrnam in Aeolide Joniaque, Lampſacum in Helleſponto aliae urbes ſequerentur.* Baſileenſium correctorum eſt, *quas metuebat*, quod vides ſenſu eſſe nullo. Moguntimus codex, unde pars iſta libri hujus edita eſt: *quos in Theba*, ſic etiam ediderunt Moguntini, Aldus Junta, Cervicornus. Videtur ſcribendum: *ne ſi conceſſum his foret, quaſi tabe, Smyrnam in Aoelide:* ne peſtilentia illa velut rebellionis & importuni libertatis deſiderii & aliae urbes afflarentur & corriperentur. Dixit lib. II. *poſtremo velut tabem perveniſſe ad corpus.* Obſervationum plus parte tertia jam impreſſum. *Schelius* noſter aderat hîc, cum tuas acciperem, Haga redux, ubi rempublicam fortiter feliciterque geſſit. Magna res confecta eſt, concilio tanta cum concordia dimiſſo: magna res, mi Heinſi, & quam nos ſocii, nec hoſtes noſtri ſperaverunt. Haec publica gratulatio cum nos poene in lacrimas prae gaudio ſolverat, acceſſit & privatum gaudium ex tuis, quas non ego libentius, quam ille legit, teque plurimum ſalvere juſſit, deſiderantiſſimus ſeceſsûs, & prae-

dioru ſuorum & bibliothecae, quibus bono publico, privato incommodo dudum abfuerat. Vale, & tot aevi decora, tot amicitiarum a me officioſiſſime ſaluta. Daventriae. xv. Kal. Septembr. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCXXX.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VAlde me commovit, Vir clariſſime, quod ultimis tuis nunciabas, non perlatas ad te literas illas, quibus & Rubenianas ad Livium obſervationes mittebam, & in ejuſdem auctoris librum, niſi fallor, trigeſimum primum *Claudii Puteani* notata ex Cujaciano deprompta codice, quae olim apud me vidiſti. Cujus hoc negligentiae ſit imputandum neſcio, id ſcio, Bonaventurae Elzevirio faſciculum a me commiſſum, qui ſine dubio Amſtelodamum cognato ſuo miſerit illum Daventriam curandum. *Rubenium* hujus jacturae certiorem facere potes; ut ſi apographum ejus ſervavit forte inter ſchedas ſuas epiſtolae, id tecum communicet, nolim enim te fraudari iſtis animadverſionibus. Erat & eidem faſciculo, ſi memini, luculenta epiſtola Vlitii noſtri inſerta. Multis ipſe jocabar in τ δεινα, quo magis indignor in alienas manus faſciculum delatum. Puto curioſos homines nonnullos literis intercipiendis invigilare. Ad *Bochartum* ter ſcripſi, ex quo in Galliis haereo. Semel Rotomago, cum & tuum illi libellum mitterem, quas cognato ejus *Langlaeo* commiſi. Iterum poſtea, quibus incitabam illum Reginae nomine, ut itineri ſe Suecico ante hyemem accingeret. Poſtea brevioribus literis in Italiam abiturus valedixi. Heſterno vix tandem die ad ultimam reſponſi aliquid epiſtolam tuli: quo geminas priores ad ſe perlatas negat. Monui tamen hodie, ut apud *Langlaeum* diligentius inquiri curet, quid faſciculo ſit factum. Menſe Martio proximo ille *Valeſiuſque* Suecicum iter auſpicabuntur. Libellum tuum omnibus, quibus oblatum voluiſti, obtuli. Quoſdam etiam de reſponſo conveni, ſed promittunt, non praeſtant. *Naudaeus* neſcio quid libellorum ſe ſepoſuiſſe ait, ad te mittendorum: tradet, ut opinor, faſciculum *Langermanno*: epiſtolis ſcribendis invitum ſe vacare adfirmat. *Valeſius* ſcripturum ſe tibi pollicitus erat, mox neſcio quas occupationes ſibi oblatas praeter expectationem miſſa ad me ſchedula cauſatus eſt. Unus *Mareſius* haſce, quas vides, tradidit. *Salmaſium* ex Suecia abiiſſe rumor hic eſt conſtans. Nam amicus noſter ne γεὺ quidem hac de re ſuis ultimis; cum breviſſimus ſit, & a Luſitanis neſcio quibus interpellatum, ne plura potuerit, argutetur, quo ſe converſurus ſit neſcio. Nam literis ad amicos ſuos in hac urbe datis, Batavos ſe praeterituram minatur. Batavis de adventu ſuo ſpem facit. Puto rerum regiarum eventum operitur, quae loco eſſe peſſimo dicuntur. Defenſio illa plurimos etiam illi in Gallia

inimicos peperit, ut *Blondellianum* nunc oraculum agnoscam: is monebat olim, neminem in his oris doctum simul & probum esse, qui defensionem istam probaret. Aliquid de fortunis suis clam stabiliendis apud Condaeum agit: sed illam rem turbabit, ut existimo, *Gaulminus*, quantum poterit, ut auctoritate apud illum potest plurimum. Donarat is Reginae nostrae quingentos circiter codices, tam Hebraicos, quam Arabicos Persicosque ac Turcicos, omnes ineditos, quod munus luculentissimum ὁ δεῖνα multum malignis verbis attenuasse apud Augustam Principem dicitur. Nemo certe fuit hactenus, qui Dominae nomine gratias illi vel tralaticias paucis ageret verbis, quae res stuporem mihi ipsi incussit. Metuo ne amicus etiam noster, *Gaulmino* non satis aequus, hîc aliquid turbarit. Mittit hîc ad te *Langermannus* excerpta Liviana, quae desideras, ex Puteaneo codice. Aliud auctoris illius exemplar antiquum satis in Navarraeo hîc extare collegio *Puteanus* idem monuit, curabo ut id ante abitum inspiciam, non enim viae me accincturus sum, nisi post dies sex septemve. Spes erat facta de Ovidianis codicibus, qui in Richeliana extent bibliotheca, sed custodem nullis precibus expugnare hactenus possum, ut eorum mihi copiam faciat. Quatuor aut quinque amici exemplaria alia donarunt, plurium spes est facta. Obiit Tholosae illustrissimus Archiepiscopus, ordinis sui vir longe doctissimus, quam jacturam boni omnes aegre hic ferunt: mei studiosissimus erat, ut non possim non in partem doloris publici venire. *Holstenius* melius nunc habet. *Freinshemius* in Germaniam revertitur, valetudini minus commodae sic prospecturus. Aestate proxima in Sueciam reversurum scribit *Vossius*: alii negant, quibus & ego accesserim. Vale, meum decus, & si me amas, frequenter scribe. Paris. CIƆIƆCLI. a. d. x. Sept.

Langermannum & suo nomine, & tuo etiam, multum amo. Spero impetraturum me a Domina, ut sine expensis suis peregrinari imposterum possit, easque me inventurum literas, quibus annuat, Venetiis. Emit tibi *Langermannus* Gruchium de Comitiis ex editione Vascosani in folio, sed cum nesciat viam, qua ad te perferri possit, id exemplar mihi vindicavi, ea lege, ut tu meum ferres, & jam famulo parentis mandavi, ut id aut praesenti tibi tradat, aut per Elzevirios mittendum curet. Monet *Vossius* inventas a se pagellas duas in bibliotheca regia membraneas perantiquas, quas postquam diu considerarit, deprehendisse fragmenta esse historiarum Sallustii perditarum. Nuper incidit in manus meas *Claverii* libellus, quem Florida inscripsit, in illo inscriptiones satis multas alibi non editas extare animadverti, qua de re moneas licet amicum tuum in Germania. *Langermannus* in Columella veterrimo conferendo cum vulgatis libris nunc occupatur. Statium etiam vetustissimum contulit, cujus ego illi usum ex monasterio S. Galli impetravi. Dedi & N. Fabri excerpta, quae Valesius communicarat. *Freinshemius* in Germaniam discedit, valetudinem adversam causatus: anno proximo in Sueciam rediturum scribit *Vossius*, alii negant. *Langermannus* puto agit tecum de Naturalibus Senecae quaestionibus ad fidem exemplarium veterum castigatis, quas cum illo communicavi. Adest modo Cl. *Menagius*, qui te peramanter salutat, gratiasque

maximas agit pro observationibus ad se missis, quas *P. Sirmondo* commodavit, gratias etiam uberiores epistola acturus. *Petavius* languet, puto hunc morbum illi fatalem fore.

EPISTOLA. CCXXXI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Aresii epistolam proxime misi, Vir Clarissime, postea tuae ad me perlatae. Iis brevius, quam vellem respondere nunc cogor, quod in procinctu viae sim Italicae. Nullas ex meis periisse quod nuncias magna sollicitudine liberatus sum. Poëmatis quid fiat nescio, puto tamen praelo commissa. *Holstenius* pergit convalescere. *Freinsheimum* de discessu cogitare jam indicavi puto. Favorem regium *Langermanno* ut conciliem nihil non agam, & tuo nomini & ejus meritis hoc daturus: est enim juvenis praeclarae omnino indolis, & in quem incidisse me laetor. operam ejus Dominae utilissimam fore confido. Habes hîc ab illo, cum nuper, nescio quomodo excerpta ex pagellis Livianis mittere oblitus sit. Habes hîc & ab Illustrissimo *Puteano*, misit non obsignatas, ne fraudem hanc meam putes. Ad me haec inter caetera: *E troppo lo studio che VS. ha di favorirmi, quando, oltre il continuarmi il proprio, e stimatissimo suo affetto, m'ha procurato quello dell' eruditissimo Sigr. Gio: Frederico Gronovio, il cui nome, resosi tra li scrittori hodierni illustre per le sue nobili fatiche attorno a autori antichi, etiandio frescamente col libro delle sue varie osservationi, & le note, che va facendo sopra Livio, obliga ognuno a stima particolare d'esso, metteva me in desiderio di potergli divenir Servitore, ma apertamisi di questo la strada con l'humanissima lettera, che dé esso per mezzo di VS. ricerò, non posso dire a bastanza, quant' jo mi ricosca tenuto, e me gli dedichi di cuore; pregandola a offerirgli l'opera mia per tutte l'occorrenze, che gli potesse in queste parti servire. Qui alligata viene la rispostà, nell' invio della quale degnisi VS. di supplir per me, che vorrei habilta a far creder a quello, quant' jo apprezzi la pregiabilissima sua gratia.* &c. In codice variorum epigrammatum Thuaneo chori duo aut tres Senecae extant. Varias lectiones, quamquam non magnae rei, mittam occasione magis oportuna. *Salmasius* ex Suecia jam discessit, mox vobis adfuturus. Res regis magnae Britanniae loco pessimo dicuntur esse. Cujus partes si succumbant, quis nostro in Batavia locus esse possit non video, nec suis acceptior futurus. Bellum civile Galliae mox incubiturum video, id enim utrimque jam agitatur. En quo discordia cives. *Condaeus* Burdigalam se recepit. Sed de his alii certiora poterunt. *Schelium* nostrum totus depereo, nihil enim illo homine amabilius, elegantius, candidius. Totum me possidet, operam illi meam si offeras, multum te amavero, nam nunc ipse non possum. Vale. Paris. XVIII. Sept. CIↃIↃCLI. multa nocte.

EPI-

EPISTOLA CCXXXII.

NIC. HEINSIUS

J. F. Gronovio.

Daventriae.

OPinor tibi redditas, meum decus, quas una cum Puteaneis Roma ad me perlatis nuper misi. Haec Lugduno festinans nunc scribo, cum in procinctu sim Italici itineris. Expecto mox adfuturum *Argensonium* regis Christianissimi Legatum, cum quo Venetias sum abiturus. Poëmatiis meis supremam mox a typographo manum imponendam confido. Duo ad te libelli ejus exemplaria ut mittantur *Goesium* nostrum rogavi, quorum alterum nobilissimo *Schelio* per te oblatum volo. Scriberem & illi, meaque sisterem obsequia, nisi alio mentem mihi divisisset itineris suscipiendi cura. Observationibus tuis quid fiat, velim me doceas. Si ad finem jam perductae sunt, aut mox perducendae, auctor tibi sim, ut exemplaria, quae amicis Italis oblata vis, *Goesio* tradenda cures, cum is poëmatum meorum exemplaria triginta Liburnum proxime sit missurus, eidem fasciculo libellus tuus inseri possit. In hoc regno ad bellum civile omnia parata sunt, quo magis de fuga tempestiva cogito. *Graswinckelium* nostrum luci dedidisse Vindicias contra Miltonum suas audio, qua in re visus mihi est non satis prudenter egisse, rebus regiis ad institas redactis. *Langermannus* noster officiose te salutat. Pluribus ex Italia tecum agam: tu vicissim fac ne diligentiam in te desideremus. Lutetiae *Mentelius* quatuor codices Ovidianos mihi donavit. Totidem Senator Tholosanus quidam ex amicis meis offert, quos ut Liburnum mittendos curaret rogavi. Haec subsidia facient, ut manum denuo auctori optimo admoturus sim. Vale. Lugduni CIↃIↃCLL. a. d. III. Eid. Octobr.

EPISTOLA CCXXXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

QUod libellis fideliter curandis memoriam mei Parisiensibus amicis refricasti, gratias ago tibi immortales. Literae, si quis ut scriberet, animum inducere potuisset, venissent sane desideratae: nunc quando nemini libuit, tuum mihi de illorum benevolentia sufficit testimonium. Pigritia tamen aliorum aliquid gratiae Maresianis addit. Nam illustrissimi *Puteani* Roma datas poene oculis contrivi, & inter res pretiosissimas habeo. Inde licet aesti-

Digitized by Google

mes, quantum parario illarum tibi acceptum feram. Reſcribam, ubi libellum, qui nunc ſub praelo eſt, jam duabus partibus perfectus (intra menſem, credo iterum abſolventur reliqua) paratum habuero. Te vaniſſimi homines (quod illorum capiti ſit) & Hardervici, & Amſtelodami, & Hagae diſſiparant dominae gratia excidiſſe, & nunquam in Sueciam rediturum: quin etiam, quod maxime ridiculum eſt, ſimulato itinere Italico Lugduni in aedibus paternis deliteſcere. Adventus τοῦ δείνα cum ingentibus famis. Quadrigae dono datae dicuntur, & ea gratia foenum comportatur in aedes. Trium millium Vallenſium annua decreta penſio, millium uxori, ſi ſuper vivere illam contigerit; eidem bacca praeſens donata binûm millium florenorum. De defenſione defenſionis incerta omnia: alii cum inſpecta eſſet a Domina, & tradi operis juſſa, audita Caledonia clade ſuppreſſam & inhibitam, miſſam inde Lutetiam & edi: alii nihil ejus etiamnum ſcriptum eſſe. *Miltoni* liber Londini auctior & auguſta forma iteratur. Ingens rumorum materia diſceſſus eodem tempore τοῦ δείνα, *Freinshemii*, *Boecleri*, *Moucheronis*: exhauſtas arcas alii, alii gentis ferunt invidiam; *Franc. Junium* majorem Amſtelodami nuper conveni: habet paratum Lexicon originum linguae patriae, in quo multa praeclara ex Angloſaxonum veteribus monumentis: an tamen ita omnia noſtra poſſint, debeantque ad Graecos reduci, ut illi viſum, tu judicabis: malo ſaltem noſtra eſſe Graeca, quam Graeca & Latina eſſe Scythica. Alteram editionem operis de picturâ adornat. *Voſſii* etiam patris quaedam ἀνέκδοτα promittit, eaque de cauſa apud ſororem hiemabit. Attulit ex Anglia a *Patricio Junio* ad te miſſa quaedam Ovidii vel ſcripta, vel excerpta ſcriptorum: ea accepta ab illo *Verbarius* iſte dixit ſe tibi Lugduni B. traditurum, cum jam inde diſceſſiſſes. *Langermannum* tibi, magis tractatum, magis placere mirifice laetor, tecumque eſſe velim vel ea praecipue de cauſa, ut quae a me accepit bonae mentis ſemina, ingentique deinde ſua induſtria aluit ac nutrivit, tua conſuetudine in perpetuum confirmet & corroboret. Cave putes quemquam eſſe ex omni conſanguinitate mea, quem magis amem, & de quo melius ſperem. Itaque ſi quid eſt, quod his omnibus deferre velis mea cauſa, hoc in uno conſumas licet, modo & ille, uti ſpero & certum habeo, partam apud te gratiam obſequio & obſervantia foveat, neque vitiis effundat.

Et quando Venetiis has accepturus es, illuſtriſ. *Loredanum*, *Ferrarium*, *Rhodium*, quaeſo, ut a me plurimum & officioſe ſalutes. Ante omnia & P. *Intemelium*, ſi quidem ibi moratur, aut ubicumque in eum incideris. Dudum eſt cum miſi faſciculum ſatis magnum ad *Loredanum*, in quo erant Seneca P. & F. integer cum notis meis, Obſervata ad Scriptores Eccl. A. Gellius; item altera exemplaria notarum & Obſervatorum *Ferrario* tradenda: an pervenerit, ſcies. *Iſm. Ballialdum* inveni Amſterodami: dixit ſe fundos populos *Rigaltii* confutaſſe, ſcripto ad Fr. *Puteanos*: item *Lambecium* multa queri de avunculo, quae reſciſcere potes. *Lambecius* agit Hamburgi, & nuper ad me miſit Gellium cum regio codice collatum. Vale, decus meum & laetus age. Daventriae XVI. Kal. Nov. CIↃIↃCLI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXXXIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Deventriam.

QUanquam temporis angustiis nunc premar, Vir Clarissime, vixque de scribendis ad amicos literis cogitare liceat, tamen cum Parens ac *Goesius* essent compellandi, deque meo in has oras advehtu certiores faciendi, peccaturum me in amicitiam nostram arbitratus sum, si eadem opera te non convenirem, verbis id facturus luculentioribus, ubi sedem Venetiis fixam posuero, majusque nactus ero otium. Alpium praeruptas cautes salvos evasisse nos tempore minime oportuno si nunc nunciem, sufficiat. De studiis communibus differendi commodior mox locus erit. Poëmatis meis quid fiat nescio, totis enim duobus jam mensibus nullos ex patria, nullos aliunde nuncios accipio. Venetiis omnia intelligam. *Sirmondus* ad plures abiit, ex quo Lutetia discessi. *Langermannus* noster, quem tenerrime amo, salutem tibi plurimam dicit. Ambrosianam modo bibliothecam adiit, in qua excutienda assiduus est. *Vossius* ultimis indicabat de itinere Hispanico se cogitare: forsan propositum mutavit. *Holstenium* valetudine necdum satis uti commoda intelligo. Vale, meum decus. Mediolani. A. CIↃIↃCLI. a. d. XVI. Kal. Decembr. Gregor.

EPISTOLA CCXXXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Deventriam.

ULtimis tuis, Vir Clarissime, quas in hanc urbem adveniens e Batavia missas apud mercatorem offendi, oportune profecto Senecae tui & observationum *Lauredano* offerendarum facta a te mentio est. *Lauredanum* enim postquam tuo salutassem nomine, deque libellis illis percunctatus essem, eos sibi visos negavit. Librarium itaque Johannem La Novium popularem meum, ad quem libellos a Ludovico Elzevirio suspicabar missos, sine mora hanc ob causam conveni, qui fasciculum cum epistola *Lauredano* inscriptum ex arca quadam confestim deprompsit, in qua jampridem latuisse videbatur. Quam acceptum viro nobilissimo id munus fuerit haec ejus epistola testabitur, brevis quidem, sed quam inter gravissimas occupationes luculentiorem parare nequaquam potuit. Aliâ occasione pluribus se acturum tecum pollicetur: hanc quoque vix extorsi. Augustus Venetae reipublicae Senatus Advocatoris provinciam illi

illi commisit. Advocatorem illos scis vocare litium judicandarum triumvirum, quae dignitas ut maxima est, ita etiam longe molestissima, cum totos dies sibi vindicet sine intermissione ulla. Ἀντίδωρον mihi tradidit libellos aliquot suos ad te mittendos, quos eidem Johanni La Novio committam, cum ego proximis diebus Florentiam sim abiturus. Excellentiae titulo imposterum a te compellandus *Lauredanus*. *Petrus Michaelius*, quem olim etiam hîc nosti, opinor, ante menses tres quatuorve sublatus est e vivis. *Vintimilia* Italiam pervagatur, nec sedem ullibi certam fixit, habui ab illo epistolium diebus proximis. *Langermannus* noster Mediolano tandem huc advenit, excussis diligenter Ambrosianae bibliothecae loculis. Epistolam illi tuam misi ante mensem, quam tamen redditam sibi negat. Sed plura ipse de rebus ad te suis. Observationes tuas per cursores Romanos Equiti *Puteano Holstenioque* offerendas curavi, quem fasciculum sibi redditum idem *Puteanus* jam bis testatus est, gratiasque tibi pro dono se acturum promisit. Id tamen ne fervidius ausim flagitare, valetudini viri optimi non satis confirmatae acceptum refer. *Octavius Ferrarius* exemplar sibi destinatum negat se accepisse. Nec inter sarcinas La Novii comparuit. Tu igitur vide, per quem curaris. Mediolano semel ad te scripsi, ex hac urbe nunc secundum scribo. *Vossium* nostrum adesse vobis confido. *Alastorem*, ut audio, febris bene habet Gottorpii. Ego valeo. Tu quid rerum moliaris fac sciam. Observationum volumen alterum jam prodiisse auguror, ejus libelli exemplaria cum poëmatis meis in Italiam a *Goesio* mitti possint. Vale. Venetiis CIↃIↃCLII.

Gellium tuum negat se accepisse *Vossius*: haec Ludovici Elzevirii culpa est, cui eum cum multis aliis libris Holmiam mittendis tradidi. Salveat nobilissimus quaeso *Schelius*, de cujus rebus fac nonnihil interdum intelligam.

EPISTOLA CCXXXVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Deventriam.

PRaeter solitam diligentiam, Vir Clarissime, ut verum fatear, feciſſe mihi visus es, qui tanto tempore nihil ad me literarum dederis. Jamque silentium istud tuum mirari inceperam, timebamque ne cum adversa valetudine conflictareris; cum ecce tuae hesterno die tandem superveniunt aliud agenti: quibus breviter nunc (eam enim legem temporis angustia praescribit) respondebo. Gratum imprimis est, quod nuncias libellum Observationum tuarum mox proditurum: de quo spem jam feci illustrissimo *Puteano*, is enim modo a me discedit, vir praestantissimus. Gratias se denuo acturum per literas non semel promisit pro nupero munusculo: sed cum & aetate sit tam provectâ, & multis occupationibus distrahatur, non audeo promissum urgere. *Lauredani* epistо-

epistolam, quam Venetiis miseram, accepisti, puto, quanquam nullam omnino ejus mentionem in tuis facis. Idem tradidit fasciculum tibi offerendum, in quo scripta sua varia congessit. Illum accipies, ubi libri mei, quos Venetiis comparavi, in Bataviam pervenerint. Pervenient autem satis tarde, cum arcam necdum navi creditam opiner. Negotium tuum, quod commendas mihi, spero curae fore *Vossio*, aut ipsi potius Augustae, quo erga res tuas affectu est. Amicum nostrum excidisse gratia Dominae constans in Batavia rumor est, ut intelligo, quem quin porro foturus sit ὁ δεῖνα nullus dubito: friget enim valde vetus inter utrumque amicitia. Quis commentus sit hanc fabulam non scio, splendidum esse mendacium mihi certe satis constat. *Alastor* meus an lucem sit visurus tandem, avide nuncium expecto, audio illum multa in me parata habere, ut causae nihil sit; cur illi parcatur. In Suecia inter proceres turbatur magis, quam velim. De *Messenio* regio historiographo jam audivisti. Indignum profecto literarum nomen est, quod ab optima principe tanto studio foveatur, si inde quoque monstra tam immania prodeunt, qui male illi velint. Sed viderit hoc carnifex, cui praeda jam, ut auguror, *Messenius* cessit. Ego matutinas horas & *Langermannus* Vaticanae damus. Me Ovidius, illum Theocritus exercet: illi enim auctori, quem unice in deliciis habet Augusta, ut manus admoveret, auctor fui. De Callimacho etiam cogitat. Si quid Palatina mihi suppeditabit bibliotheca, uni Ovidio totum me dabo. De Farnesiana, Sfortiana & Altempsiana inspiciendis spes quoque facta. Nam Barberina, quam ipse Cardinalis, Princeps humanissimus, mihi obtulit, vix quicquam habet, quod meis usibus possit inservire. *Holstenium* non nisi bis aut ter conveni, etsi mensem fere totum hîc jam agimus, quod ab urbe Perusiam sit profectus, reversum tamen hesterno die intelligo. De libris, quos petis, ut tui ratio habeatur, curae mihi erit. Vale, amicorum optime maxime, & frequentius imposterum de rebus tuis certiorem me fac. Romae. Anno CIↃIↃCLII. III. Febr. Greogr.

EPISTOLA CCXXXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Romam.

QUid ordiar, mi Heinsi, nisi antiquam adeo te venustatem tuam obtinere, ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocumque adveneris, semper siet? Vel nuper, quam opportunum fuit te Venetias adire, ne Illustrissimus *Lauretanus* perpetuo ignarus observantiae meae, ego incolumitatis, honorum, amoris ejus erga me agitaremus. Itaque & illi laetissimum id fuisse cum literis ejus, tum tibi adfirmanti, facile credo, & apud me longe gratissimum tibi hoc officium collocatum semper praestabo. De nostro, quem in

patria fore putabas, audimus nihil, etsi ter ad eum a paucis mensibus scripserim, alii ex reduce, quem noviſſe debes, ajunt audiſſe non bella, vel potius indignabunda, ſed haec nobis tacere licet, & te certe velim, haud dubie enim ab aliis ad eum deferentur. De Gellio quod ſcribis, ita interpretor, ut quod ad dominam Pallada miſſum eſt, perveniſſe non dubitem; ſed quod ipſi meo nomine tradi debuit, avarum typographum reglutinare a manibus non potuiſſe, itaque alia via exemplar ad illum miſi. Cl. *Ferrario* & Notarum in Senecas & Obſervationum deſtinata exemplaria eundem in faſciculum addideram, ut cujuſcumque tandem fraude illa inde exempta eſſe oporteat. Habes hîc alia ſingula, & recens editas obſervationes, in quibus iterum officium tuum apud amicos exſpecto. Habes *Caſſiano a Puteo*, *Lauretano* (quibus paullo otioſior ſcribam) *Holſtenio*, *Ferrario*, *Rhodio*, tibi. Tuum, ſi quis eſt, qui uti velit, ubi uſus ipſe fueris, relinquere illi potes. Aliud elegantius hîc, ut & *Langermanno* ſervabo. Quem quidem οἷόν ἀρίστευειν, mire laetor, ſed & te, cum tantam ei copiam praebes bibliothecarum, non ipſum ſolum, ſed & me beneficio aeterno devinxiſſe judico: ſed ὁ πάνυ, quod non dico illius, ſed tuam, ſed meam gratiam tanto faſtu contemnit, quale exemplum eſt? Habui tandem ab *Reineſio*, ſed non ad illas, quibus ex tuis excerptum inerat de auctario Inſcriptionum. Spem facit (nam ultro meam illi obtuleram operam) miſſurum quas habet, cum notis brevibus, ut hîc edantur, ſed neſcio quid de contractu loquitur, & ſcis horum librariorum non eſſe, ut ab auctoribus quidquam redimant. Dolet tuum Claudianum iſthic non videri, nominatque cui Francofurto bonum numerum exemplarium Elzevirius vendere poſſit, quem ego monere non intermiſi. *Langermannum* oraveram in literis, quas vereris ne perierint, ut ſi vacaret primam illam decadem Livii Florentinam, quae antiquiſſima videtur, aut certo partem ejus conferret, ut guſtum habercmus. Tu quoque, quando aut es iſthic, aut eris, memineris requirere locum in Hercule Fur. verſ. 277. *Cadmaea proles cinis atque Ophionius.* Exſtetne illic, *civitaſque Amphionis*, an mens obſtiterit oculis meis. De Livio tandem aurem vellunt Elzevirii, dum illi ceſſarunt, toto hoc ſemeſtri jacuit, & Plauto, Caeſari, quibuſdam Ciceronis & Senecae, Tacito, juventuti noſtrae praelegendis ſtrenuam ſane operam privatis ſcholis dedi. Poëmata tua deſideramus vehementer ego & *Schelius*, qui nuper hîc fuit, teque amantiſſime ſalutat. Ad *Fabrotum* & *Gothofredum*, quod juſſerat *Langermannus*, exemplaria Obſervationum Eccleſiaſticarum miſi. Valete. Deus vos ſalvos praeſtet, omniaque det ſecunda. Daventriae a. d. XIII. Kal. Mart. CIↃIↃCLII.

Miſit mihi *Rottendorfius* aliquot libros MSS. inſpiciendos, in his gloſſulas ſuper complura Ovidii, ſed, quo maxime delector, duos priores Gellii libros, quorum in fronte habetur illa praefatio, perinde ut in codice Regio.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXXXVIII.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

QUas ad me a. d. XIII. Kal. Mart. dederas, Clariſſime ac Amiciſſime Virorum, hodie accepi, nec trahendam reſponſionem arbitratus ſum, etſi jam ante ex hac urbe ad te ſcripſi. De obſervationum tuarum exemplaribus, ut recte curentur operam dabo, ubi huc pervenerint. De poëmatis meis lentum nimis eſt negotium, moram editioni injecit parens, quantum video, is conſultum non arbitratur edi illa in *Alaſtorem*, quod periculum eſſe credat ab illa furia, ne fortunis meis in Suecia inſidietur, qui metus quanquam vaniſſimus eſt, morem tamen geram ſeni noſtro ſic petenti. Elidere poteſt jambos meos *Alaſtor* in tempus, at non effugiet. Si quid in me viri eſt & ingenii, frontem iſtam praefrictam iis ſtigmatis notabo, quae delere fruſtra moliatur inuſta. Sed ad rem: *Voſſium* jam adeſſe vobis confido. Hamburgo enim ad nos ſcripſit. De noſtris in Vaticana lucubrationibus *Langermannus* tuus meuſque. Patet nobis ad ſatietatem uſque praeſtantiſſima illa bibliotheca, & nimii in eâ ſumus, fateor, adeo uterque noſtrum non optime habemus. Exercuit me menſem totum Ovidius: Claudianum mox curis ſecundis aggrediar illuſtrare: in quem finem exemplaria quinque aut ſex ejus auctoris proba jam ſepoſui, unum praecipue vetuſtum, cujus excerpta a Jeſuitis Antverpienſibus habui. Excutiam id de novo: nam fugiſſe multa *Livineum*, cujus excerpta illa erant, ſuſpicor. Inter Palatinos libros Metamorphoſin inveni omnium, quotquot vidi, veterrimam. Excerpſerat diverſas ex illo codice *Gebbardus* lectiones, ut & ex aliis, quas apud me vidiſti, inveni tamen nonnulla ſatis bona. lib. I. verſ. 226. Fab. Lycaonis. *Nec contentus eo eſt, miſſi de gente Moloſſa Obſidis unius jugulum mucrone reſolvit*: pro *miſſi* codex ille ſatis emendatus habet, *amici*. Ego *Amyci*, quod obſidis ſit nomen, vix dubito legendum. Expende quaeſo locum. De Livio & Senecae tragoediis curae mihi erit, ubi Florentiam venerimus. Inſcriptiones multas collegit *Langermannus* in via, quibus Cl. *Reineſii* inſtitutum juvetur. Prodiit tandem Alexias, quam apud *Holſtenium* vidi, qui ſalvere plurimum & te jubet, ut & virorum optimus *Caſſianus Puteus*. Vale, & ſummae feſtinationi ignoſce, exarabam enim has multa nocte, jam literarum plurium ſcriptione fatigatus, ne inanis ad vos tabellarius diſcederet. Nob. *Schelium* ſaluta quaeſo. CIↃIↃCLII. Romae prid. Kal. April.

Neſcio an monuerim te inſcriptiones illas Zelandicas, quas tecum communicaram, Reineſio mittendas, eſſe jam in lucem prolatas ab *Oliverio Vredio*, in ultimo tomo antiquitatum Flandricarum: accedunt & plures, niſi fallor.

Digitized by Google

EPISTOLA CCXXXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

QUas una cum faſciculo exemplarium libelli recens deproperati ad adfinem tuum miſi, jam opinor redditae tibi erunt. Ipſum videbis, ubi Deus & tempeſtates volent. Grandiuſculus eſt, & pluſcula officia tibi apud fautores meos meo nomine imperabit. Poëmata tua etiam exſpectamus. Addictus ille tibi Hipponacteo praeconio, cui proſcriptionem minaris, quid agat, neſcio. Scripſi, miſi: nihil reſpondit; non credo, tam ſilebit *Alaſtori*. Ad illuſtriſſ. *Putcanum* differo in diem, immo in horas ſcribere: promitto tamen te proxime habiturum: nam feſtino ſtans pede in uno, & paratus ad iter in Geldriam & propinqua divortiis Rheni, inde in Hollandiam, ubi ante omnia ſalutabo *Voſſium* noſtrum, & intelligam, quo numine laeſo exciderit gratia dominae non Reginae, ſed Gallinae. *Lauretani* epiſtolam accepi, & gratiſſimam habui, jamque eo nomine tibi gratias egi. Beatos autem vos, te & *Langermannum* dico, qui in divitiis deliciiſque tantis agitis. Ego nunc Livio operas reddam, ſi modo licebit per adoleſcentes noſtros, apud quos ſtudium audiendi veteres creſcit indies, neque id mea ceſſatione velim refrigerari. Sed Elzevirii videntur nunc demum ſerio abrumpere moram. Itaque quantum potero, tempora partiar. In Ovidio tuo concediſne mihi, ut malim lib 1. *Ingentes animos dignâ Jove concipit ira.* Et dein: *per flumina juro* &c. *Cuncta prius tentata.* Alterum videtur ortum ab iis, qui gnomen ſeu ſententiam deſideribant. Mox: *Canicies eadem eſt, eadem violentia vultu.* Et paulo ante: *Quo tamen admiſſo quae ſit vindicta.* Iterum, *& deplorata coloni Vota jacent.* Denique, *Et ducit remos illic, ubi nuper aratra.* Quantum nugarum! ſed tu videbis. *Tollius* noſter in Cinnamo ſtrenue pergit: ſed morbo, propemodum fatali, aliquot hebdomades, pauſam facere coactus eſt. *Hornii* de origine Americanarum gentium prodiit, apparet plagae iſtius barbaricae valde peritum eſſe. *Mallingrodium* noſtrum peſſima fama accidit bulla iſtinc miſſa ſacerdotio exſutum eſſe. Et ſane nimis acerbum ſe & pervicacem Pontifici recens electo praeſtitit, quod vitium fatali quodam caſu videtur hodie & Principibus magnis & nobilibus familiis triſtia minari. Sed omittamus cothurnum. Studioſi quidam hujus Gymnaſii veniam impetrarunt a magiſtratu Herodem Infanticidam repraeſentandi. Inde furere ſacrificuli, homiliae integrae invectivae in fabulas & fabularum ſcriptores, quicquid uſpiam eſt vel fuit. Ego laetor, qui abero ter has proximas hebdomades, dum res maxime fervet. Quamvis alioqui extra culpam illic ſim, nam [1] curio noſter maximus, qui fratrem habet, aulae Brandeburgicae & gratia

1 Puto fuiſſe *Henricum a Dieſt*, Theologiae Profeſſorem, de quo vide Revii Daventriam libr. VI. pag. 714.

Digitized by Google

gratia & frigore notum, omnem invidiam praeter ſpem in ſeſe recepit, auctorque magiſtratui fuit. Vrit omne genus mordetque exemplum nuper Hagae in facundum illum adulatorem ſtatutum. Itaque pene redii ad cothurnum, & tum mei, tum tui temporis obliviſcor. Vale, amicorum princeps, & *Langermannum* meum, ſi meretur, fovere perge. Daventriae XI. Kal. Apriles. CIↃIↃCLII. ſtatim acceptis tuis, quas III. Non. Feb. dederas.

EPISTOLA CCXL.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Incredibili ſane gaudio ac voluptate perfundor, Vir Clariſſime, quoties compellationes tuae inter peregrinandum occurrunt mihi: ut vel nudius tertius, quando beatus ſum ſuaviſſimis tuis, quas in procinctu Geldrici itineris exararas. Ad Illuſtriſſ. *Puteanum* ſi quid literarum dederis, feceris omnino recte: eſt enim tui ſtudioſiſſimus, ſi quis procerum alius. Inventos a ſe codices tres aut quatuor Livianos, editos quidem, ſed cum MStis collatos, partim in Vaticana, apud Jeſuitas partim, *Langermannum* noſtrum jam nunciaſſe tibi nullus dubito. Ego Claudianum cum ſex exemplaribus Vaticanis contuli, nec pauca deprehendi poſt primas curas, quibus nova adornari poſſit editio, ex optimo praeſertim illo, cujus excerpta *Livinei* manu ad oram Aldini libri notata Jeſuitae Antverpiani mecum communicarant. Sed mira fuit ejus oſcitantia in excutiendis membranis iis, qua de re multis tecum agam proxime, quando majus otium nactus ero. De Ovidio etiam garrire tecum libebat, ſed exarandis in Sueciam ac patriam literis adeo ſum fatigatus, ut nihil me ſit languidius. Illo loco, *Ingentes animo dignas Jove concipit iras*, non improbo conjecturam tuam, ſed tamen cum in optimo vaticano poſt τὸ *animo* aliquid eraſum ſit, nec ſatis agnoſcatur, an a prima manu, *animo* &, an *animos* ſcriptum exhibuerit, unuſque praeterea atque alter non ex peſſimis *Ingenteſque* praeferat, erigi poſſe verſum nonnihil arbitrabar, ſi legeres, *Ingenteſque animo ac dignas Jove concipit iras*, vel &. *Cuncta prius tentata* legendum jam ante decennium vidi, cum recens eſſem ab itinere Britannico, idque notatum in illo, quo tum utebar, codice invenies, addita etiam exempla plura locorum hoc modo corruptorum apud noſtrum, ut gratuler nos concuriſſe. Omnia in ſententias convertebant inſulſo illo & ſemibarbaro ſeculo, quo quiſque ſibi Cato videbatur. *violentia vultu* optimus Palatinus habet & fortaſſis alii. *Coloni vota* & *ducit aratra*, etiam in MSS. inveniſſe videor: quod cunctanter tamen adfirmo. Ego magis magiſque, mi Gronovi, deprehendo nihil inquinatius eſſe optimo illo ſcriptore. Atque illo praeſertim nomine perluſtratam mihi Germaniam unice velim, ut bibliothecas iis in oris veteres liceret excutere, nec dubito quin & Claudiano iſta peregrinatione ſim conſulturus optime. Utinam

Digitized by Google

Andreae Schotti excerpta aliquando mecum communices, quae olim apud te vidi! In Gallia spes est facta Cujaciani codicis. His praesidiis fretus novam editionem auspicarer. *Malincrodii* fortunam aegre fero. Scribit ad me *Datus* Florentia in Mediceo codice disertim exaratum extare, *Cadmaea proles atque Ophionius cinis*, ut somniasse me oporteat, cum illum excuterem. Inspiciam ipse hac aestate, ut confido. Aderam nudius tertius Cardinali *Barberino* per duas fere horas. Excepit certe me humanissime. Erat nobis sermo de rebus variis. Inter alia adfirmabat, se curaturum omni studio, ut inscriptiones antiquae post *Gruterum*, quas ipse partim plurimas ac praestantissimas possidebat, partim ad aliis repertae, mox in publicum prodirent. Habet fastos triumphales luculentissimos in veteri marmore, quos communicaturum se mecum est pollicitus. Habeo ipse inscriptiones duas, quas a rusticis redemi, [1] quarum altera,

HIC. EST. SEPULTA
PACILIA. SOSPITA. PIA.
PROBA. BONIS. PROBATA. SUMMA. QUAE.
VIXIT. FIDE. QUI. BENE. COGNORUNT. COGNITAM
BENE. EXISTUMANT. HAVE. ET. VALE. QUAE
OPTAS. EVENIANT. TIBI. ET. TUIS.
L. AQUILLIUS. FAUSTUS. DE. SUO. FECIT

Altera sic se habet literis grandioribus, ab una parte

DIS. MANIBUS
SEX. TERENTIO. POTENTI
CLAUDIA PHARESIA
CONIUGI. B. M. P.

Ab altera parte marmoris,

M. SESTIDIUS. ZOSIMUS
FECIT. M. SESTIDIO
PRIMI GENIO. PATRONO BENE
MERENTI. ET. SIBI. ET. SUIS.
POSTERISQUE. SUORUM.

Plures hujus notae inscriptiones *Langermannus* noster collegit. Vale, decus nostrum praecipuum, cum tuis omnibus. Romae. CIↃIↃCLII. XXVII. April.

[1] A Gronovio acceptam edidit Reines. XVI. 33. & alteram XIV. 142. Sed ultimo versu edidit, POSTERIS EORUM.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXLI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Romae.

ITer meum Coloniam Agrippinensem usque produxi. Multa occurrerunt, quae oculos & aures praesentis meos, praesertim reficere me a laboribus & fallere tempus cupientis; nihil quod sermones nostros possit morari. Amsterodami demum in reditu reperi amicum nostrum, nihil immutatum, itaque omnem scribendi pigritiam bona fide ei condonavi. Inimicitiae inter ipsum & Heduicum publicae & satis jam nobiles sunt. Praetenditur pecunia, satis magna quidem, & quae possit distingere animos (nam & ipse ob multo minorem omnia instrumenta reliqui ad litem intendendam triconi meo, invitissimus quidem & nunquam facturus, si conforti & haeredibus aliter satisfacere possem) sed vera origo altior. Ille non serit obscure, sed palam affirmat communem nostrum ignominiosa missione jussum, quemque nunc deducit, facere ipsum privato consilio, ut sub ejus umbra in veterem locum irrepat. Literas accepit flagitatrices & acriores Amsterodamo, earum exemplum cum longa accusatione misit ad Dominum, nec quicquam omissurus est, quo, si possit, efficiat, quod jam factum esse criminatur. Denique de te jam mitius loqui ajunt, qui frequenter hominem vident. Ergo non nisi diem unum illic mansi, brevi alloquio hominem tenui, praesente [1] illo, quem ex Allobrogibus arcessivit hac solum de caussa, ut male faceret, quem postea mortuum [2] *Momus & ipse*, nosti caetera. Is, lapso cum factione Thibaltica Athenaeo Medioburgensi, *Blondello* nescio quorum suffragationibus collega adjungitur; solitus antehac declamare in illos, quorum nunc stipendio conductus est, tanquam foederis Belgici ruptores, & in principalem domum ingratos. Adeo ignorant homines, quibus faviisse volunt videri. *Schotti* excerpta Claudianica quod me poscis, frustra es, quicquid ejus est, jamdudum habes: nihil est enim, praeterquam quod inter versus ad marginem edit. Barthianae, quam tecum olim communicavi, adscriptum ex exemplari, quod a *Schotto* Francofurtum missum ad typographum, nescio quomodo, sive *Gruterus*, sive *Sixtinus* possederant. Ego vero fidem amicitiae nostrae testor, me scientem nihil habere istiusmodi, quod oculis tuis subduxerim. De Inscriptionibus & fastis Eminentissimi Cardinalis *Barbarini*, beasti me tam felici nuntio. *Reinesio* jam binis obtuli curam meam in edendis, si sua huc mittere velit, nihil ab eo his nundinis accepi. Quas ad eum curandas misit *Langermannus*, quod in me est, curatas dabo. Amicus noster, cui se ille commendatum cupiebat, videbatur ei non male velle. Sive perget cogitare de Statio, sive quid aliud volet, affirma ei nihil, quod in mea

2. *Alexandro Moro.* 2 Vid. ad Epist. CCXXIII.

Digitized by Google

mea sit potestate, frustra a me petiturum. Literae hae hucusque scriptae dies decem & amplius hîc jacuerunt, dum nolo eas mittere sine inclusis ad Illustriss. *Cassianum a Puteo*, & identidem impedior. Habes hîc tandem, utinam & fasciculum libelli mei: Ovidium interea tuum misit ad me affinis tuus, donum gratissimum: discrucior mihi vel differendum usum, dum religetur. Mox faxo sit in omnis nostrae juventutis manibus. Inter exercitia privata nunc tracto, quod mirere, divinam Aeneida, sed quoties nunc desidero Pirium Valerianum! frustra, cum & tu & *Vossius* longe. Manda *Langermanno*, si in eum incidat, ut mihi emat, quando id semper sibi petit negotii dari. Vale, nobilissime & optime Heinsi, & me ama. Daventriae III. Kal. Maij. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA CCXLII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CUm literae non compareant, Vir Clarissime, quas ad *Cassianum Puteum* pollicitus es jam dudum te daturum, facile persuaderi mihi patior, in via eas interceptas. Auget suspicionem, quod Goesianas nonnullas periisse deprehendam: quibus tuas illas additas fuisse fit verisimile. Nunc etsi nihil occurrebat ad te scribendum, Langermannianas tamen, quas vides, paucis verbis si comitarer, nihil praeter affectum videbar facturus, quo sane luculento ac tenerrimo te complector. *Vossium* nostrum cum Clarissimo *Bochart* in Sueciam profectum intelligo. Quid dicturus ὁ δεῖνα? qui ad amicos in Galliis suos scripserat, (unde rumor late post sparsus atque huc etiam delatus,) sua illum opera privatum favore Dominae, nec unquam in Sueciam rediturum. De me id ipsum credi voluit Nycticorax; adeo petulantiae modum non ponit, postquam transiit in clientelam Palladis Arctoae. Sed nulla aegis praestabit unquam, ne promeritus vapulet ac defricetur loris poëticis, si prurire pergent lumbi scabiosae huic aviculae. Sed de his satis. Inscriptiones quatuor communicavi tecum nuper: nunc tres addo, quas emi postea.

I.

MENESTRATO ANTONIAE
DRUSI. QUI. VIXIT. ANNOS. XXI.
COCCEIAE. PYRAMIDI. Q. V. A. XX
POSUIT. PUBLIUS. CORNELIUS. STRATO
FRATRI. SUO. ET. UXORI.

II.

1 Exhibet primam Reines XV. 11. licet nomina in indicem non sint relata. Secundam XI. 31. Neque hic *Elaphio* in indice conspicitur, tertiam habet XIX. 9.

Digitized by Google

II.

ELAPHIO. FECIT. SIBI. ET. PRIM O
CONSERVO. SUO. PISTORI. MARCELLAE.

III.

L. CALPURNIUS
L. ET BESTIAE L. HERMES.
V. AN. XX.

Multa hujus notae quotidie ad me deferuntur, sed delectum habeo: nactus sum & tesseram eburneam pulcherrimam quadrilaterem, cujus notae in Gruterianis inscriptionibus nonnullae extant, ejus ab uno latere M. VAL. CN. DO. ac secunda. PILODAMUS, a tertio IVLI. a quarto SP. A. D. III. K. FEB. illud *Sp. Sportulam* interpretantur, sed cum in alia apud *Franciscum Gottefredum*, antiquarium Romanum, tres Literas expressas viderim *SPE. Spectaculum* potius videtur interpretandum. Gemmas etiam multas, multos nummos nactus sum. Smithianis antiquitatibus quid fit? curam ut haberes in auctione bibliothecae Ooconis Numismatum, jam ante te rogavi, multa enim in eo libro manu sua notarat ὁ μακαρίτης. Vale, decus nostrum. Romae. CIↃIↃCLII. XV. Junii Gregor. Salutant te amanter *Puteanus*, *Holstenius*, *Allatius*. De Ovidio tecum alias confabulabor.

EPISTOLA CCXLIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Romam.

ITA ut accepi tuas, ad respondendum me pono. Ad illustrissimum *Puteanum* misi jamdudum, & periisse aegerrime ferrem. Nimis vere de sua [1] ille potentia gloriatus est. Non enim se praestat illa mediam, sed tota in partes. Narrabo simpliciter, quae ad me alii, nam noster dissimulat. Scriptum est, ad fines praesto fuisse, qui pedem eum in terra Suecia ponere vetarent. Additum postea conditionem ei latam unicam, ut satisfaceret debitori suo, prius nihil elementiae exspectaret. Fuit postea apud auctorem tanti mali, qui vidit exemplum (vides nihil medii aut liberi sibi reliquisse) epistolae, quam ad [2] *Alopecium* Gallice ipsa dederat. mirari se stoliditatem ejus (*brutalité*, & saepius ea vox fuit repetita) qui male tractasset tantum virum, quem vel in suam gratiam colere & suspicere debuisset: ideo monere, ne iter ad se promove-

1 *Salmasius* 2 *Is. Vossium*, quo nomine, dum esset juvenis, *Gerardus Joannes* pater, se etiam appellari voluit.

Digitized by Google

movere, neve in conspectum venire sustineret: justitia enim se adigi, ut munus illi datum abroget, & redire in patriam, ibique satisfacere, quem offendisset, jubeat; si pergeret, habiturum se infensiorem, & experturum talem, qualem jam nunc se fore minaretur. Dedi ad eum literas, subjeci aliquid consilii: sed non respondet, & apud communem amicum finxit se exspectare literas, quibus in Hispaniam aut Angliam ire jubeatur. Sed haec dissimulatio vana est, postquam res omnibus innotuit. Suasi, ut nullas subterfugeret indignitates, & vel argenti vehiculum projiceret, dummodo deliniret hominem & mandatis fungeretur, (nec enim haereditarias inimicitias, ut tu, exercet, nec rem familiarem videtur habere tutam, nisi ipsam exoraverit) nullum damnum, nullam indignitatem tanti esse, ut momento carere conspectu iratae velit, quam haud dubie instigaturos, quos ibi quoque habet, invidos, ut hoc fatigus in odium perpetuum convertatur. Ille silet, nec audivi quicquam postea. Videtur qui nunc palmam possidet, spem dedisse reditus; certe habet literas, quibus admonetur promissi, scriptas incredibili verborum humanitate, nunc tempus esse, nunc coelum valetudini & labori itineris minus inimicum, veniret, ac tanti voti se compotiret, omnia se illi futurum. Quam si non fallit opinionem (sed opinor fallet, saltim prae se fert in Galliam prius iter sibi faciendum) ego non dubito, teque & nos omnes inde exclusissimos fore. Hae sunt vicissitudines rerum, & adeo parum cuicumque est aulae fidendum. Velim ad me vicissim libere scribas, quaecumque de negotio illo inaudieris & senseris, nam hic jam τραγικὰ jactantur, & nescio quantae pecuniae rationes a te posci. Omen avertat Deus. De auctione Smetiana nihil accepi. Sed nec ullas abs te literas, quod meminerim, in quibus Occonis numismata in illa ut curae haberem, mandaris. Faciam tamen sedulo, ubi intellexero celebratum iri. Vale, Heinsi nobilissime & amicissime, & quicquid eveniet, τήρησον τὴν καρδίαν ἐν πείσῃ, multa enim praeter opinionem. Daventriae. XII. Id. Jul. CIƆIƆCLII.

EPISTOLA CCXLIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

POst menses quatuor aut quinque urbi aeternae datas, Florentiam diebus proximis cum *Langermanno* nostro adveni, Vir Clarissime, ubi tuae, quas III. Kal. Majas exararas, mihi sunt redditae. Quas ad *Cassianum Puteanum*, nobilissimum & longe optimum virum addideras, recte curatae sunt, responsorias ejus ubi accepero, ad te mox venient. Amicum nostrum conventum tibi laetor. Quod addis nihil mutatum, facile credo: qui pigritiam ejus in scribendis literis quotidie experior, adeo quinque aut sex meis vix unas solet reponere, & eas quidem plerumque brevissimas. Misere itaque alium illa in aula quaero, quocum literarium commercium possim exercere, nam amico-

rum

rum caeteri noſtro nihil ſunt alacriores in adminiſtranda hac provincia. Fortunis ejus inſidiatum [1] *Marruccinum* ſatis novi: idque futurum vaticinatus, ſum non ſemel. Succeſſum tamen adfuiſſe nefariis impuri nebulonis machinationibus ut credam non perſuadeor. Regio quidem favore excidiſſe prorſus noſtrum ſua opera, nec unquam in Sueciam rediturum, gloriatus eſt ſcripta ad *Jacobum Puteanum* epiſtola: qui fratri porro ſuo Carthuſiano id Romam nunciavit, ut ex *Holſtenio* intellexi. Sed cum mendacii nunc manifeſte ſit convictus, ad argutatiunculas Sycophanticas confugere illum non miror. Non poſſum diffiteri, eam eſſe amici noſtri multis in rebus ſupinitatem, ut peſſum dare fortunas ſuas ipſe facili negotio poſſit ſine adverſariorum opera: ſed & ſcio non inexorabilem eſſe Dominae clementiam, obviamque ſemper veniae, & ignoſcere nunquam non paratam. *Marruccinum* in Sueciam rediturum nunciari illa mihi juſſit, cum Romae adhuc eſſem: Danos hîc contubernales habeo, qui adfirment per patriam illum ſuam iter jam feciſſe: quanquam de diſceſſu ejus nihil hactenus nunciarunt amici ex Batavia. De me quod mitius jam loquitur, hoc uno ſapit homo ſtolidiſſimus, poſtquam videt & cantare parem & reſpondere paratum. Nec eo tamen minus defricabitur. Maledictis in me congerendis parum hactenus, imo nihil profecit, apud Dominam, quin optem aſſiduum illum dies totos eſſe poſthac, ut fuit hactenus, in proſcindenda exiſtimatione mea, ſic aperte tandem mores ejus invidos perſpicaciſſima Princeps rimari poterit. Ut omnem tibi de me metum evellam, audi quid amicus ad me ſcribat, vir integerrimus & intimus Auguſtae. *Unum ſi addidero*, inquit inter alia, *omnem meam penum effudi: & ſine fuco id a me dici ut credas non contendam, qui animum hunc noſti & pectus tibi devotum. Quoties Regina in mentionem tui incidit, tanto affectu de te loquitur, & dotes tuas laudibus in coelum tollit, ut majores ipſe deſiderare non poſſis, quod ſcribere ad te neceſſe duxi, ut habeas, quo te contra inimici tui furorem & contumelias, quas ſpargere non deſinit, tueri ac ſolari poſſis.* Alias poſt habui literas a regii cubiculi praefecto *Holmio*, quibus ter ad me ſcripſiſſe Dominam nuntiat, quam ego jacturam ſupinitati amici noſtri debeo, qui toto anno precibus aſſiduis rogandus fuit, ut me doceret, ad quem meas curare literas in Germaniam deberem Reginae mittendas, cujuſque opera reſponſum mihi eſſet expectandum. Unas tamen ex regiis accepi Kalendis Maijs ſcriptas, quas licet luculentas, manu ſua exararat totas Princeps optima. Illarum principium en tibi: *J'ay receu pluſieurs de vos lettres, les quels m'ont fait entendre le ſoin & l'application que vous avez a mon Service. Je ſuis obligé de vous en remercier, & je ne manqueray pas aus occaſions, dans les quels je vous pouray faire reſentir les effets de ma reconnoiſſance. ils ſeront tels, que vous n'aurez jamais ſujet de regretter vos peines & noias, les enfruits & recompenſes ſeront dignes de moy & de ma gratitude.* Deinde ubi mandata multa, quae curari a me velit, expoſuit, ita concludit epiſtolam. *Je renovellerey avant que de finir encore un fois la proteſtation, que je vous ay faite. de la commancement de ma lettre, vous aſſeurant, que j'auray le ſoin de recompenſer dignement vos peines. que vous n'obligerez jamais une in-*

1 Ita Salmaſium, credo vocat, ex Catull. carm. XII. ubi *Aſinius Marruccinus* perſtringitur.

Digitized by Google

grate. Haec quam non conveniant cum iis, quae *Alaſtor* ſpargit, vides. Ea tamen tibi ſoli habeto, non enim ad oſtentationem proferuntur. Rideamus igitur odioſas Sycophantarum ineptias, rumoreſque ſenum ſeveriorum omnes unius aeſtimemus aſſis. Ovidius meus ne parum emendate ſit editus valde metuo: quare ſi quae inter legendum tibi occurrent, ea ne invideas mihi rogo. Totum de novo cum octo aut decem codicibus contuli, nec pauca deprehendi curis prioribus addenda. Mediceï codices excutiendi reſtant, quorum paucos evolvi olim. Vaticani ita me exercuerunt, ut non potuerim tria Virgilii exemplaria literis majuſculis Romanis exarata pervolvere, quorum duobus etſi *Pierius* ſit uſus *Valerianus*, tertium Palatinae olim bibliothecae ſecutus ſit in editione ſua *Hieronymus Comelinus*, tamen poſt illorum meſſem relictum mihi ſpicilegium non diffido. Excutiam igitur in urbem reverſus. In Siciliam enim excurrere me velit Auguſta. Quartum ejuſdem notae Mediceum jam olim contuli. His praeſidiis inſtructus dare poſſim editionem divini auctoris non peſſimam. Vale. Florentiae. CIↃIↃCLII. XVIII. Jul.

EPISTOLA CCXLV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriae.

REdditae mihi ſunt ſuaviſſimae tuae heſterno die, mi Gronovi: ad quas paucis nunc reſpondebo, tum quod ſolito ſim diſtractior epiſtolis exarandis, tum quod pleraque, in quibus illae ſe potiſſimum exercent, ultimis tuis jam praeoccapavi. Iis enim regiarum excerptum literarum addidi, ut quo loco res meae eſſent intelligeres. Amici noſtri caſum aegerrime fero. Quanquam negari non poteſt, ſuis illum auſpiciis periiſſe. Quid enim opus erat, tanto ſtudio belluam iſtam fovere? Meminiſti, credo, quid praedixerim tibi olim. Haec eadem cum amico noſtro identidem occentarem, nunquam auditus fui. De commodandâ pecuniâ, ne tam prodigus eſſet, quoties rogavi? Ille tamen ſollicitudinem iſtam referebat ad ſimultates eas, quas cum *Alaſtore* & exercui ſemper, & exercebo impoſterum, dum ſpiritus hos reget artus. Rem occultam apud me habuit hactenus: proxime tandem ab illo accepi, quibus aperte mecum agit, ac calamitatem ſuam, quam ex amicorum Pariſienſium epiſtolis jam praeceperam, bona fide narrat. Cum habeat in patriâ, quo poſſit vivere, miror tam abjecto illum eſſe animo, ut injurias iſtas ferat. Non ferrem certe ego. Et tamen meâ magis intereſſe exiſtimo, quam illius, ut bono loco ſim in aula iſtâ. Nam quod tu exiſtimas deliniri adverſarium poſſe: fugit te ratio, mi Gronovi. Non talem tu expertus es, non talem alii, qui poſt offenſas in gratiam cum illo reverti ſtuduerunt. Fecit hoc quidem amicus noſter, & epiſtolam illi ſupplicem ſcripſit, qua precaretur, ut inimicitiarum miſſam

fam faceret memoriam: sed sycophanta multis illam praesentibus vix inspectam in ignem projecit. Nihil tale de me audies unquam. Pereant potius & in malam rem eant fortunae omnes, quam facinus me indignum committam. In aulam rediturum *Alastorem* jussit ad me scribi Domina, mox subjunxit literas, de quibus nuper tecum egi, credo, ut omnem mihi metum excuteret. Rationes a me posci ullas atrox mendacium est, & *Alastore* dignum. Vix enim mille scutatos hactenus accepi ad iter faciendum: cum vana spes assidue detur, majorem pecuniae summam mox adsuturam. Ita factum, ut plus quam mille florenos ex meo acre jam expenderim, praeter mille alios, quos libris aliisque rebus emendis in privatos usus converti. Ne mihi credas, audi ipsam Dominam. *Mandez moy les Catalogues des livres, que vous avez achetes, & des ceus que vous avez fait copier, e le contes del' argent, que vous avez depencè, & pour vostre personne & pour vostre achet. Je vous feray tout paier, & mandè moy aussii combien vous aurez besoin, affin que je envoie les changes pour vostre vojage. Je ne vous puy rien dire, si non que je remette tout en vostre discretion.* Et haec quidem ad os calumniae obstruendum. Novit etiam omnium optime amicus noster, quam male mihi de omnibus prospectum fuerit in hoc itinere, quem gravissime propterea increpavi, simul ac Lutetiam advenissem, idemque facere non destiti omnibus pene, quas ex Italia ad illum dedi, literis. Inquire, quaeso, in auctorem hujus mendacii. Hoc mihi credas velim, Gronovi, si amici nostri loco fuissem, nunquam de aula accedenda cogitassem. Necessitas ad illam vitam me compulit, cui magis magisque ineptum me esse indies experior. Disserui saepe cum amico nostro ea de re ante in Suecia. Sed alium ejus rei fructum non ferebam, quam ut ille melancholiam meam (sic enim vocabat) rideret, omniaque mox ad Dominam deferret, quae nonnunquam exprobrabat, satis se videre animum mihi esse ab obsequiis sibi praestandis alienum. Calamitatem de morbo patris jam intellexisti: quae reverti me domum, ut opinor, coget. Hoc certe ut liceret mihi, a Domina multis precibus proxime flagitavi. Vale, & scribe. Florent. CIↃIↃCLII. 12. Aug.

EPISTOLA CCXLVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

GEminas nuper ad te dedi, Vir Clarissime, quibus rerum mearum statum abunde te docui. Nunc cur ad te scribam, optimus virorum *Cassianus Puteus* est in causa: a quo responsum hic habes. Mediceam hactenus non inspexi, propter calores aestivos. In regia, de qua tecum egi, epistola multa intricate scripta legi vix potuerunt, corrige in excerpto, quod misi, illa: *que vous*

vous n'aurez jamais ſujet de regretter vos peines, & nojez. les enfruits, &c. quae etſi ipſe non aſſequerer, melius tamen legere non potui. Nunc diligentius excutienti, quaedam deleta leviter apparent. Caetera ſic ſe habent. *que vous n'aurez jamais ſujet de regretter vos peines: les bienfaits* &c. Amici noſtri calamitas jam publica eſt & omnibus innotuit, poſtquam palam oſtentare Reginae coepit epiſtolam *Alaſtor*. Scis quid olim vaticinatus ſim tibi, idem & amico noſtro praedixi non ſemel, utinam tempeſtive fuiſſem creditus. Si Juvenalis nunc viveret, novae Satyrae eſſet locus, in quâ tamen repetenda omnino eſſent iſta: *Stoicus occidit Baream, delator amicum, Diſcipulumque Senem.* Spero tamen in integrum reſtituendas ejus fortunas. Cum nihil ſuccurrat, quod nunciare poſſim, literarum loco habe hoc elegidion, quod rogatus [1] nuperrime ſcripſi. Vale. Florent. CIↃIↃCLII. Kal. Sept.

De rationibus, quas a me petat regina, quam ſplendidum ſit mendacium, agnoſcere ex ipſius Dominae epiſtolâ potuiſti, petit enim, ut ſignificem, quid de mea pecuniâ expenderim: quod & indicavi. Inquire quaeſo in mendacii auctorem.

1 Additum erat carmen in Sereniſſimi Coſmi Medicis, magni Hetruriae Principis, natalem decimum, quod legitur inter Heinſii Poëmata lib. II. Eleg. 4. pag. 38.

EPISTOLA CCXLVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Davemriam.

TOtis tribus menſibus nihil a te literarum vidi, Vir Clariſſime. Ultimae tuae res amici noſtri in aulâ turbatas nunciabant, & ſiniſtros, qui *Alaſtoris* operâ de me ſpargebantur apud vos, rumores. Ab illo tempore ter ad te ſcripſi. Nunc quartum ſcribo. Sed paucis. De me, quae ſpargi narrabas, quam ſint falſa *Voſſius* noſter te docere poſſit. Non enim ignorat, quam parum viatici Lutetiae mihi a negotiatore regio ſit datum, quaſque de meo expenſas fecerim. Sed hanc jacturam nihil moror. Nam ingratam ſe non fore pollicetur Domina, & ſi non promitteret, mores ejus ultro id ſperare me juberent. *Alaſtor* impotenter nimis victoriâ ſuâ uſus eſt, qua re, quod inter nos dictum, offendit illam non leviter, cujus a nutu pendemus. Certe niſi quid friguſculi interveniſſet, jam rediiſſe in Sueciam debebat. Quod quare factum non ſit, ipſe omnium novit optime. *Bochartus* amici noſtri res lapſas magno ſtudio fovit, atque etiam in integrum reſtituit, ut confido. Ego inter Italos hibernabo. Quas ad te dedi ultimas, *Voſſio* miſi. Additae iis erant Illuſtriſſimi *Caſſioni Puteani* literae, *Langermannianae* etiam, ſi recte memini. Inceperat ille Livio Mediceo manus admovere, jamque primae decadis libros duos abſolverat. Mox intermiſit laborem, totus in Musaei poetae Graeci A-

pote-

notissimis describendis occupemur. In Batavia quid rerum geratur, cum ignarissimus ignoro. Rara enim & leves a *Goëfio* accipio, quod domo plerumque absit. [1] Genevensem illum in aedibus Alasboris magnas excitasse turbas audio. Minima ni id jussu socerit Jovis illius sui. Hic secundus erit Claudii Augusti triumphus de subactis Britannis. Poëmata mea non prodire indignor. Habeo elogias quatuor aut quinque, quae addi possint, nuper a me conscriptas. Ultima *Balzacium* compello, luculento carmine ab illo provocatus, quo Galliae calamitatem deplorabat. Ego Britannos depecto, ex occasione belli, quod inter illos ac nostros nunc fervet. Parisiis prodiit Sidonius Apollinaris curis *Sirmondi* secundis illustratus. Vitam quoque *Petri Pateani* a *Nicolao Rigaltio* descriptam jam videre lucem arbitror. *Gothofredus* Genevae obiit. *Vossium* in Batavia hiberniaturum existimo. Ego Mediceos Ovidii codices, quos olim neglexeram, nunc evolvo, nec sine fructu. Velim literarium commercium minus inter nos frigeret. *Schelius* quid agit? quid alii amici? Excita quaeso apud illos mei memoriam frequenter. Salutat te *Langermannus* noster mellitissimus. Vale. *Florentiae*. manu praecipiti. A. CIↃIↃCLII. XXVIII. Octobr. Greg.

1 *Alex. Morum*, qui dicebatur subegisse Salmasii ancillam vel contubernalem, genere Britannam.

EPISTOLA CCXLVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Florentiam.

JAmdudum tuum ad postremas meas responsum exspecto. Interea redditae mihi, quibuscum *Cassiani* gratissimas, nec minus gratum Natalem x. Cosmi misisti. Interea ex Hollandia tantumdem literarum, quam a te habui. Si apud alios sic silet a Stoico, ut ludis, occisus, quemadmodum eum olim libertas, sic nunc una cum Amyclis perdet silentium. Ego rogatus a Ludovico Elzevirio perpaucos dies impendi P. Papinio Statio: correxi nonnulla in contextu: & reliqua in Silvis, gustumque Notarum ad Thebaida & Achilleida addidi. Libellus est ea forma, qua Ovidius tuus. Nihil exspectabis magni, praesertim ab homine sic districto & direpto. Jam sunt aliquot menses, cum quotidie sex horas occupo dictatis dandis saltem; quid dein putas esse vere conquirendis & meditandis. [1] Centonem varium & inaequalem Historiae universalis tandem accepimus. Ubi videbis, jurabis esse sui patris foetum. Palam profitetur se compilasse libellos istos, quos deprehensos aliquando in manus, si meministi, videbamus. Qui non legent tamen, immo & multi qui legent, magnificient. Prodiit & *clamor Regii sanguinis*, sine auctoris nomine, quem tamen intelligo facile esse *Morum*, qui etsi vult videri se causae id

1 Credo respici *Boxhornii* Historiam universalem, quae hoc anno prodiit Leidae.

de-

dediſſe, ſatis prodit ſe potius id dediſſe patrono hoſpiti, ut *Miltono* frigidam ſuffundcret in anteceſſum, dum alter lacum aut mare criminum undique conductum parat. Ligurrit etiam adverſarii ſui τοῦ μανιάτου locum, &, ſi quid adhoc valebit patronus, obtinebit: nec deſperat interim, ſi minus hoc procedat, & mulcere aures aulae Friſicae facundia patria, & tenere locum *Cloppenburgii* defuncti in Academia. Et ego putabam Amſterodami Graecaturum: jam vocatum, jam accepiſſe conditionem ajebant. Praefixi Statio breve alloquium ad Chriſtinam Reginam, quod vellem recitaſſe tibi. Non tamen, ſpero, diſplicebit. Miſi exemplum *Bochartо*: ſed illi morantur, & operae praecipitant, ut rem videam eſſe commendandam fortunae. In Ovidio tuo lib. IV. met. de Clytie: *& ſub Jove nocte dieque Sedit humo nuda.* An non malis: *& ſub Jove nocte dieque Sedit humi nudo.* Illud haud dubie probabis lib. VII. de regia Creontis Corinthii Medeae venenis accenſa: *Flagrantemque domum regis male vidit: utroque Sanguine natorum perfunditur impius enſis.* Tu dediſti: *male vidit: utrumque.* Nimirum legendum: *Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque Sanguine* &c. Eſt enim, ut noſti, bimaris Corinthus. Pulcherrimos & caſtigatiſſimos verſus tuos ad Sereniſſ. Etruriae Principem ſcis nemini magis ad guſtum eſſe. Illuſtriſſ. Equiti *Puteano* ſcribam, ubi Statium mittam. Quid conſilii ceperit *Langermannus* ſcire haveo. Si de ſententia patris Germaniam petet, magnae commendationi erit illi in patria tempore Comitiorum vidiſſe Ratisbonam. Et inveniet ibi *Rottendorfium* noſtrum Monaſterienſem, Epiſcoporum aliquot vicinorum valetudines regentem, & meo & ipſius nomine ſibi faventiſſimum. Vale, nobiliſſime & amiciſſime Heinſi, & me ama. Daventriae XIII. Kal. Decemb. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA CCXLIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

PErtinaciam ſilentii tui ſatis mirari non poſſum, Vir Clariſſime. Totis certe quinis menſibus, quos in hac civitate jam ago, non niſi unas a te accepi, cum ego ſextum ſeptimumve nunc ſcribam. *Goeſius* frequenter domo abeſt. Quare metuo, ne tuae interim, quas ad illum ſoles mittere mihi reddendas, aberrent. Rectius igitur facias, ſi *Voſſio* noſtro tuarum curandarum demandes provinciam. Obſervationes quoque tuas nec vidi hactenus, nec miſſas ad me ſcirem, niſi monuiſſes jam olim ipſe. Immane quantum ſupinus eſt his in rebus *Goeſius*. Totis fere tribus menſibus nihil ad me literarum dedit. Faſciculus, quem oblatum tibi *Lauretanus* voluit, in Bataviam jampridem advenit. Haeret inter ſarcinas meas, quas Venetiis ad *Goeſium* miſi, a quo petendus eſt. *Langermannus* Romam diſceſſit, ut abſolvat, quae agenda reſtabant

in

in Vaticana. Abiturus tradidit mihi excerpta trium primorum librorum Livii Medicei, quae ad te volebat mitti. Ego vero consultius existimavi me facturum, si tibi ipsi ea traderem in manus, quod viderem itinera non esse satis tuta, literasque minus diligenter curari. Ante menses tres Illustrissimi *Puteani* epistolam ad te dedi, nec scire possum hactenus, an curata sit. Interim vir ille eximius diebus proxime elapsis anulos duos misit mihi veteres, quorum alteri Titi Imp. caput est insculptum, alter leonem exhibet. Iis te donatum cupit, quos a me accipies. Post duos enim menses, aut tres ad summum, Italiae limites excedam. Moratur discessum meum munus, quod Hetruriae Princeps Leopoldus Reginae parat. Curavit colligi carmina Hetruscorum Poëtarum praestantiora, quae lucem non viderunt hactenus. Tomi erunt tres aut quatuor. Ut autem commendet hoc munus, invitavit praecipua Italiae ingenia ad laudandam Augustam. Ipse praecivit aliis. Carmina sunt satis multa, quae operis vestibulum occupabunt. *Langermannum* Venetiis aut Mediolani expectabo. Unde Genevam cogito, atque inde Bernam & Basileam, ut Bongarsianos codices excutiam. Velim & Augustam excurrere. Sed dubito, festinandum enim erit. Illa mihi via probabitur prae aliis, quae maximam de Ovidianis codicibus spem faciet. Mediceos fere omnes, quos olim neglexeram, jam evolvi. Tu si quid in adventum meum potes corradere, hoc, quaeso, age. Rottendorfianos praecipue. Codex Metamorphoseôn, quem ultimum mihi suppeditasti anno proxime elapso, satis bonus est. Inter alias unam in illo lectionem inveni, quam minime contemnendam puto, etsi a nullis confirmetur membranis lib. XI. in fabula Ceycis. *Consulat ut sacras, hominum oblectamina, sortes.* Sortes quandoque metum incutiebant consulentibus, ergo non semper oblectabant. At tuus ille codex habet *homini lactamina.* quae vana spe plerumque lactabant homines. Quid dici poterat elegantius? Sed de his jam satis. Ubi salvus rediero, obtundam te assiduis quaestionibus: haeret enim mihi aqua in plurimis. Quo enim diligentius attentiusque evolvo praestantissimum auctorem, eo mihi videtur inquinatior. Tu, qui Germaniae bibliothecas praestantiores lustrasti, mone, quaeso, ubi locorum tempus aliquod videar cum fructu magno exacturus. *Schelius* noster quid agit? Amicis omnibus ut me commendes rogo. Salutem illis, *Alastori* furcam & restim', de cujus corio comitia habebuntur, ubi rediero. [1] *Aethiops* socienus ejus triumphum egit, ut audio, in amici sui aedibus de subactis Britannis. Gazettae certe Londinenses fabellam narrant lepidissimam: palmam eam praereptam sibi dolet *Alastor*: quare simultates cum Aethiope nunc strenuas exercet, si quid famae creditur. Vale, decus nostrum. *Florentiae.* CIↃIↃCLII. X. Decembr.

1 *Alex. Morus.*

EPISTOLA CCL.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Decembris.

QUid meis factum sit literis, quas ex hac urbe ad te dedi, nescio, Vir Clarissime, hoc scio, dediſſe me frequentissimas: quarum ultimae ante dies viginti, si recte memini, *Vossii* nostri curae sint commissae. Ego vero, postquam totis quatuor aut quinque mensibus nullas a te accepissem, Goesiana tandem opera diebus proxime elapsis nactus sum, quas XIII. Kal. Decembr. exaratas. In iis autem quod ad alias nescio quas responsum flagitas, jam teneo frustra te esse, cum eas non viderim. Quare si apographum earum servasti, id ad me mitte, aut saltem indica, quid illae continerent rerum novarum, quidve exigerent officiorum, si quid exegerunt. Suas tibi redditas hesterno die monui Equitem *Cassianum*, cum illi forte scriberem. Ultimis meis jam credo intellexisti, penes me esse anulos duos antiquos, quos ille tibi oblatos capiat. Accipies illos, ubi domum reversus ero. Observationum tuarum exemplaria nec vidi, nec quando visurus sim, scio. Mirum ni in Goesianis aedibus etiamnum morentur. Quod si ita res se habet, adde, quaeso, illis Statios, quot inter Italos amicos voles dividi, & fasciculum *Puteano* inscribe, Romamque per Elzevirium mitti cura. Operam vir ille nobilissimus dabit, ut comitatis exemplum est & lex unica, ne alii liberalitate tua fraudentur. Venetias tamen aut Patavium si quid mitti cupis, scteris consultius, si recta illic id omne perferatur, non Romam. *Carolum Datum* nolim a te negligi, tui meique in hac civitate studiosissimum; qui jampridem gestit tibi innotescere. Observationum & Statii exemplar mihi destinatum, apud te in adventum meum fac servetur. Equitem *Puteanum* non frustra a me diligi ac praedicari *Langermannus* te docebit: qui nunc Romae est, ejusque comitatem experitur quotidie. Obiit illa in urbe ante menses paucos Vaticanae bibliothecae custos, vir longe humanissimus, & cujus operâ factum est, ut omnia nobis patuerint fere, nihilque negaretur, dum illam frequentavimus. Successorem nactus est, insignis inscitiae ac rusticitatis hominem, quique *Langermanni* nostri patientiam indignis modis nunc exercet. Unde fit, ut nec amicus noster fructum magnum ipse ex itinere sit laturus, nec ego etiam. In se enim receperat collationem gemini exemplaris Virgiliani, literis Romanis majusculis exarati, meae in spem gratiae. Quibus ego subsidiis instructus divinum vatem plurimis locis emendatiorem dare poteram. Nam tertii codicis ejusdem notae, qui in Medicea exstat, excerpta penes me sunt, quarti Palatini penes Reginam. Doleo laborem hunc non susceptum a me, cum Romae essem. Sed dum *Goesio* gratificari studeo, dies quatuordecim perierunt

runt in Agrimensoribus conferendis, idque sine utilitate ullâ. Amicus noster Amstelodamensis, civiliter mortuus, & a Stoico magistro occisus, quid rerum gerat, si nescis, ego te docebo. Mutuum alienationem esse non potest concoquere, cum omnia contraria a praeceptore doctus sit iis, quae nunc magno suo malo experitur. Fortuna ejus quoque alienationem passa est, cum regiae bibliothecae curam occuparit *Naudaeus*. Non defuerunt illi admonitiones meae, quas si tempestive amplexus esset, melius nunc secum agi videret. Sed innata quadam sibi securitate neglexit ac contempsit, quae fideliter suggerebam. Gaudebat iter Italicum a me magno studio urgeri, ac persuasum habebat, me absente turbas fore omnes facile sedandas. Ego contra, quod omnem *Alastoris* iram ac rabiem solus sustinerem, augurabar fore, ut, post discessum meum, faba ista in ejus caput cuderetur. Nunc vatem verum me fuisse agnoscit. De pecuniâ, praesertim *Alastoris* filio, praestanda temerarium consilium saepe interpellare sum conatus. Meminisset se malo jam apud *Alastorem* esse loco, meminisset simultates nunquam poni ab *Alastore*, beneficia illi pro injuriis esse, aulam Gallis circulatoribus opplendam fore. Ad haec omnia ridere ille, & me melancholicum appellare. In mandatis praeterea regiis exequendis mira fuit supinitate. Mecum ita egit, ut oscitantius non potuerit. Vicies ad minimum ab illo petii, postquam Holmia profectus essem, ut ex ministris aliquem regiis per Germaniam conciliaret mihi, cui literas meas, quas Reginae scripturus essem, curandas committerem. Id enim Domina fieri jusserat, suâque, ut fieret, interesse arbitrabatur. Romae demum doctus sum, Noribergam literas ad *Georgium Furstenheusen* esse mittendas. Ita factum est, ut nec ego *Furstenheusium* monere potuerim, ubi locorum degerem, & ille mei ignarus ex quatuor regiis epistolis mihi inscriptis, unam tantum curarit. Cujus rei tota invidia nostro illi incumbit. Sed ut hinc digrediar; quantum intelligo (scribit enim ad me subinde) totus est in depectendo adversario, cui malum maximum minatur. Petit a me ut Solinos, Plinios, Historias Augustas, Tertullianos, conferam: omnium denique auctorum rationem habeam, quibus manum admoverit *Alastor*, ostensurum se brevi, nihil in ullis scientiis illum vidisse, in Geographiâ esse asinum, in Graecis infantem. Nilum ab illo frequenter in Solinianis exercitationibus appellari μεγάλον ποταμόν, & in nominativo μεγάλος ποταμός, hujus notae infinita alia se observasse. Haec in aurem tibi. Ego vapulanti favebo. *Clamorem regii Sanguinis* ab Anglo scriptam nescio quo, sed a *Moro* editam intellexeram. *Morum* tamen parricidae pro auctore ejus libri habent, ac egregie in Gazettis, ut vocant, Londinensibus defricarunt, tanquam compressa sit ab illo *Alastoris* pedisequa, addito hoc epigrammate, *Galli ex concubitu gravidam te, Bontia, Mori, Quis bene moratam morigeramque neget?* Agnoscis in illo Ouweniani acuminis ineptias, quod *Vlitius* heros mecum communicavit. *Alastoris* scriptum contra Anglos avide expecto, de meo enim tergo quin illic comitia sint habenda nullus dubito. Sic promisit certe, cum *Miltonum* a me armatum persuaderi sibi passus sit. Haerent in insidiis Scazontes mei, mox provolaturi, ubi intellexero, locum mihi in cacatis istis chartis

 dari.

dari. *Voſſio* amoto nihil itineri ſuo Suecico obſtare credi vult, praeter meas fortunas: ab iis metum ſibi eſſe. Quapropter literas a populari ejus, regio archiatro, non ita nuper accepi, quibus ad concordiam me hortatur, paciſque conditiones valde ridiculas proponit. Excepi hominem, ut merebatur, ſalſe ſatis. Audio valde nunc infenſum mihi eſſe. Sed ego fortunas perire potius patiar, quam exiſtimationem. Quanquam periculum non eſt, niſi regia promiſſa deſtituant. Semper enim eſt pollicita Domina, ad concordiam iſtam non fore adigendum me invitum: nec ego de pace unquam ſpem feci, quod hominis mores & ingenium probe noſſem. Verum de his ſatis jam ac ſuper garrivi. Venio nunc ad Ovidium, & tuas in eo emendationes. Libro IV. Met. *ſedit humo nuda.* Nihil mutandum videtur, quod pace tua liceat dixiſſe: ſimilis eſt locus Epiſt. Hypermneſtrae, *Quaeque modo, ut poſſes etiam Jove digna videri, Dives eras: nuda nuda recumbis humo.* Triſt. lib. I. Ep. V. *Aut ut edax vultur corpus circumſpicit, & quod Sub nuda poſitum cernere poſſit humo*, ex membranis, vulgo, *Sub nulla.* Met. IV. Fab. Perſei. *Anguiferumque caput nuda ne laedat arena, Mollit humum foliis*, etiam ex MSS. vulgati, *dura.* Plura exempla collegi alibi. Altera correctio, *Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque*, quantivis pretii eſt, nec dubitandum. Miror ſtuporem meum, qui non viderim, *utrumque* pro *utroque* edendum curavi, vetuſtiores membranas ſecutus. Epiſt. Phaedrae, *Et tenuis tellus audit utrumque mare* de Iſthmo Corinthiaco. Ita eſt, mi *Gronovi*, nihil miſero Ovidio inquinatius. Parum reſtat quin XVIII. Metamorphoſeos codices Mediceos abſolverim. Utinam iſtud tempus licuiſſet terere in Germanicis bibliothecis, ubi vetuſtiora reperiri exemplaria nullus dubito. Sed hoc fortaſſis dabitur aliquando. Una nonnunquam litera quantas turbas dedit! Sic ult. Amor. Elegia. *Traditur haec Elegis ultima meta meis*, ut editi & ſcripti omnes, cum *Raditur* omnino ſit legendum, ut puto jam olim me monuiſſe, apud Propertium quoque alicubi *Poma Tantalea tradere manu* legitur, pro *radere*. Medic. faciei, etiam non juvant MSS. illo verſu, *Faemineâ veſtri potiuntur lege mariti*, at ſcripſerat Ovidius, *poliuntur* Triſt. lib. II. *Nec male commiſſa eſt nobis fortuna reorum Uſque decem decies inſpicienda viris*, τὸ *uſque* friget, quare vel invitis membranis repone, *Liſque*. lib. IV. El. I. *Sic ſi quem nondum portarum ſede receptum Barbarus in campis repperit hoſtis, agit. portarum ſede* non placet. Scribe *ſepe*, pro ſepto. Met. XII. Fab. IX. *Arce locus ſumma, feſſis loca grata carinis*, repetitio illa *locus loca* inſulſa eſt. Lege, *Arce focus ſumma.* Pharon intelligit, ſed duas ultimas emendationes a MSto confirmatas offendi. Ut & illam lib. VII. fab. Cephali, *Dat mihi praeterea, tanquam ſe parva dediſſet Dona, canem munus*, cum perperam lectum ſic hactenus *tanquam ſi.* Poſſem plurimas hujuſmodi conjecturas proferre, quas in MStis poſtea offendi, ſed ne mendax aut vanus videar, in notis ad Ovidium illas meis imputabo membranis. Ne in hiſce levioribus pergam haerere, unum proferam locum ſatis difficilem Met. XIV. Fab. Pici. *Par animus formae: nec adhuc ſpectaſſe tot annos. Quinquennem poterat Grajam quater edere pugnam.* Haec ſunt inquinatiſſima, nec juvant MSti multum, niſi quod pro *poterat*, agnoſcant quidam,

pote-

Digitized by Google

poteram, *poteras*, *poterant*, & *Graia pugna*. Ero aliquanto audacior. Certum est haerere mendum in τῷ *edere*, pro quo suspicor legendum *Elide*, sed nec dum sanus est locus, quare pro *tot annos* velim reponi *per annos*, ut totus locus sic se habeat. *Par animus formae, nec adhuc spectasse per annos Quinquennem poterat Graia quater Elide pugnam.* Vide an quid melius excogitare possis. de Rottendorfianis Ovidiis aurem jam velli tibi: eos inspectos mihi cupiam. Amanuensi etiam opus mihi erit, ubi ab vos rediero, rediero autem mense Aprili aut Majo ad summum, nam famulum hîc sum relicturus. Vide an probum aliquem invenire possis. A Fabricio habui mellitissimas. Vale. Florent. CIↃIↃCLIII. VII. Jan.

Quia nugas meas non fastidis, addam [1] Epigramma, quo nuper *Carolum Datum* compellavi, cum donarem pugillares illi eburneos. Ultimis meis falsus fui, cum affirmavi tuo codici deberi lectionem istam, *sacras homini lactamina sortes*. Extat enim in exemplari, quod eodem tempore ad manum erat, in Sixtiniae bibliothecae auctione empto. Illud lib. I. Met. *Cuncta prius tentata* confirmat Mediceus unus. Notavi plura loca, in quibus eodem modo sic peccarunt librarii, quorum duo nunc succurrunt. Fast. lib. I. ubi festum Bacchi describit, *Fastus inest pulchris: sequiturque superbia formam.* leg. *pulchrae*, vel sine MStorum ope. Agit enim de Lotide. Amor. lib. III. Epiced. Tibulli; *Durat opus vatum, Trojani fama laboris.* imo, *vatis*. Cum de Homero adhuc sermo sit. & hoc sine MStis. Alia vellem. Sed finis sit nugarum.

1 Editum lib. III. Silv. p. 200.

EPISTOLA CCLI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Florentiam.

EGo vero ne unas quidem tuas mihi conscius sum silentio transmisisse, quicquid tandem factum fuerit meis. Illustr. *Lauretani* fasciculum ab affine tuo petam. Exemplaria mei libelli discrucior nondum ad te perveniisse: nimis vereor, ne frustra ea in Italiam miserim. Excerpta Liviana, credo, recepero tempori cum adventu tuo: nam post Elzeviriorum mortes nondum intellexi filios id munus maturare. Ego tamen, quantum licet, progredior, ne, ubi volent, in mora illis sim. Annulos antiquos, quos mihi muneri destinavit illustrissimus *Puteanus*, nullo auro, quantumvis excocto, commutaverim: itaque diligenter adserves, rogo. Literas ejus mihi recte redditas jam ter aut quater, opinor, scripsi. Respondebo illis, cum Statium adjungere illis potero: quem scis rogatu Lud. Elz. dudum me percurrisse, & reliqua ad Silvas, gustum ad Theb. & Achill. addidisse. In fronte adoravi Dominam praefatiuncula, quam accommodatiorem auribus principum, quam sint aliae meae, judicat amicus noster,

ſter, qui has ad te curabit. Principia Hetruriae nobilitati in commendando Reginae pariter & ſuo erga literas & ingenia ſtudio mirifice faveo & applaudo. Erit haud dubie illud tam illuſtre monumentum, ut ex nullo alio probatura magis ſit noſtrum ſeculum poſteritas. Itaque fac, quaeſo, ſi potes, ut, ubi redieris, & ego ad lectionem ejus admittar, mitius feram, quod nec Ferrarii nec Valeſii Panegyricos adhuc videre mihi contigit. A *Rainoſio* tandem ſenas uno tempore accepi, quas ille diverſis temporibus dimiſſas, & cum diu ſubſediſſent apud indiligentes amicos, ad ſe relatas, in unum conclusit faſciculum, & officii ſui teſtandi cauſa, ut erant, venire ad me voluit. In illis tu quoque partes habes. XXVIII. Octob. Anno 51. *Judicium, quod de Inſcriptionibus fecit Ampliſſ. Heinſius, gratiſſimum eſt: utinam Voſſianas videam quoque. A Donio Equite Flor. accepi plurimas per amicos: quaſdam ejuſdem inſerait libro de Don. & tabellis Thomaſinus* &c. Et in ſcheda addita: *Cum ſignatas iſtas tabellario tradidiſſem, ſupervenerunt* &c. *Id ſaltem ingenti laetitia me adfecit, quod Ampliſſ. Heinſium ejuſque propenſiſſimam voluntatem in iis conſpicere mihi licuit. Gratiſſimae ſunt Weſtcappellanae Inſcriptiones* &c. IV. Septemb. Anno 1672. *Heinſium juniorem tuo, Gronovi cariſſime, monſtratu cognovi optime: certat in Elegia cum veteribus, in Lyricis etiam novos ſuperat. Critica vero ejus quam modeſta mitiſque: cum pro patre pugnat, ejuſque filio, pietas fecit acriuſculam: quam accurata & erudita? Luculenter de Claudiano meritum eſſe muſſat etiam Lipſienſis momus: de Ovidio pariter nos ſperamus.* In reditu ſi Auguſtam accedes, forte & excurres Reginoburgum vel Ratisbonam: invenies ibi *Rottendorfium* in comitatu Epiſcopi Monaſterienſis, non ceſſantem, ut ipſe ad me ſcripſit, colligere ſi quid poſſit veterum librorum. Salisburgi in palatio Archiepiſcopi parvum ſcrinium eſt MSS. ubi Plautum, Caeſarem, Celſum, Nepotem, Tibullum, Petronium, Statii ſilvas, & alios vidi: vix Silvas contuli. Monacii etiam Bavarica Septemviralis bibliotheca MSS. non caret: ut nec Caeſarea Viennae. *Schelius* noſter Hagae magnum virum praeſtat, &, quantum in ipſo eſt, arcet dominatum, quem ſane non pauci vix reſpiranti libertati obducere conantur. Vale, Heinſi nobiliſſime & optime, & feliciter ad nos redi. Daventriae. Non. Januar. CIↃIↃCLIII. quem omnem tibi ſecundiſſimum precor.

Ex literis hominis nequaquam male volentis tibi: *Le ne voy aucune apparente de reconciliation entre Monſ. de Saumaiſe & Meſſieurs Voſſius & Heinſius, vous ſcavez juſques ou portent les reſentiments du premier, & qu'il a bonne memoire. Ces Meſſieurs peuvent a mon advis faire eſtat de ne plus retourner en Suede, ou le credit de leur partie eſt auſſi grand que jamais, principalement depuis la venue d Mons Bourdelot, qui le ſenſtient puiſſamment* &c.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCLII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

RECte accepi tuas per affinem: tu interim, opinor, meas per *Vossium*. Profecto omnibus respondi tuis, meae si male sunt curatae, plane perierunt, nec enim exempla servare mihi, nisi rarissimarum, si quibus magnopere meditatis opus fuit, hae occupationes permittunt. De Statii exemplaribus, quae heri demum accepi, faciam quae praecipis. Nec obliviscar Nobliss. *Dati*, quem quod studii amorisque erga me complevisti, gratissimum est mihi. De [1] fulgurito vaticinia tua haud scio utrum magis doleam, cum tam vera, an cum minime credita fuere. Sed putas sectam, quam induit, Epicurei aut Stoici dei passuram, ne jaceat inultus? Ego quidem praeclara illa, quae minatur, vereor ne eundem habeant exitum, quem τὰ τοῦ Λαίσοντος [2] Romani, popularis mei. Quin nec placet mihi jactari ista in literis, quae ad oculos Hypsimedusae perveniunt. Illa enim ipsa illa admiratione τοῦ δεῖνα, quam *Barea* noster fecit, attonita imperavit sibi, ne quicquam in isto norit fastidiendum, ne in Gorgone quidem, quam comitem habuit, & ut omnia patiatur, dum recipiat hominem, itaque ut nunc est, maledici illi non potest pati, utique a *Barea*, quem ipsa vetuit has simultates exercere, & hunc praetextum fulminis sumit, quod hoc tantum edictum curae cordique non habuerit. Dixi hoc quoque ei jamdudum, sed, ut est sui consilii, flocci faciebat. Nihil exspecto, nisi a tempore & fortuna, cum poenitebit eam nugarum, quas evexit. [3] *Nigritam* auctorem istius vociferationis esse agnovi statim e stylo. Frigidus ille rumor de Morata & inimicitiis inter clientem & patronum, qui ut duceret voluisset, manabat ante sex menses & Hagae & Amsterodami. Sitne quid veri, resciscere in hunc diem a *Barea* non potui, etsi omni eo tempore, non literas, sed bina involucra, unum *Borharti*, alterum tuis, ad me dederit. Mire placet epigramma, placent & Ovidianae emendationes: maxime *Graja Elide*, cum etiam paucis ante diebus locus ille me incassum cruciasset. Meas facies tanti, quanti vis, sunt enim omnes subitae & fortuitae, dum aliud agens locum aliquem inquiro. Lib. 1. *Quaeque diu steterant in montibus altis, Fluctibus ignotis exsultavere carinae.* O quam vellem, si quo invenires in codice: *steterant in montibus alni*: Sed forte superfluum est ingenium. Eodem: *adeunt pariter Cephisidas undas, Et nondum liquidas, sed jam vada nota secantes*, lego: *Ut nondum liquidas, sic jam.*

1 *Isaaco Vossio*, ut credo.

2 *Holstenii* puto, qui fuit Hamburgensis. *Hypsimedusa* est Regina. quis vero sub nomine *Barea* lateat nescio, nisi fit ipse Vossius. *Gorgonem* esse putem uxorem Salmasii.

3 *Alexandrum Morum*. Vid. Epist. 250.

jam. Quid in concione Pythagorae: *I quoque delectos mactatos?* Nunquam hoc esse Ovidii credam, sed quid substituam, nihil constituere possum. Notas ad Livium repetitas perduxi ad Lib. XXIII. In decem primos de integro rescripsi: ita & mutavi & auxi: qui restat, levior labor, in quem nunc, quod vacabo, totus incumbam, nec interjungam, donec Θεῦ διδόντος absolvero, inde omnia posteriora tragoediis Senecae. Vale, decus meum & me ama cum Langermanno, quem plurimum salvere jubeo. Daventriae. Prid. Kal. Febr. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA CCLIII.

NIC. HEINSIUS

J. F. Gronovio.

Daventriam.

INdigne pessimeque mecum agitur, Virorum Clarissime, cui tot tuae literae sint interceptae ac perierint. Quas Vossianâ operâ curasti, Nonis Januariis exaratas recte accepi. Alias a te multo tempore non vidi. *Langermannus* Neapolim se contulit, quam civitatem gestiebat perlustrare. Mediolani a me expectabitur, ut una in Germaniam excurramus. Ego Venetias nudius tertius adveni, post dies paucos Patavium abiturus. De Ovidio meo aliisque rebus proxime garrivi tecum verbosissime: quare Laconicum nunc me praestabo, idque eo magis, quod scriptionis desit argumentum. De *Reinesio* quae nuncias longe sunt gratissima. Velim profecto institutum viri optimi doctissimique singulari alioque officio fovere, si detur. Inscriptiones multas *Langermannus* noster collegit. Potero & ego non paucas suppeditare. Quae apud *Donii* haeredes, & *Holstenium* fere infinitae servantur, vix sperandum est, ut ex illorum manibus avelli possint. Cardinalis *Barberinus* suas omnes publici juris se facturum mihi est pollicitus. Sed cum totus sit in amoliendis insidiis, quas Barberinae familiae assiduas molitur hic Pontifex, per curas domesticas vix licet illi de re literariâ promovendâ cogitare. *Barthio* meas in Claudianum lucubrationes non improbari miror. Solebat enim gloriari, quantum ex *Langermanno* nostro intellexi, nihil alienae se diligentiae feciisse reliquum in isto auctore. Si Lipsiam excurremus, videndus nobis erit & compellandus. Ratisbonam ut videamus vix tanti est, mihi enim ob afflictam genitoris valetudinem ad vos festinandum. Si revertar in Italiam, ut futurum opinor, civitatem illam, Monachium, Augustam, Noribergum, Salisburgum aliasque perlustrabo. Nunc Helvetiam potissimum inspiciendam duco. Bononiae nactus sum Appiani Alexandrini Hannibalica & Iberica, quorum posterius scriptum ab *Hoescheilio* opinor editum. Hannibalica vix est ut credam prodiisse. Dux *Salviatus* ut MStos suos Graecos (centum sunt & triginta circiter) Reginae donaret effeci. De rebus Suecicis ita habe. Fortunas nostras assidue oppugnas

pugnat Burgundus [1] histrio, *Alastoris* sociennus, strenue tuetur noster *Borchartus*. Somnum mihi machinationes istae non rumpunt: cum & innocentia mea fretus sim & regiâ benignitate. Agyrtae tamen isti per literas luculentas summam exprobravi perfidiam, qui cum olim in Galliis tanto apparatu ambierit ac captarit meam amicitiam, ut majori nemo: nunc nulla de causâ virus maligni ingenii in me convertat. Missis igitur aliis, quas ante struebat, insidiis, indignissimis modis se exceptum a me nunc quiritatur apud Dominam. Sed praesens optimae principi ostendam, quam in me fuerit injurius. Interim frendentibus ac invitis Sycophantis omnibus in aulam revertar. Non quod hoc cupiam vehementer, sed ut augures isti & aruspices omnes, qui male de me ominati sunt, rumpantur. *Alastor* magis friget illic terrarum, quam credas. Sed ea de re melius coram inter nos instituetur confabulatio. Ne tamen nescias non esse me apud Dominam tam malo loco, en excerptum ex epistolâ regii Cubicularii. Scripta est epistola pridie Eid. Januarias. *Jay' monstré vos lettres a sa Majesté mesme, la quelle m'a temoigné grand affection pour vostre personne, aussi bien que pour Mr. Langerman. Elle souhaitte, que vous fussiez desia icy, & est fort aise que Mr. Langerman vienne avec vous. Il part avec cette ordinaire une lettre pour Mr. Bidal a Paris, par la quelle sa Majesté l'a commandé de vous fournir de l'argent pour vostre voyage, tant que vous an aurez besoin.* &c. Et haec hactenus. Literas tuas si in posterum ad *Vossium* miseris; recte ad me perferentur. Vale, amicorum flos. Venetiis CIↃIↃCLIII. Prid. Kal. Martias. *Lauretanum* necdum vidi, videbo tamen hodie, aut die crastino.

[1] *Bourdelotius*, ut puto.

EPISTOLA CCLIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

MOdo tuas accipio, Vir Clarissime, Florentiâ ad me missas, dum totus sum in exarandis ad amicos literis. Quapropter aegre ne feras rogo, si & breviter nunc & negligenter tecum agam, cum ipsae temporis angustiae hanc mihi necessitatem imponant. Jactura tuarum mihi permolesta est. Rogavi *Vossium*, ut apud tabellarium Daventriensem circumspiceret ac inquireret, si quid tuarum forsan istic literarum haereret, sed nihil unquam ad preces istas meas responsi dedit, etsi rogatus sit non semel. In caeteris diligentiorem se praestitit multo mihi jam tempore, quam solebat. Scribit enim frequenter, nec Laconissat amplius. Si quid illi credimus, res *Alastoris* magis in Suecia magisque frigent: quem inter & Aesculapium Gallum nescio quid occultarum simultatum nuper subortum. Nam de *Moro* dubitari non potest, cum lis Hagano foro jam sit credita. Nostras ille partes miro studio conciliare sibi nunc

ſtudet. Utinam in vivis eſſet *Spanhemius!* Eſſet profecto, quo laetaretur maxime. *Bareae* ſuccenſuiſſe Dominam non dubito, quod ex amico inimicus *Alaſtori* ſit factus. Ego miram odiorum conſtantiam ſemper prae me tuli illâ praeſente, nec unquam aut promiſſis aut minis impelli potui, ut amicum me Sycophantae perditiſſimo fore pollicerer. Quod cum videret illa, meque valedicturum aulae citius animadverteret, quam admiſſurum aliquid indignum iis injuriis, quibus affectus eram graviſſimis, nunquam ad concordiam adigendum fore me invitum multis praeſentibus promiſit. In contraria illam cum conaretur Aeſculapius rapere, officii illum admonui per literas, ſin perſiſteret, amicitiam, quam ambiviſſet ultro, meam ne propitiam impoſterum ſperaret ſibi, addidi. Male ſe exceptum a me nunc argutatur unice, & apud Dominam jactat. Sed habeo ejus literas, quibus flagitii non temere a me inſimulatum liquido appareat, quas ipſi Dominae aliquando oſtendam. Interim diſſimulandum, dum praeſens omnes ejus machinationes poſſim retundere. Iis, quas ex hac urbe ultimas ad te dedi, accepiſſe me regio nomine mandatum ſignificavi, ut in Sueciam contenderem, ac *Langermannum* mecum ferrem. Is Urbinum ſe adveniſſe ſalvum, ac brevi ad me cogitare ante tres hebdomadas nunciabat. Miror quid cunctetur in viâ ac moram trahat. Iter ſolitarium, quod ſine ullo comite ſuſceperit, probari mihi non poteſt. Spero tamen mox adfuturum: quando conſilium capiemus de itinere noſtro. In Helvetiâ aliquo tempore haerendum erit, ut bibliothecas illo in tractu praeſtantiores pervolvamus. Tu ſi quid ad me voles, aut *Voſſio*, aut *Goeſio* mitte. Τὸ *montibus alni*, pro *altis*, ingenioſum eſt & vero ſimile. Illud certum, paulo poſt *auras*, non *aurae*, legendum ex uno Vaticano, & uno Mediceo, quod neſcio an in textum receperim. In eodem Mediceo, *ſic jam vada nota ſecantes*, non *ſed*. Quod conjecturam tuam valde juvat, quam & a me in ora codicis cujuſdam olim notatam videor meminiſſe. Sed hoc timide adfirmo. lib. xv. locus ille, *I quoque delectos mactatos obrue tauros*, valde me exercuit. Optimus Vaticanus, jam ante a me citatus, qui & Palatinae bibliothecae fuit, *I quoque dilecto* habet, alter Palatinus, *In quoque dilectos*, vel, *Dis*, tuus codex a manu prima, *Hic quoque dejectos*, quidam, *Hos quoque*, *Hinc quoque*, *Dis quoque*, & *dilectos*. Unus Mediceus, *I quoque delecto*. Puto legendum, *I ſcrobe in egeſta mactatos obrue tauros*, vel, *Inque ſcrobe egeſtâ*. Aliquid certe ſimile latet. lib. VII. *Haud procul egeſtâ ſcrobibus tellure duabus*, in Fab. Medeae. Sed de his melius coram, ut & de rebus Suecicis. Senecae Tragoediarum geminum exemplar Mediolani emi: tertium ibidem venale ut mihi addiceret, patrem *Sfondratum* rogaveram, ſed quid de illo promittendum mihi ſit vix ſcio: adeo nutat ac vacillat. Quartum habeo dono equitis *Puteani*. *Datus* ut te ſui ſtudioſum intelligat, operam dabo. Praelium atrox inter noſtros & Anglos commiſſum proximis diebus in Hetruſco Mari. Naves hoſtium captae tres bellicae, duae incenſae: reliquae novem in fugam actae, quas noſtrae inſecutantur, ſed ut puto fruſtra. *Johannes van Gale*, ductor Claſſis noſtrae, pede uno mutilatus in praelio, incredibili animi conſtantiâ ſummam ſui admiratio-

rationem. Italis extorsit. Post acceptum enim vulnus, loco se non movit, sed cum ossa tali omnia attrita essent, abscindi, vocato chirurgo, pedem jussit, pugnae nihilominus intentus, & cum stando non posset vincere, sedendo vicit. *Langermannus* MStos aliquot codices Neapoli nactus est, quos inter duos Martiales: ego tertium in hac urbe, quartum Bononiae, ubi & Appiani Alexandrini Hannibalica inveni, quae lucem hactenus non viderunt, ut existimo. Vale, decus nostrum. Venetiis. CIↃIↃCLIII. XXI. Martii.

EPISTOLA CCLV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

AGyrtas nondum omnia posse, id vero ego laetor ita, ut qui pote maxime. Utinam tamen eo veniatis, priusquam optimus ille defensor decedat. Non oportet nimium causae credere, quia suam habet fortuna rationem. Ἰβηρικὴ & Ἀννιβαικὴ Appiani jam bis a Stephano editae, si quidem eaedem sunt, posterius cum versione. In excerptis Reinesianis hoc, ni fallor, oblitus sum: *Ampl. Heinsi Claudianum tandem nactus sum, eoque impense delector. Verum esse quod scribebas, mille locis meliorem eum fecisse prae Asiatico commentatore, reapse experior. Utinam Ovidium ejus pariter videremus & Venusinas lectiones Rutgersii, quarum spem facit. Extremo elegantiss. Notarum meminit epigrammatis nondum editi, quod in Leidensi bibliotheca exstet. Est vero id hexastichon particula carminis in nativitatem seu conceptionem* ☧ Θεανθρώπε, *vel de Maria Virgine ad Rusticianam scripti ab Andrea Oratore & Poeta Christiano, & publicati cum Paulini & Prosperi poëmatibus a Th. Pulmanno Antv. Anno* 1566. *Integrum etiam legitur inter epigr. Christiana e membranaceo libr Bibl. Elect. Heidel. edita a Grutero Inscript f.* 1174. *sine auctoris & tituli mentione* &c. Sic. 9. Novemb. 1651. Fasciculum Illustriss. *Lauretani* accepi tandem. Mandarem tibi quaedam ad illum, ut & *Ferrarium*, a quo nuper habui gratissimas: sed jam inde abfueris longe opinor, cum has acceperis. Meus fasciculus, quem te sperabram illic partiturum, jacet, ut scribit affinis tuus, etiamnum Amsterodami. Vale, nobilissime Heinsi, & bene ambula cum *Langermanno* nostro. Daventriae. x. Kal. April. CIↃIↃCLIII.

Digitized by Google

EPISTOLA. CCLVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

LAconicas tuas, amicorum decus, x. Kal. Aprilium exaratas modo accipio: ad quas pari oratione nunc respondebo. Sum enim in procinctu, ut cum *Langermanno* nostro Helvetios adeam, vobis mox adfuturus. Fortuna quod minari non desinit, aequiori, quam credas, mente fero. Quae si destituet, tanto arctius virtutem amplectar, ac omni opera cavebo, ne & illa partes deserat, aut a me deseratur. De Ibericis & Annibalicis sero errorem agnovi. Possideo enim utrumque Appiani libellum ab Henrico Stephano editum minori forma. Epigramma poëtae Christiani, quod sub finem edidi notarum ad Claudianum, esse ab aliis jam in lucem prolatum nesciebam. Idque me ab eruditissimo *Reinesio* edoctum laetor. Non sum is, qui profitear Christianos poëtas diligenter a me lectos esse, facile igitur labi hac in re potui. Tu, cum viro summo scribes, gratias meo nomine age, quod non gravatus sit, hujus rei me admonere. Conquisivi per omnem Italiam auctores diligenter, ex quibus inscriptiones antiquae depromi possint: horum opera institutum ejus ornari ac promoveri posse non leviter confido. Vale. Mediolani. Anno CIↃIↃCLIII. Prid. Kal. Majas. Salutat te *Langermannus* noster.

EPISTOLA CCLVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

VEllem quidem ego, Carissimum caput, quotidie tecum multis: sed nec materia suppetit, &, ut nunc est, ad literas scribendas non nisi animo fesso fessaque manu accedo. Quid enim scribam homo minime garrulus, & inanibus effluens sonis ad similem hac parte mei? qui nec accipiam quicquam literarum, nec in sermones incidam, unde quod communicem tecum, gratum habeas. Meus autem dies omnis abit, dum excipio τοὺς φοιτητὰς, labore magno sed jucundo, quia nihil audiunt, nisi ex quo ipse tractando proficiam. Quod supereſt soli mihi, cum Livio partior: nam quae ad ipsum rursus describo, correpta & circumcisa, quia vilis, quae adornaveram, causati sunt Elzevirii, longe excessura unius tomi molem, & rogarunt, ut differrem in editionem, quam, si quando, promittunt maximam cum omnium observatis. Est & alius, qui eandem spem facit. Sic obsident tempora mea, & Senecam

Digitized by Google

cam prioresque observationes, quas vehementer ardeo, & multo auctiores, & demptis aetatis festinationisque pristinae notis reddere, dum volentem hîc typographum habeo, rejicere in serius cogunt. Reditum in Aquilonem nunc credo lactiorem fore, post casum Phaethontis Asclepiadae, de quo jam certiora, quam ego nuntiare possem, te accepisse opinor. Utinam cum ipso refrigescant scenae & pulpita, quibus introductis, ut veras Musas pelleret, pessimam famam, cui minime vellemus, hîc locorum circumdedit. In Ovidio tuo praelegenti nuper in lib. VII. *Quodque suum securus arat Cromyona colonus:* venit in mentem scribendum esse: *Quodque suis securus.* Sus enim celebratur Cromyonia: & nosti illud: *securus amorum Germanae.* Eodem libro in legatione Cephali ad Acacum: *Postquam congressi, primi sua verba tulerunt Cecropidae.* Tu dedisti, *congressu primo.* Nondum satisfacis. Vide an sit: *Postquam congressus primi sua verba tulerunt, Cecropides Cephalus peragit mandata.* Congressus primi tulerunt sua verba, dum legitima salutationum utrimque explicantur. Nec placere potest: *omnis erat rerum status iste mearum:* ut nec: *superat mihi miles & hosti.* Cognosce temeritatem meam: *Nec dubie vires, quas haec habet insula, vestras Ducite, & (o maneat rerum status iste mearum) Robora non desunt: superat mihi miles: & hoc est, Gratia diis, felix & inexcusabile tempus.* Ejusmodi tempus est meum, ut ejus praetextu sine auxiliis remittere vos non possim. Quamquam agnoscam illud, *Omnis eat*, modo ita distinctum, posse ferri. *Eat* pro sit. Sic procedant mihi omnes res, ut in promptu sunt robora juvenum, quae petitis. Haec ante tres propemodum hebdomades hucusque scripsi. Interea casus inopinatus ita domum meam turbavit, ut nec de his pertexendis, nec de aliis doctis literis scribendis cogitare potuerim. Juvenis e provincia Bremensi (*Rosentagio* nomen est, notum forte Lucae nostro: certe parentes inter se familiares satis) magno animo literis incumbens, mentis morbum passus & phreneticus, haud scio unde, factus, & noctes & dies anxios sollicitosque nobis habuit, donec tandem adveniens cognitus eum ad suos reduxit. *Reinesius* Inscriptiones accepit, tibique apud me grates agit, & pro his, & pro indicio de collectione Card. *Barberini*, seque eas ait jam contulisse in volumen suum, & notulas addidisse. A Langermanno unas Roma idibus Decembris datas heri demum accepi, Hamburgo missas una cum his ad illum, quas credo illi gratas fore. Vale, & me ama, Heinsi nobilissime. Daventriae IV. Kal. Quinctil. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA CCLVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CUm literarum nonnihil ad meos hodie in Bataviam pararem, paucis te compellandum duxi, Virorum Amicissime, quo itineris nostri successum

intelligas. Relictis a tergo Alpibus ſum opinatus fore, ut ſine mora ulla ad vos contenderem, ſed res in Helvetiâ adeo turbatas offendi, ut ſine praeſentiſſimo diſcrimine viae committi non poſſem. Ita factum, ut menſem totum Geneva nos tenuerit. Per Gallias iter inſtituere animus non deerat, ſi per regios milites licuiſſet, qui Belligardae obſidendae deſtinati, non Burgundiam tantum univerſam, ſed provincias etiam vicinas depraedationibus continuis valde infeſtant. Jacta tandem alea eſt. Baſileam ſalvi advenimus ego ac *Langermannus*, per viarum ambages tamen & inacceſſa montium, non ſine magna difficultate. Bernates quod non licuerit adire, moleſtum omnino eſt. Si tamen poſt dies quinque aut ſex hi motus componantur, eo excurremus. Certe jam captus ille, qui tumultuantes ruſticos ducebat, unde magis indies magiſque animos illis frangi videas. In Bibliotheca hujus Academiae codices Ovidii nonnullos inveni haud contemnendae notae, quorum primus conjecturam meam ex parte confirmavit illius loci; *nec adhuc ſpectaſſe per annos quinquennem poterat Graiae quater Elide pugnam.* Audacior viſus eram mihi ipſi, qui pro *tot annos*, emendaſſem *per annos.* At codex ille hanc gloſſam habet adſcriptam: *Alia ſcilicet litëra habet ſic, nec adhuc ſp. per annos Quinqu. poteram Grajam quater edere pugnam.* Plures in eodem libro conjecturas confirmatas offendi, qualis & illa lib. XII. ſub finem, *ego ſum ſceleratior illo, Qui tibi morte mea mortis ſolatia mittam*, cum legendum ſit, *ego ſim ſceleratior illo, Ni tibi morte meâ mortis ſolatia mittam.* Codex ille τὸ *Ni* pro diverſa lectione adſcriptum habet in margine. Similis locus occurrit lib. XI. in fab. Alcyones. *Crudelior ipſo Sit mihi mens pelago, ſi vitam ducere nitar Amplius.* Sed de his coram fortaſſis confabulabimur. In Batavia enim poſt dies ad ſummum viginti me futurum confido, ſecundo Rheno illuc properaturus. *Alaſtoris* ſociennum, Archiatrum dico, periiſſe in aulâ jam credo intellexeris, calumniarum convictum inſignium, quas de viro quodam Illuſtriſſimo, & regiâ affinitate conſpicuo, ſparſerat, quare res ſuas habere ſibi juſſus eſt. Sic nos ſervavit Apollo. Ego Aeſculapio Gallum, qui ab illo morbo nos liberavit. Vale. Baſileae. Anno CIↃIↃCLIII.

[1] Si vales bene eſt, mi Gronovi, ego valeo. De me ut crebro ad te literas darem conſultum non fuit, tum quod novi vix habebam quod te juvaret, tum ut otio tuo non nocerem, quod tu tam ſancte collocas: adde quod reſponſi vix aliquid a te poſſim ſperare. Interim te ſaluto, & cum omni domo tua valere te jubeo, propediem etiam coram te amplexurum promitto: ſive Hagae velis, ſive Amſtelrodami, ſive domi tuae: Vale, mi Cognate & me ama, tibi ἀνυποκρίτως dovotiſſimum.

[1] Haec ſcripta erant *Langermanni* manu.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCLIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CLariſſime & Amiciſſime Virorum. Francofurto nunc a me compellaris, & quidem paucis, Baſileâ compellatus jam ante. Moram in via diuturniorem traxi, quam fore putaram. Nam Baſileae partim, partim Argentorati in Ovidianos incidi codices ſatis multos, quibus inſpectis opus habebam: haec cunctandi fuit cauſa. Unus prae caeteris *Berneggerianus* magno uſui fuit. Inveni in eo confirmatas tres aut quatuor conjecturas meas quantivis pretii, de quibus coram. Nunc enim feſtino. Si Rottendorfianos Ovidii codices etiamnum ſervas, eos quaeſo aut Leidam aut Amſtelodamum prima occaſione mitte Non enim diu in Hollandiâ ſum cunctaturus. Tui tamen conveniendi facultas, ut ſpero, dabitur. Argentorati in bibliotheca publica veterrimum Senecae Epiſtolarum exemplar ſervatur, quo uti non licuit propter temporis anguſtias. Id inſpexiſſes ipſe vellem. Ante Kal. Auguſtas domi ſum futurus. Vale. Salutat te *Langermannus*, qui parentem ſuum in acidulis Swalbacchianis heri convenit. Francofurti. CIↃIↃCLIII. XXX. A Julii.

EPISTOLA CCLX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio

Daventriam.

DE ſucceſſu itineris noſtri, Virorum amiciſſime, deque meo in has oras adventu, ut multis nunc tecum agam, nihil neceſſe, cum ex *Langermanni* mellitiſſimo ore omnia doceri poſſis. Te complecti praeſentem vehementer velim: non enim deſunt, quae tibi tradam. Argentorato multas attuli epiſtolas *Caſauboni* & πάνυ ineditas. Craſtino mane Amſtelodamum cogito; tum ut videam, an ſarcinae advenerint Auguſtâ Vindelicorum, quos inter anuli duo veteres, tibi ab Equite *Puteano* deſtinati, tum ob aliud curandum negotium, quod familiam noſtram ſpectat. *Goeſius* hîc decumbit ex tertiana febri, ſatis periculoſe, niſi quod bene ſperare nunc jubent medicorum filii. Ni melius proceſſerit ejus valetudo, iter Suecicum promoveri a me vix poterit. Perendie Amſtelodamo huc revertar, ut adſim aegrotanti. Arcas quatuor libris rariſſimis onuſtas mihi periiſſe nuncio. Captae illae a pirata Anglo, mox a noſtris recuperatae. Sed fama fert, praedam omnem Liburni publice divenditam.

Digitized by Google

tam. Ultimae tuae IV. Kal. Quinctiles exaratae Coloniam a *Voſſio* miſſae, ea in urbe mihi ſunt traditae. Alias tuas Heidelbergam ſe miſiſſe adfirmat, quas necdum vidi. Non enim tranſire per illam civitatem mihi contigit: *Franciſci Junii* opera ad me perventuras ſpes eſt. In Ovidio jampridem totus ſum, ejus Metamorphoſes nunc me exercent, ex occaſione quatuor codicum ſcriptorum, quorum uſum *Balthaſar Moretus* mihi conceſſit. Locus ille, *Quodque ſuis ſecurus arat*, jam a Dionyſio Salvagnio notis in Ibin eſt occupatus, qui monuit ſic eſſe reſtituendum. Idque mihi etiam probatur. Τὸ *congreſſu primo* in nonnullis membranis inveneram, & veram lectionem credidi, poſtea animadverti vetuſtiores libros exhibere *congreſſus primi*, ut tu conjicis: unde ego tamen fingebam,

Poſtquam congreſſus primi ſua verba tulerunt;
Cecropidum Cephalus peragit mandata.

Cecropidum mandata, mandata Reipub. Athenienſis. Illud, *omnis eat rerum ſtatus iſte mearum*, corruptum eſt omni procul dubio. Scripti quidam ex antiquioribus habent, *& omnis ait*. Ego tuam conjecturam non improbo, dum deeſt melior: paulo poſt, *ſuperat mihi miles & hoſti*, cum ſcripti quidam exhiberent *ſupereſt*, tentabam olim, *ſupereſt mihi miles*, *& o ſit*, pro *o ſuperſit*. quia Cephalus mox reponit, *Imo ita ſit*. Tua conjectura, *& hoc eſt* ab excerptis Vaticanis confirmatur. Ego adhuc haereo. Libro XV. *I quoque dilectos mactatos obrue tauros*. Pro *quoque*, legendum *Scrobe* adhuc perſuaſum habeo. Sed cum veterrimus agnoſcat *dilecto*, alii quidam *delecto* vel, *delectos*, ſimpliciſſima mihi lectio videtur, *I ſcrobe detecta mactatos obrue tauros*. Scrobe detecta, pro effoſſa. Sed modus non eſſet. Si ad nos excurrere non potes, ego ita iter fortaſſis inſtituam, ut per civitatem veſtram tranſeam. Vale. Lugd. Batav. IV. Eid. Sextil. Gregor. CIↃIↃCLIII. Multa nocte.

EPISTOLA CCLXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

NOn erat, quod nunc ad te ſcriberem, niſi forte illud (quod dubito num in mentem fuerit Aſclepiadae, quippe cui gaudendum potius fuerit, quod cum ſpoliis opimis evaderet, quam dolendum, quod non ampliora exſpectaret:) *Invitus Regina tuo*, cum ſub ipſum tabellarii diſceſſum literae ex Germania allatae me compulerunt de te εὐαγγελια mereri. Prodierunt enim (is titulus) *Caſp. Barthii* Adverſariorum Commentariorum tomi reliqui duo: ſecundus nempe & tertius: complectentes centum & viginti libros reſiduos, quibus auctor huic operi, ſenio & imbecillitate adactus, colophonem impoſuit. Emendantur, illuſtrantur, conſtituuntur, univerſo hoc opere, centum octoginta commentariis

Digitized by Google

tariis constante amplius duobus millibus Scriptorum ecclesiasticorum, aliorumque pusquam ducentis locorum millibus, quorum pleraque pars intacta fuit hactenus, vel sic tentata, ut melior hac opera exeat: praecipue Christiana antiquitas curatur. Lipsiae edente auctore. Et corollarium, [1] *Aeneae Gazaei* & *Zachariae Mitylenaei*, Philosophorum Platonicorum Christianorum, de resurrectione mortuorum & interitu mundi dialogi plus quam aurei. Caspar Barthius Eques interpretatus est, emendavit, & animadversionibus illustravit. Lipsiae edente auctore. Habes propter quae vadimonium deserere velis. Julianum an paraverint mihi *Langermannus* & *Bulsius*, quos salvere plurimum jubeo, scire haveo. *Cecropidum Cephalus* magis placet, quam *Cecropides*. Vale, & feliciter ambulate. Daventriae prid. Id. Sext. CIↃIↃCLIII.

1 Hi auctores prodiere Anno 1655. post ejus mortem, cura *Daumii*, ut ex ejus epistolis ad *Bosium* III. & seqq. discimus; sed volumina illa adversariorum Adhuc premuntur, & forte strangulata jam sunt.

EPISTOLA CCLXII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

DE discessu in Sueciam meo vellem adfirmari a me certi nonnihil posset, Virorum amicissime. Nam nec consultum videtur sine sarcinis illis, quas Venetiis expecto, in viam me conjicere, nec illae tantopere expectatae comparent. Quid quod ne doceri quidem a mercatoribus possum, quando sint adfuturae. Adfuturas tamen brevi spem faciunt. Interim curae mihi erit, ne hoc otio abutar. Jam poëmatis meis manum admoverunt typographi, & supremam imponent, ut auguror, ante profectionem. Est enim pagellarum res paucarum. De *Naudaei* nostri morte jam ex Langermannianis intellexeris credo nonnihil. Ad Abbatis Villam (quod Picardiae oppidum) excessit, dum Parisios contendit versus. Novam Alexiadis adornari editionem a *Possino*, & hoc, puto, docuit te *Langermannus*. De Adversariis Barthianis gratus est nuncius. Τὸ *Cecropidum Cephalus peragit mandata* probari tibi gaudeo. Paulo ante dixerat, *Quae Cephalum patriaeque simul mandata ferebat*, de navi Atheniensi. Statii tui sex exemplaria ab Elzevirio tuli, quorum primum mihi vindicavi: secundum accepit *Langermannus*, tertium Eques *Puteanus*, quartum *Datus* habebit, de quinto & sexto, quibus mittenda sint, videro post. *Valerio* forsan *Chimentellio*, eloquentiae Pisis professori, & Comiti *Ferdinando del Maestro* Florentino. Paucas pagellas percurri festinans, quae plurimum placuerunt. pag. 183. *Mitior & senibus cygnis & pectore Phoebi Vox.* Videtur *pectine Phoebi* legendum, quale mendum etiam Ovidio abstuli. Lactantius de Phoenicis cantu,

Quod nec olor moriens imitari posse putatur,
Nec Cyllenaeae filia canora Lyrae.

P. 177. *Sic erecta genas, aciemque effusa, trementi Sanguine.* Puto, *aciemque offusa trementi Sanguine.* Virgiliana imitatio est ex quarto Aeneidos. P. 178. *nec numina desunt*, malo *deerunt*, quod notis ad lib. II. de raptu Proserp. non tantum Claudiano, sed Virgilio quoque & Lucano ex MSstis reddidi. Vale, decus nostrum immortale. Amstelodami. Anno CIↃIↃCLIII. a. d. VII. Kal. Septembr.

EPISTOLA CCLXIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VEnerunt nuper ex aulâ Suecicâ Juvenes hi duo nobilissimi, quorum majorem natu ex fama jampridem novenam, probis omnibus probatum, & eruditione non levi tinctum. Alterius mores penitius licuit inspicere. Inserviit ille multis annis Augustae Principi, inter nobiles pueros adscitus, uniceque illi charus ac acceptus ob obsequia fidelissime semper praestita, quo in certamine reliquis sui ordinis omnibus palmam facile praeripuit. Major natu serius ad aulam accessit, cum ego jam inde discessissem. Haec cum ita se habeant, te per amicitiam nostram obtestor, Virorum Clarissime, per sacrum *Christinae Augustae* nomen, quod pari cultu uterque veneramur, ne illis studiorum causa ad te contendentibus desis. Missi sunt a Domina in Bataviam, ut inchoatis, quae dixi, feliciter studiis manum supremam imponant. Caeterum cum res Academiae hujus non sint eo, quo velim, loco, ac humaniores literae ob *Burmanni* nostri diuturnum & pertinacem morbum valde inter nos frigeant, auctor illis fui, ut tuae disciplinae se traderent. Hoc igitur age, ac persuasum certo habe, non tam me, cujus causa omnia te velle scio, hoc officio forte demerendum, quam Dominam, quae collatorum in suos beneficiorum oblivisci nunquam solet. Vale. Dabam Lugd. Bat. CIↃIↃCLIII. Prid. Kal. Septembres. Festinanti ignosce.

EPISTOLA CCLXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

DE Poëmatis tuis cuge, nec potest illa, quam hîc interim pones, mora melius collocari. De exemplaribus Statii, quicquid statues, mihi placebit.

Sed

Sed cur omittis *Laurodanum* & *Ferrarium*? Alia igitur quoque duo sume, ne hi nobis praetereantur inhonorati, non enim sex tantum, sed quot velles, tradere tibi Elzevirium & adscribere meis rationibus jussi. Libenter vidi, quae animadvertisti in Statio; sed *pectinem* abstulerunt Apollini, & *pectus*, quod ab illis accipere dedignarentur, dederunt homines sine pectore, operae: nam omnes scripti & editi alii, *pectine*. Ego tamen fateor pectus me non habuisse, cum errorem tam crassum transii. A *Fabricio* accepi post longum utrimque silentium. Cogito illi respondere cum fasciculo, quem credo recte tibi, aut *Langermanno* commisero, qui in itinere undecumque curare illi potestis, nam qua alia ratione mittam, nullam scio. Nobiles juvenes fratres, quos mihi commendasti, excepi libentissime, & faxo, ne venisse illos huc poeniteat. Jam in conducto commodo illos collocavi, jam horam attribui, jam semel audiendum me illis praebui. Non dubito te Leidae fore, cum auctio fiet librorum *Senetii*. Video in ea familias Romanas Vrsini, Miscell. in fol. n. 3. quem librum, si non plane conturbatorem mihi fore putas, si pretium ejus arcam meam posse ferre, ne dimiseris, te oro. Higinum ibidem num. 37. non mihi peto, sed amico, qui valde desiderat. In quarto optarem unum de Occonibus num. 17 & 22. In octavo num. 89: Roberti Cenalis de vera ponderum e mensurarum ratione. In Medicis in Octavo. num. 10. video Penotum de denario medico. Nescio quid sit, & numquid faciat ad rem nummariam veterum aut antiquitatem quamcumque. Plures movent salivam, sed pauciores designavi, ut tanto fidentius scires in his me pecuniam contemnere. Recipies in aspero, simul significaveris, quid exposueris. Si tibi non vacat, do tibi optionem delicias nostras Langermannum. Χαίρετ' ἐμὰ ψυχά. Daventriae VII. Kal. Septemb. Jul. CIƆIƆCLIII.

EPISTOLA CCLXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

MAgnus ille [1] *Pan*, qui secundam *Vossio* ex Suecia fugam minabatur, mihi quoque mala multa, ac ipsi Dominae exitium, nisi nos a se abigeret, ut ex *Moro* intelligebas nuper, nunc ad plures abiit. Alii Spadae, alii Aquisgrani in balneo mortuum ferunt. Trajecti ad Mosam sepultum certe constat. Nimirum, qui armis tantopere delectabatur, inter arma sepeliri voluit. Hunc casum accidisse mihi non valde lugubrem fateor: non quod minas hominis edentulas timerem, sed quod tranquillitatem animi unice amem, quam ille mihi propriam ac perpetuam haud quaquam reliquisset. Erat etiam eâ aetate, ut nihil solidi aut eruditi ab eo amplius sperari posset. Ut ne literae quidem mag-

1 *Cl. Salmasius.* Vide vitam ejus ante Epistolas. p. 54.

nam ejus morte jacturam feciſſe ſint exiſtimandae. Sed de his ſatis. Nolo enim *Mori* exemplum imitari, quem exultantem hoc nuncio modo vidimus. Cauſam is ſuam tenuerat contra Xantippen in Synodo Ultrajectinâ, atque hoc nuncio perculſum adverſarium ſuum putat occubuiſſe. *Voſſius* in Sueciam meus appulit, priſtinae dignitati reſtituendus. Ego cras aut perendie eo etiam cogito. Te videre in via deſideraram, ſed per haſce pluvias vix licebit. Quare ſi *Schelius* noſter etiamnum Swollae eſt, eo mitte, ſi quid voles: ſin minus, Hamburgum. Exemplaria Obſervationum tuarum ſex cum libellis in faſciculos diviſi, ad amicos Italos mittenda. Aliud exemplar, quod mihi ſervem, a tua liberalitate expecto. Poëmatis meis ſuprema tandem manus impoſita. Rutgerſianis quoque hac hebdomade imponetur. Ubi omnia erunt parata, *Goeſio* curae erit, ut cum tuis libellis in Italiam mittantur. Tu ab Elzeviriis tot pete exemplaria, quot voles. Si moram apud vos trahet *Schelius*, illius etiam ratio a te habenda eſt. Hodie mercator ſpem fecit fore, ut Swollae inveniam ſarcinas meas tantopere expectatas, quas inter & duos annulos, quos Eques *Caſſianus* oblatos tibi volebat. Iis quid velis factum, fac ſciam. Statii tui duo adhuc exemplaria ab Elzevirio petam, quae *Ferrarius* ac *Lauredanus* ferant. τὸ *pectine* gaudeo tuo ſuffragio probari. Erant plura hujus notae, quae differo in majus otium. Sum enim nunc occupatiſſimus, unde fit, ut doctiſſimo *Grevaeo* ne quidem reſpondere poſſim. Habui nuper a *Valeſio*: is totus eſt in hiſtoriâ Euſebii eccleſiaſticâ edendâ. Nobiles illos Suecos tuâ conſuetudine non indignos fore ſpero. De libris in auctione Smethianae bibliothecae emendis utinam tempeſtivius me monuiſſes! Urſinus de familiis Romanis 20 Florenis eſt venditus. Puto illum tanti a te non fieri. Huc accedit, quod ex Elzevirio intelligam novam ejus editionem Antverpiae prodiiſſe. Caeteri quoque libri nimis caro venditi. Penoti de denario medico ſcriptum nugatorium eſt, agit de decem methodis morbos curandi. Vale, virorum amiciſſime. Amſtelodami CIↃIↃCLIII. 16. Sept.

EPISTOLA CCLXVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Swollam cum adveniſſemus ego ac *Langermannus* noſter, oportune illic deprehendimus allatam ex Italiâ arcam, quae ſarcinas pretioſiores continebat. Depromſi inde confeſtim duos anulos, quos tibi deſtinarat Eques *Puteanus*: quamvis eâ ab illo ad me venerint conditione, ut mihi integrum eſſet, ſi placerent, mei illos juris facere, ut teſtis eſt *Langermannus*, qui viri humaniſſimi inſpexit literas. Ego autem, etſi antiquariâ hac ſupellectile multum capiar, eos nequaquam invidendos tibi duxi. Reliquum eſt ut gratias viro optimo agas. Eas enim

Digitized by Google

enim differre, dum libri tui Romam perferantur, nimiae sit cunctationis. Nam nec naves Italiam aditurae sunt in promtu, & si maxime essent, tamen iter maritimum tardius plerumque nosti procedere. Anulum utrumque Anglo cuidam negotiatori, qui vicinum sese tuum adfimabat, tradidi, praesentibus *Langermanno* & Jurisconsulto alio, hospitae nostrae cognato. Anglum ipsum etiam sibi notum esse testabatur hospita. Si fefellit fidem, fac ut id intelligam, sin minus, paucis verbis hunc mihi scrupulum atque sollicitudinem exime. Rogavi te ultimis literis, ut duo poëmatum meorum exemplaria ab Elzeviriis peteres, quorum unum haberes tibi, alterum donares Schelio. Plura si desideras in Germaniam fortassis aut alio mittenda, non negabunt ea tibi Elzeviri. Ego certe tam malam mercem ultro tibi nolim obtrudere. Ultimum Elegiarum libellum si properanti oculo percurres, multum me demereberis; sed eâ lege, ut errorum libere me admoneas. Caetera, quae jam olim legisti, non sunt tanti, ut bonas horas in iis sinas tibi excutiendis perire. Si Hagam jam profectus est *Schelius*, aliud exemplar feret ab Elzeviriis. Id enim habent in mandatis. Trompio in viâ coepi parentare. Non potui eam mihi legem indicere, ut ab Anglis defricandis continerem manus, tam opportuna occasione. Interest enim bonorum omnium, ut flagitia gentis perditissimae innotescant posteritati. In ipsis poëmatis me nec illis pepercisse, facile deprehendes. Volebam in viâ te salutare: sed festinandum fuit. Plurimum me obstringes, si quocunque pretio in auctione Brinckianae bibliothecae Meursium de funere & puerperio emendum mihi cures, is enim unicus libellus mihi deest ex scriptis Meursianis omnibus. Volebam & Horum Apollinem Hoeschelii; sed eo carere possum. De pretio securus esto: nihil illius tibi perierit. De Smithianis libris doleo me gratificari tibi non potuisse. Serius enim ad me portatae sunt tuae literae. Quanquam eo omnes pretio sunt venditi, quo tuos esse nolles. Ursinum de familiis Romanis edi rursus Antverpiae monuit Elzevirius. Occonem etiam auctiorem Patavini parant. Amicus noster salvus in Sueciam advenit. Hospitio Legati nostri excipitur, donec pristinam in aulâ sedem invadat, quae ab aliis videtur occupata. Gratissimus Reginae adventus ejus fuit. Nam nec voluit revocare Princeps optima, quem ejecerat, ne poenitentiam facti prae se ferret: & laetata est summopere rediisse sponte, quem adesse sibi vehementer optabat. Beatum morte suâ *Alastorem*, qui haec ferre non cogatur. Ferenda enim fuissent. Plura erant, de quibus tecum confabularer: sed urgent comites. Hamburgo fortassis iterum scribam. Vale, decus amicorum praecipuum. *Grevaeus* ad Ovidium quae observavit, satis sunt jejuna. Respondebo tamen illi, ubi per occupationes licebit. Vale iterum. Bremae. Anno CIↃIↃCLIII. XXIII. Septembr.

Langermannus Amstelodamo ante abitum ad te misit *Gevartii* Electa, & Lexicon *Henrici Stephani* Medicum. Fasciculus *Grevaeo* fuit inscriptus.

EPISTOLA CCLXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

IMperaveram mihi, ne prius ad te literas darem, quam, quod vides, alloquium ad divinam Principem una mitti posset: ea res me in officio tardiorem fecit. Cruciavi enim me multos dies (quid dico dies, quasi de solido die praeter unam alteramve horam reliquam faciant οἱ φωτῶντες) sed tamen aliquot dies abierunt, antequam incipere potui, & tot occurrentibus obtrectantibusque invicem exordiis in uno certo mentem omnem figere & collocare, dum in vulgari argumento omnium vulgarium taedet. Non diffiteor me multum aestuasse: quin parum observare mihi majestatem tantam & fortunae & ingenii videantur, si qui audent securi projicere, quod ad illam allegent. Nunc tuum est non minus acrimoniae in censendo, simplicitatis in monendo, si quid improbes ipse, aut jure ab aliis improbari intelligas, fidei atque amoris in commendando, quae probes, ut intelligantur, adhibere, quam ego adhibui contentionis in scribendo. *Vossii* quoque nostri humanitatem & subtiles aures tibi non defuturas existimo. Mortes hominum insignium vellem paullo aegrius ferri: vereor enim, ne alterum dicant *rabere*, alterum *morari* prima producta desiisse. Sed prior ille quantus foret luctus (poene insertui: quae de Priamo Juvenalis) si paullo moderatius egisset. Nunc vix extra domum, forsan ne ibi quidem pie satis lugebitur. Quin & adfertur nuntius horribilis de spectro viso, quod mandaverit omnia scripta exuri, praeter Antimiltonum, & de majoribus monstris, qui huic ludibrio paruerint. Sed eas fabulas censeo. Suollae invenisses exemplar Observationum, si tuae fuissent citius curatae. Sed quas die Lunae dederas, die Jovis demum in prandio mihi reddebantur, ut illo die nihil mihi posset. Servabitur hic integrum tibi, donec accipere possis. Poëmata tua exspectamus ego & *Sthelius*, qui in conventu Nobilium & civitatum nuper hic occurrit, & aliquoties suaviter egimus. Anglus melior omni gente sua, certe quae imperat, recte curavit annulos, eoque nomine maximas tibi grates ago. Laudo pietatem erga *Tremplum*. Dignissima ingenio tuo virtus viri, & gestio videre atque ostentare. *Meursius* de funere emptus est tibi. Jusseram & Orum, sed videtur deterritus pretio procurator meus, etsi justum non parvo excedendi potestatem ei feciſſem: venierunt satis carc. Ant. Augustini dialogos habeo quinque florenis, tantidem Vegetium Scriverii majorem, Thomam magistrum & Phrynichum tribus. Nunc Eusebium Scaligeri & Gymnasticam Mercurialis apud Trajectum venor, qui nescio quomodo in immensam Sophistarum turbam venerunt. Vale, decus & praesidium nostrum, & quamprimum me tuis bea. Daventriae. IV. Eid. Octobr. Jul. CIↃIↃCLIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCLXVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

ALterum fere menſem jam ago Holmiae partim, partim Upſaliae, Amicorum decus. Upſalia reliquam hyemem, ſi quis conjecturae non vanae locus, nos habebit; quod Holmiam peſtilentia adflare pergat. Ea res, ut multis aliis, ita mihi permoleſta accidit. Vitae enim deſultoriae pertaeſus poſt tantas itinerum moleſtias feliciter devoratas, de ſtatione aliquâ certâ anxie circumſpiciebam, cujus ope in gratiam cum Muſis redirem. Oppleta hîc omnia hoſpitia aulicorum confluxu. Tres aut quatuor ſimul in uno cubiculo, eoque anguſto, vivimus. Meditationes omnes procul habendae. Vix ſcribendis literis locus, niſi inter continuas interpellationes hominum otioſorum. Felices vos, qui aetatem agitis tranquille, & procul a tam operoſis ineptiis. Ex patria nuncios jampridem nullos accipio. Unde fit, ut ignorem hactenus, annuloſne veteres acceperis, Illuſtriſſimi *Puteani* munus, & meorum Poëmatum exemplaria. Scripſiſſe certe te, nec oblitum mei, ex iis, quas ad *Voſſium* dediſti, nudius quartus mihi innotuit. Tradidit amicus noſter dedicationem tuam Dominae, & placuiſſe teſtatus eſt. Si in meas manus ejus exemplar perveniſſet (quod nullum hactenus pervenit, credo, *Goeſii* ſupinitate aut abſentiâ) pro eâ, quae mihi tecum intercedit, neceſſitudine, deleviſſem τὰ, *D. Guſtavi filiae*, *D. Caroli Negti* &c. Non enim ignoro, ſuis, quam ſuorum, laudibus cenſeri Dominam malle. Addebat *Voſſius*, ne hoc quidem ſatis illi probatum fuiſſe, *frontis imbecillitas*, credo, quod dicti elegantiam non perceperit. In Verſione Graeci carminis vide an metrum ſatis ferat, τὰ *Propitians*. *Johannes Schefferus* Argentinenſis *Salmaſio* parentavit heſterno in hac Academiâ die, idque juſſu ac mandato regio. Multis & ſuperfluis laudibus onerabat defunctum, ut audio, (nam nugis iſtis non vacabat mihi intereſſe) nec ab adverſariis ejus vellicandis ſibi temperabat, quos veſpertilionum decorabat elogio. *Voſſio* bilem movit haec dicacitas, mihi riſum. Vide quid libido poſſit ſupparaſitandi. Mihi enim certum eſt homini non malo haec dicenda fuiſſe nonnulli. Edidit is nuper ſuos de Re veterum Navali commentarios: opus elaboratum quidem, quod tamen omnium expectationi reſponſurum non ſit. In aulâ non id eſt literis nunc pretium, quod fuit olim. Studiis ſe denuo invigilaturam quotidie minatur Domina, & faciet fortaſſis. Ego praemium non vile pro confecto feliciter itinere Italico jubeor ſperare. *Langermannus* in Hiſpaniam deſtinatur. Sed de rebus noſtris plura proxime: quae tibi uni dicta ſunto. *Voſſius* hac hyeme in Gallias forſan excurret. Quod ſi fit, ex ejus ore omnia plenius, quae hîc agantur, cognoſces. Scis enim quam

non

Digitized by Google

non tuto chartae ista committantur. Vale CIↃIↃCLIII. Nonis Decembribus Gregorian. Upsaliae. *Meibomius* Sueciam deseruit. Ferunt non placuisse illi titulum subbibliothecarii, nec τὸ *sub* hominem delicatum potuisse concoquere. A Rege Daniae plenum bibliothecarii titulum obtinuit, si rumori credendum. Has jam exararam, cum *Schefferus* me convenit. Multus fuit in excusatione panegyrici funebris. Respondi, gaudere me, quod laudasset mortuum. Vale iterum, & scribe frequenter.

EPISTOLA CCLXIX.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

SEro quidem, non inoportune tamen, tuae mihi fuerunt redditae diebus proxime elapsis, Virorum amicissime, quas a. d. IV. Eid. Octobr. exarasti. Dedicationem Livio praefigendam amicus noster Dominae jam exhibuerat, ut ultimis meis significavi: sed arreptâ occasione nequaquam commodâ, adeo, ut, vix paucis versibus perlectis, propositum abrumperet illa, & confestim quicquid chartarum erat, redderet, credo quod arbitraretur schedas illas a te expectari typographo committendas. Aderat tum Legatus Hispanicus, vir non malus, sed literarum rudis, cujus interventum intempestivum accidisse facile intelliges. Praeterea turbatum valde in aula fuit per menses duos continuos, & ipsa Domina praeter solitum difficilis ac morosa. Detumuisse tandem, aut saltem detumescere haec videtur procella nunc paulatim, postquam impetum convertit omnem in caput illius, qui quondam unicus erat in palatio. De Archiatri sycophantae adversario puta me loqui & subversore. Is nunc & ipse cecidit, non tam dignitatibus, quam auctoritate omni exutus, & aulam jussus deserere ac ruri latere. Funestum profecto spectaculum. Causae proferuntur variae, & fortassis justae. Sed hac de re aliquando confabulabimur, nunc non vacat. Ego patronum perdidi, sed nec praecipuum. Extat penes me atrox & plena fulminis epistola herilis, quâ culpam deprecanti & reditum in aulam captanti respondetur valde contumelioše. Sed de his non est hujus loci instituere narrationem. Ut igitur ad dedicationem tuam revertar, cum deprehensa esset a me Domina nudius tertius & sola & otiosa, tui mentionem injeci, quaesivique, an dedicationem legisset Livio destinatam. Cum negaret se legisse, obtuli legendam: quam illa avide arripuit, & attentâ lectione, quantum observare licuit, examinavit, & absolvit me praesente fere totam. Cum interpellaretur ab aulicis supervenientibus, complicatas chartas in sacculo recondidit majori, ut apparebat, cum otio legendas, nec hactenus reddidit. Locuta est de te valde honorifice: multa super te rogabat. An uxorem haberes? an liberos? an prolem masculam? an illa bonis artibus incumbe-

beret? Cum annuissem, laudabat institutum. Inscriptionem dedicationis solam non probabat, qua de re proxime tecum egi. Inter legendum semel iterumque interrumpens negabat, tot suas laudes se vidisse unquam in unâ pagellâ. Atque haec de dedicatione tuâ. Venio nunc ad epistolam, ex qua maxima percepi cum voluptate, redditos tibi anulos ab Anglo vicino tuo. Officii memorem te fore confido, & gratias aut acturum brevi, aut jam egisse *Puteano* nostro. De Scythomaniae [1] candidato facilis jactura est, postquam ingenio suo coeperat abuti indignum in modum. *Alastorem* diutius vixisse forsan praestitisset, nisi & ille omnem eruditionem nescio quibus ineptiis decrevisset imposterum dedicare, aut potius horrendis impietatibus, quas cum stupore aliquando ex me intelliges. Animam mortalem esse, mundum aeternum palam hîc non tantum professus est, sed minabatur quoque ingentes pro more suo commentarios illa de re se conscripturum. Sintne illae schedae, quas combusserit uxor, non dixerim. De spectro res faceta est. Coniux vivum exagitarat, nunc ille conjugem mortuus. Appositum apud nos proverbium scis, *Elcke Duyvel heeft syn maent*. Amicus noster pergit in proposito de Solinianis exercitationibus confutandis, praesertim cum intelligat Gallos Apotheosin mortuo parare. Tu inimicum perdidisti majorem, quam sciebas. Poëmata mea necdum vidisse te miror, cum ante menses tres quatuorve jam prodierint. Si necdum vidisti, pete ab Elzevirio exemplar, vel plura, si voles. Judicium de iis tuum invidere mihi noli. Musteum inprimis illum Elegiarum libellum, qui novus accessit, cum cura lege, & quicquid a te in illo improbabitur, ad me perscribe, ut mutetur in secunda editione & corrigatur. Trompiani manes vellem accessissent. Luculenta est elegia, quam apud me videbis. Nunc enim describendi ejus otium mihi non est. Exemplar *Vlitio* miseram, necdum perlimatum: hoc illum cum aliis communicasse existimo. Vidi enim hîc literas, quibus Hagâ scribant, non placuisse. *Boyis* puta & *Plantis*, quorum magnus illic numerus. Peream, si nostri homines intelligunt, quid sit bene scribere. Meursium de funere a te emptum mihi gaudeo. Serva illum diligenter, dum adsim. Adfuturum enim me auguror ante aestatem proximam. Libellum supplicem paravi Dominae, non sine cura conscriptum aut meditatione, in quo magnâ verborum libertate causam meam ago, & officia a nobis in domum Regiam collata per annos fere quadraginta continuos, cum ingenti facultatum nostrarum detrimento & jactura, recenseo. Libellus ipse huc spectat, ut Rutgersianae rationes tandem expungantur, mihique confecto negotio recursus ad meos concedatur. Nolle enim me diutius cum inscitiâ mea conflictari, & studia negligere, quibus vitam ipsam longe viliorem duco. Invita, sat scio, perleget libellum: quod adesse me sibi malit, ut quem fidum rebus suis experta sit semper. Sed jacta alea est. Rationes non improbabis, quae me huc compellunt. Salutat te Langermannus. Vale, flos amicorum. Upsaliae. Anno CIↃIↃCLIII. Prid. Fest. Natalit. Tumultuariae scriptioni ignosce, quae properanda fuit inter continuos interpellantium aulicorum strepitus.

1 *Boxhornio.*

EPISTOLA CCLXX.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

COmmercii literarii ſtudia inter nos jampridem frigere, Amiciſſime Gronovi, longe moleſtiſſimum eſt. Nullas a te accepi, ex quo in has regiones ſum reverſus, praeter unicas. *Goeſius* rarus eſt Amſtelodami: cujus aedes nemo inhabitat, hero ut plurimum abſente. Unde fit, ut quae illuc feruntur literae, majori ex parte in manus meas non perveniant. Hoc fatum cum & tuas ſubiiſſe exiſtimem, recte poſthac feceris, ſi eas Leidam ad paternos lares perferendas cures. Conſilium, quod Regina cepit nuper, non potes ignorare ex publicis rumoribus, ſi literae, quibus rem totam nunciaram, aberrarunt. Poſt menſem, regiis inſignibus depoſitis, privatae vitae addictam videbimus. Diadema ſucceſſoris capiti imponet ipſa: quibus ſolemnibus peractis, in Pomeraniam confeſtim diſcedet, atque inde, quod minime forſan expectes, ad Spadanos fontes in Leodicenſem agrum. Ab acidulis redeunti etſi perluſtrandam fore noſtram Bataviam nonnulli exiſtiment, incertus tamen eſt is rumor, quem proinde a te divulgatum illic terrarum nolim. Si occurras illi in viâ alicubi, recte rebus tuis conſulas: praeſertim ſi Livio tuo manum ſupremam typographi impoſuerunt. Nihil non egit univerſus regni Senatus, ut ab hoc propoſito Dominam avellerent: ſed nimis alte ejus animo haeret impreſſa ſententia vitae privatae inſtituendae, quam ut tolli aut mutari ulla ratione poſſit. Me quod ſpectat: nihil prius habui poſt iter Italicum, quam amicos ſubornare, qui reditum in patriam meum a Regina impetrarent. Videbam enim ipſam Dominam parcius jam capi & delectari ſtudiis, videbam trahi Rutgerſianum negotium, videbam quoque non eam mei in itinere habitam rationem, quam diſcedens ſperare juſſus eram. Sed diſſimulatis hiſce cauſis, ad alias confugiebam, quibus domum revocarer, ſenectutem & adverſam parentis valetudinem praecipue prae me ferens. Per amicos cum nihil proficerem, ipſe cauſam meam libello ſupplici Reginae tradito agendam duxi: in quo ampliſſimis verbis, quae dicenda videbantur, exaggerabam: de Rutgerſiano potiſſimum negotio tamdiu contra datam fidem protracto queſtus liberrime. Paucis poſt diebus cum in Dominam incidiſſem, verbis humaniſſimis teſtata eſt lectum ſibi libellum ſupplicem, meque adhortari coepit, ut conſilium de patria repetenda projicerem. Ad quae ſatis frigide reſpondebam. Mox ejus nomine me convenit *Joannes Holmius*, qui de ſtipendio & dignitate ſeu munere aulico in me conferendis coepit diſſerere, animum meum exploraturus. Sed cum adfirmarem fixam mihi eſſe de diſceſſu ſententiam: honores & ſtipendia inter meos mihi non defutura: interjectis poſt nonnullis diebus denuo reverſus

obtulit

obtulit diploma jussu Dominae, in quo praeter expensas in Itinere Italico a me factas quatuor aureorum seu thalerorum Imperialium millibus donabar, brevi persolvendis pro officiis Augustae praestitis: adjecto etiam titulo Regii conclavis Secretarii ab epistolis Latinis. Egi gratias luculentas pro hac munificentiâ, ut debebam, Reginae: de Secretarii dignitate tamen admittendâ deprecatus sum onus, nisi Rutgersiano negotio finis imponeretur. Respondit illa, agrum jam se destinasse mihi in Pomeraniâ, qui aequaret summam debitae pecuniae, & fortassis excederet. Eo si satisfieri sibi pateretur parens meus, nullam in se moram fore. Annui oblatae conditioni, petiique effectum daret, ut rationes Rutgersianae quantocyus a Senatu excuterentur approbarenturque, si aequae essent. Aequas autem esse, jam intellectum sibi a Cancellario. Id autem me cupere, ne de agro controversia aut a Senatu aut a successore suo moveri mihi meisve posset, postquam regno sese abdicasset. Promisit & hoc & longe plura, sed ea conditione, ne clientelae suae me subducerem. Expecto anxie promissorum successum: quae si votis meis respondeant, cum Dominâ Spadam sum profecturus, id enim ut ego ac *Vossius* faceremus se velle jam significavit. Si destituent promissa, haerendum aliquo etiamnum tempore hîc mihi erit. Auctor enim est Illustrissimus Cancellarius, ne causae aequissimae partes deseram, trahi posse negotium rebus regni atque aerarii turbatis: non esse tamen de eventu prospero desperandum. Nec defuerunt ex proceribus, qui polliciti sint non contemnendos mihi in ipso regno honores, si e re mea putarem fore, ut sedem in Suecià figerem, & venturo Regi, quem bene mihi velle non nescirent, operam meam addicerem. Sed priores Dominae partes apud me erunt, si & promissa compareant, & ad intermissa studia curas denuo convertat: quibus vitam totam se destinasse reliquam ipsa vult credi. Habes hîc luculentam rerum mearum historiam, de caeteris aut coram, aut per literas: vides enim perplexa adhuc esse omnia. *Langermannum* quoque comitatui suo adsciturum se Regina mihi adfirmavit jam non semel. Sed cum in omnibus paterna is magis consilia sequatur, quam mea, parens autem auctor illi sit, ut domum se conferat, non video, quid de illo credi certo possit. Totus enim fluctuat, & impelli se modo paternis monitis, modo Reginae jussu, nunc huc nunc illuc patitur. Haec in aurem tibi omnia. *Balzacius* ad plures abiit nuper in Galliis, & alter epistolarum scriptor, cui *Maresio* nomen. Vale, decus nostrum, cum tuis omnibus. Holmiae a. d. III. Kal. Majas. CIↃIↃCLIV.

Poëmata mea an videris non scio. Malum nomen fuit Elzevirius, si eorum tibi copiam non fecit. Habes hîc responsorias ad *Graevium*, quas cures quamprimum velim. Salutat te peramanter *Vossius*, qui mihi hîc nunc adest, cras uterque Upsaliam sumus redituri.

EPISTOLA CCLXXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Upsaliam.

EGo quoque mirabar sedulitatem in scribendo tuam mihi exaruisse. Nam post illas, quas anno praeterito pridie festi Natalicii dederas, nullum de te nuntium habui, etsi bis interea scripserim. Itaque avidissime arripui tuas venientes, resque & honores tuos (qui Deos oro ut proprii sint) libentissime, si quid unquam, cognovi. Etsi jamdudum me angit, sollicitat, cruciat transitus iste temporum, neque ullius solatii, nedum gaudii, compotem esse patitur. Quidquid admirer, quidquid voveam, quidquid ominer, nihil occurrit, aliud quam *Mea Glycerium, quid agis? cur te is perditum?* Itaque aeger animus omnia fastidit, & mentionem etiam istius rei horrescit. Contextus Livii absolutus est ab operis. Praefatio quoque jam impressa est, ut erat initio concepta, nisi quod delevi C. N. G. R. quando ita voluerunt, qui persuaserant S. M. Germanismum esse, qui erat Romanismus purissimus, ut Fasti consulares loquuntur totis paginis, ut Caesarum quoque tituli & Inscriptiones. Immo Germani, saltem quos ego adii, omnes istam rationem ignorant. *Theodori Johannis* filii Delphenses sunt. Notas, si libebit, aggredientur propediem, quas nunc quoque nimium crevisse queruntur. At me ita jamdudum longi laboris taedet, ut sive minuendi, sive augendi, sive adeo absolvendi, quod parvum in fine restat, causa manum illis, etsi mihi aliquoties imperaverim, admovere nequeam. Exspecto, ut pro libidine sua ipsi sceleste truncent. Ne tamen nihil agam, subinde me revocat res nummaria veterum, cujus poene nullam partem non attigi in tribus jam affectis libellis de Sestertiis, quos indies exspectat typographus. Nihil magis vereor, quam ne illi, qui solus haec scire videri volebat, obtrectasse videar: adeo mihi saepe occurrit. Videbis tamen quam nihil quaesitum, quam mollis ad omnia, & utsic dicam, in solum veniens occasio. Erunt & alia, spero, quae ubi videris, tibi placebunt. Non enim parum contendimus viriculas nostras. Etsi nunc totus langueam, torpeamque, nihil astute profecto cogitans; sed tantum dolens vicem gloriae, cui (non enim virtutis tantum, ut tu canis, hic exitus) in malum suum pronae diisque aemulae propediem ἐκ δ ἐνιαυτοῦ ἔαρ ἐξαράιρηται. De occursu, si eatis ad aquas, recte suades, & ego equis, velis. Poëmatum tuorum ad me duo exemplaria misit Elzevirius, quorum alterum *Schelio* tradidi, etsi jam emerat. Non ignoras & tunc & aliquot postea congressibus certamen nobis fuisse, uter magis admiraretur genium tuum, uter plura, quamquam omnia sint, bene dicta annotasset. Vale, Heinsi nobilissime, & me ama. *Vossii* δ πάνυ fuit mihi salutatio gratissima, & quam non levioris animi officio remuneror. Daventriae. IV. Non. Jun. Jul. CIƆIƆCLIV.

EPI-

EPISTOLA CCLXXII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

LAetatus sum, ut qui maxime, acceptis literis tuis, Virorum Clarissime, quibus intermissum multo tempore scribendi officium instauras denuo & auspicaris. Sedulitatem istam ut probare mihi pergas, etiam atque etiam te adhortor. Rerum mearum statu nihil est turbatius. Instabat Domina discedens, ut sese comitarer in viâ. Sed cum nec Rutgersiano negotio finis imponeretur, nec expensis istis, quas in Italiâ nuper feciſſem, perperam consulturus mihi videbar, si profectioni accingerer. Non enim exploratum habebam satis, quam diu domo abfutura esset Domina, aut quo haec ejus consilia spectarent, in quibus nihil observabam praeter meras fluctuationes. Itaque amolitus a me sum itineris ineundi molestiam verbis, ut potui, mollissimis. Post discessum ejus optime de rebus meis incipiebam sperare. Nam animadvertebam curas procerum potissimas occupari in aere alieno, quod conflasset Domina, expungendo; nec nesciebam esse me haud malo apud τὸ αὐτοκρατορικὸν loco: cum ecce funestus advolavit nuncius de bello apud Bremenses, exorto praeter expectationem. Quo impulsore faba haec sit cusa nescitur. Rege certe & Senatu invitis ad arma veniendum constat satis, qui nunc toti sunt in cogendo exercitu. Si gliscit haec tempestas, de qua componenda spem vix ullam opinor supereſſe, ego caeterique creditores jubebimur plorare. Facile enim intelligis, sumtus ad bellum maximos esse faciendos, qui in nostros usus converti potuissent. Quicquid sit, aestatem reliquam hîc exigendam mihi proposui, ut rebus meis invigilem, quo tempore si literis tuis frequenter me conveneris, multum cepero solatii ex amicâ compellatione. De aulae hujus statu plura ex amico nostro intelliges, qui jam ante mensem alterumque ad vos rediisse debuit. Opima is spolia & ampliſſimam praedam, sed valde invidiosam, ex regia bibliothecâ secum in Bataviam reportavit. Fremunt enim hîc omnes, & illi uni imputant direptam bibliothecam, quanquam ultimus accesserit ad depopulandum agrum tam fertilem, cum reliqui praedando jam fatigati essent; nec quicquam abstulerit praeter spicilegia, post diligentissimam Gallorum messem. *Langermannus* toto, quo hîc haesit, tempore, subiratior mihi fuit: quod & se & alios literatos non eo esse loco in aula videret, quo futuros sibi promiserat. Qua in re nullam tamen culpam meam agnosco. Dominam certe nusquam conveni, quin fervide illum & accurate commendarim, neglectis meis fortunis. In eo peccavit, quod rogatus, ut in Hispaniam excurreret sub adventum in has oras suum, ad perlustrandas regni illius bibliothecas, demandatam provinciam non solum deprecatus sit, quo nihil deliquisset,

sed recusaverit satis praefracte & rustice. Nuper etiam abeunti Dominae & petenti, ut sibi operam suam porro addiceret, addicturum se negavit. Interim canonicatum Hamburgensem pro sororis marito obtinuit, & pro se locum, qui primus esset vacaturus, inter Assessores Vismarienses, etsi de Hamburgensi canonicatu rem dubiam esse affirmet. Mihi autem cum non nesciat prorsus periisse longioris servitii tempora, tamen querelis suis molestus esse non desinit. Sed haec in aurem tibi. Amo enim juvenem egregium ex animo, & amabo semper. Tum suspicor haec parentis impulsu fieri, qui ad rem est aliquanto attentior. De Germanismo res est ridicula. Libere aliquando cum in gentem illam esset jocata, ut est dicax admodum, Domina amico illo nostro praesente, nec ille dicteria haec ejus concoqueret, monui ipsam & rogavi, ne id fieret imposterum. Illa vero post tanto fecit liberius, credo ut male esset auditori suo. Putat enim omnes eo debere esse animo erga patriam suam, quo est ipsa. De Germanismo tamen in dedicatione tua nihil illa apud me, sed apud Vossium. Nec ignoravi, qua auctoritate faceres. In tanto otio Ovidium secundae editioni adornabo hac aestate. De locis apud illum corruptis, qui sunt plurimi, velim subinde mecum agas. Vale.

EPISTOLA CCLXXIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Davestriam.

PLuribus non ita nuper tecum egi, nunc paucis tantum licet. Instat enim atque abiturit, qui hasce ad te feret nugas. iis fraudandum te non duxi, Virorum amiciſſime, quo es erga me meaque affectu. De rerum mearum statu nihil ex *Vossio* nostro intellexisti, intelliges ubi Amstelodamum veneris. Opinor enim non neglecturum te oportunam Augustae conveniendae occasionem. Mihi haerendum hîc etiam, dum negotio paterno finis imponatur. Lento sunt ingenio plerique, quibus cum mihi res est. Multi in Senatu Fabii, Maximi pauci. Est tamen Heros [1] *Bucephalus* unus instar omnium, quem honoris causa nomino. Miros, ut audio, ludos in itinere nostro illa Herois dedit. Doleo tam inconsulte rem geri. Sed quid agas? Sua relinquenda est ingenio. Sapiet aliquando, & ad se redibit, ut spero, utinam ne sero sapiat. Sed haec non sunt hujus loci. *Langermannus* jam in patriam reversus est, Duci Meklenburgico, Principi eximio, quem & tu nosti, operam addicturus creditur. Invitatus ab illo certe fuit sic satis benigniter: commendatitiis abeuntem prosecutus sum. Nos interim avidi expectamus, quid errabundae Isidi sit futurum; quo consilia ejus spectent. Etsi arduum non sit conjectare, divinos honores vitâ ista desultoria mirum si consequatur. Livius tuus quo-

[1] Credo innui *Oxenstiernam.*

quomodo exceptus sit a patrona sua cupio doceri. Frigebant apud illam hîc literae. Incalescet fortasse rursus pulcherrimo ardore promovendae eruditionis. Ubi literas a te accepero, copiosius agam. Vale. Holmiae. CIↃIↃCLIV. a. d. XIV. Augusti Gregor.

Tomum Ovidii primum editioni novae paravi. Multa observavi de novo, quae primum fugere diligentiam. Epistolas Sabini tres multis locis restitui, ut & Elegiam in Drusi mortem. Probabis fat scio sollertiam. Epistola Paridis ad Oenonem locus hic crucem figit, *Visaque post latam jacuit ulta deam.* Nam MSt. desunt, ad quos confugiamus. Ultimum in eadem epistola distichon ita restituendum. *Nunc locus Oenone est: nunc illam ostende, paratis Sive meos ignes pellere, sive tuos.* Multa sunt hujus notae: de quibus alibi.

EPISTOLA CCLXXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

IGnosce quaeso oblivioni meae; accepi epithalamium tuum, & cum ipse mecum, tum postea una cum *Schelio* nostro, pari utriusque admiratione & applausu, legi. Pro loco Glossarii gratias ago. Habui interea eundem, & plura in eandem rem ex Anglia, de quibus, quid sentiam leges in *Addendis.* Nam ille foetus propediem clamari coget Ilithyiam. Invenies pag. 636. *Caeterum Torrentiani codicis varietates communicavit mecum Nic. Heinsius, non hac occasione modo, non admonitione perpetua consociatissimae voluntatis cum maxime animo praesens meo, sed etiam quia justissimum dolorem partimur, quando, dum ille in Sueonibus est publice, ego haec meditor, accipimus ambo juxta amaros nuncios, decessisse illi patrem, mihi hospitem incomparabilem, nomen ingens & sanctum, qua patet eruditio; suavitate carminis, facundia in utroque sermone, rerum divinarum & humanarum scientia, genio & indole scriptorum, elegantia vitae, neminem infra suorum temporum, paucis aequatum: quamvis maturum annis, & omnibus qua munerum, qua honorum, quae ingenio procedunt, emeritis stipendis, felicem in primis, quia clarum successionem inclitorum studiorum servavit abeunti domus, lugens interstinum funus pietate: nam orbitas literarum est, nisi tamen hoc quoque tristis ei accessit gloria, quod ubi illas, perque illas sese, sideribus intulit, cum sequiore sui parte sepulcro conditus invitus & hoc unum (si qua relictorum Manibus cura) moerens abstulit.* Est, opinor, tanti, ut haec otiosus legas, priusquam te copia illorum, quae cognoscere de nostris avebis, obruam. Rempublicam te egregie gessisse gaudeo profecto, & hunc animum tibi gratulor. Sed quid prodest te facere strenue, quum alii tanta peccent. Puduit nos nuper sententiae, cui vir praestantissimus, tibi non alienus, una subscripsit. Nunc multo magis pudet foedissimarum pactionum, quae de praefecturis

&c

& imperiis instituuntur. Quid juvat nos in sympulo compescere ambitum, cum vos ultro tantos ei fluctus excitetis in Aegaeo mari? O Veneti, soli scitis sacram esse rempublicam. Sed mihi jam Cynthius aurem vellit & monet deductius canere. Itaque haec soli tibi. Senecam tuum recipies propediem. Absit enim ut morer Ovidium tuum: nullum meum incommodum mihi tanti est. Ipse num illum dare possim, dubito. Ita tempus est, & instare videntur labores mihi per ipsas ferias. Quod teque meque tantorum mendaciorum reos agit, quid dicam? Quis erit finis? Interim nemo tibi plus debet, quam successor, quippe quae manibus pedibusque laboret, ne quem poeniteat mutationis rerum. Vicofortium ut mea causa alloquare jam tibi remitto. Aliunde rescivi, quod scire desiderabam. De vestra auctione quid constituistis? Valetudo tua me cruciat. Amabo, da operam, ut eam in solido colloces. Vale, mi Heinsi, & ampliſſimum Affinem tuum cum candidiſſima sorore meo nomine observantissime saluta. Daventriae XV. Cal. Januarias A. C. CIↃIↃCLV.

Lipsi libellum, si diversus est quam Leidae aliquoties ediderunt cum tr. de Magistratibus Ro. & nescio quibus aliis, non vidi.

EPISTOLA CCLXXV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

DEum testor, Heinsi carissime, in summa laetitia & gratulatione fuisse me & Schelium, ubi intelleximus (& ego quidem ab illo primo) tam honestam legationem tibi esse decretam, & quae proxime peccaverat urbs natalis tibi, ei omnia bona fide condonasse. Sed tardiorem ad scribendum, non amicis modo, verum & mihi ipsi, faciunt me assiduae recitationes, officia, domesticae curae. Te tamen, vel dum omnibus aliis cesso, eximium habuissem, si post *Vossii* discessum fuisset, cui ad te darem. Omnibus enim respondi tuis praeter binas: priores erant vetulae, Sextili datae, cum praecipiti Novembri mihi redderentur: posteriores nuper ad me misit *Romerus*. Livium nostrum emiserunt Elzevirii tribus tomis, causati Notas nimium creviſse: vendideruntque & distraxerunt (adeo contemnor ab illis, postquam nacti sunt, qui illis comparet Commentarios Reales (vidi hominis ipsius chirographo conceptum titulum istum) ad Herodotum, cujus ne unam quidem periodum intelligit *Lipsii* & *Heinsii* successor) totis tribus mensibus, priusquam ad me verbum de illo: tum quoque acribus literis admoniti, pro XXX. quae popoſci, tria mihi exemplaria misere, quae statim Antverpiam ego. Quae illis fortuna fuerit, juxta tecum ignoro: faxo tamen, ne me spes decipiat. Quicquid autem mihi vacui temporis proxime fuit, id occupavit pecunia vetus: quam ubi videbis, spero, non mirabere, dum ista investigamus, non aliorum esse nos potuisse. Vix quar-

quarta pars est, quod dedimus antehac, & id omnibus partibus clarius, ornatius, auctius. Jam prima folia habet Lud. Elzevirius, qui susceptit editionem. Respublica nostra sane quam turbata est. Homines, qui gratia unius dudum fuere potentes, postquam regnum suum cessare vident, laborant manibus pedibusque, ut rursus imponant nobis unum, per quem ipsi possint omnia. Eo ut pervenirent, improbissimo ambitu, largitionibus manifestis, & coitione cum duabus civitatibus facta, invadere voluerunt duo honoratissima, & lautissima munera, alterum etiam, priusquam vacuum esset, in sortem mittendo. Restitit pars melior nobilium & haec civitas. Itaque per tumultum dissolutis comitiis, concilio ipsi per se, neque loco, neque tempore justo habito, omnia illa improbe facta confirmaverunt, tanquam plures, & insuper creaverunt Praefectum provinciae Auriacum, & dum ille pupillus est, amitae illius virum. Nos haec pro irritis habemus, & sic discidio prope insanabili separamur. Utinam mittere tibi possem libellum, qui pro hac causa cum maxime prodit! quem quidem eo libentius legeres, quia auctor ejus est amicus noster, quo nemo vivit reipubl. amantior. Tabellarii ordinarii operam sumere non audeo propter sumptum. Servabitur tamen tibi exemplar. In Ovidio gaudeo te pergere. Noli quaeso imitari amicum nostrum, qui postquam malis versibus decuriam comparavit, & scriptum facere coepit, curavit mihi nuper nuntiari, se in barbarorum castra transisse. At ego illum nunquam illis recte excessisse puto. *Hanc tua constituit genitrix.* Apostrophe est ad Tiberium, ut videtur. *Rebus*, quia ipsi Liviae concors cum Augusto matrimonium fuit, quod frustra tentatum fuerat in Scribonia, in aliis. Scis illud, *Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi.* Quae tu notas, omnia mihi valde placent. In epistola Sabini & mihi pro desperato: *Visaque post latam.* Si pro *jacuit* reperire verbum aliud potes, sensum reperi. Scribo autem alia: *Ipsaque post latum ... ulta deum.* Martem nempe viro Anchisae posthabitum. Fabulam habet Servius ad II. Aeneid. vers. 650. *Cum inter aequales exultaret Anchises, gloriatus traditur de concubitu Veneris: quod cum Jovi Venus questa esset, emeruit, ut in Anchisem fulmina mitterentur, sed Venus eum cum fulmine posse videret interimi, miserata juvenem, in aliam partem detorsit. Anchises tamen afflatus igne coelesti, semper debilis vixit.* Vide an hinc possis aliquid exsculpere. In eadem lego: *Si levat hoc iras*, Item, *Nondum tantus eram. Quo me genitore superbum Arguis, hos domino tunc. r. e.* Priamo scil. Nec placet: *Nec cecinit.* Et fortasse etiam: *Hanc cecinit Grajos illa tenere toros.* Illa, Cassandra. Sub finem temeraria forsan est conjectura nostra: *Ipse pater, curam natae male doctus habere.* Tu videbis. Vale, & rempubl. privatamque bene gere. Daventriae, a. d. IX. Kal. Janu. anni venturi CIↃIↃCLV. quem tibi felicissimum voveo.

Digitized by Google

EPISTOLA CCLXXVI.

NIC. HEINSIUS

J. F. Gronovio.

Daventriam.

EX meis, quas anno proxime elapso ad te dedi, Ornatissime & Eximie Vir, quanquam omnes non sunt redditae, apparuisse reor liquido, quae causae me potissimum permoverint, cur post quinquennium commodis Augustae datum, de aliis mihi dominis circumspexerim. Mirum quam illa ab antiquis moribus & indole praeclara defecerit. Stoicam in aula laudari passim Philosophiam, Epicuream in usu esse videres. Theologiae nullum pretium, nisi unius Mezentianae. Cui perditissimae sectae quod aperte obloquerer & adversarer, id herili favore me fraudavit quidem, (ut *Bochartum* paulo ante) Regi tamen Senatuique reddidit ac bono cuique gratissimum. Adeo ut res meae nunquam magis floruisse viderentur, quam post discessum ejus. Accedebat favor obvius summi Viri *Axelii Oxenstiernae*, in integrum a Rege restituti; qui quod difficillimis temporibus addictum me sibi magnâ constantiâ esset expertus, cum primae etiam necessitudines domum ejus vitarent, vix credas quibus laudibus hanc fidem apud me aliosque prosecutus sit, ac praedicarit paulo ante quam in fatalem morbum incideret. Eo e vivis sublato in successore dignitatis paternae filio natu minore, quo familiariter jampridem sum usus, plurimum mihi praesidii erat, sed contemplatus magnas compilati indignis modis aerarii angustias, & nescio quomodo alieniores a gente nostra nuper factos Suecorum animos, melius me mihi consuturum sum arbitratus, si invitantes ultro ad id munus, quo nunc fungor, cognatos ac amicos audirem. Qui, quod ex meo didicissent responso, non fore ut recusarem Prolegati in hac aula provinciam, si a Patribus demandaretur, re in Senatu Hollandico proposita, effecerunt non modo, ut suffragiis omnium conspirantibus voto illic potirer, verum etiam ut Senatus ipse reliquis sex provinciis me fervide commendarot. Denique tanto impetu res confecta est, eaque celeritate, ut pene citius sim consecutus quod volebam, quam candidatum esse me scirem. Soli Zelandi & Frisones nonnihil obluctati sunt, idque pro more suo, ut sibi solis sapiant. Ita factum est, ut pro tempore delata sit dignitas, quam perennem ac perpetuam quinque provinciae mihi destinarant: addita tamen spe prorogandi ad vitam muneris. Hera autem, postquam animadvertit dominos non longe mihi quaerendos fuisse, (nam quod in aere meo esset, salutem a se solâ meam pendere habuerat perperam persuasum) nunc & honorifice de me loquitur, & suum esse vellet, ut ex aula ejus amici duo nunciant. Sed hoc frustra. Spem praeterea facit mox fore, ut debitum expungatur. Quare iidem amici hortantur, ut illi blandiar per literas, & frequentius scribam imposterum, quod semel

Digitized by Google

semel tantum a me factum est, ex quo hinc discessit, & quidem libere ac contumelioſe ſatis, cum exprobarim pluris cytharoedos ac hiſtriones ab illa fieri, quam homines literatos, in iis locupletandis dum exercetur, hos inopiae objectos esse & plorare jussos. Etsi autem tredecim florenorum nostratium millia mihi etiamnum debeantur, eos tamen ut consequar, nulla contendam parasitandi arte. Amicus noster floret apud illum gratia, hîc plerisque invisus est, quod illius, *Alastorisque* & Archiatri operâ heram periisse constans sit opinio. Nec de reliquis duobus dissentio. Tertium propugno ac defendo quantum possum, nullo tamen aut tenui admodum cum successu. Mezentiis tamen vellem paulo liberius se opposuisset. Sed de his omnibus coram aliquando confabulabimur. Audio enim senem nostrum in extremis esse, qui si supremum claudet diem, erit mihi ad meos excurrendum. Apud vos turbari doleo. Scriptum, quod polliceris, videbo. Sum enim & ego factus animal politicum: & quoties de publicis rebus in aula dissertandum est (quas tamen si dixero parum a me intelligi, facile mihi accedes, sat scio) magna audior attentione, tanquam Solon aliquis aut Lycurgus. Nec quicquam mihi deest praeter confidentiam, quo minus πολιτικώτατος credar, & artes omnes patricias in numerato habere. Ovidianos ex Reginae bibliotheca codices amicus noster sperare jubet, eos ubi nactus ero, & simul otium, supremam lucubrationibus imponam manum. [1] Epithalamium Duci Mecklenburgico scripsi nuper trecentorum versuum, fuit enim arcta mihi apud Italos cum illo necessitudo, & studiis poëticis non delectatur solummodo, sed ipse versus linguâ vernacula scribit elegantes. Ipsum carmen ut videas operam dabo. Agnosces tenues reliquias veterum elegantiarum. Ad epistolas Sabini habes hîc nonnulla, de quibus sententiam tuam anxie imploro. Conjecturas ad minimum viginti te probaturum auguror, quas ipse minus aestimo, hoc signo in margine notavi. Mirus fuit stupor meus, qui non viderim, quid sibi vellet, *τὸ Constituit rebus*. Vale, & si me amas, scribe frequentius. Schelio salutem. Holmiae. Nonis Febr. CIↃIↃCLV.

Has jam exararam, cum Schelii nostri libellum accipio Herois Beuningii operâ. De ipso scripto plura proxime.

1 Legitur lib. 11. Silvarum pag. 156.

EPISTOLA CCLXXVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Deventriam.

VIde quam sim factus barbarus, ex quo negotioſus esse coepi. Parum abest, quin precer peſſime elegantiſſimis tuis ſtudiis; quibus tam pertinaciter tamque mordicus adhaeres dies totos, ut mei tuique ac officiorum paene

omnium obliviſcaris. Patrem optimum ſcis amiſiſſe me, mi Gronovi. Juſtiſſimo huic dolori adhibenda erant a te ſolatia, ſi a quoquam adhibenda: cum iſthic terrarum ſit nemo, quem prae te amandum ac colendum mihi proponam. Tu vero, amicorum jucundiſſime, cum blattis tineiſque ſtrenuus fortaſſe rem geris, & cum larvis effoetae vetuſtatis luctaris, dum alii, quos modicae neceſſitudinis uſus mihi conjungit, officia tua tuaſque partes in congerendis ſolatiis non expectati occupant. Quantillae foret moleſtiae curas iſtas ad breve tempus abrumpi, & haberi procul, ne amicus amico deeſſes! Invitus, ſi te novi, audies, quod ſubjungam, cum tamen ſit veriſſimum. Quae ultro citroque quondam commeabant non frequentes tantum, ſed propemodum aſſiduae epiſtolae, adeo lente nunc procedunt, ut anno toto vix duae aut tres a te mihi exhibeantur. Illas quoque ſine jurgiis convitiiſque vix impetro. Pleraeque certe ex iis, quas poſtremas a te accepi, diuturnum iſtud ſilentium aut excuſant aut deprecantur; & cum agnoſcant culpam, nihilominus haud corrigunt. Cur enim frequentiâ & aſſiduitate literarum officium explere non mavis, quam frivolis ac longe quaerendis excuſationibus? Si locorum intervalla, quîs ſejungimur, frigus affundunt priſtinae conſuetudini, da quaeſo ex antiquis illis ſapientibus (quorum omnium praecepta in numerato habes, quoſque penitus concoctos in ſuccum ac ſanguinem, quod ajunt, vertiſti tantus vetuſtatis helluo) da, inquam, ex illis nonneminem, a quo edoctus ſis abſentes amicos eſſe negligendos. Fateor parum utilem minimeque fructuoſam jure optimo tibi habendam meam amicitiam: nec aſpernareris tamen, ſi antiquam meminiſſes. Patere enim, ut veteratorie me tibi commendem, quando digne non poſſum homo veterum urbanitatum transfuga ac deſertor. An plus lucelli ad te redundat ex ſupputatâ per lucubrationes continuas priſcae monetae ratione? Laudem, inquis, & gloriam iſtis conatibus conſequor, praeclaram omnino mercedem. Non nego. Recorderis tamen velim amicitiis conſtantibus & ſua praeſto eſſe ac fuiſſe ſemper praemia. Ago tecum ex lege ac privilegio temporis, cum nulla in te merita mea armare poſſim, quibus amorem debeas. Puerum olim dilexiſti, mox & adoleſcentem & juvenem. Nunc virum ferme factum cur faſtidis? Si neceſſitudini te ſubtrahis, neceſſitati non potes, quam continuatus tanto tempore benevolentiae alternae uſus tibi praeſcribit, utcunque detrectes jugum. Sed dum in hanc aream liberius excurro, parum abeſt, quin exciderit injecta modo mortis paternae mentio, cui potiſſimum hanc epiſtolam deſtinaram. Illi parentandum eſſe ſi non intelligis, haud profecto capis quid te deceat. Quod ſponte praeſtiterunt alii, etiam ignoti, tu familiaris & convictor noſter, quo tandem colore denegabis rogatus? Latus profecto ampliſſimuſque aperitur campus, quo ingenium exeras ac oſtentes, ſeu ligata malis oratione, ſeu ſoluta. Abſit enim ut fibulam imponam, aut praeſcribam terminum tuae facundiae: dum ne obliviſcaris, quid pietati dandum ſit. Nec mea magis intereſt, ut vir, in vita laudatiſſimus, laudetur mortuus, quam tuâ, tuique ſimilium, ne Galli ac Itali & gentes reliquae falſo perſuadeantur, cum illo litteras atque eruditionem apud nos interiſſe. Mox quippe colligam,

ſed

sed magno cum delectu, & publicabo quicquid ejus exequiis erit datum. Audio Lcidenses non defuisse officio; sed ne operose sint nugati metus est. Si per Patres licebit, ad vos Julio aut Augusto mense excurram: ut res familiares curentur. Rex enim expeditionem in Polonos parat, Borussiam, ut ferunt, invasurus. Quam oportunitatem elabi mihi non patiar. Si *Malingkrodium* aut *Rottendorfium* conveniendos Monasterii a me fore spes esset, per Westfaliam iter instituerem, bibliothecam utriusque excussurus, tum Helmstadiensem quoque ac Ducis Lunaeburgici illam celeberrimam. *Langermanno* nostro nuper impetravi a Rege, ut emolumentis Canonicalibus posthac fruatur non minus ac Capitulares reliqui, qui praefracte illum hactenus excludunt hisce reditibus. Ad Ovidium rarus deverto. Loca tamen tria vel quatuor ecce, quanquam levioris illa momenti, quae nuper sanabam. Vale, mi Gronovi. Dabam Holmiae. Anno CIↃIↃCLV. a. d. xx. April. Julian. *Graevius* ubi quaeso est? Scripsi ad illum copiose ante menses tres quatuorve: nec respondet. [1] Saltuatim quaedam delibabam nuper in tuo Statio, nec sine fructu, sed quae corrigebam pleraque typographi errata esse suspicor, non enim ulla mihi ad manum editio, praeter tuam illam, in quam operis typographicis non parum licuisse animadverto. Mari hinc nonnemo ad vos proficiscitur: jam que in procinctu est. Illi epithalamium tradidi nuptiis ducis Mecklenburgici a me datum, ut ad te perveniret. Judicium de eo tuum, aut potius censuram, expecto. Humile dicendi genus selegi, quod Hymenaeum inter cothurnatos Deos non esse numerandum scirem. Ducem ipsum poëseos studiosum esse & literatum nosti, sed & uxor literas latinas est docta. Hoc nescire te nolui, ne mentitum me crederes aut adulatum. Vale. pag. x. Epithalamii bis *Uranie* pro *Calliope* reponendum, qui lapsus est memoriae.

1. Addita erant huic & praecedenti epistolae, quaedam in Ovidium, sed cum omnia in notas sint relata, hîc omittere visum.

EPISTOLA CCLXXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

JUsjurandum arbitratu tuo dabo, Heinsi carissime, non esse illam silentii mei causam, quam diserta, sed invidiosa oratione fingis. Ego ne fastidiam, cui neminem mortalem ingenio, eruditione, virtute, moribus, comparem? neminem, cujus gratiam minus neglectam, aut velim pro animo meo, aut pro meritis vel tuis vel tuorum debeam? Legitima immo eximunt mihi totos dies: quod subsecivi est, non falso conjeciisti subsecivorum (hunc indicem feci) pecuniae veteris vindicare curam. Non quod lucellum, quid enim sperem, postquam mihi Livius decoxit? sed nec gloriam, qui numerare possim, immo

Digitized by Google

annulo inscribere, qui chartas istas lecturi & intellecturi sunt. Quid ergo est? tantum ut culpa caream, nec vanus in eum campum prodierim. Et crescit haec anxietas, quo propius est, cum nec bonis addere, nec ambigua corrigere licebit, quin deriſorem nasum habeam testem. Quid ego tibi narrem, quanto sit opus tempore, dum de singulis quaestionibus omnes & omnium auctores consulo & expendo? dum in tumultum tantum tamque varium mentem mitto, meditor, concipio, enitor quid verius, potius? dum saepe multorum dierum transacta una suborta dubitatio retexit & irrita reddit? dum quod placuit, ita scribitur, ut spes sit posse & a mediocribus intelligi, & doctis placere? dum tot infinitae supputationes vel fiunt vel dispunguntur? in quibus quanto gravius offendisse *Scaligerum*, *Salmasium*, *Snellium*, alios, deprehendi, tanto mihi magis ipse diffido, & omnem festinationem excludo. Quid cum revocor ad illa, quae pro conclamatis extra curam posueram. Ter aut quater deposui, quasi exhausta omni materia, cui aliquid in me opis. Mox tenui principio, & oboriente scintilla lucis, ubi spissas antea tenebras acie nulla perfringere potueram, illectus, renovato impetu quasi novam exorsus telam, integra capita adjeci, alia tota retractavi, quaedam magnis supplementis firmavi. Nuper in Hollandiam excurreram syngraphae gratia, & quia cum novis spoliis redierat Franciſci nepos. In eo itinere incidi in Onuphrii & Gassendi abacos veterem nummum cum vernaculo comparantes, quos adhuc nunquam videram, nec sciebam exstare. Aggressus autem sum rem forte invidiosam, sed utilem, nec invidiosam, quia modeste & ratione ago: quia tot diversae exstant doctorum hominum aestimationes, ostendi quid in *Aldo*, *Sardo*, *Ciacconio*, *Agricola*, *Savilio*, *Snellio*, *Meursio*, *Salmasio*, aliis desiderem. Tanta nomina commode praetermitti non videbantur, & de posteriore urgebat *Chanutus*, apud quem primum librum vidi, qui etiam commodabat excerpendum. Haec contentio totos quatuordecim dies domum reducem attinuit, & conjecit in eas disputationes, quas adhuc tanquam inexplicabiles vitaveram. Vix hos dimisi, cum, quia medio tempore aliud agenti apparuerat via enodandi loci difficillimi apud Heronem Alexandrinum, citati & depositi a *Scaligero*, is me totum ad se traxit, nec integra hebdomada, quamvis semper ante oculos tuae versarentur literae, aliam cogitationem me admittere sivit. Erant enim haec circa illam partem, quam quotidie praeda exspectant, ut nullus esset differendi locus. Jam in istis me operae pretium puto consecutum; at interea decem aliis observationibus mens gravida laborat, quam aegre sustineo, ut hanc tibi operam dem diu debitam. Et quot aliis me lentius etiam nomen esse censes? Sed haec paullo longius etiam eo, ut videas quam parum nunc sufficiam argumento illi, quod mihi justissime imperas. Scis querelam Ciceronis, interpretationem juris dicendi cogitationem auferre. Multo magis istae tot molestae minutiae. Fateor tamen me debere, si cuiquam mortalium, & faciam quod potero, ut primum his curis, quibus nunc turgeo & urgeor, me exoneravero. Haec me verior causa incitabit, quam illa, ne Galli ac Itali &c. Quid enim illi falso persuadeantur, quo nullum est evidentius verum. Ἐρρέτω τὰ καλὰ,

καλά, mihi Heinsi: literae ab stirpe interierunt: nec duo vel tres supersunt, qui mediocriter de doctrina eleganti judicent: nec id quisquam magis, quam tu atque ego experimur. Cur tua poëmata, qui solus hodie versus facis, illic, ubi tota theatra assurgere tibi & plaudere debebant, frigus sentiunt, ut nuper ipse querebare? Nam ego in solitudine relictus mihi viderer, nisi identidem ad me deferretur, ut deridear, quasi studiis & quocumque ingenio male usus, & criticus, ut stolide amans veteres, & obtrectator hodiernorum ingeniorum, quia in istis facilius correctiunculas inveniam, ut molestè scribens (quod utrumque scis communem nostrum & debitrici tuae & decessori, ubi nunc es, inculcasse, & illi ad omnem mentionem mei iterant) ut scribere nescius, quae verba meministi inimico suo de me tribuere Pontiae illusorem: sed ipsius hic erat sensus, ut ex certis postea auctoribus didici. Cui non inter haec omnes subsidant pennae? Profecto quod scribo, more potius vel morbo facio, quod non possim mihi agere, quam spe ulla commodorum aut honorum. Et posteris forte in melius mutatis profuerimus. Nunc solus me *Schelius* novit hîc, sed pejus, quod & solus ego illum. Haec res sanctissimum funus tuum maxime facit lugubre, & in lugendo praecipue commemorari debet: tantum abest, ut dissimulanda sit. Caeterum tibi cum ipsi omnia consolationum genera in promptu sint, unum (quod forte modestia tua tibi occurrere non permisit) adhibebo, ut cogites te talem ab illo fuctum & relictum esse. Hoc & ipsi naturae necessitatem feciste leviorem certum habeo, & tuae pietati moderatiorem praecipere luctum existimo. Uterque ex altero percepistis humano voto majora gaudia: uterque officiis & patres & filios omnes nostrae aetatis superastis, inter vos paria feciste. Illic magnitudinis suae unicam imaginem in te transfudit: tu, qualia nemo, θρεπτήρια ei persolvisti. Cur doleas in breve tempus (breve voco, quamvis longissimum vitae mortalis spatium, quod tibi & ominor & precor) te disjungi ab illo, cui semper laetitiae fuisti? cur manes illius inquietes? Quae ad Ovidium & Statium notas, quantum considerare potui, omnia mihi vehementer placent. Nisi quod in tertia ep. Sabini non muto: *Omnia vera vides: superant mea vulnera tantum, Utque tuam supplent.* Intelligit enim, vulnus, quo Paris periit, dum moratur Oenone, quae sola id poterat sanare: de eo etiam cecinisse significat Cassandram. Scis fabulam. Nec *dubium Oetaeum* concoquere possum, si vel omnes MSti. haberent. At non habent. Graecis semper οἴτη, non οἴτης. Vellem, hanc posses opinionem mutare. *Rottendorfium* invenies Monasterii, non item *Mallingrodium*, cui aqua & igni Episcopus interdixit. Epithalamium tuum videbo libens, ut vidi etiam, quo Regi gratulatus es. Elzevirii tandem mihi concesserunt exemplaria Livii, ex quibus unum tibi servatur, & tradetur, si ea via uteris, ut spero, hospiti. *Schelius* noster est in suis praediis: quoties adest, vix ullus noster sine te, & te dignus, sermo. *Graevium* monui, ut ad te scriberet. Bonam mihi operam praestat in corrigendo libro meo, cujus tredecim folia excussa habeo: ad XL. sient. Vale, decus meum. Daventriae. XIII. Kal. Apr. Jul. CIↃIↃCLV.

Licet-

Licetne ridere. Scribis alicubi nunc virum ferme factum. Omitte *ferme*. Audiimus & fama fuit. Novimus & quae te.

EPISTOLA CCLXXIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriae.

MIrabar quid tam pertinaciter, Mi Gronovi, & quidem tanto tempore, qui Pythagoream sectam nunquam antea apud me professus esses; cum ecce hesterno tandem die elegantes ac luculentae a te comparuerunt, quibus motos fluctus indignationis meae facile sedasti. Nam quod veteris pecuniae supputationes te exercent, suda quantum voles in hac palaestra, dum nos etiam aliquo apud te numero simus, quorum explorato erga te tuosque adfectui non potes derogare pretium atque auctoritatem, tanquam annosae rei. Multa interim erudita ac hactenus ignorata a te expectamus in hoc argumento. Si adessem, poteram fortassis auctores nonnullos suppeditasse, quos necdum videris. *Savotum* tamen scriptorem Gallum esse tibi ad manus opinor. Tu quaeso verbis vel tribus doce, quando lucubrationes istae sint nobis expectandae, de meo enim ad vos excursu pergunt esse incerta omnia, quod nihil possim sine consensu Patrum, atque illi preces meas hactenus excludunt. Narro enim tibi incidisse me in tempestatem ac procellam nupera illâ Bremensi longe atrociorem. Nam per Polonorum latus Balthici maris imperium non clandestinis artibus, sed palam atque aperte petitur a Succis. Nostri homines id expedire nequaquam rebus suis existimant, nec imprudenter id sane aut praeter ordinem. Jamque rumor per aulam differtur, opem laturos Dantiscanis nostros, eoque nomine classem conscribi validissimam. Tu nunc cogita, quibus ego hîc jurgiis ac simultatibus sim objectus, quas tamen non minus fortiter concoquo, quam alapas solent parasiti. Quod unum enim poteram, partes boni civis mihi ipsi demandavi, animusque ut ad preces, pretiumque ac minas invictus & inconcussus esset, operam diligenter dedi, caetera Fortunae creditturus. Utrique parti ut satisfaciam, ac prober, non est mearum virium. Proxime praeterea me spectant eorum commoda, qui me suum esse voluerunt nuper, quibusque servio. Hoc institutum cum sine laude Senatus universi publicâ ac gratiarum honorifica actione non abierit, me totum sibi posthac vindicabit, stimulosque addet, ne a me ipso degenerem. Fremunt tempestive patuisse consilia sua, ejusque rei invidiam in meum praecipue caput convertunt, ut male mihi omnino sit sperandum de tot aureorum millibus, quae deberi etiamnum nobis haud ignoras. Vide quantus artifex perierim. Sed de his tutius coram tecum confabulabor aliquando. Rex post dies paucos in Germaniam discedet. Ego secuturus sim castra, an, quod malim, redituru[s]

Digitized by Google

rus domum, non liquet. Nihil certe non agam, ut adsim sub id tempus, quo parentis bibliotheca distrahetur. Quod placere tibi scribis omnia, quae ad Statium & Ovidium notavi, id vero mihi non placet. Nam si curate ea perpendisses, invenisses haud dubie nonnulla, quae jure optimo possent carpi. Minus liberaliter posthac proponam meas tibi emendationes. Nunc unam habe in tuo Statio, sed minime certam. Pag. 368. Gustuum tuorum ais, illum versum Epithalamio Stellae; *Prendisti portus, tumidae sic transfuga Piscae*, videri corruptum, & recte quidem! quid enim sibi vult *Pisa* illa *tumida*? Testaris praeterea in Veterum uno pro *tumidae* legi, *miadae*, in altero *intiade*, prima syllaba in *tumidae* repetita est ex superioris vocis ultima, scriptum enim fuit, *Prendisti portum tum liado sic transfuga*, prima quoque litera in *miadae* perperam ex superiori voce adhaesit, nam in *intiade*, *m* in *in* degeneravit, ex *tiade* fac *liado*, vel *liadi* & apparebit primam literam propter elisionem excidisse, postremam propter vocis sequentis primam. Scripsit igitur, nisi fallor, Statius,

Prendisti portum. Eliades (vel *Eliadis*) *sic transfuga Pisae* &c. *Eliadas equas* dixit pari modo Virgilius. Rogavi amicum per literas, ut Vaticanos codices hoc loco consulat. Illustrandus enim est locus Ovidianis in Notis. Sylvas quidem Statianas cum tribus quatuorve Vaticanis libris *Langermannus* noster contulerat, sed schedae illae naufragio perierunt, cum meis illiusque aliis lucubrationibus. Pluribus garrirem nunc tecum, nisi essem longe occupatissimus. Orationem funebrem, qua parenti meo est parentatum, accepi hesterno die. Tu illic *Franciscus* nominaris. Sed & alii sunt errores. Laudo interim adfectum [1] hominis minime mali. Nobiliss. *Schelium* in oculis fero assidue. Nihil enim eo viro amabilius, consummatiusque. Tu Vale, mi Gronovi, & inconditae huic scriptioni ignosce. Dabam Holmiae. CIↃIↃCLV. a. d. IV. Eid. Quinctil.

Epithalamium meum jam pridem tibi redditum est, ut spero. Jam enim intellexi eum, cui id ferendum dederam, advenisse sospitem in Hollandiam.

1 *Ant. Thysii.*

EPISTOLA CCLXXX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

ULysses ille, post captum Ilium non erravit, credo, magis quam ego, ex quo ante hos tres menses e Suecia sum profectus. Daniam petebam navi; atrocissima diu exagitatus tempestate in portum vix tandem Dantiscanum sum conjectus, & quidem aeger, Vir Clarissime; cum nihil praeter naufragium, & mortem certissimam mihi proposuissem. Nihil enim saevius, nihil pertinacius istis procellis, quae per dies octo con-

tinuos nos exercuerunt. Jam quassa & rimarum plena navis fatiscebat violento commotorum fluctuum impulsu. Jam navales socii aquae egerendae detrectabant onus diuturnum, quos & potus defecerat, vasis doliisque omnibus, quae cerevisiam & aquam victui destinatam continebant, inquieta navis agitatione collisis ac confractis. Accedebat & aliud incommodum febris, quae navarchum primo, mox me, deinde complures alios ex vectoribus invaserat. Nunc littus Danicum nobis ante oculos, nunc Livonicum, Suecicum nunc denuo, aut Pomeranicum, ita crebro nostra relegebamus vestigia, donec Dantiscanus, ut dixi, portus omni periculo nos exemit. Hic per dies triginta & sex decubui, nec solus tamen, sed quinque mecum alii ex vectorum numero. Officia *Fabricii* nostri singularia prorsus fuerunt. Nam & quotidianus me accessit, & illi deberi existimo, quod civitatis magistratus inusitata comitate me sit prosecutus. Confirmatis utcunque viribus denuo in navem me conjeci, qua Lubecam Dantisco deferrer, nec felicius id, quam ante. Tractum enim fuit iter in undecimum diem per procellas & ventos adversos. Ita factum, ut invalidus domum sim reversus, nec celsissimo hactenus Senatui me sistere potuerim, a quo in aulam Brandenburgicam destinari dicor, aucto & stipendio & titulo nuperae dignitatis. Sed haec etiamnum incerta, de quibus coram melius agetur. *Vossius* enim atque ego conspectum tuum valde desideramus. Quapropter vide, an res tuae ferant, ut huc excurras. Mihi quidem hisce in terris mora longa vix concedetur, nisi valetudo intercedat, quod nolim. Senecam Tragicum cum Mediceo codice a me collatum, si tecum tuleris, valde me demereberis. Opinor enim jam usum te eo satis. Epithalamium meum nuptiis Mecklenburgicis dedicatum an acceperis nescio. Nobilissimus *Schelius* quid agit? quid Sestertiis tuis sit? Romae ad sepulchrale C. Cestii monumentum columna nuper est eruta cum egregia inscriptione, quae penes me descripta extat. Vale, Vir eximie. Dabam Hagae Com. Anno CIƆIƆCLV. a. d. XXVIII. Octobr. Gregorian. Meursium de funere & puerperio mihi a te emtum expecto.

EPISTOLA CCLXXXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

FElices & rei votorum sumus Heinsi dulcissime, quum te tot periculis & naufragii & valetudinis perfunctum patria incolumem recepit. Itaque ardeo ingenti desiderio te videndi, tenendi, audiendi narrantem per partes, quae compendio perfultat tua gratissima epistola. Praesertim cum adsit illic auris tertia non timenda, illius dico, qui post deos spretos deasque, post homines sanos seriosque pulsos, ultimus piorum, credo, isti cubiculo excessit, ne quid cum

Scy-

Scythide nisi barbarum & mimicum vagaretur. Sed sumus in medio cursu recitationum, quas interrumpere & mihi & adventoribus valde foret incommodum; &, quod maximum est, puerperam domi habeo septimo foetu soluto ante paucos dies salvam quidem, sed etiam languentem, quae me tam suspecto tempore nusquam ex oculis amittit. Meursii de F. & P. hîc habes. Senecam tuum coepi quidem cum annotatis meis conferre: sed post occurrentibus aliis negotiis, & quod brevi sperabam indies me istius operae totum fore intermisi. Itaque paullum etiam sustinebis. De Sestertiis quod me appellas, bonum nomen sum. Nec illos tibi, sed & denarios & flavos dominos, & aeris varietatem, sed & siclos & obolos & drachmas cum minis & talentis, sed & solidos milliarenses, folles ita tibi aestimatos dabo, ut si quid istis exigendum habeas, in posterum ad Quaestores tibi recurrendum non sit. Quin & solidum habebis aureum argenteumque cum sui denariis Clodovaei & veterum Francorum, nemini quod sciam, etiam intellectum; non certe *Scaligero*, non *Frehero*, *Lindenbrogio*, *Rualdo*, *Gassendo*: ubi simul nosces descriptionem libras secundum Francos, & originem pecuniae, qua hodie tum nos, tum vicini utuntur: quid sterlingus, quid libra esterlingorum, quid marca medii aevi, unde viginti stuferi librae nomen acceperint: non pauca alia (haec ita apud te) quae tu nec a me, nec a quoquam, οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν, exspectaris. Senecam Ph. Elzevirii coeperunt praelis reddere. Videbis notas, & meo non parvo & Rubenii egregio additamento auctiores. *Schelius* in hac urbe est, & una cum nostris proceribus rempubl. egregie suffulcit, quam mali cives pessum dare pugnant, te vero fert in oculis. Habes hîc & alia, quae debebam tibi, mea persona, quam tua digniora, quae boni consulas velim. Vale, decus nostrum, & me ama. Davent. III. Kal. Novemb. CIƆIƆCLV.

Ampliss. Affinem tuum cum uxore lectiss. & omni domo saluto. Si incides in D. *Vicofortium*, rogo, admoneas illum mearum, quibus inclusae fuerunt aliae meae ad D. *Chanutum*. Inclusas rogo, ut diligenter cures, agitur enim res magna mea. *G. Vossius* de Vit. Serm. in *Sterlingus*, jubet adiri eruditos *Watsii* labores, seu Glossarium ad Matt. Parisiensem. Eum librum si habes, ut puto, vel in tua, vel Affinis, vel hereditaria bibliotheca, cura mihi quaeso describi, quicquid illic habetur de *Sterlingo*. Etsi enim sero sit, & jam mea inpressa, cupio tamen scire, quid ille notaverit.

EPISTOLA CCLXXXII.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

EX quo postremas ad te dedi, quae reditum in patriam meum nunciabant, Amicissime Vir, in recidivam incidi. Febris ipsa, postquam per dies com-

plures graviter me exercuit, nunc continuam mentita, nunc tertianam duplicem, in quartanam degeneravit tandem. Vides lentum valetudinis restituendae fore negotium. Haec causa est, cur missas faciam cogitationes de legatione Brandenburgicâ, cui me nihil minus expectantem destinarant Ordines Hollandiae. Eorum enim nomine unus in aulam illam brevi contendet Orator, alter alterius provinciae nomine: duo nimirum sunt mittendi. Tres praeterea ad Suecorum Regem[1], in Daniam totidem. Etiam in Hispaniam legatio paratur. Mihi interim ignaviſſimus morbus aut lecto corpusculum adfigit, aut cubiculo. Pro solatio tamen est, adeo placuisse patribus nostris meas in Suecia molitiones (ubi provinciam duram omnino ac difficilem feliciter sustinui contentiosis hisce temporibus, homo negotiorum publicorum rudis atque inexpertus) adeo, inquam, placuisse Patribus molitiones meas nuperas est pro solatio, ut omni procul ambitu ultro dignum me nunc judicent, cui majora credantur. Sed de his coram. Spero enim te feriis proximis nobis adfuturum. Feceris certe rem mihi longe gratissimam, etiam *Vossio* nostro. Comitem si adducas Senecam Tragicum, quem utendum olim a me accepisti, multum te amavero. Eo enim mihi nunc est opus: quod in Italiâ satis diligenter editione istâ sim usus, plurimosque inde locos in margine Ovidii mei annotarim, adscriptâ tantum paginâ, quam consultam vellem ad illustrandum ipsum Ovidium, ut fieri a me solet. Quod si mihi Notas in Ovidium meas mox adornaturo desit ista Senecae editio, valde aestuandum erit ac sudandum, ut alibi inveniam, quod hîc sine molestia offeretur. Pro Meursii libello satisfaciam, ubi veneris. *Viquefortium* videre non possum, cum domo haud procedam. *Chanutus* jam discessit hinc in Gallias. Ad *Graswinckelium* quas commisisti curandas, recte curatae sunt. Quaerebam nuper an Epithalamium meum accepisses, hunc nodum non solvis. Pro Livio & Observationibus plurimum tibi debeo. De Sestertiis commentarium quando videbimus? Hoc enim Itali certatim ac Galli ex me scisciantur frustra. Heroina nostra, quam suaviter nugata sit Oeniponti, jam intellexisti. Sed nihil praeter ineptias illa jampridem machinata est. Vale. Dabam Hagae Comitum die. xxx. Novemb. CIↃIↃCLV.

Nescio an videris postumum Lipsii Libellum de Re numariâ, editum in Italiâ.

EPISTOLA CCLXXXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagae.

PAnde sinum, ut accipias divitias, non illas transitaticias & vagas, quas tibi mihique abstraxit, quae debebat, sed perpetuas & innoxias, quarum & tu, si

[1] *Christina Augusta*, Sueciae Regina.

si velis, avidus, & ego, modo possim, prodigus erimus sine crimine. Quae tractantur dextra, non aere, sed chartis gravi, digitis non collybo, sed forte sepia decoloratis, non in avaritiae solatium, sed ad ingenii cultum. Veniunt autem ad te magnam partem rudes & indigestae, quod necesse fuit accidere magis hauriendae venae, quam repurgandae balucis studioso, & copia aciem intentionis in singula abrumpente. Cur tamen non hoc quoque nomine tibi sint gratiores, quum non tantum spectaculo & voluptati erunt, sed etiam solertiam tuam invocabunt, dabuntque quod purges & polias, quod callidius & subtilius distinguas, quod peritiori manu administres. Vale, vir nobilissime & me ama. Daventriae. Idib. Febr. CIↃIↃCLVI.

EPISTOLA CCLXXXIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriae.

VIde quo me socordiae redegerit adversa valetudo, clarissime ac summe Vir. Irascebar tibi jampridem, sed quatenus amantes irascuntur, quod literarum tuarum jucundissimo conspectu me fraudares in ultimo Septentrione viventem. Hoc, inquam, homini curis assiduis gravissimisque occupationibus distracto indulgere vix poteram. Nunc vero pari culpae coepi esse obnoxius, ex quo geminis tuis nihil repono praeter silentium. Tu autem hoc mihi credas unice velim, occupationes partim, partim morbum in caussa esse, quominus responsionis officio apud te sim functus. Nam quas ultimas ad me dedisti, eae mihi sunt redditae, dum rebus domesticis componendis apud Leidenses incumbo, idque ante paucos demum dies, una cum praeclaro Veteris Pecuniae munere. Caeterum cum spem certam *Graevius* faciat mox fore, ut nobis adsis, quae in sinum tuum effundenda habeo non pauca, in congressum nostrum differam. De libro vero tuo quid sentiam non possum, quin paucis tecum communicem. Cum enim tua omnia magni fecerim semper, ac vehementer sim admiratus, hoc tamen scripto quid possis in re antiquariâ liquido mihi visus es ostendisse. Tantum quippe reconditae ac diffusae eruditionis hoc in argumento illustrando contulisti, ut os quorundam calumniis obstruxeris, qui nihil posse te procudere praeter jejunas ac breves observatiunculas argutabantur. Nunc illi ipsi eruditionis tuae campum spatiis latissimis patere stupent & fatentur. Librum, quantus est, integrum jam perlegi semel, mox perlegendum denuo, idque majori cum attentione. Parentis mei mentionem illic fieri honorificam, ut vidi, valde sum laetatus. Ignosce, quaeso, honestae ambitioni. Pro hac pietate quantum tibi debeam aliquando intelliges, ut auguror. In auctione paternae bibliothecae non potui tuis commodis studere sic, ut volebam, quod libri plerique immenso pretio venierint. Ita factum, ut vix duos tresve tibi ac

amico tuo sim licitatus. Omnibus, quos desiderabatis, pretium adscripsi, ut intelligatis ipsi, c re vestrâ fuisse, ne quid temere hîc molirer. A *Langermanno* proxime literas accipiebam, quibus moneret, sanctissimam matronam, genetricem tuam e vivis excessisse, quo sane nuncio vehementer sum consternatus, cum & ipsam Hamburgi nec semel convenerim, & jactura tua non possit esse a me aliena. Sed nolo vulnus rescindere. Vale, mi Gronovi, & si venturus es, fac ego ac *Vossius* id tempestive sciamus, ne absimus forsan ab hac civitate, cum venies. Vale. Dabam Hagae Com. CIƆIƆCLVI. a. d. IV. April. Gregor.

EPISTOLA CCLXXXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

LIteras a *Langermanno* nostro accepi, Vir Clarissime, easque paucos ante dies, quibus nunciat, applicuisse se animum novis amoribus. Habes hîc ipsam ejus epistolam, qua, nisi fallor, ad nuptias vocaris. Me certe jam vocavit, & quidem multâ cum prece. Nec obniterer, ni certus essem, sine nostra opera confici atque absolvi posse, quicquid ibi occurret agendum. *Holstenium* addit Archiepiscopatu Ravennati donatum a Papa. Augustam nostram graviter Romae aegrotare, ejusque valetudinem esse conclamatam fert rumor. Addunt alii conatam Romanis elabi, sed nullo cum successu. Quicquid sit, periit illa jam pridem sibi & nobis. De regis etiam morte nil certi hactenus ad nos perfertur. Res Suecorum prosperas damnare Fortuna incepit. Inde factum, ut Oratores nostri sint dimissi, quibus manum injecerant contra jus gentium Phrenetici Septentrionis filii. Sed haec jam ignorare non potes. Ego post paucos dies Amstelodamum rursus cogito, quando curae mihi erit, ut tuus de Pecuniâ veteri commentarius in Italiam mox mittatur. Nobilissimum *Schelium* salvere plurimum jubeo. Vale, flos & ocelle amicorum. Dabam Hagae Comit. CIƆIƆCLVI. a. d. XVI. May. Gregor.

EPISTOLA CCLXXXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

VEteri meae culpae causa accessit nova: fui enim hos dies, simque etiamnum districtior, dum quae institui cum auditoribus meis, absolvere festino,

no, priusquam eos disjiciat abigatque pestilentia, quae ingravescere indies incipit. De nobis quae statuerit Deus, patienter exspectabimus. Neque enim effugium datur: cum nec ipse domum in tanto periculo relinquere possim, neque etsi nonnulli in agrum invitent, numerosa cum familia quemquam onerare audeam. Jam proximus ardet Vcalegon, non quidem loco, sed gente: extulimus nudius tertius affinis mei uxorem, singulari probitate foeminam: cui aegrae quum soceri, affines alii, ipsa uxor mea, summa fide, contempto periculo adsederint, magnum erit, si ea sola defuncti fuerimus. Itaque vide, ne tibi propediem amico tuo sit condendum epicedion. Mihi animus satis aequus & fortis ad quemcumque casum subeundum: etsi frangit eum nonnunquam conspectus septem liberorum, intra teneros annos omnium. Sed fiat quod vult, qui nil nisi bene vult. Frisiorum ὑπαινῶν τὴν κλῆσιν coëgerunt me nostri, & extraordinario congiario, & auctis annuis ad mille centum florenos, cum nongentos haberem, & promissis aliis centum annuis, si quid contigerit illi, qui nunc eos opera senio & morbis otiosa detinet. Detur modo frui. Quae nuntias postremis tuis, omnia mihi grata fuerunt. Secessionem nostram sanatum iri magna spes, postquam praesentibus nobilibus nihil profligabatur, sine his ter coierunt legati trium civitatum: licet enim, & semper habent hi conventus singulares. Quid actum sit, celatur: nisi quod magis magisque animos conciliari prae se ferunt. Tentabam his diebus in Ovidio tuo lib. x. vers. CCCLXX. *& blandis inductae cornibus aurum.* Quid *blandis?* Omnino *pandis.* Lib. XI. vers. DCLXXIX. *Ingemit Alcyone: lacrimas movet atque lacertos Per somnum.* Quidam legunt *lacrimans.* Forte: *Alcyone lacrimans, motatque lacertos Per somnum.* Lib. XII. vers. CCCXXII. *In tanto fremitu cunctis sine fine jacebat Sopitus venis & inexperrectus Aphidas.* Lego: *junctis sine fine jacebat Sopitus vinis.* Ut Statio, *Junge puer cyathos.* Auctionis Vossianae quando catalogum videbimus? Ipsum & omnem domum, nec non affinem tuum meo nomine fac quam officiosissime salutes. *Schelius* in praediis suis est, legit tamen tuas mecum, & illis laetatus est, priusquam discederet. Vale, carissimum caput. Daventriae. a. d. XII. Jul. Quintil. CIƆIƆCLVI.

EPISTOLA. CCLXXXVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VOcatus Amstelodamum nuper a Consulibus per literas, Vir Clarissime, cum nescirem primo quid isthaec sibi vellet invitatio, intellexi illuc adveniens destinatam mihi esse provinciam ab iis satis opimam. Significabat enim Consul primarius, qui epistolam, quam dixi, exararat, patere mihi aditum ea in urbe ad occupandum Scribae munus, Secretarium nunc vocant, id obla-

oblaturos collegas mihi suos seque, nisi dissentiam. Quid multis? Accepi conditionem; sed eâ lege, ut integrum mihi esset, nihil inconsultis foederatorum Belgarum Ordinibus, quibus servirem hactenus, de me decernere. Hagam igitur confestim advolavi, &, quod fore praevideram, Senatu foederato annuente, atque approbante hoc consilium, facile impetravi, ut Scribae cum munere dignitatem Residentis permutarem. Mireris forsan id institutum, nec primâ statim fronte perspicias, quo spectet. Rerum tamen gerendarum gnaris ac peritis caute omnino & circumspecte faciisse videor. Eram Sueciae pertaesus, ut qui maxime. De Daniâ adeundâ eventus apparebat incertus: nec, si mei ea res foret arbitrii, (nihil quippe a Proceribus adhuc statutum est) debebam tamen istam praeferre Spartam huic provinciae, quam nunc suscepi, etsi honorata magis videatur, & fortasse sit. Deerat mihi plena rei publicae cognitio, quam, ut verum fatear, vix primis labris delibaram. Eam nunc ut explorem ac rimer prorsus, neque otium defuturum est, nec occasio. Nam cum plures sint Amstelodami scribae, variasque rei publicae partes administrent, mihi τῆς πολιτείας negotia erunt curanda. Solis enim Consulibus sum vacaturus. Sed coram de rebus meis confabulari tecum malim. Nihil me moratur in hac urbe, praeter stipendii causam, quod debere quidem se mihi non diffitentur Ordines, sed unde solvant vix occurrit, nisi Dii adsint e machinâ Amstelodamenses, debitumque in se recipiant, uti recepturos sese jam quodammodo sunt polliciti. Cum plures essent in amplissimâ civitate, qui cum laude eam, quam occupavi, provinciam adornare possent, foris fuisse quaerendum, idque sine exemplo (satis quippe civibus suis patere locum Consules hactenus voluere) non tam glorior, quam miror. Post longos itaque peregrinationum fluctus compono me, & recolligo ad pedem in patriâ figendum. Atque haec quidem hactenus. Sestertios tuos non sine foenore ex Galliis ad te rediisse laetor, primus id mihi significavit *Viquefortius*. Quanquam nihil ad sortem haec usura. Est enim is commentarius tantâ eruditione refertus, ut te aestimare jam incipiant ipsi legulei & tenebriones scioli, qui, quis esses, minime hactenus intelligebant. Augusta nostra ex Italiâ in Galliam dicitur contendere, causata pestem, quae, Neapoli jam attritâ, Romam, proximasque civitates adflavit. Mirum ni ad nos excurrat. Non enim opinor fortunas ejus ferre istos sumtus, qui faciendi sint in aula Gallica, regio splendori pares, si moram illic diuturnam traxerit. Pontificem nonnihil offendisse dicitur dicacitate suâ, cum alias ob causas, tum quod Insignibus seu armis ejus, quae tres montes prae se ferunt, subscripserit, PARTURIUNT. Nosti caetera. Leidenses de te invitando ad professionem Graecae Linguae, quae *Lamberti Barlaei* morte vacat, denuo videntur cogitare. Sed cum constituti sint in re angustâ, tecum autem non male nunc agatur, potes invitantes negligere, quos necessitas ad te trahat, non tua merita, si te invitent. Venio nunc ad tuas, quae serius, quam par erat, mihi sunt redditae ante paucos demum dies, nec satis scio cujus culpa. Vestram quoque civitatem pestis contagio obnoxiam esse, id primum invitus ex iis intellexi, quare si salvas cupis artes, serva literis, quaeso,

cru-

eruditissimum caput ac scientiis, quarum salus a tua pendet incolumitate. Hoc mihi credas, ac certo tibi persuadeas velim. Si de aedibus jam mihi prospexissem Amstelodami, eas ut invaderes cum tota familiâ non tam rogarem, quam pro imperio juberem, & faceres profecto, nisi me iratum atque aversum malles experiri. In Ovidio, quae notasti, placuerunt. Illud *pandis cornibus* animadverti jam olim adolescens. Nec dubitandum. τὸ *junctis vinis* non videram, & placet. *Ingemit Alcyone lacrymans*, *movitque lacertos* conieceram olim ex illo Ariadnes,

Nullus erat: referoque manus, iterumque retento;
Perque therum moveo brachia: nullus erat.

Tu *motatque* maluisti. Sed jampridem totus mihi locus est suspectus, quod ex vetustioribus libri quidam mox exhibeant, *Voce sui specieque viri*, non *sua*. Quare metuo ne tres hi versus, quorum initium, *Ingemit Alcyone*, ab interpolatoribus sint. Nam & in Alcyones oratione nihil dignum Ovidio, praeter brevitatem. Tu perpende locum, & quid sentias mone. Illustri *Schelio* plurimam salutem dico. Vale. Dabam Hagae Comit. Anno CIↃIↃCLVI. a. d. XXIV. Junii Gregor.

EPISTOLA CCLXXXVIII.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VIr clarissime. Tuas nuper accepi cum libris Hamburgo allatis, in quibus nihil desideravi praeter Lucanum, cum scriptis codicibus a me commissum. Simultates, quae mihi intercedunt cum illa, quam ex fama nosti, aegre me habent, ex quibus ut me quamprimum expediam nihil non ago. Tu etiam juvare me possis. Notissima nostra illa fuit Crousiae cuidam virgini Trajectensi, quae postmodum nupsit Cosmanno cuidam collegae tuo in tribunatu plebis. Ea quid sentiat de nostrâ velim me doceas, sed ingenue, & tua fide. Altera enim alteram habuit exploratissimam. Crousia autem impudicitiae suspectam postea cum haberet, omnem cum ea familiaritatem abrupit. Tu vide, quid ex ea possis indagare rei arcanae. Sed festinatione est opus. Sancte promitto, nihil tibi molestiae hasce turbas exhibituras. Vale. Dabam Amstelodami. CIↃIↃCLVII. a. d. VII. Febr.

EPISTOLA CCLXXXIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Diebus proxime elapsis non sine voluptate summâ ex Elzevirio intellexi sospitem atque incolumem Hamburgo te reversum ad tuos. Spero itaque literarium inter nos consuetudinem diu intermissam integrandam denuo fore. Nisi tu praesentem nobis, quod malim, te stiteris. A *Rubenio*, quas vides, in Livium tuum animadversiones non ita nuper accepi. Filium is unicum, canis rabidi morsu necatum, inconsolabiliter luget. Habes etiam hîc a *Langermanno*. [1] *Vossius* noster Ruremundae etiamnum super agello nescio quo litigat. Mihi etiam, quod mireris & rideas, litem minatur puella longe quidem scitissima, & incomparabili praedita ingenio, quaeque pudicitiam suam Lucretiis antiquis illis aequare non dubitet: nisi quod sint, qui eam magno suo malo incidisse in Tarquinium non unum argutentur. Id illa prudenter pernegat, ego adfirmantibus facile accedo. Sed hac de re alias. Interim valetudo adfecta me hybernam hanc tempestatem assidue exercet. Nunc ad me paulatim redeo, usus Jesuitâ Medico, qui artem invenit atque excogitavit novam, qua lieni obstructo medeatur. Vale, vir & amice summe. Nobilissimus *Schelius* si apud vos est, is, quaeso, meis verbis plurimum salveat. Dabam Amstelodami. CIↃIↃCLVII. a. d. IX. Febr. *Jacobum Puteanum*, dum abfuisti, amisimus.

1 Vid. inf. Ep. 297. & 302.

EPISTOLA CCXC.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

Jamdudum exspecto, si qua commodiore, quam per tabellarium, occasione hoc quicquid est farcimularum ad te mittere possim: quam tandem nactus poene amiseram, priusquam intelligerem. Me Hamburgi quid egerim quaeris. Sane recreavi me post primi adventus lacrimas, & laetum fuit revisere incunabula, atque amplecti tot tanto tempore non visas, alias interea adjunctas & nunc demum visas necessitudines. Genio quoque curando potius omnia superfuerunt, quam defuerunt: ita sunt illic escae maximae, sed & electilis, vino veteri, & sive Grajae, sive Ibericae, sive Rhenanae salivae, non nisi optimae. At inter haec litigavi apud Stadense forum, & multa concur-

satio-

fatione multoque labore poene pereuntes, hoc est, litigaturos, in concordiam redegi, & auctionatus sum tempore alieno, & magnas partes mihi debitas, ut gravior auctor essem, remisi & donavi, & (ne quid deesset damnosum) aedificavi, & mille curis animum lacerantibus saepe inter fictam laetitiam & regificum luxum distractus fui. Ad nostras Musas quis me revocaret, cum & ille, cui nos ambo, tu inquam & ego, dubium uter majore cum fide & majore profectu, eas tradidimus, frigidas habeat fastidiatque, in tantis opibus nil nisi lucra caninae eloquentiae somnians? Itaque abrupi tandem Phaeacum delicias, & speratis, si praesens forem, commodis fraudari malui, quam non ocius reverti in hanc aridam meam moestamque, & tot luctuum admonitricem, solitudinem, sed dearum plenam. Responsum tamen paravi ad bellam illam de Sestertiis epistolam, quod mitterem, nisi *Schelius*, qui jam ultra octiduum detinet, me nondum recipere pateretur. Opto, ut duobus magnis malis, medico & tali lite, propediem libereris. Vale, praesidium & decus meum. Daventriae. a. d. prid. Id. Februar. CIↃIↃCLVII.

Schelius te plurimum salutat.

EPISTOLA CCXCI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CODices, quos *Langermannus* noster ad me perferendos tibi tradidit, recte accepi, vir clarissime: gratiasque tibi ingentes pro officiosa hac sedulitate ago. Miratus tamen sum Lucanum inter illos meum, quem *Langermannus* nominat, non comparuisse. Claudiani & Ovidii exemplaria manu exarata *Rottendorphius* nuper mihi suppeditavit. Idem scriptum A. Gellii codicem recens a se inventum tibi offert utendum. Ego totus sum in nugaciss imâ lite. Mira profecto fuit apud magistratum nostrum scorti putidissimi auctoritas, mira de ejus castitate concertatio. Sed postquam primus ille impetus deferbuit nonnihil, ad castra mea multi quotidie transeunt, qui certissimis argumentis impudicitiae illam convicturus mihi videor. Ferenda interim ac concoquenda impurae faeminae mihi contumelia est. Quid agas? Magnis se testibus illa tuetur. Procerum certe nonnullos sibi devotissimos & tantum non obnoxios habet. Quod nisi rerum adversarum exitum quemcumque forti animo mihi ferendum proposuissem, omnemque potius fortunam statuissem projiciendam, quam pudendas ac obscaenas nuptias admittere, jam Messalina illa me possideret. Sed de totâ re praestat coram confabulemur. Vix credas quantam pecuniae vim in lite molestissima prodegerim, cujus tamen eventus nunc a me speratur optimus, cum flagitia & libidines occultae paulatim e latebris eruantur, quas illa (ut est mire vafra) clandestinis artibus diligenter hactenus celâ-

rat. Petii nuper, ut ingenue ad me & sine fuco perscriberes, quid collegae tui uxor Crousia de hoc monstro sentiat. Fuit enim inter utramque summa necessitudo ac familiaritas. Vale. Dabam Amstelodami. CIↃIↃCLVII. a. d. XVII. Martii Gregoriani.

EPISTOLA CCXCII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

DE Lucano non intelligo quid velis. Certe enim in fasciculo erat Lucanus, & eum misi, neque hîc reperio. Numquid duo exemplaria exspectabas? Non intelligo etiam, quod scribas te a me petisse, ut perscriberem, quid collegae mei uxor Crousia sentiat de litigante tecum foemina. Neque enim collegam habeo, cui sit ejus nominis uxor (*Diestio* est Lennepia, *Loenio* Philosopho Holtia Swollana, *Tichlerus* Ic. caelebs) neque ejusmodi literas tuas vidi, qui post reditum non habui abs te, nisi unas IX. Febr. datas, in quibus mentionem quidem litis facis, sed nihil tale adjungis. Dederat mihi *Langermannus* & expressos in cera Hispanica nummorum typos, quos ad te curarem. Eos oblitus sum antehac mittere, & his incluси. Vale & vince. Daventriae. Raptim. XIX. Martii CIↃIↃCLVII.

Ab Ampliss. *Rottendorfio* si mihi Gellium MS. impetraveris, gratissimum feceris. Ego ex quo librum de re nummaria cum meis ad illum misi, literas ab eo nullas habui, ne quidem, quibus significavit se accepisse librum, quod quidem valde miror. Solebat enim in scribendo impiger esse. Iterum vale.

EPISTOLA CCXCIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

FAsciculus ille, quem Hamburgo redux ad me dedisti nuper, nihil continebat praeter Stephanum de urbibus, excerpta Ovidiana cum membranarum veterum fragmento, & Claudianum in minori forma. Lucanus nusquam *ibi* comparuit, quem ego cum variis collatum MStis *Langermanno* ante triennium utendum dederam, a Raphelengio in Octava forma editum cum notis Grotianis. Eum excidisse fasciculo, vir clarissime, vix persuadeor ut credam, cum ne nummi quidem argentei exciderint, quanquam minutissimae chartae involuti. Librum ipsum si *Langermannus* tibi tradidit, ut tradidisse se scribit, inter

Digitized by Google

ter sarcinas tuas neglectus etiamnum haud dubie haeret. Tu, quaeso, eas excute diligenter. Trajecto literas ad te dederam, quibus petebam, ut collegae tui uxorem Croesiam percunctareris super Margaretâ Wullenia, quod ei intime familiaris & arctissimâ necessitudine fuisset conjuncta. Ais te nescire, quem collegam designem. Opinaris nempe de Professore quodam bonarum artium a me agi. Sed heus! Adeone parum memineras Tribunum plebis te esse? Si literae Trajecto ad te datae fuissent probe curatae, jam de Kosmanni, hominis mihi ignoti, uxore me locutum scires, cui nomen est Crousiae, domo Trajectinae. Si hominis ejus mores non satis exploratos habes, noli te meâ causâ fatigare. Spero enim fore, ut mox defungar omni litis ingratae molestiâ. Jam enim Thaidi nostrae larvam Lucretiae detraxi, multis procerum frendentibus, qui eam sibi mecum communem, credo, fore optassent. Sed hoc in aurem tibi. Habuit certe fautores plurimos, quos partim morum urbanitate, partim eloquio sibi conciliarat. Quanquam quid eloquium ejus tibi commemoro, cum incesta facies abunde pro se peroret? Ad *Rottendorphium* si quas mox literas dedero, de Gellio faxo sim memor. Typos nummorum cerae Hispanicae impressos, quos mittere te narras, non accepi. Vale, mi Gronovi. Dabam Amstelodami. CIↃIↃCLVII. a. d. XXIII. Martii. Gregor.

EPISTOLA CCXCIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

DE Lucano, ὦ φιλότης, nihil aliud tibi dicere habeo; quam tractasse manibus meis, & semper voluisse includere primo, quem ad te mitterem, fasciculo, & credere in hunc diem inclusisse me illi, quem misi. Haec sine fraude me agere Deus sit testis. In meis quoque sarcinulis & forulis, quia jam quaesitum non repperio usquam, esse puto nusquam, ut canit Naso tuus, quicquid etiam illo tactum sit. Si tamen quandoque aliter esse apparebit, nihil fiet citius, quam ut te & conscium rei & possessorem libri tui reddam. Trajectenses, quas dicis, tandem accepi, postquam hoc oppido transito Zutphaniae oberrassent, & intellexi quem diceres, collegam meum. Sane jamdudum ille εὐχεται εἶναι, ex certâ, credo, spe ipse rumores distulit, se jam esse. Hactenus tamen ea bona spes hominem destituit. Si haberet tantum ingenii, quantum illa, quae astutia sua eum irretisse dicitur, esset. Non sunt mihi familiares valde: nec tamen multum effecero: praedicant illam callidissimam, certe non tam stultam, ut nescierit uti ludo aetatis. Eventum, quem promittis, sperabo tecum & precabor. Dura enim est provincia, quam suscepisti. Ista, etsi omnibus de illis constet, difficillimae sunt probationis. Plerumque malunt privilegio amantum uti, hoc est, pejerare. Sed fortasse hic saltus obseptus tibi. Bene erit, quacumque evades. Vale, & vince. Daventriae, XXVI. Martii CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA CCXCV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio

Daventriam.

ADoleſcens temerarius & incautus, qui Salmaſianas nuper epiſtolas in lucem emiſit, *Goeſium* noſtrum praefatione ſuâ offendit, ut video. Is itaque Vindicias haſce offerri tibi voluit. Lis mea foro necdum eſt credita. Primus itaque adverſariorum inſultus feliciter retuſus eſt & fractus. Qui toti in eo hactenus fuerunt, ut me non adorirentur tantummodo imparatum, ſed inermem quoque expugnarent. De litis eventu jam ſpero optime. Vale. Dabam Amſtelodami. CIↃIↃCLVII. a. d. XIII. Aprilis.

EPISTOLA CCXCVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

PRo munere ampliſſimi viri, affinis tui, & illi & tibi grates ago. Satis monui hominem incedere per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Sed quod poteſt illis utiliter conſilium dari, qui, quod omnium erat optimum & veriſſimum, ut ſcilicet brachium etiam intra togam continerent, & multum legerent, priuſquam ſcriberent, id prae famae ſiti capere non poſſunt? De Lucano aurem mihi vellit *Langermannus*: jubet ſi forte aſtute agam, & adhuc velim perluſtrare, indicem ſaltem hoc tibi. Ego vero Deum immortalem juro, me nihil aliud de illo ſcire & credere, quam quod antehac ad te ſcripſi: fuiſſe in faſciculo, quem apertum mihi dederat cognatus, habuiſſe me in manibus hîc, non ut conferrem (neque enim hoc tunc otium) ſed ut obiter inſpicerem, miſiſſe ad te cum Stephano & Claudiano & caeteris. Si quid aliud eo, me volente & ſciente, factum, tum me ſalva urbe & arce Juppiter, ut ego quemcumque juſſeris lapidem. Quare autem ad te non pervenit, ſi ſcio cauſam, fiat mihi quod poteſt atrociſſimum perjuris. Non poſſum interim, quin accuſem fortunam, quae me cariſſimis duobus amicis ſuſpectum reddit. Obſervationum veteres tres libros mirifice mutatos & auctos habeo, jamque ita paratos ut, ſi fors fuat, praelo dare poſſim. Haec fuit una mea ſubſeciva opera, ex quo redii. Nunc Notas ad Senecam ſecundae editioni, quam Elzevirii moliuntur, parare aggredior. Tu quando Ovidium? Numquid, ut ajunt, altera editio minoris formae ſub praelo eſt? Vale, mi Heinſi, & incluſas Elzevirios vel *Curcellaco*

cellaeo curandas trade, nisi forte tibi propior occasio est. *Schelius* abest, & abstulit secum musteum libellum affinis tui, vix ut eum saltuatim ac vellicatim percurrerim. Iterum vale. Daventriae a. d. XI. Kal. Majas CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA CCXCVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

QUod unice cupiebam, praestare in rem meam non potui, vir clarissime, ut suavissimis tuis literis tempestivus responderem, dum domo frequenter avocor. Cave autem existimes parum a me intelligi, qui fructus, quae utilitas ad me redundet ex tuis alloquiis. Iis enim etsi dignum fortasse pretium non pono, pono tamen maximum. Exercuit me aliquamdiu negotium, quod nosti, domesticum: nec pro voto aut expectatione hactenus successit. Puta cum Sphinge rem mihi esse, aut cum Circe aliqua, quae miris modis Judicum animos excantet, & per ambages aenigmatum nescio quorum abstrusas assidue circumveniat. Causâ igitur cecidi, sed sic ut ad forum Haganum certissimâ victoriae cum spe provocarim. Post judicatam enim litem nonnulla ad aures meas sunt perlata, quae si tempestivius sciviſſem, profligare partes adversas etiam in Amstelodamensium tribunali, quanquam nonnihil iniquo, poterant. Impegere judices ad Sirenis hujus scopulos, quod illis mecum est commune. Nunquam credidissem tam durum telum esse mulierem venustam & ingeniosam. Sed vel sic de rebus meis optime à te velim sperari. *Bullialdum* Hagae bis salutavi, qui Legationi Gallicae est a secretioribus consiliis, & convictor Illustrissimi *Thuani*. Timide tamen & parce conveni, quod aedes istae nunc nostratibus sint suspectae, cum Orator Hispanicus tuto conveniatur ab omnibus. Vide rerum vicissitudines. *Vossius* etiam ex Geldria est reversus tandem, sed sic, ut eo rursus videatur cogitare. Nam ne is quidem litem ex voto confecit. Interim oblatus mihi est Terentius *Boecleri* & *Guyeti* commentariis illustratus, liber sane musteus, & fruge refertissimus. *Boecleri* annotationes necdum vacavit percurrere. Neque enim is est vir ille, a quo mira sint expectanda in hoc studii genere: *Guyetus* multa habet praeclara: quanquam succinctus nimis in plerisque, ad *Faerni* exemplum, & totus in emendationibus. In iis autem nimius etsi videri possit nostris philosophis & politicis, fatendum nihilominus est plurimum acuminis ac perspicaciae ab eo collatum ad illustrationem auctoris tersissimi, in quo tam multa fuisse depravata nunquam credidissem. Sed de his alio tempore. Mox enim ad studia revertar, nimis diu intermissa. Augusor etiam fore, ut mox nobis adsis. Sin minus, Augusto mense feriantem expectabo. Non poteris non venire optatissimus, quandocunque veneris. Totus enim ardeo & flagro tui ex-

excipiendi desiderio. Salmasianae epistolae non eo cum applausu sunt exceptae, quem sperarat bonus editor. Quare vix est, ut tomum secundum hoc anno simus visuri. Xantippe ὃ μαναξίτης abiit ad plures, ut audio. Nimis diu profecto vixit, quae supervixit marito. Lucanum meum mallem non periisse, fateor. De te tamen aut de tua fide saepius mihi perspecta ut sequius quid suspicer absit. Mitte igitur obtestationes istas. Ovidio mox manus admovebo. Frustratus est spem meam noster *Vossius*, qui nunciarat codices Auctoris ejus nonnullos manu exaratos a se inventos fuisse Ruraemundae. Sed solens ille lusit & imposuit. Haec nunc. Plura vellem, sed urget tabellarius. Vale, amicorum flos. Quando sis venturus, quaeso, tribus verbis me doce: ne inexpectatus adsis. Ego enim Hagam identidem excurro propter litem. Dabam Amstelod. CIↃIↃCLVII. a. d. XII. Junii Gregor.

EPISTOLA CCXCVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

AQuam adsperſit mihi epistola tua, non illis modo quae nuntias, sed ipso etiam genere sermonis & imagine animi tui, qualem universa exprimit. Scito enim, mi Heinsi, ex quo huc attulit rumor, contra te pronuntiatum, nihil mihi suave fuisse, anxio & sollicito de summis & fortunis & Musis tuis? Quae foret, obsecro, tua vita aut in istam copulam conjecti, aut ne conjicereris, exsulis? & ubi tutum exilium acturi? neque enim Teucris addita Juno usquam abfutura videbatur. Haec, & quorum meminisse horreo, agitanti supervenit epistola tua longe gratissima, & hujus rei meliores eventus plane promittens, & omnis te praeferens εὐθυμον & hilariculum. Age, exoriatur illa dies, qua istorum Areopagitarum ludibrium (nolo enim dicere perfidiam) religiosiores emendent. Quid si tamen illam occupares decidendo? Nescio quis retulit mihi prius te voluisse, tulisse bonam conditionem annuorum praestandorum, illam uti ea noluisse; nunc velle, sed te tergiversari satis in causa fidentem. Vide tamen, an non tutius sit crimine ab uno discere omnes, & habere illud argumentum semper in promtu situm, quo docemur,

Ne quid exspectes amicos, quod tute agere posses,

vel aliquot millibus nummûm objurgatus. *Bullialdum* & *Vossium* Hagae me visurum, si dii volent, gaudeo. Recte enim praesagis, ante illum anno mihi tam feralem Julium non posse me domo abesse. Satis ista paucitas, quam reliquit nobis pestilentia, exercitum me habet. Indulsi omnia omnibus, ut occupato animo non vacaret attendere admonitionibus luctus & jacturarum rei familiaris, quae mihi reduci & multae & amarae occurrebant. Sic praeter publicas recitationes, & illa privata, quae singulis prope semestribus vel annis redeunt, Xenophontis Κύρου παιδείας tres, Plinii epistolarum octo libros

au-

auditorio domeſtico commiſſos jam abſolvi. Interim & ita retractavi tres priores Obſervationum libros, ut poene reſcripti videantur: nullum caput ſine acceſſione notabili, quibuſdam integra ſurrogata, ſingulis libris nova adjecta. Reſponſo etiam ad epiſtolam *Salmaſii* Hamburgi deproperato ſecundam manum admovi: egi fortaſſis acriter, & vitiis hominis haud quaquam parcens; doctum tamen & magnum fuiſſe nec negavi nec negare poſſum. Nunc ipſum cum *Scaligero* & *Petito* de anno Numae & intercalandi ratione, ob Livii lib. 1. cap. xx. locum litigabam. Vide vero, amice, ne magnum malum arceſſas tibi, quum me deſideras. Veniam enim comitatus tot meis Caeſiis, Aquinis, ut tibi *Guidetus*, quem laudas (etſi multa ſummae & Palmerianae temeritatis atque audaciae ab homine tam ἰδιογνώμονι exſpecto) modeſtus fuiſſe videatur. At iſta ἐναγίσια, Ovidio te mox operas redditurum. Redde vero, quas ſolus potes, & ut animo vacuo poſſis, Diique homineſque ad liberandum te illa, qua nunc coqueris, cura conſentiant. Vale, unicum literarum, unicum meum decus. Daventriae a. d. VIII. Eid. Jun. CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA CCXCIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

DE moleſtiis, quae me nunc exercent, libero te omni curâ. Non enim ſpero tantum, mi Gronovi, ſed confido etiam & prorſus habeo perſuaſum, eum liti finem fore, qui ſi mihi non ſit laudi, cum adverſae partis maximo certe opprobrio ac dedecore conjungatur. Nam ex quo judices noſtri a duabus faeminis conſularibus impelli ſe ſunt paſſi, ut contra me pronunciarent, quamquam diu multumque renitentibus ſententiis; multa ad aures meas pervenerunt, quae victricem cauſam non oppugnent ſolummodo, ſed profligent plane ac evertant. Reliquum eſt, ut Judicum Haganorum nonnemo huc excurrat, qui teſtes quoſdam per praeſcriptam jurisjurandi formulam compellat ad veritatis ingenuam profeſſionem, quam meis precibus hactenus non indulgent. Judices noſtri ſi hac in parte mihi non defuiſſent, triumphaſſe nullo negotio poteram. De duabus conſulum uxoribus quod dixi eſt veriſſimum: quae cum ipſae olim male audierint, crediderunt etiam hanc noſtram immerito accuſari impudicitiae. Sed utramque ajunt jam paenitere ſui conſilii. Tertius acceſſit cauſae meae oppreſſor Vir Conſularis, qui noſtram in deliciis habere aut habuiſſe ſaltem creditur. Sed cenſeſne, mi Gronovi, tam abjecto me eſſe animo, ut Conſules aut Conſulum filios rivales feram, qui ne Jovem quidem tulerim? Haec in aurem tibi. Nemo adverſariorum meorum opinatus eſt, tantum fore mihi confidentiae, ut ad tribunal Haganum provocare ſuſtinerem, ipſe pars magiſtratus ejus, a quo eſſem damnatus. Non deſunt

quidem, qui ereptam propterea mihi velint eam, quâ hic fungor, dignitatem: sed ita res est acta in judicio, totque & tam validis argumentis, ut illi ipsi, qui me damnarunt, facile praevideant longe alium fore huic negotio apud Haganos exitum, quam quem ipsi praestiterunt. Multum praeterea fiduciae mihi addit ea ipsa, quae litem hanc mihi concitavit, quae quanquam victrix, cum ultro obnitentem me in jus primo rapuerit, nunc ita aestuat ac cunctatur, postquam ad forum Haganum confugi, ut nil movere litium audeat, ne alimentum quidem pro pueris petere, quod judices largituros illi vix dubitem. Sed quando ipsa cessat ac sibi deest, ego res ejus quamprimum urgebo. Expectandus tantum *Goesii* reditus, qui in Zelandia jamdudum haeret, eò missus ad componendam seditionem male feriatae plebis. Propinqui nostrae illius compoti litem misere jam velint, sed non componam ego, nisi victor. Hoc enim existimatio mea vehementer requirit, ut quam impudicitiae palam accusatam, etiam convincam. Sed de totâ re fusius confabulabimur, ubi veneris. Constans est inter multos rumor, eam ex alio nescio quo non concepisse tantum, sed peperisse etiam jam ante: ejusque rei probe conscium esse Daventriensem illam, quam nosti. Quo magis vellem, rei ejus explorandae negotium a curâ tuâ ne putasses alienum. Judices Amstelodamenses a formâ ac ingenio sic commendant nostram, ut benignius splendidiusque non possint. Sed praestent mihi pudorem in eâ, ego formam & ingenium facile iis remiserim. De moribus mihi lis est, quos aequo liberiores nostrae esse, boni etiam judices non inficiantur. Atque haec hactenus. Videbis apud me testimoniorum magnam copiam, quibus illa graphicè, quae sit, describitur. Quanquam ne multis quidem testimoniis opus, cum illa de nuptiis nihil a me petierit, nisi si liqueret, nullam sinistro rumori causam a se datam esse; nec aliâ ego conditione quicquam sim pollicitus, ut ex ejus epistolis penes me extantibus liquidò apparet. Id tamen judices non viderunt nostri, aut quod est verius, videre noluerunt. Caeterum ut intelligas absersum utcunque animo meo dolorem esse, quo exagitabar modis primo indignissimis, censurae tuae subjicio versus elegiacos, quos scripsi in gratiam [1] *Gulielmi Pisonis*. Is, Principi Mauricio Nassavio in expeditione Brasiliana a Consiliis & Medicinâ cum esset, historiam ejus tractus naturalem confecit, quam secundae editioni nunc parat. Non potui homini Musas meas satis intempestive imploranti oblactari. Quanquam in negotio hoc pessime de me meritus sit. Nam cum gratiosus sit imprimis apud Urbis hujus Magistratum, & Penelopes nostrae inter Alcinoos sit unus, valde causam ejus publice promovit & commendavit. Sed cum exprobratim compressam ab eo Penelopes sororem, faeminam nuptam, id enim certissimis argumentis habeo compertum, susceptam imprudenter causam prudenter nunc deseruit. Caetera Vir mihi perquam amicus est, & moribus elegantissimis ornatus. Versus ubi legeris, quaeso, ad me remitte, sed sic, ut cum lima & censura tua revertantur. Nobilissimo *Sthelio* plurimam salutem adscribo. Dabam Amstelodami. A. CIↃIↃCLVII. a. d. XXVI. Julii Gregor.

1. Vide Poëmat. Heinsii lib. III. Eleg. 5.

EPI-

EPISTOLA CCC.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

BEne habet: modo ne Sabini, aut qui amant. Interim, utcumque sit, tutissimum contemnere nummos & decidere. Quae est enim illa sinistra existimationis interpretatio, aut potius crudelitas, vindictam ad ultimum persequi, & quod ei reliquum est pudoris, si tamen reliquum est quicquam, id etiam per judicem eripere? Cogita dicentem:

Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum.

Dein suavis esset fortasse qualiscumque vindicta, nisi tanto esset tuo cum periculo conjuncta. Scis te juxta bene speraſſe de vestris Areopagitis, & tamen destitutum. Ego non plus committerem iis, quos nunc habes, quam illis, quos habuisti Recordor quam fuerint inepte misericordes in causa proditorum. Credo etiam honestius gratiusque id fore illis, a quibus provocasti, transigi potius inter vos, quam suam sententiam rescindi. Sed haec ego non nisi eminus, & per caliginem contemplans causam tuam: tu ipse propius inspiciens cum propioribus videbis, quid maxime sit e re tua. Ego cur minus adeam familiarem illius, quae te malo petit lasciva puella, causa oborta est nova. Habet sororem aetatis integrae, nec deformem: quae quum huc venerit salutandae, ut ajunt, germanae gratia, de industria detinetur a quibusdam, ut mecum illam conglutinent. Jam ad me verba fecerunt de conditione istius, & mirifice mores & ingenium commendarunt. Nam pecuniam non nisi modicam ultro fatentur. Mihi vero animus nondum, nec cordi fixa voluntas, de istis rebus cogitare, nec producere istam ac lactare, aut etiam hominum sermonibus occasionem dare libet. Me proxima hebdomade vel media vel ultima, si tibi videbitur, exspectabis. Carmen tuum haud quaquam prae se fert hominem, de capite & fortunis contendentem. Id *Schelius* (qui te plurimum salutat,) & ego libentissime legimus. Unum illud, *Nerea classe fugat*, aut nimium est, aut non intelligo. Sed & submoneo, satin' tibi audaciae sit scribendi *Mauricius*, quum Martialis dixerit, *Probitate Marcos, aequitate Mauricos*. Vale, decus meum, & me ama. Daventriae VI. Non. Jul. CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA CCCI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

NOvi optime virtutes magnas commendationis non egere, apud te praeſertim, mi Gronovi, qui in aliis multâ cum ingenuitate ſuſpicis ac miraris, quod ipſe domi poſſides: quia tamen Vir hic & natalium & provinciae, quam apud ſuos luculentam eſt nactus adminiſtrandam, ſplendore illuſtris, non ingratum ſibi fore eſt teſtatus, ſi aditum ad te liberiorem ſibi conciliarem, injuriam meis moribus videbar facturus, ſi promtiſſimi obſequii gloriam ac laudem mihi ipſi interciperem modeſta nimis operae demandatae deprecatione. Glorior enim, ne me neſcias, & ſuperbio imprimis tua neceſſitudine. Metuo interim ne contumelioſe videar egiſſe cum obvia illa & exporrecta comitate tua, qui tibi, tanquam difficillimi aditus atque acceſſus viro, virum talem commendem, qui plurimis ſe nominibus commendet ipſe. Natales primum ſunt nobiliſſimi. Ipſe dignitati ampliſſimae jam nunc deſtinatus & tantum non admotus, Praeſidis ſpartam adornandam Aquis Sextiis eſt nactus. In Germaniam cogitat comitiis imperii proximis ſpectator interfuturus. E re tamen ſua nequaquam fore eſt arbitratus, ſi pedem hinc moveret te non convento, cujus eruditionem ex ſcriptis & fama publica jampridem deprehendit. Habet in comitatu ſuo virum variis ſcientiis excultum, & quem noviſſe gaudeas. Sed quid ego tibi perſpicaciſſimo ingeniorum atque exactiſſimo cognitori commendationem ſupervacuam obtrudo? Fore enim praevideo, ut neque te compellatum neque illos compellantes officii paeniteat. Acriter mecum expoſtulavit *Alexander Morus*, quod convivam ſuum ſibi paſſus eſſem nuper elabi. Sed tu videris. *Voſſium* hodierno die dimiſi. *Graevius* in patriam advenit. Erfurdiae codices omnes ſalvos invenit, quibus *Zinzerlingum* ſcis uſum. Ovidii inter illos varii. Sed & praeſtantiſſimum exemplar Senecae Epiſtolarum. Quid theſauri reconditi ſit allaturus ſecum mox videbimus. *Barthium* vivum ſoſpitemque Lipſiae offendit: ad *Reineſium* cogitabat. Vale. Dabam manu praepropera. Amſtelodami CIↃIↃCLVII. a. d. XVII. Sextil. Gregorian.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

RECte intelligebas nec nobiliſſimi iſtius honeſtiſſimique juvenis perſonam, nec meam perpetuam conſuetudinem, ad nos tales conciliandos medio aut interprete egere. Sed fruſtra vereris, ne male mecum agere putem interpoſitas literas tuas, quae ſi nihil aliud haberent argumenti, tamen nec ſupervacua nocent, ut IC. noſtri loquuntur, & tui ingenii nihil eſt, quod ſupervacuum, quod non magnae rei ſit. Itaque cum multas ob cauſas gaviſus tam honorifica ſalutatione, tum maxime, quod eadem & tibi facta eſt, idque per te, qui fecerunt, me doceri voluere. Sic enim cognoſco, non forte me placuiſſe, ſed eo judicio, quod tu merebaris, ego participavi, quia tu neſcio quid viribus meis amplius illis de me promiſiſti. *Morum* noſtrum expoſtulaſſe tecum puta, ut ſerio deſideraſſe nos, non verbis tantum inire gratiam voluiſſe videretur. [1] Alter amicus noſter quid illic negotii habuerit, demiror: niſi forte hoc tranſitu uſus, dum redit in avitam patriam, & ei defert, quod adhuc debet, inanium impendiorum ludibrium. *Graevium* macte virtute eſſe jubeo, tantis theſauris inventis: modo ſit otium fruendi. Haec ad tuas. De me quaeris, nihil habeo, quod magnopere tibi venditem: praeter illud fortaſſe primum juſtumque, ut repetam tibi grates gratiſſimas pro benigno hoſpitio xeniiſque tuis, & jugem memoriam tantae humanitatis promittam. Nam (ne quid aliud exſpectes) omne tempus, ex quo redii, cum oleo operaque perdidi in MS. illo Tulliano, ſtultus ego atque immemor, nullas domino ejus res ſuas, utcumque exiles, parvas videri. Jam dimidium voluminis abſolveram, quum venit in mentem nudius quartus ſubducere rationes cum prioribus iſtius muneris curatoribus, ut ſcirem, quid mei collegiſſem, quid ab illis praecerptum ac delibatum. Quid quaeris? omnia cum pulviſculo converſa & occupata deprehendi, illa ipſa, quae pro illecebris ille oſtentabat, *temperaret tollere* (quo delectabar valde, quod idem genus loquendi reſtitui Tacito lib. XIV. annal. cap. LXIII. *temperaret dolorem aeternum ſuſcipere:* vide apud *Pichenam* ſcripturam Florentini codicis, nec dubitabis de hac correctione) & *Dinonis in Perſicis*, non a *Grutero* tantum, ſed jam a *Victorio*. Nec aliter prius illud in Tragicis ſuis dedit *Scriverius* p. 162. Nihil mihi reſtat praeter varietates literarum libris antiquis ſuetas, *obtumus*, *proxumus*, *filoſofia*, *inploro*, *conprehendo*, *Hermione*, *Boetia*. Niſi ipſe Tullius ex intervallo repetitus haberet ἐλκυσικὰ ſua, nihil eſſet ſolatii pro tot tam opportunis horis tam nequiter exemptis. Harlemenſem Codicem accepi. In ludo de morte Claudii, cujus ergo maxime deſideraram, nihil juvit. Sed habet & Valerium Maximum. In eo duabus horis,

1 *Isaacus Voſſius.* Vid. Ep. 228.

ris, quas ei impendi, plura reperi notatu digna quam in isto, toto propemodum mense. Inter alia lib. I. cap. I. ubi EXEMPLA EXTERNA: QUOD QUIDEM *ad Pleminii facinus pertinuit, bene a Patribus conscriptis* VINDICATUM EST. *Quod ad violentas regis Pyrrhi sordes attinuerat*, SEIPSAM *potenter atque efficaciter* DEA *defendit*. Sic vulgo. At MS. QUAE, QUOD *ad Pleminii facinus pertimuit, bene a Patribus conscriptis* VINDICATA, *quod ad violentas regis Pyrrhi sordes attinuerat*, SEIPSA *potenter atque* EFFICACITER DEFENDIT. Vides quanto rotundius & elegantius. Nam τὸ *Dea*, quod inseruerunt, ex praecedenti membro repetitur intellectu: *pecuniam dea* &c. *recuperavit*. Auctoribus sectionum & capitum in hos auctore, ut plures ejusmodi, haec corruptela debetur. Plura alias. Nunc vale & rem bene gere. Daventriae. XVI. Kal. Septemb. CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA CCCIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Invito sane, si quid unquam, mihi accidit, ut suavissimae tuae epistolae serius nunc, cum fieri id jampridem oportuisset, respondeam. Nosti animi minime defaecati praesentes molestias, quae praeter votum efficiunt, ut nec amici jure optimo officiorum rationem curatam a me possint exigere, nec ego ea praestare possim, si morosius exigantur. Hagam nuper evocatus ob turbas familiares, quas nosti, differre ad tempus sum coactus, quas nunc mitto. Vir Illustrissimus, quem tibi non ita nuper commendabam, *Marchionem de Bras* se vocat, Regi christianissimo a consiliis status, & Senatus Aquae Sextii Praesidem. Literas Coloniâ Agrippinâ post congressum vestrum satis officiosas ad me dedit. Ajunt nescio quas simultates inter illum & uxorem esse subortas, per quas fiat, ut exilium sibi ad tempus indixerit. Hoc *Morus* asseverabat: nec scio an vere. Epistolas Lutetia complures nuper accepi, sed quae nihil nuncient, aut sperari ex typographiis Gallicis jubeant, quo res literaria ornetur atque augeatur, praeter Eusebium *Henrici Valesii*. Reliqua, quae nunc illic eduntur, ad illustrandum sermonem Gallicum praecipue spectant. A *Graevio* literas jam te nactum opinor, scripturum enim se tibi in postremis suis minabatur, nisi jam in eo est, ut ad nos recurrat. Ego certe nihil postea de rebus ejus intellexi. *Crivitzius* non semel jam mecum egit, de filio suo tuae disciplinae committendo, tuisque aedibus. De aedibus dixi, quod res erat, vix fore, ut precibus ejus speique consentires. De disciplina laudavi consilium. Sed cum rumor publicus hominem sordide avarum esse, & nimis ad rem attentum, vulgo disseminet, non video quid tibi sperandum sit pro labore molestiaque hac praemii, nisi ut pro bonâ mente, quam filius a te mutuetur, men-

mentis bonae sororem Pater, quantum in se, tibi reponat. Amicus noster nuper hac transiit, non tamen eo animo, ut ad avitos Geldros excurreret. Peregrinatur quidem nunc, sed, ut solet, in Pomponio suo; ex cujus atomis collectum meteororum opus mox procudat. Misere profecto metuebam, ne pro asello tibi diaria obtruderet, commodato Tulliano codice, atque ita rem sese habere facile jam nunc intelligo. Codex, quem ego volebam, optimus quadrata erat formâ, & annorum octingentorum senium praese ferebat. Alter ille, in quo tu frustra sudasti, annos sexentos aut septingentos ad summum aequabat, quem ego paucis ad vulgatas editiones pagellis examinatis, facile deprehendi altero longe inferiorem ac valde depravatum esse. Tertium praeterea habet, literis Longobardicis descriptum, qui meus olim fuit, Regiae bibliothecae postea donatus. In Valerio Maximo operam melius feliciusque a te collocatam gaudeo. Extat penes me geminum ejus scriptoris exemplar manu exaratum, quod tuis usibus, si jusseris, libens suppeditabo, ut & fragmentum epistolarum Senecae, quamvis non valde antiquum. Aemilii Probi novam editionem Leidenses parant. Si quid addendum operi huic habes, conferri poterit. Ejus ego quoque scriptum exemplar, sed chartaceum, possideo. Velim me doceas, quid sentias de Ovidiano illo loco lib. 1. Art. Amat.

Inde propinator nimium quoque multa propinat,
Et sibi mandatis plura videnda putat.

Est enim corruptissimus. Ut & alter in Epicedio Drusi.

Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum,
Ultima sit laudes inter ut illa tuas.

Haec nunc. Vale, decus literarum certissimum, & me, quod facis, ama. Dabam Amstelodami. CIↃIↃCLVII. a. d. XXII. Sept. Gregor.

Describebam nuper notas ad Penelopen Ovidianam, ubi occasio suborta est emendandi loci Propertiani, ejus quem nosti. *Tantine, ut lacrymes, Africa tota fuit?* Video ad istam correctionem praeivisse mihi Tibulliana ista, *Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.* Si persistis tamen in proposito, facile tibi hic, ut in caeteris, concedo. Vale iterum. Salveat quaeso perillustris *Schelius.*

EPISTOLA CCCIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

VEllem crebrae illae itiones Hagam aut cessarent, aut aliam causam haberent, non tantopere, quod ut quereris, reliquatorem te amicis in scribendi officio reddant, quam quod animum inquietent tuum, & doctas curas impediant. Atque utinam vel nunc decideres, & jactura aliqua facta, quod tamen morae fori auferent, indigna & sordida lite exsolverere! Sed tu nosti melius

lius ipse causam tuam, & fortasse jam tantum profligatum est, ut de eventu satis confidas. A Marchione habui & ego Colonia perhumanas. Videtur ejus esse haec pulcra ambitio, ut gaudeat epistolis illorum, quos in studiis operae pretium facere putat. Quae sane alenda est in homine ejus loci atque ordinis, itaque statim respondi. *Graevius* redux Senecam Erfurtensem opportune mecum communicavit: sum enim totus in Notis meis ad secundam editionem parandis. Inspexi jam non sine fructu libros de beneficiis & de clementia illis locis, ad quae aliquid notatum habeo, nam ad literam omnia conferre non est otii mei. Epistolae non tam bonae, notae videntur, quam isti libri, & hiatu ingenti laborant. Tuum fragmentum si prodesse mihi putas posse, non repudio humanitatem tuam: fac ad me commeat. *Crivitzius* filium suum si mittere huc in disciplinam vult, non deerit illi labor meus. De convictu, recte negasti, non domus mea fert, non rationes familiares, dum sine uxore sum, & si unquam aliam duxero, ne illa quidem, opinor, patietur. In Ovidii loco tentas, credo, me, & lepus pulpamentum quaeris. Dicam tamen, & ludibrium tibi debebo, ut meliora & tua me doceas. Subscribo libris, qui *procurator* & *procurat*, habent. Non tamen, ut *Berſmannus*, accipio de illo, cui uxor, sed cui quaecumque aut quotacumque res absentis domini mandata est. Ex eo, ex ea tuta frequentique, sed sceleſta, via per amici nomen fallendi, est etiam inquit, quod procuratores amplius, quam debent & possunt salva fide, procurant, & ipsi specie amicorum fallaces, suoque lucro aut commodo, & plura sibi providenda & curanda sumunt, quam dominus mandavit. *Videnda*, ut Terentius: *aliud lenius, sodes, vide*: ut Cicero, *mandavi ei, ut prandium nobis videret:* & saepe huic. In Elegia in mortem Drusi olim ad marginem libri mei notasse me video pro *inviolata* ex MS. cod. Berſmanni, *meruisse. Quidque pudicitia tantum meruisse bonorum &c.* Ut frugalitas ultima laus est in Scipione & Paullo aut rege aliquo, teste Cicerone, ita pudicitia in foemina Principe, alios majores titulos nacta, & eos tamen merita ipsa illa pudicitia, quae scilicet prima Augusto in Livia placuit. *Tantine ut lacrimes*, habet sane Venerem suam, praesertim si solum per se audiatur. Quin & forte fatebor tibi, si hoc accepissem, priusquam aliud in mentem venisset mihi, de alio non cogitassem. Nunc corruptus ingenioli mei lenocinio nescio quomodo has lacrimas minus huc convenire existimo. Videtur enim id, cujus intuitu & comparatione non tanti sit Africa, jam prior versus pronunciasse, nempe ut mutaret puellam. Durus, qui lucro puellam mutare potuerit: tanti non erat tota Africa. Vides sensum plenum, cui illud, *ut lacrimes*, non potest inseri, nisi ut, prope dixerim, inepte abundet. At *in lucris* commodissime: foret enim tum: tanti non erat totam Africam lucrari, vel in lucris habere. Tum illud, *At tum*, significat proximo disticho de alia prorsus persona agi, a qua jam rursus ad illam, quam prius allocutus fuerat, convertatur. Apud Tibullum quidem, *luctus renoventur acerbi*, & *Nec lacrimis*, respondent τῷ *plorare*. At in toto Propertii verbum nullum est, quod lacrimas istas adfirmet. Hae tamen non sunt ἀπο-

δείξεις

δείξεις, & tam facile a te confutabuntur, quam nunc a me ponuntur. Quid igitur? hieran faciemus, ut cum Seneca loquar. Vale lux mea, & me ama. Daventriae. a. d. prid. Non. Octobr. CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA CCCV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

NIhil quidem nunc occurrebat, quod ſcriberem, Vir & Amice ſumme, ſcribo tamen, ut valere etiamnum me ſcias, quanquam id ex Illuſtr. *Schelio* noſtro jam nunc intellexiſſe te confido. Nam quod amici noſtri mors inexpectata juſtum ſcriptionis argumentum eſt, eſto. Malim hoc ex aliis, quam ex me cognoſcas. Me certe ex ore *Moreti* exceptus primo nuncius, mox & per *Gevartianas* literas confirmatus adeo perculit ac conſternavit, ut ne nunc quidem ſim meus. Incomparabilem ſane jacturam hoc tam funeſto caſu paſſae ſunt Romanae antiquitates, heu quantum

Praeſidium Auſonia, & quantum tu perdis, Jüle.

Vivet tamen in Livio & Seneca tuis *Rubenius*, ſi alii ceſſabunt in ſcriptis ejus poſtumis luci committendis. *Graevium* jampridem ex Germaniâ Duisburgum rediiſſe ex *Criwitzio* heri intellexi. Nos totis ſeptem diebus *Thuanum* hîc habuimus, ſplendide a Magiſtratu exceptum. *Morus* diſcedentem oratione panegyrica proſecutus eſt, in qua adulationis multum, nec parum ſane elegantiae. Ego paucos [1] verſus adventui ejus dedi, etſi aliud agens, & totus in ſororc, ejuſque marito, hoſpitibus meis, excipiendis occuparer. In catalogo Nundinarum Francofurtenſium nihil video praeter Gulielmum Britonem Barthianis commentariis illuſtratum. Statium ejus proximis nundinis expectare jubemur. Vale. dabam Amſtelodami. CIↃIↃCLVII. a. d. XVII. Octobr.

1 Editi ſunt libr. III. Eleg. 9.

EPISTOLA CCCVI.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

POſtremae meae immaturam *Rubenii* mortem nunciabant, quas necdum videbaris accepiſſe, cum nuperrime me compellares, vir & amice ſumme. *Gevartius* tantum non imperioſe epicedium a me flagitat, quod exigi ac requiri contendit a ſingulari illo adfectu, quo me meaſque quiſquilias ὁ μακαρίτης

solebat complecti. Etsi autem eo loco non sunt remorae, ut cantare mihi conveniat, nisi Eumolpi Petroniani exemplum mihi proponam imitandum, vix possum tamen deesse supremo officio: quod non tam amicitiae nostrae, etsi huic quoque, quam egregiis viri praeclari in rem literariam meritis a me praestari omnino est aequum. Videbis itaque proxime forsan nescio quid [1] Elegidii: si telam jam inceptam licuerit pertexere. In carmine ad *Thuanum*, puto, aures tuas delicatissimas offendit istud, *Tantaque quem virtus deueret*. *Morum* certe offendebat, nec mihi ipsi satis arrisit, cum properanti calamo excideret; sed inter festinandum, curasque ab eo argumento prorsus alienas, meditationi locus non fuit. Ex *Criwitzio* pauculos demum ante dies intellexi *Graevium* ex Saxonia rediisse. Nam noster ipse reditum suum diligenter hactenus nescio qua de causa apud me occultum habuit. Ovidianos, quos erat pollicitus, codices confido illum advexisse: idque eo magis, quod & Senecae tibi factam esse copiam significas. Utinam exemplar istud Epistolarum veterrimum evolvisses, quod in Argentinensi bibliotheca asservatur, huisce a me manibus tractatum! Sed non omnia possumus omnes. Meum interim hîc vides, de quo non ausim bene augurari. Locus Ovidianus, quem optime interpretari visus es, enodandus mihi erat propositus a *Peyraredo*, is audacter emendabat,

Propinato nimium, quo plura propinat.

Ego contendi vulgatam lectionem non esse sollicitandam, quod ea veterrimorum codicum auctoritate nitatur. Nisi quod unus Oxoniensis literis Longobardicis scriptus secundo versu *mandari* pro *mandatis* exhibet. Recentiores turbant mirifice. Tamen placuisse mihi non nego τὸ *plura jubenda*, quod est in nonnullis. Intelligebam autem de eo, qui procurabat convivium: quod meminissem Horatium Sermon. lib. 1. Ep. VI. ni fallor, ubi de convivio agit, procurandi verbo quoque usum,

Haec ego procurare & idoneus imperor &c.

Nunc tibi in omnibus accedo & acquiesco. Alter locus a Peyraredo propositus erat ex lib. II. vers. 95.

Et tamen ulla viro mulier non expedit, inquit.

legebat ille,

Et tamen illa viro mulier non expedit, inquis.

Ego, etsi scriptis exemplaribus nil juvantibus,

Det tamen ulla viro mulier non expedit, inquis,

hoc est, sui copiam faciat. Meministi illorum,

Quae dant, quaeque negant, gaudent tamen esse rogatae.

Plura exempla sunt in promtu. Uter nostrum locum rectius emendarit, tu judica. Versus proximus male intelligitur a *Bersmanno* de urina, nec verius ab alio interprete de semine genitali. Agit enim de aquâ, quam abluendis obscaenis partibus post coitum sumebant. Pluribus de eo ad ipsum Ovidium, quia video *Scaligerum* quoque falsum fuisse in hujus loci explicatione ad Propertium.

In

[1] Legitur. lib. III. Elegia. 6.

In Elegia de morte Drusi, cave Bersmanno credas, vetustos codices jactanti, dum pro *inviolata* reponit, *meruisse*. Nam primo vetustos ejus poëmatii codices qui vidisset hactenus, inveni neminem. Recentiores tres quatuorve ipse evolvi, tum ex primis editionibus totidem aut plures, Sed illo loco conspirant pro vulgata lectione. Existimo ego *Bersmannum* incidisse in exemplar typis descriptum, cujus margini conjecturas nonnullas illeverit aliquis ex turba literatorum, quod argumentis liquidioribus probari a me posset, si id nunc ageretur. Sed de hoc poëmatio alias plura. Locus Fastor. III. nuper in mentem veniebat fabula Didûs.

Vincitur ars vento: nec jam moderator habenis
Utitur: at votis: his quoque poscit opem.

Turbant libri veteres, alii, *sic quoque*, vel *is*, vel *hic*. Puto ego,

Utitur; at votis vix quoque poscit opem.

Ut sit, vix etiam votis locus est. Super loco Propertii nolim diutius luctari. Vale, Vir Clarissime. Dabam Amstelodami. CIↃIↃCLVII. a. d. XXIV. Octobr. praepropere.

EPISTOLA CCCVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

LUgeo, mi Heinsi, lugeo, & quidem gravissime, immaturam *Rubenii* nostri mortem. Sane, ut scribis, incomparabilis est haec jactura & literarum & omnium, quibuscum illi aliquid fuit. Id meo exemplo sum expertus, qui tam fidum in Seneca & Livio optionem habuerim. Ubi quod tu eum victurum auguraris, (& cur non primo ponis loco Claudianum tuum? sed utcunque erit, nullum illi apud me meritum peribit, vivam modo) propemodum tristius, quasi de tot vigiliis nihil reliquerit exactum usque ad sua cornua. Nondum hoc credam: sed inquire, quaeso. Vehementer etiam me conterruit in tuis illa cum Eumolpo comparatio. Quid exspectem? An & illic sunt, qui noctibus sententiam vendant? Quod ne sirit Deus, nec patiatur Emporitanos tuos poenitere judicii sui, quod ducentis annis non melius fecerunt. Carmen tuum vidi libenter, & non mihi tantum, sed & multis amicis ingenium tuum probavi. *Tantaque quem virtus comeret*, & mihi & *Schelio* satis placebat. Recordabar quae ad Statii Silvas notavi cap. XXVII. *Graevius* non immemor vixit aut vivit tui: attulit codices Ovidianos, & nihil nisi occasionem mittendi exspectat. Codex MS. tuus haud dubie aliqua proderit. Nondum eo potui uti, qui domo abfuerim aliquot dies, dum consobrino *Pinciero* honores Academicos in jure Hardervici sumenti officium praesto: dein totus fuerim immersus tractando loco Plinii lib. XXXIII. cap. III. de aureo Romano, quem

antehac tangere non audebam, praestrictus oculos undecim summorum virorum diversis sententiis. Puto me aliquid extricasse, & operae pretium habere. Videbis, quae in eam summam conscripsi, ubi volueris, & habuero, qui describat, quia te quoque & tuas antiquas divitias interposui. Locos Ovidianos ita continuas, ut non sit quod addam. *Meruisse*, si non est e MS. miror unde sit: haud facile aliquid aptius reperies. Inspice quaeso *Tristanum* tuum, & Antverpienses nummos, num quis occuparit explicationem illius TROBS & CONOB, quae in nummis aureis posteriorum principum toties reperiuntur. Occo τῷ CONOB prorsus ridiculam e Cedreno apponit. Videor rem acu tetigisse, nisi illi aut idem aut melius praeceperint. Vale, & secunda mihi quam primum de te nuntia. Daventriae Cal. Novemb. CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA CCCVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

CUm Hagae nuper essem, *Christianus Hugenius*, Constantini filius, significavit mihi in paternâ bibliothecâ extare codices nonnullos manu exaratos, qui *Justi Lipsii* olim fuissent. Atque inter illos exemplar unum alterumque Ovidianum, quod mihi utendum offerebat. Succurrebat tum mihi, laudatum me praesente a te exemplar Livii Lipsianum, quod ille in scriniis paternis una cum Senecae Suasoriis extare etiamnum asseverabat. Offerebat praeterea, se id mihi exhibiturum, simul atque pater convaluisset, quem adversa valetudo diu oppressit nunc paulo melius habentem. Hoc volebam nescius ne esses. Hagam post dies pauculos denuo excurram, faxo tum mihi curae sit ipsos codices inspicere. *Rubenii* nostri mortem merito luges. Erat enim vir ad ornandas literas unice natus. Vide, quaeso, quid exequiis ejus carminis dederim, & lectum ad me remitte. Addo & alteram [1] Elegiam poëmatis Hugenianis dedicatam, eadem cum lege. Neutrius enim carminis exemplar mihi superest. Miraberis tam canorum me factum, sat scio. Sed idem nunc facio, quod viatores vacui coram latrone. Ne quid erres enim, archivorum claves Consulibus jampridem consignavi, idque minime invitus. Videbam enim undique consurgentes in me Maenadas Amstelodamenses, nec multo mitius, quam Orpheum olim Thressae illae. Novi adfectus tuos, ut dubium mihi non sit, quin adversis meis sis indoliturus; sed noli quaeso. Jam enim bene jussus sum sperare; non defuturum meis fortunis patrocinium fautoris externi. Tentabo tamen prius, si quid in patriâ possim. Ego, mi Gronovi, in potissimâ voluptate hactenus duxi, ne quid cuiquam gravis essem: tum ab inimicitiis semper immane quantum abhorrui. Videbam autem non tam aemulos, quam invidos mihi hîc obtigisse plurimos: quos tamen poteram tuto

1 Exhibetur inter *Heinsii* Poëmata lib. III. Eleg. 4.

con-

contemnere, si lupanar domi meae instruere voluissem. Sed tanti nova non fuit arbor. Hoc unum velim habeas persuasum, scelus ab ingenio meo abfuisse semper, & porro abfuturum. Maximam sim expertus perfidiam in iis, quos non tam esse mihi amicos credidi, quam quos esse oportuit. Sed illi viderint. τὸ *Tantaque quem virtus comeret*, *Moro* parum viriliter dictum videbatur. Nec obnisus sum. Soleo enim censoribus mearum ineptiarum plurimum deferre. Nunc gaudeo tibi *Schelioque* aliter esse visum. Quod nuncias a *Graevio* allatos codices Ovidianos, plurimum me beasti. Nam is ipse nihil hactenus ea de re ad me. Plus dicam. *Criwitzii* famulus nuper inde redux in hanc civitatem, nihil ab illo mihi attulit praeter nudam salutem. τῷ CONOB. nihil memini ab antiquariis nostris illustrando datum, praeter id, quod ex Cedreno parum congrue depromunt. Habes hîc *Cenalem*, quem *Bigotius* tibi promiserat. Trist. lib. v. El. III. ad Bacchum.

Sic micet aeternum, vicinaque sidera vincat
Conjugis in caelo clara corona tuae.

Zulichemianus liber, quod in aliis non inveni, exhibet, *Cressa Corona*. Nec dubium, quin vere: meministi illorum in arte amatoria,

Saepe reges dubiam Cressa corona ratem.

Vale, Vir summe, & praecipiti scriptioni ignosce. Dabam Amstelodamī. CIↃIↃCLVII. a. d. xx. Novembr.

EPISTOLA CCCIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

O Barbariem! o tyrannidem in medio sinu libertatis grassantem! o indignitatem foediorem priore! Quae enim si haec non contumelia est? honestam personam, de summa republica bene meritam, tanta nominis ac literarum fama, scorto condonari, quasi ad lenocinium damnari poena esset, ut ad bestias aut in metallum: dein, quia castior est judicibus, a republica removeri. Nimirum hi quoque, quod eleganter unum & raro exemplo fecerant, non judicio neque ex usu disciplinae & morum fecerunt, sed brevi impetu commoti, qui animos sordidos, humiles, angustos, nec tam bonorum sensuum capaces, cito deseruit. Aut locum facere tantummodo voluerunt, cui digniorem obstare credebant: instar illorum, qui fictis adoptionibus aut sponsalibus, ut ad provinciarum sortem admitterentur, subito patres aut mariti, post transacta comitia repudiis & emancipationibus Poppaeam legem eludebant. Quicquid spectarint, & illorum aeternum est opprobrium, & atrocissima virtutis ac literarum injuria. Tu tamen bene, quum constas animo, nec cum invidiosis illis clavibus tranquillae mentis ordinem raptoribus doni sui tra-

Digitized by Google

didisti. Vetus querela est tibi non ignota: *tristis virtus Perversa tulit praemia recti: castos sequitur Mala paupertas: vitioque potens Regnat adulter.* Et, *de pulvino surgat equestri. . . . sedeant huc Lenonum pueri quotcumque in fornice nati.* Sunt salvae tibi sanctae artes sanctique mores: est recti conscientia: quicquid pateris, sustines, quia ab errore juvenili mature te revocasti, nec in barathrum impellentibus concessisti. Est patrimonium, cujus fructus si minus impendes posthac in nobiles delicias musei, at tolerandae frugalitati, opinor, tuae sufficiunt. Est gloria molita per omnes terras, nec egeres, etiamsi cum Simonide naufragus nudusque in littus ejicerere. Interim velim quam tardissime de patria desperes, & quamvis longum ei des in poenitentiam spatium. Ubique maligni, libidinosi, ingrati, barbari sunt. Quod jam expertus apud Isidem, & ipsa experitur in se cum maxime, stulte opinata exteris se magis placituram ingenio, quam suis potentia & quantacumque factione, nunc vaga, miserabiles & illis, quos laesit, poenas pendit, citius Epaphum, quam Aegyptum inventura. Nec tamen ἀπόβλητα, undecumque apparuerint, θεῶν ἐεικυδέα δῶρα. Sed non festinandum censeo, & his indulgendum aliquid temporis, si forte se colligant, & sanius consulant. Est denique Deus, qui castos respicit, & quantacumque mercede esse vult, seque etiam in ultimis casibus propitium exspectari jubet. Illi igitur commendemus fortunarum nostrarum vias, in quo ego te libenter & religiosissime juvabo. De Livio & Suasoriis Senecae mirifice mihi salivam movisti. Fac impetres, quaeso, mihi utendos, & beneficii memorem fore spondeas. Diu ante calamitatem domus meae & iter Germanicum jusseram Elzevirios ad summum & illustrem virum Pecuniae veteris exemplum mittere, literasque adjungendas miseram, quae curata adhuc non nisi illis adfirmantibus credo. Piget non scripsisse me *Graevio*, ut codices Ovidianos vel huc destinaret: si tamen ea moles est, ut tabellarius pedes Groninga Dusburgum commeare suetus, portare possit. Est apud J. Jansonium seniorem negotium mihi. Transiit nuper hac ex institoribus ejus Elias Ratelbant, & commonstrato mihi mandato procuratorio, quo nomina domini exigere jubebatur, nummorum aliquid, quod ei debebam, apocha relicta, abstulit. Jusseram Antverpiensia Imperatorum Numismata, XII. florenis, & Quintilianum Parei, duobus ab ipso taxatum, cum primo nuntio mihi mitteret. Undecim dies abierunt, & nihil comparet: itaque incipio male suspicari. Quid sit, ex Jansonio cognosce obsecro: nec tamen hujus rei mentionem facias cum Elzeviriis, qui forte aegre laturi sint, cum illo quoque mihi commercium esse. Haec scribebam ad lucernam ante lucem. At cum ipsa luce adsunt Numismata illa & Quintilianus cum literis. Itaque solutus hac cura sum, & te solvo mandato officio. Carmen utrumque impense placuit, non modo mihi, sed & *Schelio*, cui nudius tertius, (dies Dominicus erat) in prandio ea praelegi: etsi vellemus alterius materiam non incidisse. Inclusas rogo, ut jubeas servulum tuum curare. Cenalem vidi libenter: sed ubi nunc *Brigorius?* Vale, & fortis esto. Daventriae a. d. XVI. Kal. Decemb. CIↃIↃCLVII.

EPI-

EPISTOLA CCCX.

NIC. HEINSIUS

J. F. Gronovio.

Dantzigae.

SI te colui & amavi unquam, quod omni mehercules studio a me sit hactenus, nunc certe est, cur in te observando modum posthuc mihi non ponam, qui res & fortunas meas adfectu longe tenerrimo ac vere fraterno prosequaris. Noli tamen, Vir examie, nimium mihi indulgere in exagitandis iis, quos infensos mihi in hac civitate sum expertus. Si blandiri aut adulari voluissem, & fucum obtrudere mei alterique ex iis, quos ejusdem reos criminis, eidemque meum culpae obnoxios esse certò sciebam, poteram imminens naufragium securus elusisse. Nunc illos id meritò exasperavit, quod nullo unquam verbo, nullâ compellatione supplicem aut dejectum me sunt experti. Divisum fuit hoc anno regnum inter homines non uxorios tantum, sed quod putidius est, inter ancillarios & meretricios. Sed fruantur illi suo ingenio. Unum in contentione molestissimâ probrum intimos mihi sensus, fateor, perculit & adflixit; immane enim quantum id cavi semper, ne quid ignominiosum admitterem. Fortunarum jactura minimum me movit. Ante exortum enim rixarum semper praedixi isti faeminae, quam fundi mei calamitatem jure appello, si quid turbaret publice, aut ad forum confugeret, nusquam se impetraturam, ut ego sedem imposterum hac in civitate figerem: hanc autem emigrationem fore conjungendam cum ultimâ liberûm suorum pernicie. Nec fore opinor, ut augurii hujus falsum me arguat. Exortis enim vix dum turbis jam tum e re meâ esse sum arbitratus, ut foris circumspicerem, si quis herus se offerret, qui diu quaerendus non fuit, sed ultro se captandum dedit. Hic successus animos mihi suffecit addiditque, fateor, ut ganeonis foroculi minas & insultus insuper haberem. Tentabo hac hyeme, si conditio hîc terrarum sit in promtu. Non enim desunt fautores, maxime inter Dordracenos. Sin minus, oblatam elabi non patiar, de quâ coram fortassis agendum, si huc excurras. Interim clam habere omnia sum jussus. Hesterno die Hagâ in hanc civitatem sum reversus. Dum illîc essem, nihil prius habui, quam Lipsianos codices in Zulichemianâ bibliothecâ excutere. Eos filius *Christianus* ostendit, ipso patre *Zulichemio* etiamnum aegrotante. Livianum exemplar geminum isthic vidi, alterum in membranâ, in chartâ alterum descriptum, neutrum vetustum. Membraneum tamen exemplar duas, ni fallor, decadas continebat diversâ manu exaratas. Suasorias Senecae nullas inveni, sed duos Declamationum codices ducentorum circiter annorum aetatem prae se ferentes, & duos tresve libros, qui Philosophi opuscula nonnulla continerent. Si vis, ut utendi sibi concedantur, enitar. Extant ibidem varii auctores cum libris scriptis a *Lipsio* col-

collati. Multae etiam epistolae, Scaligeri, Casauboni, aliorum ad Lipsium datae. Praeter Tristium codicem, ex quo τὸ *Cressa corona* nuper depromebam, Metamorphoseôn etiam exemplar inde depromsi, caetera quidem non magnae rei, sed quod emendationem ex meis non pessimam confirmaret lib. VII. in descriptione magicâ Medeae,

Colligit exceptas lunae de nocte pruinas.

cum variare codices deprehenderem, atque ex iis tres quatuorve exhibere *luna de nocte*. Unum ex tuis, *per lunam nocte*. Alios aliter. Vetustissimum Florentinum S. Marci, *Lunae per nota*, facile subodoratus sum legendum *Lunâ pernocte*. Quam lectionem interlinearem Zulichemianus ostentat. Sed heus! inveni ibidem ante paucos dies fastos Ovidianos cum veterrimo codice satis accurate collatos. Manum collatoris non cognosco, nec enim est *Lipsii*. Ipsum codicem indignis modis fuisse interpolatum fidem facit collator, qui passim monet, suo loco veterem lectionem fuisse abrasam, non tamen id tam pertinaciter, ut non multae lectiones optimae supersunt: quas tamen potissima ex parte jam occupavi, quantum primo conspectu apparuit. Sed exultavi fateor ad unam emendationem, quam isti codici debeo. lib. II. Fast. meministi sacra inferna deae Tacitae describi. Ubi inter alios hi versus occurrunt vers. 578.

Quodque pice adstrinxit, quod acu trajecit ahenâ,
Obsutum mentâ torret in igne caput.

Sic plerique codices. At vetustiores quatuor aut quinque, *Obsutum mentae*. Non expedivi me. Scio *Mentam* nympham a Persephone in herbam ejus nominis mutatam. Sed quodnam *mentae caput?* Codex Zulichemianus, ne diu te teneam, *menae*. Legendum *maenae caput*. *Maena*, quae Graecis μαινὶς, piscis minutus. Cujus & Persius Satyrâ III. meminit. Et Arnobius lib. III. ubi Nep u ium *pistricum & maenarum dominum* vocat, & Cicero lib. II. de Finibus, ubi maenam acipenseri opponit, pisciculum vilem pisci delicato & pretioso. Meminit & Plinius passim. Nec quaerendum, cur piscis, animalis muti, caput adhibeatur sacris Deae Tacitae. Plus dicam. Eustathius in Homerum ἀπὸ τῆς μαίνεσθαι deducere videtur etymon τῆς μαινίδος, quem audi, θύεται μαινὶς τῇ Ἑκάτῃ· ταῦτον δὲ εἰπεῖν τῇ σελήνῃ. Λέγε τὸ δοκεῖν ἔχειν οἷς μανιῶν αἰτία εἶναι. Habes igitur alteram causam, cur hostiles linguas hoc pisce incantarent. Caeterum quod ait Eustathius ejus usum in sacris Hecates fuisse, etiam hîc ad rem facit. Idque ipsum confirmat Antiphanes Comicus ἐν Ἀγρείῳ apud Athenaeum lib. VII. ubi μαινίδας καὶ τευθίδας pisces Ἑκάτης σώματα appellat. Capita maenarum pro medicinâ fuisse Plinius te docebit. Plura non addo. *Rubenii* nostri uxor maritum est secuta. Distrahetur itaque bibliotheca ἐς μακαρίτης. Habes hîc a *Gevartio:* quas mihi curandas commisisti, recte curabuntur. *Bigotius* an ad suos sit reversus haud scio, nusquam enim scripsit, ex quo hinc se proripuit. Nobilissimo *Schelio* salutem adscribo, cui me totum voveas velim. Vale, vir summe. Dabam Amstelaedami. A. CIↃIↃCLVII. a. d. XXX. Novembr.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Deventriam.

QUod poſtremae meae pollicebantur, Vir Eximie, curae mihi fore ſimul atque Hagam perveniſſem, quo excurſum tunc parabam, ut quos in Zulichemianâ bibliothecâ Senecae codices manu exaratos offenderam, tibi impetrarem utendos, id quantâ potui fide ac ſedulitate dedi effectum. Ac primo quidem ejus opuſcula Rhetorica ut ad te mitterentur petii, quod meminiſſem ac certò ſcirem non delibatos eſſe a *Lipſio* hos codices. Iis ubi eris uſus, reliquos ad philoſophiam pertinentes non denegabit *Zulichemius*. Nam omnes ſimul ſi flagitaſſem, ne expugnatu difficiliorem is ſe praeſtaret metuebam, ac praevidebam fore, ut aegre poſtulatis meis gratificaretur. Codices ſunt ante annos ferme ſexcentos ſcripti, uterque Senecae patris. Opinor tres ad minimum ſupereſſe alterius Senecae nihil recentiores. Aveo doceri, ecquid inſtituto tuo emolumenti ex hoc ſubſidio acceſſerit. Commentarios tuos de Seſtertio recte curatos ne dubita. Id ipſius *Zulichemii* literae tibi adfirmabunt pluribus, ni fallor. Ovidianos codices a *Graevio* noſtro quatuor accepi, duos Metamorphoſeôn, faſtorum unum, unum itidem Heroidum, ſed recentem. Faſti DC. annorum, nec tamen magnae rei, quantum primâ fronte apparet. Metamorphoſeôn codex alter Faſtis vetuſtior: ſed nec ejus praeſtantia antiquitati reſpondet. Alter enim plurimis in locis melior. Ait tres alios in eadem bibliothecâ aſſervari cum Claudiano, quorum uſus ſit ſperandus, ubi hos receperint Erfurtani. Lib. II. Metamorph. in fabula Calliſtûs,

Neve preces animos & verba precantia flectant.

Multum fateor me exercuit hîc verſus. Nam quid inter *preces* & *verba precantia* interſit non video. Barberinianus, ni fallor, *verba ſuperflua*. Sed ejus ſuſpecta eſt auctoritas. Puto ſcribendum, *Neve truces animos per verba precantia flectat*. *Truces animos*, ut epiſt. Phaedr. *Flecte truces animos*. Sic & alibi. Excerpta Faſtorum Zulichemiana ſunt ſane praeſtantiſſima, multaſque correctiones ex aliis libris depromptas confirmant. Eſt tamen & ubi ſuggerunt quid novi. Ut in illo de *maena*, quod proxime tibi communicabam. Nunc ecce & aliud: ſub finem libri V. Faſtorum recordaris deſcribi pugnam inter Apharei & Tyndarei filios commiſſam, ubi iſti verſus occurrunt,

Liber ab arboribus locus eſt, apta area pugnae:
Conſtiterant illo nomina fida loco.

Nihil, fateor, de mendo ſubodoratus ſum. At codex ille praeclare,

Conſtiterant illic. nomen Aphidna loco.

Intellige autem de Aphidna Laconicâ, non Atticâ. Ne dubites, vide Ste-

Digitized by Google

phanum in voce Ἀφιδνα, ubi hanc Leucippidum patriam facit. Quanquam Pindarus & Theocritus in Messenio tractu prope tumulum Apharei pugnam fuisse commissam testentur. Sed inter horologia citius conveniat, quam inter poëtas. Prodiit tandem eximium opus historiae Grotianae: nec dubito ejus jam tibi copiam esse factam. In poëmatis Herois nostri, quae hîc mitto, miraberis sat scio nimiam verborum licentiam, obscaenitatem fere dixeram: in epigrammatis potissimum & eo dramate, quod operis totius est postremum. Velim id a te & nobilissimo *Schelio* attente legi, ut sit, quod rideatis. Mortualia enim non sunt, ne tu nugas esse dixeris. Venio nunc ad illum nuncium, quem mihi funestissimum, tibi etiam flebilem, invitus, sat scio, excipies. Vir omnium longe optimus & maxime officiosus, *Cassianus a Puteo*, in vivis esse desiit. Nec ille tantum, sed & *Natalis Rondininius* Cardinalis *Rondininii* frater, juventutis Romanae doctissimus & cordatissimus. Dignus tuis lacrymis hic casus, si virum novisses. Mitto ipsius *Furstenbergii* literas cum versibus nonnullis, politis sane: ut videas in aulâ istâ non prorsus jacere literas. Eos cum additâ epistolâ, ubi commodum erit, ad me reverti velim. Ad *Zulichemium* si quid responsi paras, mitte quamprimum. Ego enim Hagam post dies sex septemve sum recursurus. Vale, Vir unice, & Heroi *Schelio*, cujus quotidianam consuetudinem parum abest quin tibi invideam, me commenda. Dabam Amstelaedami. A. CIↃIↃCLVII. a. d. XXIV. Decembr.

Audivisti facinus atrox ab illa Principe perpetratum nuper, quam nos omnes in oculis olim tulimus. En quo crudelitatis recidit Mezentianae theologiae candidatus animus? Cetarum quidem publico odio haec laniena tantopere illam exposuit, ut ei urbe Lutetiâ, quo properabat, regiâ auctoritate sit interdictum, ne piacularis victima & ipsa indignabundae plebi mactaretur.

EPISTOLA CCCXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

EGo vero non succenseam? non querar? non conviciet? Atqui polliceor tibi, nisi demetur injuria, & fueris in integrum restitutus, nunquam fore, ut reminiscar tam foedi ac multiplicis facinoris sine precibus Thyesteis. Quid si nos taceamus, an etiam tacebit posteritas, cui nihil horum neque prosperorum neque adversorum potest subduci? Me miserum, in tanta multitudine neminem reperiri mentis tam sanae, ut hoc cogitet? ut alios moneat terreatque? ne amicum quidem nostrum, nigellum illum cathedralicium ministrum! aut si quis cogitat, si monet, adeo hebetes ac stupidos immanesque esse caeteros, ut mordeant tantum frenum, & quid verecundia posteritatis sit, nesciant. Nimirum hoc nobiscum inique agitur, inter ignotos ignorantesque nostri vivimus:

mus: qui per caliginem & e longinquo nos nosse coeperunt, hoc est, animadverterunt paullo plus valere vulgo, invident, & ne se contemnere videantur, nos nosse dissimulant. Si omnibus vinculis tenerere, tamen aequum foret te liberari querela, & frangi potius venerandam legum potestatem, quam hominem in exemplum natum summo jure, quod summa injuria est, perdi, ob pauxillum & sine malitia peccatum. Nunc innoxius damnaris, & ad injuriam obtinendam non contenti semel fecisse, quia interceditur saevientibus in caput, saeviunt in fortunas tuas. Non possum exprimere verbis, quanta labes seculo, quanta florentissimae urbi inuratur, quam denique me pigeat temporum. Laudo tamen, cum ad hominum insolentissimorum genua non jacuisti, cum ipsum scelus clementer fers, solo probro te angi confessus. Id quoque jam callum obduxisse debet, & tamen eo nihil tibi crimini datur, quam quod deceptus ore & fronte aetati ludum dedisti in ea, quam tota laeva (ignoscat mihi genius tuus) respicere non debueras. Tua probitas, & quod cum Cressa cretissandum sero vidisti, te prodidit. Igitur consiste, ac mane in hac animi lenitate, & nos potius quam te indignari sine, vel ideo, quod lenes in injuria se potius quam hostem cogitant, & tectiore latere discedunt, & tempora sua commodius opperiuntur, quam impatientes. Et quamvis expertus quorundam, quos fidissimos putasti, turpissimas proditiones, idenditem dic tibi, παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι, Οἱ κ' ἐμὲ τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητιέτα ζεύς. Livios MSS. si commucare mecum dignabitur illustris *Hugenius*, habebo acceptissimos, & meritam ei laudem publice rescribam. In Ovidii utroque loco applaudo tibi mirifice. *Maenam* memini & Plauto appellatam in Poenulo a. V. sc. V. *Deglupta maena*. Ita enim MSS. quod cum probasset Turnebus, redit tamen ad *degluptam*, nescio quomodo, *Maenadem*, pro viro molli & obscoeno, quae & *Salmasii* sententia ad Tertull. de pallio pag. 34. *Deglupta*, inquit Turnebus, *verbum turpissimum*. Certe cum dicitur, *Glubit magnanimos Remi nepotes*. At non cum dicitur *pecus deglubere*. *Deglupta maena* simpliciter & sine obscaenitate est exuta pelle. Ut quem vocarem, *een afgestroopten ael*. Deglubuntur alii pisces, alii desquamantur, cum parantur culinae. Ad *Gevartium* hîc habes. Bibliotheca *Rubenii* si distrahetur, fac mature nanciscamur catalogos. Ex auctione *Riveti* consecutus sum Juliani opera, & Lysiae orationes, & *Sirmondi* Propempticon, Facundum, Augustini sermones, Alcimum Avitum, Goffredum, Petrum Cellensem, ne tu me putes desiisse libros emere. A *Fabricio* accepi fascem cum *Salmasii* ad ipsum epistolis: in quarum una exagitatur *Boxhornii* carmen in excessum Cunaei, sed fere, ut solet, cavillando. Vale, meum decus, & tempestatem illam, quae te premit, vince, non animo tantum, sed & fortuna. Daventriae. a. d. xv. Cal. Jan. anni, quem tibi feliciorem hoc praesenti ominor.

Est locus de bello Africano auctoris cap. XL. *capti conservatique parem gratiam in fide partienda praestare voluerant*. Vide quaeso num differat Torrentianus codex, nam ad illa, in *fide partienda*, aliquid notavit *Lipsius* in exemplari suo, & quidem praeposita T litera, quod assequi nulla ratione possum.

EPISTOLA. CCCXIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

ZUlichemianas Musas meâ curatas operâ ad te jam perveniſſe confido. Interim ex tuis longe jucundiſſimis invitus percepi, ſtomachari te etiamnum, & ſuccenſere iis hominibus, quos de me non bene eſſe meritos recte judicas. At illi mirifice in eo ſibi placuerunt, mi Gronovi, & placere pergunt, ne tu ſperes fortaſſe meliora. Tecum hîc ſentit Ampliſſimus *Beuningius*, & fremit ob indignitatem facti, ſed nil propterea promovetur. Neque ego ita ſum meus, aut tantum juris habeo in adfectus moderandos, ut concitatam haud raro mihi fuiſſe bilem inter tricas moleſtiſſimas verſanti auſim negare: inveni tamen, quo commotos animi fluctus componerem recordatus iſtorum, Patria eſt, Pamphile. Utinam boni iſti viri, quos potiſſimum cauſae meae adverſos ſum expertus & mihi inſidiantes, impuras atque illotas manus, quibus perditiſſimam mulierem contrectarunt, rei publicae caſtius & religioſius admoverent! Sed illi jampridem pro ſcorto ducunt, quicquid publicum eſt. In me uno ſi quid peccarent, facile id iis ignoſcerem atque indulgerem. At tu miraris nil praeſidii mihi fuiſſe in illa [1] arbore, ſub qua non unam Thisben fuiſſe jugulatam rumor fert conſtantiſſimus, quaſi colorem illa non mutarit jamdudum, & a candore degeneraverit, ſi tamen unquam fuiſſe candidam ſit veriſimile. Eſt mihi in promtu querela multiplex de hominis iſtius nequiſſimi perfidiâ ac malis artibus, quas non tantum armavit ad me exponendum pollentis auctoritate faeminae inimicitiis, ſed nuper etiam exeruit intercipiendis literis non unis, quae ex Galliâ atque aliunde ad me mittebantur. Relinquamus igitur illum ſuae indoli & Diris Britannis exagitandum. Quid multis? Patriam ego novercam experiri malo, quam illa me privignum experiatur. Non invideo hoc gaudium adverſariis, ut laetentur me privatim peccaſſe, dum mihi integrum ſit dolere, quod illi peccent indies in rem publicam. Tua alloquia, Vir amiciſſime, tantum ſolatii mihi ferunt, ut adverſorum ſenſum magnâ ex parte ſi non tollant, mitigent certe ac obtuſiorem reddant. Tanti propemodum erat eſſe infelici, ut experirer poſt res turbatas amicos mihi non deeſſe certos ac conſtantes, & quidem tales, quorum virtus & merita non ſint obliteranda, niſi cum ipſis literis. Ad Ovidium quae notaram non improbari a te eſt quod exſultem. Multus ero impoſterum in locis poëtae difficilioribus tibi proponendis. In Faſtis nuper eram, qui turpiſſime ſunt depravati, etiam poſt meas lucubrationes. Ultimum libri v. diſtichon valde me torſit. Agit ibi de ortu Hyadum, quae heliace ſub id tempus emergant. Sed cur eas *Sidus Hyantis* vocat? an a fratre Hya aut matre? Non video quî poſſit. Zulichemii codex & alius, *Continuum*-

[1] *Al. Morum* intelligit.

nuumque dies fidus Hyantis erit, & *Auferat* in superiori versu, quod postremum amplector. Expedi me hinc si potes: tum doceas velim, an legeris *tribunal* dici aes, quod Tribuni militum in bello merebantur. De *maena* loci Plautini oportune me admonuisti, est ea vox etiamnum in Halieutico corrupta. Nobilissimo *Schelio* velim significes *Crispinum Passum* spem facere de conficiendis hac hebdomade tabulis militaribus. Vale, & me amare tui studiosissimum perge. Dabam Amstelaedami. Anno CIↃIↃCLVIII. a. d. IX. Januarii. Gregor.

Ludovicus Elzevirius Senecam Tragicum tuis illustratum notis velit edere majori formâ. Sed Leidae intellexi, te Moyardo cuidam eum reservare edendum. Fac, quaeso, sciam quid decreveris. Vale iterum. Tuas tres recte curavi.

Rubenianae bibliothecae catalogum jam vidi, libris optimis instructissimum, sed inspiciendum tibi non possum impetrare a bibliopola, qui ostendebat. Expecto eum a *Gevartio*: is certe promisit. Si non frustrabitur, acceptum communicabo tecum. Ad locum Caesaris nihil notavi ex V. C. qui mutilus sub finem erat.

Epistola Oenones Sabiniana sub finem, *Ipse pater seu rem natae male tutus haberet*, qui locus est mendosissimus, & te quoque exercuit, scriptum fuit *ceu ren natae* (unde *seu rem* factum) & pro *haberet*, *habore*, vel *habere*. Lege igitur non magna mutatione, *Ipse pater Cebren natae male tutus ab ore &c.* Omnia jam sunt perspicua. Cebrenis filiam faciunt Oenonen (vide Stephanum in Κεβρηνία) Parthenius Eroticis Cap. IV. Apollodorus, alii. Iterum vale, & liturris ignosce.

Has jam exararam, cum ecce promissos a *Gevartio* Rubenianae bibliothecae catalogos, quorum unum ad te mitti voluit, per majus otium responsurus curate tuis literis. Auctio habebitur die IV. mensis sequentis. Ego libros nonnullos per Pluymerum bibliopolam, hominem probum & officiosum emendos curabo. Tibi quoque idem hic gratificabitur, si voles, sed adde singulis libris pretium, cujus intra terminos sit subsistendum.

EPISTOLA CCCXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

HUgenianos codices remitto. Alter sane profuit: in altero ut tempus perderem, a me impetrare non potui. Si quid Lucii communicare dignatur, jam exspectabo, dein Livianos. Adjeci tuum volumen epistolarum, quod miror ita cum Erfurtensi & in ordine turbato & in defectu consentire. In utroque post LXXXIV. *Itinera mihi*, sequitur LXXXVI. *In ipsa Scipionis*: succedunt

cedunt LXXXVII. & LXXXVIII. post hanc ponitur LXXXV. *Peperceram tibi:* & inde alter, *Expliciunt* Epistolae, alter, *Explicit liber Epist.* Illustrium illorum etiam literis virorum ut excessus non parum me commovit, ita fuit aliquo solatio Romae doctos tam docte lugeri: & quidem ab illis, qui aula potiuntur. *Grotii* historiam majorem partem legi nondum editam, eoque patientius desiderium fero. Nomen viri faciet, ut appetatur etiam a barbaris & amicis, quos nosti, nostris, qui nolunt stilo sollicitudinem adesse. Secus quid ibi, quod aut isti intelligant, aut hi intelligere malint quam reprehendere? Facinus illud Amazonicum quis non detestetur? Sane & me jamdudum pudet tam falsa ominatum fuisse. Non poteram tamen excutere miserecordiam, & veniebat in mentem illius Tulliani: 2. ad Attic. ep. 21. *Ut Apelles si Venerem, aut si Protogenes Ialysum illum suum caeno oblitum videret.* Scis caetera. Et flagitia utcumque excusari poterant: in sceleribus quid faciemus? Nimirum satis exsultavit & illusit soccis: cothurnos indueret, oportebat, quorum exitus eo magis horresco, quia inevitabiles videntur, & exempli interest, ut sint. Noster quoque exulceratur dolor, quo allevari debebat, quod non una illa nobis decoxit. Quod ego minore interdum, tu ingenti cummaxime mercede expeperiris. Atque id eo indignius, quo nobilius & majore animo injuriam fers, quum & patriae ignoscis, & strenua ex literis solatia petis. Age, huc convertamur, & illi potius, ut Amyclae silentio nostro pereant, quam perpetua sint nobis querelarum causa. Non deerunt illis supplicia sine nostris diris. Et tibi citius melior hora veniet, si patientius eam, ut facis, opperiere. *Truces animos per verba precantia* rejicere nolo. Alioqui cogitaveram, & ita edideram in privatis auditoriis meis, *& verba rogantia.* Saepe apud Ciceronem, *oro & rogo*, quod non minus ταυτολόγον, si ταυτολόγον, quam *preces & rogantia verba*, *Aphidna* & *Cebren* extra aleam mihi videntur. In quinto Fastorum lego:

Auferat ex oculis veniens aurora Booten,
Continuumque diem, fidus Hyantis erit.

Ubi aurora amoverit occidentem Booten, si simul traxerit abstuleritque post se proximum vel continuatum sibi diem, illa nocte sidus Hyantis erit, nempe ortum vel conspicuum. Ut alibi, *Luna fuit.* Nec possum dubitare *fidus Hyantis* ab Hyante fratre denominatum, cujus memoriam fatali sibi luctu sorores sacrarunt. Si quid melius, ex te discam. Senecam Tragicum, in quo nunc omnis sum, fateor me Moyardo promisisse, mediis atque interpretibus discipulis meis, privatim a me enarratum exceperunt, & illius convictu Lugduni utuntur. Et maluissem quidem separatim auctorem ipsum a Notis poni, sed ille publica insania abreptus, ut hoc quoque remitterem, extorsit. Si sciissem Elzevirium velle, haud dubie veterem amicum novo praetulissem. Et si ipse cum Moyardo ea de re transigere sustinet, praeda occupantis ero. *Schelius* noster te salutat oratque, ut interdum lenti istius tabularum promissoris latus tundas ac fodias: caeterum ut injuria tua vehementissime angitur, teque (ne tu infamia aliqua, quam apud sapientes habes nullam, nisi qua est infamia bonitatis, cruciere) omnibus partibus absolvit, ita de magno

&

& honesto pioque animo tuo tibi juxta mecum gratulatus. Libros notavimus *Schelius* & ego emendos, quos vides, modo ne sero. Pretium nescimus: itaque apponere cessavimus. Justum utique & justo aliquanto gravius, modo ne modum excedet, non recusamus. Si negat ille, cui mandas, suscipere, tu appone tuo arbitrio, nostro periculo: satis enim callentem hujus rei te fecit usus. Si incidimus in quos ipse malis, libenter tibi cedemus. Vale, magnum decus, & dolor noster, sed non si male nunc, & olim. Daventriae Postrid. Id. Januar. CIↃIↃCLVIII.

EPISTOLA CCCXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriae.

HUgenianorum codicum alter ille, quem negas tibi profuisse, expectationem, quantum video, meam est fruſtratus. Alium enim, Vir eximie, & quidem vetustiorem tibi sepoliveram, si quid memini, cum bibliothecam heroïs nostri perlustrarem. Erroris nuper admonui patrem liberosque, qui in se receperunt, curae sibi fore, ut fugitivus iste cum reliquis Lucii exemplaribus tibi destinatis ad me quamprimum veniat. Sed opinor frigus intensissimum hactenus obstare, quominus promissis tibi codicibus investigandis manum admorim. Paucis ab hinc diebus Hagam revertendum mihi erit; tum faxo, desideriis tuis ne quid obnitantur. Tragoediarum exemplar nullum illic occurrit, sive scriptum, sive cum scriptis exemplaribus commissum. Si quid ejusmodi ibi extaret, jam scires. Minime enim negligenter Lipsii omnia evolvi. De Historiâ Grotianâ recte judicas. Fortassis audebo aliquando in eadem palaestrâ desudare: scis enim annos propemodum quinquaginta nobis per τὴν μακαρίτην reliquos esse, quos annos ille intactos reliquerit, a tempore induciarum. Sed aditus pateat oportet ad arcaniora reipublicae scrinia hoc tentaturo, & patebit mihi fortassis. Narro enim tibi ex collegio Ordinum Generalium nonnullos esse, qui me monuerint, Patres in eo esse, ut sibi addicant aliquem Romani sermonis non ignarum, cujus operâ in literis Latinis ad Principes exteros exarandis utantur imposterum. Urgent rem prae caeteris Legatus Gallicus & *Petrus Grotius*; ex Ordinibus autem *Gentius* & *Amerongius* heroes, quorum hic totus mihi militat, etiam in privatâ causa, oblato nuper testimonio, quo adfirmet virum nobilem ex cognatis suis se praesente fassum esse, pudicitiam Lucretiae nostrae sibi quoque subtratam fuisse non semel. Sed haec in sinum tuum. Certum enim mihi fixumque est nil ambire. *Slingelandus* ex legatione Suecicâ nuper rem quoque promovendam suscepit apud Ordines Hollandiae, quibus idem debere curae esse contendit. Priapum illum Amstelaeda-

laedamenſem, (qui aperte & impudenter nimis cauſam profligatiſſimae foeminae agit, ſubornatis nuper in me duobus juris conſultis Thaidi patrocinaturis) turbare omnia, omnemque lapidem movere certus ſum, ut hoc patrum propoſitum mihi intervertat. Sed vel ſic alias non defore fortunis meis inſtaurandis oportunitates idem *Amerongius* auguratur, cujus ego benevolentiam optimo *Beuningio* refero acceptam, ut plura alia. Hagâ ubi reverſus ero, plura forſan hujus argumenti nuncianda ſeſe offerent. Litem, quantum poſſum, urgeo. nam adverſaria mea an ex Fabiorum gente ſit, quae antiquam nobilitatem tantopere jactet, neſcio, cunctando certe rem gerit unice, nec perſuaderi ſibi patitur, ut ad accuſationes meas reſpondeat. Jam ter hoc nomine notata, & tantum non damnata eſt a judicibus. Itaque quicquid ad illam accuſandam facit, jam nunc in horum manus conſignavi, ut rem omnem menſe proximo confectam habiturus ſim, niſi illa Pythagoricae philoſophiae mittat nuncium. Me vero jampridem quaenam agant intemperiae haud ſcio; qui totos dies aut cantem aut poëtas tractem, fortunis interim meis plorare juſſis, de quibus quomodo ulciſci commodius me poſſim non video. In aula Danica confugium patebat mihi a Rege ultro oblatum, ſi cauſam non tenerem, ſed vide rerum humanarum viciſſitudines!¡ Princeps optimus regno propemodum excuſſus in eo jam eſt, ut exulet ipſe, niſi Deus rebus ejus adflictis adſit e machinâ. De *Cebrene* & *Aphidna* correctiones meas arridere tibi lactor. De *ſidere Hyantis* oportune etiam mones, ſic a fratre dictas Hyadas, idque ipſum noſter alibi innuit iſtis, *nomina fecit Hyas*, ſed an *Continuumque diem* reſcribi poſſit dubito. Notant enim interpretes ortum Heliacum Hyadum ſub hoc tempus incidere, ſi auctoritatem habent in promtu, qua id tueantur, nil auſim mutare, ſed diligentius videbo. Alius eſt in Faſtis locus, *Dux mihi Caeſar erat, ſub quo meruiſſe tribunus Glorior*, ubi idem Hugenianus liber & alter Patavinus probae notae, *tribunal* exhibent, quod an eâ ſignificatione alibi occurrat tu docebis, aut nemo. In conſolatione ad Liviam, ſub finem,

Nec meritis quicquam illa juvant, magis adfuit iſtis
Mater, honos. titulis nomina plena vides.

Non intelligo, ut nec illa lib. 1. Art. Amat. 428.

Si non eſſe domi, quos des, cauſabere nummos,
Littera poſcetur, nec didiciſſe juvat.

Libri veteres, *ne juvet*. Unde videbatur ſcribendum, *ne nihil eſſe juvet* ne proſit, quod cauſaberis nihil tibi eſſe numorum. Illa quoque non capio eodem libro, de ancilla,

Et ſecum tenui ſuſpirans murmure dicat,
Ut puto non poteris ipſa referre vicem.

Liber veterrimus *poteras ipſe*. Senecam Tragicum quod Moyardo promiſiſti, in eo nihil a te peccatum eſt. Ejus exemplar MS. hîc mitto ex mea bibliothecâ, ſi ſorte proſit, alterum praeſtantioris notae ab Equite *Puteano* donatum periit naufragio. Habui a *Langermanno*, is Conſiliarium ſe creatum eſſe nunciat Ducis Mecklenburgici. Caeterum a *Reineſio* ſe habuiſſe, quibus ſignifi-

nificetur, *Barthium* apoplexiâ correptum & mente captum esse. In *Vossii* Melâ jam totus est typographus. De libris, quos in Rubenianâ auctione emtos cupiebas, tempestivius vellem me monuisses. Scripsi tamen eodem die, quo tuas acceperam, ad *Gevartium*, idque illi negotium verbis seriis commendavi. Nihil hactenus responsi tuli, ne quidem de iis libris, quos per alium mihi emendos curaram. Hagae post pauculos dies auctio habebitur bibliothecae Nomsianae, sive Arlandervenianae, in quo auctorum veterum, tam Graecorum, quam Latinorum editiones optimae ad unum omnes fere occurrunt, & pretio commodo hi libri vendentur. Catalogum manu descriptum vidi, cum Hagae essem, editum si haberem, mitterem, sed non habeo. Auctionem fortassis distulerunt, quam habendam fore die undecimo mensis hujus Gregoriano typographus indicabat. Vale, decus literarum & nostrum. Salveat illustris *Schelius*. *Crispinum Plassium* urgebo, ut mones. Dabam Amstelaedami. die. v. Martii. CIↃIↃCLVIII.

Crispinus Passius ait tabulam aeneam jam paratam esse: nec mitti hactenus potuisse, fluviis hoc gelu adstrictis. Doceas me velim, an *Dare exequias* usquam legeris, praeterquam apud Ovidium in Fastis.

Dat tamen exequias, nec jam suspendere fletum
Sustinet.

EPISTOLA CCCXVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

NUdius quartus puerum ad aedes meas mittebat Ill. *Thuanus*, qui & festinatum die altera prandium prolixe excusaret, & te rogaret mecum denuo. Respondi, meam fuisse omnem culpam, qui intempestive te adduxissem. Promisi etiam me adfuturum, de te polliceri non posse, qui Leidam jam profectus esses. Invitaverat & *Vossium*, nullo praeterea vocato, credo ut de studiis nemine interpellante nobiscum differeret. In prandio rursus petiit, ut se tibi excusarem, poculumque saluti tuae dicari voluit. Elzevirium audio libros ex Galliis accepisse. Percunctare, quaeso, quamprimum, an adsit cum iis fasciculus, quem *Bigotius* jampridem ad me misit, & si adest, fac confestim ad me perferatur, ut homini longe officiosissimo die crastino, quando tabellarius Lutetiam discedet, pro munere gratias agere possim. Librum *Fabri* protinus tecum communicabo. Vale, & hoc quaeso age. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLVIII. a. d. XIX. Martii.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio

Daventriam.

SEmel iterumque ante Haganam profectionem ad te scripsi, Vir Eruditissime: quas ego literas tuis oculis non fuisse fraudatas auguror. Addideram iis exemplar Tragoediarum Senecae manu exaratum, sed recentioris illud, nec probae admodum, quantum ex primo inspectu licuit observare, notae. *Zulichemio* multum negotii exhibui assiduâ interpellatione, ut Senecae codices omnes, quotquot in bibliothecâ sua antiquos possidet, tuis usibus seponeret. Nec ille obluctatus est, sed demandata ab illo hac filiis provinciâ, veterum librorum minime peritis, eos obtinui codices, quos tibi minime profuturos ex charactere vitioso & recenti facile colligebam. Controversiarum Senecae duo alia exhibuerunt exemplaria, prorsus ejusdem notae, cujus exemplar alterum, quod negabas tibi profuisse. Itaque reddidi possessoribus, ne te inani ac superfluo sumtu gravarem. Tandem ad me missum est exemplar Controversiarum, quod vides. Id cum altero, quo jam usus es non contemnendo, sepositeram ad bibliothecam inspiciendam primo admissus. Hinc si quid lucubrationibus tuis augmenti atque ornatus accesserit, gaudebo mehercules atque exsultabo. Plures sunt Philosophicorum operum codices huic aetati nil cedentes in istâ bibliothecâ, quos postea conabor impetrare. Nam hactenus flagitationes meae parum proficiunt, sive difficilius possessorum ita tulit ingenium, sive supinitas & in conquirendis codicibus segnities. Ego jam in eo sum, ut Amstelaedamensibus vale dicam, Hagam hinc emigraturus, ubi aestate proximâ, ut spero, te complectar. Partes adversas hoc consilium vehementer turbavit. In quibus profligandis multum proficere me existimo, quia responsum iis ad accusationes meas nullo hactenus conatu ac sudore possum exprimere. Ridebis, sat scio, si dixero ad *Morum* nunc a Thisbe confugi, cujus patrocinio se credat. Impendit vir ille bonus omnem facundiam isti rei, ut mihi persuaderet laudabilem esse clementiam. Pudicitiam ejus omnibus non solummodo suspectam esse, sed communi jam suffragio damnatam. Accedere causas pessimae impiam atque egestatem famosae perditissimae. Liti eam sustinendae non esse parem. Posse me defungi omni molestiâ, si sumtus utrimque factos ego unus in me recipiam. De pueris alendis facile mihi cum illâ conventurum. Hoc & plura ille, sed surdo omnia. Nusquam enim efficiet, ut opere in medio aratra relinquam defixa, finem lite jam spectante. Nam sive tacere perget nostra, mensis unius restat negotium, ut conficiatur penitus, cum soli testes de novo sint audiendi judicibus, a quorum confessione res pendet: sive respondebit, testes in promtu sunt alii, qui flagitiorum hactenus in-

tacto-

factorum eam convincant, & quidem enormium ac minime ferendorum, atque hi numero non pauci. Vir ex collegio Ordinum Generalium non poſtremus nominavit mihi cognatorum ſuorum nonneminem, qui faſſus ſit ſe rem cum illa habuiſſe, ejuſque rei teſtimonium mihi obtulit. Circumfertur etiam ejus imago nuda per hanc civitatem. Neu figmentum credas, Apelles eſt in promtu, qui faſſus ſit coram teſte non uno, ſe nudam expreſſiſſe ad vivum hanc Venerem; & ne quid Paridi concederet, utramque ſororem addidit huic Gratiarum uni, egregius formarum arbiter. In eo tamen urbane feciſſe noſtra viſa eſt ſeveris Amſtelodamenſibus, non impudice. Sed plura ſunt; & forſan graviora. Atque haec hactenus. A *Rottendorphio* accepi nuper humaniſſimas. Proponit mihi loca nonnulla ſatis feliciter a ſe reſtituta in Ovidio. Ex iis tres emendationes meam editionem jam occuparunt, auctoritate librorum veterum nixae. Quarta nihil reliquis eſt deterior, nec a quoquam obſervata. Triſt. II. verſ. 433. ubi reſcribit probabili conjectura,

Quid referam Ticidae, quid Memmi carmen? apud quos
Rebus abeſt omnis nominibuſque pudor.

Vulgata certe lectio ſenſum commodum non habet. *Faber* Leidam non eſt venturus, ut profeſſionem linguae Graecae adornet. Jam denuo de te cogitatur, quod ego negotium ferviđe iis, a quibus pendet, commendo. Mirum, ſi bona ſua intelligant. Vale. Dabam Amſtelodami Anno CIↃIↃCLVIII. a. d. V. Aprilis.

Pomponius Mela amici noſtri jam fervet ſub praelo, etiam Ovidius meus.

EPISTOLA CCCXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

BInis tuis reſponſum debeo. Priores codicem Tragoediarum comitabantur, Octavo decimo demum, poſtquam ſcriptae erant, die mihi redditae, clauſis viis per reſtagnantes aquas: ne omnem moram mihi adſignes. *Tribunal* videntur feciſſe, qui parum intelligebant τὸ *meruiſſe*, non memini certe me uſquam hac vi legiſſe. In conſolatione ad Liviam lego:

Nec meritis (quanquam illa juvant magis) abfuit iſtis,
Mater, honos. titulis nomina plena vides.

Inducit ipſum Druſum matri pro ſolatio ingerentem res ab ſe geſtas. Subjicit: etſi majus in his momentum, tamen & illud pro ſolatio valere poteſt, quod virtus mea illuſtri gratia excepta eſt, quod pro ea honores & praemia tributa ſunt. *Nec didiciſſe juvat*, non videtur mutandum: ſenſus, & damno eſt ſcire literas. Noſti dictum Neronis. *Nec juvat*, exponendum, & inutile vel noxium eſt, quod didiciſti ſcribere, ſi enim neſcires, non poterat cautio vel obligatio

ligatio a te poſci. Similis luſus Appuleji in Apologia: *Jam illa inter virum & uxorem nota colluſio: qui amplam ſtipem mulieri detulerunt, nemo eos obſervat: ſuo arbitratu diſcedunt, qui inaniores venere, ſigno dato pro adulteris deprehenduntur, & quaſi ad diſcendum venerint, non prius abeunt, quam aliquid ſcripſerint. Ut puto, nor poteris* ita ſemper accepi: verba ancillae ad dominam jurantis hujus amore mori amotorem, tam fidum, tam deditum obnoxiumque dominae, ut vix illa par ſit aequandae fidei ejus & affectui. *Dare exſequias* non ſuccurrit nunc alibi lectum: Mojardus ipſe fecit, ut peccarim facilitate. Renuntiavit enim conditionem mihi, quod intellexerit, Elzevirios brevi poſt edituros Senecam variorum, atque in eum addituros excerpta Notarum mearum, ita ſuum opus vendibile non fore. Hanc mihi reddit gratiam, poſtquam ipſos tres menſes omnes horas meas ſubſecivas occupatas habuit. *Gevartius* ſignificat *Vivianum* paraſſe quoſdam ex illis libris, quos deſideraveram, quaſi ſibi, ſed paratum mihi tranſdere, quanti coëmit. Illi nimio videtur, & bibliopolam (nam & illi mandarat) ſuum, non noſtrum, negotium egiſſe. Non invideo homini lucellum, dummodo accipiam libros. Praebui ei mercatorem Hamburgenſem, qui per nautam Amſterodamum miſſos (opinor enim hac illac ſine periculo commeare naves) reciperet, eidemque ſolveret & librorum pretium & vecturam. Maluiſſem tibi hoc delegare, ſed ſaepe aberas: maluiſſem Elzeviriis, ſed verebar, ne negotium inter illos eſſet, & abhorreret pro nummis rationes accipere. Tu ſi Antverpiam ſcribas, urge, quaeſo, *Gevartium*. Alteras Declamationum exemplar promittentes ſolas quidem, ſed paucis diebus poſt ipſum cum alio faſciculo ab Elzeviriis accepi. Nondum adhibui, ſed ſatis primo aſpectu ſe probat. De lite tua & ſpe, quae utraque epiſtola ſcribis, gratiſſima. Atque utinam tandem illa prorſus liberere, hac fruaris ex ſententia! Placet autem mirifice ille impudicae patronus. *Res agit uxoris? res agit ille ſuas.* Illa etiam εὐαγγέλια de Pomponio Voſſii & tuo Ovidio: ſed utrum veſtitum notis tuis, an iterum ſolum minore forma exſpectabimus? Lugdunenſes quid de me cogitent, videbo. Si prius cogitaſſent, minus mihi deliberandum reliquiſſent. Nunc vereor, ne fruſtra imputent locum: commodis vincant, oportet. Nomen autem profeſſionis privatis ſcholis ſterile, & quibus hîc maxime juventutem juvo, vetabunt: qui profitentur illa quidem, ſed longe ſecus tractant. Sed nihil negotii eſt, ſi homines ſint boni, &, quae praeferunt, agant. In tempore autem oppriment coelibem: nam ſi ad ſecunda vota tranſiiſſem, difficilius forſan erant moturi. Cogitabam excurrere iſtuc his feriis, ſed rumor ille me domi tenuit. Et forſan evaneſcet, ut alias. *Schelius* abeſt: ſed aderat, quum priores tuas acciperem, & pollicebatur ſe gratiam ſuam apud illos, qui ex hac provincia Patribus aſſident, pro te interpoſiturum. De conjectura *Graevii* (hunc enim deſignas, opinor, quem *Rottendorphium* nominas) libens aſſentior tibi. Migrationem tibi bene evenire volo, Vale, Heinſi nobiliſſime & amiciſſime, & rem bene gere. Daventriae. Nonis Aprilibus CIↃIↃCLVIII.

EPI-

EPISTOLA CCCXIX.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

DUm rei familiaris cura me avocat, & transferenda in aliam civitatem sedes, voluptatem coactus sum mihi intercipere, quam ex te per literas convento cepi semper maximam. Nunc majorem partem defunctus hac molestiâ, redeo, Vir Clarissime, ad officium, quod mea sponte nequaquam intermisi. Leidenses nostros tandem aliquando frugi factos esse, & cum bonâ mente si non penitus in gratiam rediisse, inducias saltem pepigisse, qui te ad se evocarint, gaudeo. Quo tamen loco res sit, quid de admittendâ conditione oblatâ sperare nos tui studiosissimos jubeas, doceri vehementer velim. De stipendio ut tecum anxie velitentur, tam sordidos fore non auguror. Quanquam ea sunt tempora, ii mores, ut ultro munificos vix sis experturus, nisi a te ipso, quanti sis, sentiant intelligi. De collegiis privatis domi tuae instituendis, per quae juventutem erudias, si paciscaris cum Academiae Curatoribus, ut id agi a te liceat, facile obtinebis, ut per amplissimos historiarum ac politices campos, ac universam antiquitatem, hoc est per regnum tuum, tibi inoffenso pede, intra privatos parietes praesertim, liceat spatiari. Oportune nuper e vivis illic excessit e grege consultorum nonnemo, qui, quantum in se fuit, barbariae atque inscitiae patrocinium minime negligenter suscepit, ac pomoeria ejus latè extendit. Is erat *Jacobus Maestertius*. Sed de his coram aliquando confabulabimur. Nam dubium mihi non est, quin excurras mox ad nos, sive prospecturus tibi de aedibus, quas occupes apud Leidenses, sive etiam praesens cum Curatoribus acturus. Expecto sane adventum tuum fervide; sed eâ lege, ut apud me devertaris. Idem contendet a te noster *Vossius*, sed habet ille matrem & anum & aegram, cui religiosius sit obsequendum, domi suae. Ego solus sum, nec ad cujusquam nutum me compono. In Consolatoriâ Elegiâ ad Liviam, feliciter reponis, *quanquam illa juvant magis*. Quam ego castigationem loci turbatissimi veram esse censeo. *Nec didicisse juvat* quomodo capiendum esset, datis jam ad te literis, serus deprehendi. Sic Trist. II.

Hei mihi! cur didici? cur me docuere parentes?
Litteraque est oculos ulla morata meos?

Dare exequias habes Fast. IV. 849. Sed cum in optimo codice erasa esset haec syllaba, ita tamen ut prima litera appareret *J*, *Jt* scribendum esse judicavi. In Elegia tamen ad Liviam habet, si locus est integer, *At pedes exequias reddit equesque duci*. Ex illo ejusdem Elegiae loco minime me expedio, vers. 103.

Te queritur, casusque malos, irrisaque tales
Accusatque omnes ut diuturna suos

Digitized by Google

Artis Amatoriae lib. II. verſ. 308.

Ipſos concubitus, ipſum venerere licebit,
Quod juvat, & quaedam gaudia voce notes.

Ita ſcripti quidam etiam, *quaedam gaudia vocis habe.* Senſu parum commodo. Vulgata lectio commentum eſt criticorum, cum de querulâ voce jam praeceſſerit. Vetuſtiores, *quaedam gaudia noctis habe.* Tu videris. Sed nec illum locum intelligo Amor. lib. II. El. XIII. *Qua cingit lauros Gallica turba tuas.* Hoc unum video, de Iſiacis Sacerdotibus, quos Gallos, ſeu Gallicam turbam vocet. Plura erant, de quibus proxime. Nunc enim me totum accingo ad editionem adornandam optimi poëtae. Accedent notae, ſed breviores. De *Graevii* conjectura quod augurabaris, fruſtra fuiſti. *Rottendorpbius* erat. Is Martialem nuper ad me miſit MS. ſed non bonum. Declamationum Senecae exemplar inveni inter libros meos, quod mox accipies, cum Tragoediarum altero codice, ſed illo recentiori. Libros Bruxellenſes jam accepiſſe te opinor. De *Graevio* totos jam quinque menſes nihil audio. Non minus in uxore totus eſſe videtur, quam paraſitus ille apud Comicum in patinis. Vale meum decus. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLVIII. a. d. XVI. Maji. Egeram cum Typographo Amſtelaedamenſi Plumerio de editione Scheliani commentarii, qui videbatur ab hac cura non alienus. Tu nobiliſſimum & optimum Virum meis verbis quaeſo ſaluta. Feſtinationi ignoſce: erat enim ad Lud. Elzevirum paranda epiſtola, cujus expectationem fruſtrari in diem craſtinum diu nimis eluſam, non audebam: ei addo, quam a me nunc accipies. Locus eſt Statii vexatiſſimus Epicedio in Patrem, qui cum ad partes eſſet vocandus in Notis Ovidianis, in tranſcurſu eum illic emendavi. Sed volo prius ſcire, quid tu de conjectura noſtra ſentias. *Si Theſſalicis Admetus in oris, Silva una retro Phylaceida rettulit umbram.* Sic vetuſti libri. Una litera mutata habebis veram, ni fallor, lectionem. Si pro *Silva* reponas *Si lux.* Unus enim dies indultus Proteſilao ad ſuperos redeundi. Vide dialogos Luciani mortuorum, ubi Proteſilaum cum Plutone inducit loquentem. Ibi bis terve ejus rei mentionem invenies. Iterum vale.

EPISTOLA CCCXX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUod tranſtuliſti vaſa, & ex tumultu eo ac trepidatione ad ordinem vitae familiaris rediſti, gaudeo, mi Heinſi, atque ut haec ſedes tibi propria ſit & auſpicatior, Deum veneror. Vellem, tu paria omina meis votis reddere poſſes. Quod quidem futurum brevi te vehementer tibi promittere intelligo: ego autem, quam mox futurum ſit, atque adeo an futurum ſit unquam, indies decerno minus. Vocarunt illi quidem, ſed ea formula, qua, ſatis

satis sciebant ipsi, neminem fore tam stupidum, ut pellectus cum Aesopeo cane corpus dimitteret, umbrae inhiaret. Nam quam possint orexin facere ista frigida: *op de tractamenten en emolumenten daer toe staende?* Exspectabam, atque id aequum censebat fidissimum mihi consilium *Schelius* (hinc noscas, quod etsi me invitissimus hinc mittat, tamen ob spem restituendarum literarum vult migrare, modo honeste fiat) nos igitur exspectabamus, ut publicis illis litteris accederent aliquae privatae, puta unius Syndici, quibus istud aenigma explicaretur, & siquidem non placeret conditio, aliam juberer ferre. Nihil apparuit. Confirmant autem omnes mihi, qui volunt videri satis id certo scire, istum, cujus in locum nominatim vocer, non percepisse, nisi mille annuos. Quod si est, serione agunt, an derident? Respondi tamen publice caetera humane, sed ut intelligerent frustra arcessi me, si vectigalia mihi fierent deteriora. Addidi privatas ad Syndicum: ostendi quanti hic docerem: id augeri oportere, & quidem pro ratione diversae utriusque loci annonae. Mensis est solidus, ex quo cursorem cum hoc responso dimisi. Nuntii interea prorsus nulli mihi, tanquam poenituisset. Et excurrissem forte isthuc sine invidia post primam appellationem: nunc vero, praesertim, cum ita rescripserim, id haudquaquam mihi decorum duco. Denique si nihil habent amplius summates viri significandum nobis, nec ego quod rogem illos. Neque enim aut loci hujus, aut hominum aut morum taedet. Domum publicam colo, mihi & familiae satis sufficientem & commodam. Salarium annuum mille centum floreni. De centum accessuris in certum & non longinquum casum diploma habeo. Allegerunt in secundum ordinem, & deliberationibus voluptatibusque publicis adhibere gaudent. Dicavi libellum: laute remunerarunt. Livium: Senecam, alios non dicatos obtuli tamen in viginti exemplaribus: (tot enim assident in Curia) receperunt, & edocti de pretio voluminum, id ita renumerarunt, ut plerumque C. plus minus florenos donarent. Pecuniam veterem oblatam centum Philippis, eandem Delegati Ordinum (eo ipso tempore hac in urbe congregati: novem erant exemplaria, quae distribui) cxxv. florenis prosequuti sunt. Neque impudenter haec illis obtrusi, aut humili adulatione obrepsi, sed ab ipsis ultro semper haec facere jussus sum, quaerentibus occasionem testandi, quam grata voluntate labores meos excipiant. Hanc ego tantam gratiam temere effundam? & quasi per viatorem vix ad imperandum, ut loquebantur veteres, accitus occurram sollicite, & ad limina fastidiose admittentium excubabo? Non ea frons mihi, nec si auderem, probarem, opinor, mores meos tibi, ut adhuc probasse me puto. Frisii cum darent mille quingentos annuos, censebam conditionem meam meliorem non fieri, & censuisse laetor. Quotquot autem hic plurimum in me possunt, & aequissime mecum agunt, ita sentiunt, si videant notabilem fortunae meae accessionem fieri, se nihil me moraturos: sin, cogent & vincent amare praesentia. De collegiis spes honesta, sed incerta, nec minimi laboris hic mihi fuit, ut adsuefacerem juventutem bona pati consilia. Etiam insusurratum mihi, ne mentionem ejus rei facerem apud Curatores: facile adensuros illos quidem, sed pro magno imputatu-

taturos, nec citra invidiam collegarum, quum interim semel in ordinem receptum nemo impediturus sit, partim ob commune jus Professorum, quibus in quaque facultate, quicquid ad eam pertinet, privatim docere permittitur, partim ob ingenuam pigritiam illorum, qui aemulari possent. Haec in sinum tuum effudi, ut scires, quam parum etiam de eventu polliceri possint sibi tua *Vossiique* & mea desideria. Neque enim negare possum longe desideratissimam esse mihi vestram amborum viciniam. Cupio etiam esse, qui pro virili, si possim, nobilissimo conventui

Vindicet antiquam faciem vultusque ferinos
Detrahat.

Sed paterfamilias sum: sed mutatio sedis sine magno emolumento gravis: & retinent hi omnibus viribus, illi petunt tanquam Caesaris candidati. Igitur haec satis relinquemus. Locum Elegiae video me olim ad marginem ita tentasse: *Dequeritur casusque malos injustaque fata.* Quod nescio an possim tibi probare. *Dequestus* scis esse Statii. Ad Ovidii duo loca nunc quidem nihil est in promptu. Conjectura in Statio haud quaquam displicet. Libros accepi, idque illos jam resciviſse opinor pecunia soluta. *Schelius* abest. Fessus sum, & vix in haec duravi, proximum triduum ita vexatus destillationibus, ut vix caput rectum gerere possem. Postquam respiravi, quod primum potui seriae cogitationi attendere, tibi dedi. Nobiliss. *Vossium* plurimum salvere jubeo. Vale, meus amor. Daventriae a.d. v. Eid. Majas. CIↃIↃCLVIII.

EPISTOLA CCCXXI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

Concitarunt mihi bilem, quae scribis de frigidâ istâ invitatione Leidensium. Tu vero, Vir Clarissime, quanquam mei consilii nil eges, hoc tamen tibi mihique des rogo, ne hominibus tam tui ac literarum ignaris fasces ullâ ex parte submittas, aut quicquam vel minimum indulgeas. Valeant potius, & eant in malam rem cum suâ illa bonarum artium pernicie, (eam enim in sinu fovent) quàm ut tu in spem esuritionis & praesentissimi damni vasa transferas in eam civitatem, quae nihil nunc ostentat, praeter funus & cineres suae gloriae. Tanti non sunt, quos tu cum fortunarum tuarum dispendio vel levissimo eripias ex eâ tempestate, quam quia non satis assequuntur, aut capiunt sibi imminentem, eo stupidiores, mihi crede, sunt habendi. Aliter sentit amicus noster, sed inconsulte prorsus. Qui ex collegiis domesticis magnum tibi lucrum adfore auguratur. Sed recte tu atque ordine hoc, ut cactera, qui privati laboris emolumenta publico gravaris imputare. Mecum tecumque sentit *Golius*, cum quo de rebus tuis hesterno die mihi erat sermo. Volebam tum

&

& Syndicum juniorem hac de causâ convenire, ut sanam, si possem, mentem ei inculcarem, sed illum nuptiae instantes & sponsa Delphos domo avocarant. Intelligo tamen proximis diebus convenisse Curatores, ac tum de tuo negotio nonnihil denuo inter illos esse deliberatum. Sed quid consilii ceperint haud scio. Tu jam scis haud dubie. *Strevelshoeckius*, & gener ejus *Slingelandius*, literarum satis amans, jam compellati mihi fuissent hoc nomine, sed uterque hinc se proripuit, soluto expectatione meâ citius nupero Ordinum conventu. Redituris mense proximo non desinam iis commendare salutem Academiae. Quanquam operosus satis, nec semel, jam in hoc argumento fui. Joannes Elzevirius Senecam Tragicum Notis tuis illustratum eâ, quâ volebas, formâ sese editurum minatur. Jamque operis specimen mihi ostendit. Si persistet in proposito, recte sibi consulet: nam solebat fluctuare, nec esse, cui tuto multum crederes. Optat tamen fore, ut sedem Leidae figas. Nec detrectet ex suo dare tibi annuum stipendium Philipporum centum, si operâ consilioque tuis possit uti in eâ, quam minatur, veterum auctorum editione. Utinam curatores nostri, quid sibi de te sperandum sit lucri, tam probe intelligant. *Vossii* nostri Mela satis jam promotus est. Ante proximam caniculam, si sic pergat, omnia habebimus confecta. Quae ad primum Ovidii tomum pertinent, omnia hodie mitto ad Elzevirios. Notis tamen meis manum admovere different, dum ipsi Ovidio nihil amplius cum praelo sit negotii. Multa sub manum nascuntur, quae ante non videram. Vellem de multis convenire te, sed metuo gravis esse. Locum in Epicedio Drusi, de quo proxime egisti, depono tanquam conclamatum. Poteram proferre conjecturas nonnullas: sed non libet esse ingenioso in alienis scriptis, quando lectionis pristinae ductus abeunt longius a meis conjecturis. Ad reliqua loca tibi proposita nollem ἀνύμβολος accessisses. Aliquid enim dicendum mihi erit, & quando meo ore loqui non possum, alieno libenter loquor. Vide igitur, an comminisci aliquid apposite possis. Et poteris, modo vim ingenii intendas ac nervos. Libro primo Metamorph. ipso statim initio locus est foede depravatus.

Quaque erat & tellus illic & pontus & aer.

Nec constant sibi codices vetusti, Gisanius ex quatuor suis *Utque* legebat, quod & alii probarunt, & nostri nonnulli exhibent. Alii ex nostris, & quidem vetustiores, *Ut qua erat*, *Qua erat*, *Atque ubi erat*, *Quaque fuit*, *Utque erat tellus*, *Qua erat*, *Utque erat*, *Atque ubi erat*, *Ast ubi erat*, *Quaque ubi erat*, *Quanquam erat*. Et quid non? *Quaque fuit* etiam Porphyrion agnoscit ad Od. IV. lib. III. Horatii. Sed nihil est, ad quod τὸ *Sic* referatur in sequenti versu. Pudet initio pulcherrimi operis locum tam turbatum occurrere. Et erit tamen ex hisce omnibus lectio seligenda, quam probemus. Tu videris. Eram proximis diebus in Phaedro, eram & in Martiali. Multa occurrebant in utroque auctore, quae visus sum non infeliciter restituisse, plura, quae intacta reliqui, quod otium non esset de singulis deliberandi. *Bullialdo* jam Mazarinianae Bibliothecae cura quodammodo erat demandata, ut ex ipso *Thuano* intellexi. Nunc bonus Cardinalis videtur denuo tergiversari. Romae novas in-

scriptiones curat edi *Barberinus*. Haec hactenus. In re tuâ, si operam meam opinaris tibi utilem fore, eâ unice velim utaris. Nobilissimum & nunquam satis laudatum *Scholium* velim salutes meis verbis. Vale. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLVIII. a. d. XXVI. Maji Gregor.

EPISTOLA CCCXXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

PEndebam animi exspectatione judicii tui, & verebar, ut tua duorumque benevolentissimorum nobis, *Vossii* & *Schelii* (hoc est, heu me! omnium, qui in libero Belgio literas norunt) vota pro eo ac debeo curae cordique habere viderer. Vultis enim, opinor, uno animo, ut illa mater ac nutrix ingeniorum, quantum per unum potest, in locum restituatur pristinum. Nunc bene habet. Postquam probavi tibi sententiam meam, nihil recuso. Utantur ingenio atque instituto suo, dum mihi maneat non me prodere, nec nubem pro Junone aut Helena amplecti. Si nihil est illis subiti, ego vel Fabius: si ocquexerunt, cevebo simul: si dormiunt, nunquam a me excitabuntur. Tu quoque ne verba perdideris. Μάτην γὰρ, ἂν ἔπης γε, πάντ' ἐρήσεται, & subornatum putabunt, si censent peccasse me, qui non sine exceptione ad primam sollicitationem me dederim. Sin consuetudine & negotiorum mole contantur, sponte resipiscent, & eandem meam simplicitatem experientur. Nec spem ullam facilius projiciam, immo magno aestu me liberatum credam, si de poenitentia hominum quicquam certi intellexero Ἔστω τὸ μέλλον, quodcumque sit, quod eo levius feremus, dum Ovidio tuo & *Vossii* Mela animum avocabimus. Hos multo impatientius exspecto, quam fastidiosos Palladis vocatores. *Quaque erat & tellus*, mihi quoque suspectum tanta reddit varietas. Nec tamen video, quod ei, non dico praeferam, sed vel comparem. Nisi forte *Quaque fuit*. Nam τὸ *sic* non indiget alia superiori particula, sensus enim: ita fiebat, ut tellus esset instabilis, unda innabilis, aër caecus. Eadem prorsus in parte, serie, & congerie indivisa indistinctaque erant terra, mare, coelum: ita eveniebat, ut &c. *Schelius* in praediis suis, ni fallor, aedificat. Vale, τὸ μὲν σέβας μέγιστον, & me ama. Daventriae Kal. Jun. Julianis CIↃIↃCLVIII.

EPI-

EPISTOLA CCCXXIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriae.

DE delato tibi a Leidenſibus noſtris honore lentum eſſe negotium & video & indignor. Sed raro illi conveniunt, nimirum vix ſemel toto trimeſtri ſpatio, idque aliud agentes plerumque, & feſtinanter, ut re infectâ ut plurimum diſcedant. Egi cum *Slingelandio* nuper reipubl. Dordracenae Syndico de iſta invitatione, apud quem ego & *Voſſius* noſter tum prandebamus. Eſt autem literarum gnarus ſupra vulgarem captum. Dixi omnia pendere a nutu ſoceri *Strevelshoeckii*, apud quem ſi rem urgeat, dubium non eſſe, quin egregie ſit conſulturus bono publico. Promiſit ſe facturum. Atque ita diſceſſimus. In *Voſſii* Melâ pars fere tertia typographis conficienda reſtat. In Ovidio meo parum promovent typographi. Adeo cogitationes meas avocat ac avertit lis moleſtiſſima. Eſt enim mihi pugna cum belluâ multorum capitum. Sed vel eo triumphum mihi ſpondeo ſolidiorem. In Ovidio *Quaque erat* ferri non poſſe, cum idem verbum proximo verſu denuo ſequatur, diu eſt, quod vidi. Quare aut *fuit*, aut *ierat tellus* reponendum exiſtimo. Cætera recte ſe habere tibi aſſentior. lib. III. Art. v. 61.

Dum licet & veros etiam nunc editis annos,

Ludite. Quid ſibi volunt iſti *veri anni?* an juveniles ac proinde amoribus aptos? Videtur id paulo durius. Nec juvant libri veteres. Ego tamen *vernos annos* reponi debere conjicio. Faſt. III. 216.

Jam ſteterant acies ferro mortique paratae,
Jam lituus pugnae ſigna daturus erat.

Libri duo ex vetuſtioribus, *Jam tubicen lituo ſigna &c.* Eleganter ſane. Niſi quod parum propric videtur locutus, qui lituum det tubicini. Tu judica. Suſpicabar ego latere lectionem magis reconditam, quam non intelligentes mutaſſent librarii: eam ecce. *Jam liticen pugnae ſigna daturus erat.* lib. IV. 353.

Cur vicibus factis ineant convivia quaero,
Tum magis indictas concelebrentque dapes

Illud *Tum magis* (ſic enim veteres; non *tunc*) valde me offendit. Utinam & te! videtur enim otioſum. Quare ſuſpicabar vocem aliquam latere, qua convivia iſta deſignarentur, eamque vetuſtam ac obſoletam, quam ejeciſſet aliquis ſciolus. Inire hujuſcemodi convivia Megalenſibus *mutitare* dicebant veteres, aut *mutuitare*. Quod ex duobus Gellii locis diſcimus. Itaque ipſa etiam convivia *mutuita* fuiſſe dicta opinabar. Libri veteres habent ex parte *ineant*, & *concelebrant*. Quare conjiciebam

Cur vicibus factis ineunt convivia, quaeſo,
Mutuita; indictas concelebrantque dapes.

In sequenti etiam versu ad id nomen manifeste alluditur. Apud Varronem teste Nonio *mutuiter* pro *mutuo* poni scis, puto. Haec sunt somnia mera, ne forte censeas pro oraculis a me venditari. De *maena* multis suo loco disserui. Sed plurimum negotii mihi exhibuit Plautinus locus ille

Deglubta maena, sarrapis sementium.

Ita vetusti libri, in postremis nihil capio. Nam de *Sarapi* nugae sunt. Latet nomen aut piscis aut alterius rei spurcae foetidaeque. Ex illo *sementium* exsculpebam *meientium*. Idque *Vossius* noster postea ostendit in veteri codice extare, qui & ipse haeret in hoc loco. Jam nimis sum, fateor, nec tamen te dimitto. Apud Propertium lib. IV. Elegia occurrit, cujus initium,

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum;
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim.

Mihi versus posterior visus est menda laborare. Aliter sentiebat amicus noster. Nam cum priori jam versu dixerit, *tuum sepulchrum*, illud *tua umbra* me offendit. Quam aio esse otiosam & ingratam repetitionem, nec cultissimo Propertii ingenio dignam. Tum illud, *quod non vis*, quam frigidum ac jejunum! Fuisse longe depravatissima ejus auctoris exemplaria jam ab aliquot saeculis vel non juranti facile, si te novi, credes. In iis scriptum fuisse puto *Et tua* (vel *tula*) *invisam*. Tenebrionem postea aliquem, qui videret hiare versum, reposuisse, *quod non vis*. Quod apud Ovidium ac Martialem non minus insulse quoque inculeatum memini. At quantilli erat negotii refingere?

Et vetula invisam sentiat umbra sitim.

Neglexerat nimirum geminare librarius τὸ & lapsu frequentissimo. Damnat amicus noster, & pugnat pro vulgatâ: Tu utri accedis? Sed alio tempore proponam tibi conjecturas in illo auctore, quas magis probes. Vale. Nobilissimum *Schelium* nuper hîc vidimus, sed in transcursu.

Romae novum volumen inscriptionum veterum auspiciis Cardinalis *Barberini* editur. Urbinensis bibliotheca in Vaticanam est translata. Sed id jam ante a me monitum fuisse existimo. Sub exortum caniculae hîc te expectamus.

EPISTOLA CCCXXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hogerus.

QUi tradituri sunt has tibi, egregii juvenes, *Henricus ter Borch* & *Gosuinus Hogerus*, Daventriae bono loco orti, & olim perpetui fuerunt auditores mei, eo profectu, ut te *Vossiumque* nostrum, non modo ex consuetudine mea, sed etiam ex scriptis vestris intelligant atque admirentur. Itaque quum exacto hîc quoque, quod visum est, biennii, opinor, & quod excurrit, tempore, in Galliam iter meditentur, non ausi sunt communi patria excede-

re, nisi parata, qua sciunt se una maxime magnis in peregrinatione viris conciliatum iri, tesseram, notitia vestri. Jamque promiseram, praesentem me illis ad vos deductorem fore: sed quia & nunc vehementer impedior, & alioqui aut fine hujus, aut initio proximae hebdomadis isthuc mihi eundum est, impetravi, ut apud te literis meis, apud *Vossium* tua commendatione contenti essent. Ne poeniteat illos novisse causam meam, in tua est manu, si quae me saepius de amicitia nostra praedicantem audierunt, eorum fructum adventicium illis non invideas, & simul te, simul incomparabilem amicum nostrum, paullo propius atque interius inspiciendos praebeas. Feceris gratissimis, & mihi non minus quam illis beneficium expensum feres. Vale, literarum & seculi decus unicum, & me ama. Lugduni Batavorum a. d. IV. Cal. Octob. CIↃIↃCLVIII.

EPISTOLA CCCXXV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagae.

Burgius & *Hogerus* mirifice praedicarunt mihi singularem utriusque vestrum humanitatem, quo nomine & ego me plurimum vobis debere profiteor. Oden hanc me vobis recitaturum putavi, sed quia profertur dies, nolui diutius vobis honorem & voluptatem, amico plausum ingenii invidere. Compellunt me mandare typis, quod hîc primum publice dixi. Vix tria implebit folia. Quod si imperare posses tibi, ut accineres aliquid, quo augerentur chartae, & saltem hoc boni haberent, faceres mihi gratissimum. Nam, ne ambitionem putes, quamvis amplum est a te laudari, & ignoscendum, si quis cupiat, ultro hoc unum precor, ne amori indulgeas, & quidvis potius interponas, ut Simonides apud Phaedrum gemina Ledae sidera: nec enim quidquam nunc magis vito caveoque, quam invidiam. Debueram te & *Vossium* invitare ad haec solennia: sed primum majorem vestri reverentiam habeo, quam ut possim vobis coram inepte facere: dein (fatebor vobis indigentiam meam) possum vos invitare ad prandium, aut ad coenam, invitoque quoties huc accedetis, constituoque vobiscum, ne alio hospite utamini, sed non est, ubi vos collocem noctu. Consuevi enim habitare in aedibus, ubi dominus praebet lectos, quales jam fastidit Batavus nitor, nec vult nisi mobiles, quos ipsi apportant auferuntque inquilini. Itaque vix in usum sufficit, & in quo ipse cubo, a *Bornio* nostro commodatum sumsi. Hanc igitur culpam mihi condonabitis. Erit forsan, cum erimus lautiores. *Vossii* Melam, opus tot linguis praedicandum, quot complectitur illud vastum, quod Mela descripsit, accepi libentissime, & nunquam inspicio, quin recedam doctus. Valete, patroni mei indulgentissimi, & me amate. Leidae, pridie Liberatae urbis A. CIↃIↃCLVIII.

EPISTOLA CCCXXVI.

NIC. HEINSIUS

J. F. Gronovio.

Leidam.

VIr Clariſſime. Complures jam ſunt dies, quod aedes meae occupantur a nonnullis hoſpitibus, ex numero teſtium, quorum fide mihi nunc eſt utendum. Quae cauſa eſt, cur ad ſuaviſſimas tuas nihil hactenus reſpondeam. Ut intelligas interim, nihil eſſe quod aut velim aut poſſim tibi negare, ecce 1 verſus, tumultuariâ quidem operâ & aliud agendo effuſos, quos tamen ſpero meae erga te obſervantiae obſides qualeſcunque fore. Habebis eos fortaſſis aliquando magis limatos: nunc trahere te longa exſpectatione nolui. Rogo has Amſtelodamenſi nautae cures quam primum tradendas. Eſt enim periculum in morâ, & quidem grande. Craſtino die, ſi fieri poſſit, ut tradantur illi, ad quem deſtinantur, mea maxime intereſt. Vale. Plura proxime. Iterum commendo tibi negotium de curandis ſine mora literis. Hagae CIↃIↃCLVIII. IX. Octobr.

1 Quibus Gratulatur *Gronovio* in Academia Batava Graecas & Romanas antiquitates publice profeſſuro. Leguntur inter Poëmata lib. III. Eleg. ult.

EPISTOLA CCCXXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUi tradet has tibi, *Marquardus Gudius*, juvenis eximius, ingenii politiſſimi & rariſſimae eruditionis, & ſcriptis editis clarus & majora moliens, *Reineſii*, *Freinshemii*, *Boecleri* perfamiliaris, tantis nominibus te *Voſſiumque* adjungere geſtit. Mihi autem tantum honorem habuit, ut quod exquiſitiſſimis ejus ſtudiis obvia veſtra tribueret humanitas, ejus me quoque ponere voluerit in gratia. Admittite: reperietis digniſſimum, cui vos totos aperiatis, & quem de praeclaris ſuis inceptis facunde differentem audiatis. Vos quidem ille non nunc primum diſcet, ſed quales dudum didicit & miratur, agnoſcet. Ne quid ei denegetur, non tam illius, quam literarum intereſt, quas non poteſtis non fovere, quum propemodum ſoli earum dignitatem ſuſtineatis. Valete ac ſalvete, Lugduni Batavorum a. d. VIII. Idus Decembres CIↃIↃCLVIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXXVIII.

N. C. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

INjectâ forte apud *Bigotium* noſtrum mentione veterum auctorum, theologorum imprimis, qui in bibliothecis hîc antiquis hactenus inediti deliteſcunt, inter illos *Polycratem* recenſui, ſcriptorem Graecum, quem Amſtelodami me vidiſſe inter libros rarioris notae non paucos memineram apud Cl. *Junium*. Ejus autem filius, cum inſtitutione tuâ utatur, teque quotidie accedat, non opinor arduum tibi fore, ut certiora mê de codice iſto doceas, quam quae petenti *Bigotio* poſſum ultrò reſpondere. Ait ſalvam de ſcriptore hoc per meas literas ſibi motam eſſe, ac ſerio ſervideque inſtat & urget non titulum ſolummodo, & initium voluminis deſcribi, verum etiam percupit doceri, uniuſne tantum *Polycratis*, an plurium auctorum ſcripta eo in exemplari habeantur, tum cujuſnam argumenti, & quam multa ea ſcripta ſint. Praeterea ulliſne argumentis poſſit colligi, hunc eſſe *Polycratem*, Epheſium illum, magni in antiqua eccleſia nominis ſcriptorem, cujus meminit *Euſebius*, prolato ex ejus epiſtolis fragmento. Ex ipſo praeſertim operis initio deſcribi nonnulla optet, quae ſpeciminis ſint loco, & ex quibus de praeſtantia auctoris ipſius conjectura fiat. Auguror hominis utrique noſtrûm amiciſſimi deſideriis non gravate te ſubſcripturum. Erit enim & illi & mihi hoc officium longe acceptiſſimum: praecipue ſi omni mora ac cunctatione poſthabitâ, quamprimum hîc nobis gratificeris. *Voſſius* noſter Apologiam ſuam praelo jam commiſit; quae adverſarium ejus & adverſarii plauſores non modice irritabit. Eſt enim aſperior, quam velim. Etſi ego & Illuſtris *Beuningius* auctores illi fuimus, ut rationibus potius, quam maledictis pugnaret. Dedit quidem manum noſtrae ſententiae ex parte, nec tamen per omnia, nunc jacta alea eſt. Speraram fore, ut diebus proxime elapſis praeſentem te nobis ſiſteres: ſed non comparuiſti. Triſt. v. El. v. in Natalem Uxoris occurrunt illa.

Omnia nunc credo: cum tu non ſtultus ab Arcto
Terga vapor dederis.

τὸ *non ſtultus* parum probatur. Tu videris. *Rhodius* abiit ad plures. Vale, Vir Eximie. Leſſenium quaeſo bibliopolam mone, aut moneri per tuos jube, ut, ſi quos mihi libros in auctione poſtremâ addixit, eos ad me perferri quamprimum curet. Maximè ſi inter Theologos in folio ſcripta *Theologorum Wittebergenſium* amoebea, & *Hieremiae* Patriarchae Conſtantinopolitani emta ſunt, quod negotium affinis tuus in ſe receperat. Eſt enim poſt dies paucules liber ille in Gallias mittendus. Iterum vale.

Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLVIIII. a. d. XII. Maji.

EPI-

EPISTOLA CCCXXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

JUnio ostendi, quod scribis de *Polycrate*. Promisit curaturum, ut aut quae petis, notata, aut ipsum librum propediem hîc habeamus, quo ipsi notare possimus. Leffenius pollicitus est te cras habiturum, & quos ipse, & quos affinis meus emit. Sed *Witebergensium* & *Hieremiae* scriptorum volumen elapsum est ipsi, dum *Golio* producenti horam operam dat. Habet Hackius, & haud dubie, non tam parvo dimittet, quam nactus est. Accepi hodie mane literas a *Maresio*, in quibus haec erant: *Ante paucos dies mihi aderat amicus vetus Ampliss. Graswinckelius, qui referebat se audisse quasi ex ore tuo, me calamum stringere in celeberrimum Vossium. Miratus sum, unde ille rumor: nam ut patrem habui, quoad vixit, inter amicos, sic nihil minus cogitavi, quam filium lacessere vel offendere. Ad haec ut jam senesco, ita compono me paulatim ad quietem, tantum abest, ut velim extra meum chorum saltare.* &c. Fac quaeso haec resciscat amicus noster. Fac etiam credat pro certo inter illum, quem indigne fert, dixisse de bonis sociis, & alterum, nihil prorsus intercedere familiaritatis, etiam propter factiones, adeo ut toto anno non videant se, nisi in senatu. Nec se immiscebit alter, nisi lacessatur. Vale, meum decus. Raptim III. Id. Majas CIↃIↃCLIX. Si fieri poterit, die Saturni adero.

EPISTOLA CCCXXX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

MOdo tuas accepi, Vir amicissime, ex quibus lubens intelligo, de *Polycrate* negotium tibi curae fuisse. Reliquum est, ut alterum de *Hieremiâ* Patriarchâ, si fieri possit, conficiamus. Urget enim scriptorem illum & fervide flagitat *Bigotius*. Tenta igitur quaeso, an Hackium expugnare possis, qua vales apud illum auctoritate, ut librum a se emtum, eo, quo distractus est, pretio, tibi concedat. Sin minus, adde aliquid pretio, ut amico gratificemur. Quas feceris hac in re expensas, eae tibi apud me paratae jam nunc sunt, & adventum tuum operiuntur. Quo minores tamen erunt, eo acceptiores amico nostro futuras facile intelligis. Doleo affinem tuum auctioni non po-

potuisse vacare sub id tempus, quo liber est distractus: hic enim unus mihi instar reliquorum erat omnium; quod non mihi poscceretur, sed amicissimo capiti: cujus operam in officiis longe majoris rei utilem mihi & necessariam quotidie experior. Certus igitur esto fore, ut duos una hac operâ demerearis, me, inquam, quem multis jam ante beneficiis tibi addixisti, & illum, qui virtutes tuas ac eruditionem summam pro magnitudine suâ mecum metitur. Vale, &, ut polliceris, die Saturni proximo expectandus veni. *Vossium* nostrum monebo de iis, quae *Maresium* spectant. Apologiam ejus, si stato die nobis aderis, typis descriptam haud dubie hîc offendes: in eâ enim se exercent operae. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLIX. a. d. XIV. Maji.

EPISTOLA CCCXXXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

POlycratem illum falso creditum tractavi & inspexi. Nec diu, quum clamavit se non *Polycratem*, sed *Athanasium* esse. De quo ne dubites, en tibi duplex principium & indicem operis. Est etiam credibile, hoc ipso codice usum esse *Comelinum*, quum Athanasium ederet. Nam ex auctione *Sixtini* comparatum audio. Cras, Deo volente, aut perendie me videbis. VIII. Cal. Jun. CIↃIↃCLIX.

EPISTOLA CCCXXXII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

COmmendatitias, quas affinis tuus hesterno die a me petebat, Vir Clarissime, ecce, mitto. Eram praeter solitum tum occupatus, unde factum, ut eas praesens praesenti non tradiderim. Si tempestivius paulo me monuisset, ad plures amicos scripsisse poteram. Nunc instar omnium sit noster *Bigotius*, qui, cum bibliothecas & viros urbis eruditos omnes in numerato habeat, & ubique sit admissionis intimae, qua est benignitate, affini tuo facile ini omnibus gratificabitur. Plura in rem ejus si praestari a me posse opinaris, noli dissimulanter mecum agere. *Vossii* nostri responsio, puto, jam prodiit in lucem, aut prodibit hodie. Apud Ovidium lib. VII. Met. in fabula Aesonis,

Verba simul fundit, terrenaque numina lenit.

Non constant sibi libri veteres, quorum plurimi, *numina poscit*. Alii *mulcet*,

& similia. Dudum veterrimorum alter *levit*, alter *livit*: & pro *fundit*, *fudit*. An *linere* pro *ungere cibo*, aut perfundere & aspergere? Si exemplum similis locutionis habes in promtu, juva me, quaeso. Vale, Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLIX. a. d. IX. Julii.

Bigotium affinis tuus apud *Menagium* inveniet, cujus est convictor *au cloître nostre damme*, nisi Rhotomagi etiamnum haeret apud patrem, qui illic praeses est: eo enim mense proxime elapso est profectus, nec hactenus inde in urbem rediisse se nunciavit.

EPISTOLA CCCXXXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

NArro tibi, Heinsi Nobilissime, fortunam hesternae diei. Venit ad me Criticus novus: *Johannem Guilhelmum Capoferreum* se vocat. Pollicebatur in Tragoediis Senecae nihil a se mendarum relictum, & petebat quod hujus rei causa scripsisset, typographis commendarem. Miranti & ambigue respondenti ostendit jam editum Lipsiae [1] animadversionum in Classicos Auctores lib. I. qui est in Ovidii Metamorphosin: sed multo splendidiora promissa, in reliqua Ovidii, in Corn. Nepotem, Petronium, Vellejum, Plinium, Curtium, Claudianum singulos libros: tum praeterea in varia loca omnium. Sunt quidem nonnulla tibi jam aliisve observata, quaedam confidentiae ingentis: reperi tamen primo intuitu locum similiter a me emendatum, quod etiam confestim in exemplari meo illi ostendi. Scis in lib. XIV. Achaemenidae

Hâc mihi si potior domus est Ithaceque carinâ.

Ille hanc e levissimis suis conjecturis se ducere ajebat, & longe nobiliores certioresque in libro suo proditas. Monui omnino te illi salutandum esse: quicquid in Ovidio tibi probaret, in eo me quoque plausorem habiturum. Et promisit se facturum, ubi Amstelaedamo rediisset, eo enim prius excurrendum sibi. Volo, rescisces per famulum, an ille, quem ajebas vicinum affini suo habitare, sit *Adolphus Henricus de Raesfeld*, Dominus in Twickel, & gener Comitis de Flodorp: habet enim duos fratres, ex quibus alter, ni fallor, etiam jam reipublicam tractat, & legatione aliqua fungitur: dein, nunquid in praesens sit Hagae. Vale, decus meum. Lugduni a. d. VI. Cal. Quinctil. CIↃIↃCLIX.

1 Hunc Ovidii editioni novae adjiciendum curavi.

EPI-

EPISTOLA CCCXXXIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

BEavit me profecto tuus ille nuncius de novo e Germaniâ Critico. Vix tuas attentâ lectione hauseram, cum is ipse, quem tu ad Amstelaedamenses profectum esse narrabas, supervenit hesternâ vesperâ. Hodie, ad Ovidium quae notavit, perlegi omnia. Quid quaeris? Saepissime aberrat a scopo. In multis tamen verum mihi dixisse visus est. Nec offendor ejus erroribus. Miror magis, hominem ludo literario innutritum, & rebus adversis oppressum, tum, quod rei caput est, omni veterum exemplarium ope destitutum, adeo sagacem fuisse in indagandis errorum fontibus. Frigidâ, sat scio, hominem perfudi, qui tot ejus observationes jam aut a me, aut ab aliis deprehensas invito, quod facile credas, ostenderim. Sed vel sic hortari non desinam, modo me rursus accedat, quod jam pro virili feci, ut telam, quam feliciter auspicatus est, pertexat. Fraudatus fuit hactenus, quantum apparet, consuetudine literatorum hominum. Quod cave credas vitio a me verti. Nam vel sic causas mihi aequissimas esse agnosco, cur hominis a fortunâ parum instructi ingenio adsurgam. Denique ne quid virtutis aut eruditionis in illo desideres, etiam poëtam se profitetur. Vir est liberrimi ingenii, & qui hac potissimum de causa Saxoniae solum se vertisse prae se ferat. Tu hortare illum, ut pergat in auctoribus antiquis illustrandis esse diligens. Et de typographo, si potes, illi prospice; cui specimen aliquod lucubrationum suarum committat edendum. A Seneca tamen manus vellem abstineret, ne post te Roscium saltaturus deridendum se praebeat. Atque haec hactenus. *Rasveldius* ille, quem quaeris, non is est affini meo *Goesio* vicinus, sed alius nescio quis, qui frequenter quidem ad nos ex Geldriâ excurrit, nunc tamen neque est in urbe, neque quando sit huc venturus satis scitur. Ita ex iis modo intellexi, quorum hospitio solet uti. Nihil tamen impedit, quominus vel sic nos te quamprimum hîc videamus. Es enim venturus & mihi & nostro *Vossio* optatissimus. Vale, decus nostrum certissimum, & si *Capoferreus* te accedat, fac quaeso intelligat, esse suas virtutes mihi commendatissimas. Dabam. Hagae Comit. CIↃIↃCLIX. a. d. XXVI. Junii.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXXXV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUid circuitione apud te utar, frater ſanctiſſime? Daventriae fui nuper, & manſi in ſextum diem, & redii ſponſus: neu dubites, *Schelius Graeviuſque* ſubſignarunt mecum tabulas. Nomen matronae eſt *Catharinae Glagoviae:* pater olim urbi ab archivis, & alterius filiae maritus in eodem munere ſucceſſor: junxerat priorem torum cum *Conrado Nilandio*, bono & primario cive, cujus frater *Aegidius* XXXVII. jam annum honoratum in curia, & nunc ipſum primum ſeptimo tenet locum. Hujus Aegidii filia major nupta eſt fratri meae defunctae conjugis, & horum utriuſque ſororem duxit uxorem ejuſdem filius major. Vides qui pro me abſente ſint procati. Maxime optimus ſenex auctor his nuptiis affinem (nam & alteram vel tertiam *Glagoviam* conjugem habuit, & in hujus hacredibus liberos ſuos fore ſperat) gaviſus eſt penes me deponere, & poſtquam veneram manifeſtus amator, ne differrer, conſiderans ille, quam parum hoc tempore anni nobis ab operis ordinariis otii ſit, inſtitit. Ipſa meae aetatis, forma ſufficiente in uxore, moribus laudatis & commodis, orba & teſtamento libero, cui haec accedit laus toti civitati cognita & teſtata, tres mariti prioris filios (jam cives locupletes, in his unum non modo cauſarum patronum, ſed & eleganter doctum, & per triennium auditorem meum) ab infantia ſic educaſſe, ut illi ſe novercam ſenſiſſe ſancte negent. Hoc quantum apud me potuerit, facile intelligis: neque enim tam mihi voluptatem & opes, quam praeſidium quaeſivi meis, quibus me mitem & tenerum eſſe fateor. Ergo quibus commodum dicere Hymenaeum *Gronovio* & *Glagoviae*, hem tempus eſt: nam ut ſpero, tertia hebdomade genialem lectulum calfaciemus. Vide an hoc ad te pertinere patiantur tempora tua. *Graevius*, ut audiit e ſoceris meis antehac me venturum, feſtinatis literis juſſit me poſcere *Voſſium* noſtrum duos libellos, per *Fr. Junium* ſibi dono miſſos a *Mer. Caſaubono*. Feci quatriduo ante diſceſſum, & quo magis mulcerem, Lexicon illud Angloſaxonicum, quod nomine avunculi a me repetierat, ſimul remiſi. Reſponſi accepi nihil. Dixit autem mihi coram *Graevius*, aliis ex *Gudio* literis intellexiſſe ſe, neſcio quomodo, libellos iſtos a *Voſſio* tibi curandos datos. Quod etſi uterque mirabamur, viſum eſt tamen operae pretium, quid ejus ſit, ex te reſciſcere. Ipſe & *Schelius* te peramanter ſalutant. Vale, meum decus & me ama. Lugduni III. Non. Decemb. Anno C. CIↃIↃCLIX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXXXVI.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

INcredibili gaudio perfusus sum, accepto de secundis nuptiis tuis nuncio, quas instare postremae tuae significabant. Vellem equidem res meae ferrent, ut Epithalamion justum tam auspicato festo conscriberetur. Tu vero, vir amicissime, cum abunde exploratum habeas rerum mearum statum, cumque satis intelligas quantâ nunc verser in charybdi, ignosces facile laetitiam omnem aversanti, cui vix vacet aut integrum sit plorare. Habes versus paucos, si non expectationi tuae respondentes, at tenerrimo cum adfectu effusos. Amicus noster argutatur Epicteti Enchiridion & Casauboniamam de Homero dissertationem libellos *Graevio* destinatos mihi fuisse traditos, in eo injurius & falsus est. Obtuli operam in iis curandis meam avunculo ejus *Junio*, qui cum responderet, se post biduum Leidam cogitare, & tum fore, ut libelli tuas in manus traderentur, nolui pluribus rem urgere. Ne interim *Graevius* noster fraudetur suo Casaubonianae dissertationis exemplari, meum en mitto. Ex Anglia Galliave si quid rerum novarum, quod studia nostra spectet, didicisti, imperti quaeso. *Holstenius* convaluit, ita Roma ad me scribitur. De novo Inscriptionum antiquarum volumine lentum omnino est negotium, quae praelum Romanum hactenus exercent, & tarde procedunt. Haec nunc. Vale, flos virorum. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLIX. a. d. VIII. Decembr.

Lis mea etiamnum trahitur, & trahetur in menses duos aut tres proximos.

IN SECUNDAS NUPTIAS

Eximii ac summi Viri

JOANNIS FREDERICI GRONOVII,

Et lectissimae Matronae

CATHERINAE GLAGOVIAE.

PErtaesus vidui Gronovius otia lecti,
Frigidaque in vacuo regna peracta toro,
Conjugis abruptos per fata resuscitat ignes,
Et quam sopierat Styx inimica facem.

Officiosa paret thalamos Cytherea secundos,
Progeniem dignam qui genitore ferant.
Diva, fave: veteres si te coluere Pelasgi,
In Latium quicquam si modo juris habes,
Aeneadumque lares, priscum quibus ille nitorem
Pervigili felix sedulitate dedit.
Hunc tua Roma tibi Phrygios sortita nepotes,
Hunc tibi conciliat Graecia magna virum.
Divide cum Musis socias & Pallade noctes,
Quas tetrico nimias venerat ante choro:
Ut, qui conspicuis perrupit saecula chartis,
Non minus in docta prole superstes agat.

NICOLAUS HEINSIUS, D. F.

EPISTOLA CCCXXXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

TAndem solennibus peractis, victis matronalibus moris, circumcisis sarcinis, per vias vix prae altis nivibus noscendas, cum nova nupta domum evasi. Ego, ne diutius abessem a sacris, illa, ut familiam, quam intrat, interim cognoscat. Supellex omnis relicta, quam, ubi primum navigabiles erunt aquae, si Dii favent, delectu habito arcessemus. Officium nuptiale omne mirifice exhilaravit disertissimum tuum carmen, quod cur excuses causa nulla est: tam tuum est, quam quod jure optimo: hoc est perfectae omnibus numeris elegantiae, quae etiam barbaris meis Potitiis, sane quam bonis hominibus, aurem scalpere potuit. Inveni redux hic literas a *Mer. Casaubono*, in quibus haec: *De Gruteri Criticis errorem vestrum ab aliis, opinor, intellexisti. Verum est Criticos, seu Philologi potius dicendi, qui in SS. commentati sunt, haud vulgari diligentia conquisitos, multis tomis, magnis impensis, excusos, brevi in lucem prodituros. Sed ad* Gruteri *Criticos nihil illi, quod sciam: de quibus altum hîc silentium: nec adeo ista studia in honore ac pretio apud vulgus, qui docti aut doctores hic audiunt, ut cuiquam in mentem venire probabile sit. De Aeschylo quoque aliud agamus licet, quando Junius vestras hinc abiens, ab illis rogatus, quorum intererat, partes illas in se suscepit, & credo jam illum perfunctum esse. Caeterum idem quoque vir doctus & amicus, nobili viro & amico meo summo* D. Johanni Cottono *de Anacreonte, si quid illius hactenus ineditum, in publicis aut privatis apud vos bibliothecis reconditum, se procuraturum, saltem indicaturum recepit. Si quid tua cura hîc posset, vel, ut ille memor sit, vel quod in te situm sit ipso, rem mihi feceris gratissimam. Salutem ab* Heinsio, *viro doctissimo ad paternam famam feliciter adspirante, gratissi-*

tissimam habui. Ei omnia fausta & pacata precor, & si qui sunt alii apud vos, qui rem literariam ornant ac tuentur. &c. Haec ille, quorum partem velim cum nobiliss. *Junio* communices, & meum illius responsum. Etiam Lutetia quaerit *Menagius*, sintne penes Nobiliss. *Vossium*, Porphyrii scholia in Homerum, rogatque ut libri titulus mittatur: parasse enim se aliquid in Homerum. Accepi etiam Parisiis specimen τῆς παλαιᾶς Λογαοιδικῆς, in qua promittenda toties ostentavit se *Salmasius*, quod ad te mitto ea conditione, ut bene custoditum diligenter remittas. Primo res inexplicabilis mihi videbatur: dein saepe retractando penetravi & pervici. Atque adeo en tibi duos primos versus: Εἰς τὰ ἑπτακαίδεκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νίμισμα ἓν τρίτον δωδέκατον ἑξάφολλον νομίσματος τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ἅμου σὺν δικεράτῳ ἓξ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀκτὼ ἓξ δέκα ἥμισυ τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον. Hoc est latine: *In septendecim solidos exige dicerati nomine quincuncem*: (I: V. milliarenses) *hexaphollon solidi triens* (IV. milliar) *sicilicus* (sex folles) *simul cum dicerato & hexaphollo solidi octodecim dodrans* (IX. milliar.) *sicilicus* (VI. folles.) Sic & reliqua. Videtur, nisi aliud tibi, dignum, quod Pecuniae veteri addam: haud scio enim, simile an ullum monumentum exstet. Vides me non ita immersum fuisse amoribus, ut Musas interim non respicerem. Vale, decus meum, & me ama. Lugduni prid. Cal. Flor. *Tan. Faber* Aeliani varias propedum praelo daturum se minatur. Si plura desideras exemplaria, posce, quotquot libet.

EPISTOLA CCCXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

DUm responsionem protrahit quotidie & procrastinat *Bontius*, multum temporis elapsum est; quam cunctationis meae causam & originem fuisse non falsus tibi persuade. Nam si tempestivius responsum tulissem, jampridem nonnihil reposuissem jucundissimae tuae epistolae, quae multâ profecto me perfudit voluptate, quod secundas nuptias ex voto tibi cessisse testata est. Epithalamion meum quod laudas, pro caetero facis affectu & summâ benignitate, qua mediocritatem ingenii mei fovisti hactenus & prosecutus es. In eo emendes haec tria velim, *Coniugis abruptos post fata*, pro *per fata*, deinde *Graecia cara* pro *Graecia magna*, & sub finem, *superfit amans* pro *superstes agat*, quanquam nullius pene sunt momenti. Quae doctissimus *Casaubonus* ad te perscripsit de nova Criticorum operum farragine, *Junio* nostro legenda exhibui. Is vero ex *Biaeo* typographo, nescio an alio, se didicisse affirmat commendantibus rem *Miltono* & *Gattackero* de supplemento facis criticae Gruterianae edendo cogitatum esse. Nam quod primo affirmabat jam tomum unum alterumque esse editos, id nunc ex fama se audivisse ait, cum videretur ante ea de re loqui tan-

quam

quam teſtis oculatus. Quare Caſaubonianae epiſtolae dandam fidem eſſe cenſeo, falſos rumores de edendis Criticis jugulanti. Porro de Anacreonte quae *Joanni Cottono*, viro nobiliſſimo & literarum egregio fautori promiſerit, ea ſe jam praeſtitiſſe mihi ſignificavit, miſſis ad illum nonnullis ſuaviſſimi poetae verſibus, qui lucem necdum videre. Vale.

EPISTOLA CCCXXXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUi has tibi tradet, coniugis meae ſororis filius eſt, & *Aſſueri Strockelii*, urbi Daventrienſi a ſecretis, olim diſcipulus meus, nec literarum ignarus. Cupit autem ediſcere quaedam de itinere legatorum, qui in Gallias ad gratulandum deſtinantur: quippe ſuo ſumtu ſe comitem iis adjuncturus. Vide an ipſe haec illum docere poſſis, an alium ei monſtrare magiſtrum, per quem diſcat. Et facies mihi gratiſſimum. Vale, vir nobiliſſime & humaniſſime, & me ama. Lugduni. XXVIII. Aprilis CIↃIↃCLX.

EPISTOLA CCCXL.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Daventriam.

VIr & amice ſumme. Epiſtolium hoc rogo ad Cl. *Fabricium*, a quo per literas heſterno die ſum compellatus, perferri cures. Agit mecum de Theologo, quem valde laudat, & credo ſane laudanti. Sed cum noſtri idiomatis uſus potiſſimum requiratur, apud noſtros homines, qui longe plures ſunt Holmiae, quam Galli, aeſtuo, & amplius deliberandum cenſeo. Quando te viſurus ſim ignoro: ſunt enim, quae me pedem ex hac civitate efferre non permittant. Regina Suecos ſuos denuo adiit, quo ſucceſſu mox intelligemus. Vale, & me ama. Dabam praepropere. XIII. Sept. CIↃIↃCLX. Hagae Comitis.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXLI.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

NEgotium, quod proxime commendabas, curae mihi erit. Sed ne spei fallatur amicus tuus, Vir Clarissime, jam nunc moneo, Legatos hinc non profecturos, nisi post factas nuptias, quarum videndarum desiderio potissimum illorum comitatum is mihi visus est ambire. Coram illi sententiam meam de re tota ingenue & sine fuco exposui. Si propositum nihilominus premit tenetque, nil obnitar, aut obluctabor, paratus tibi illique in omnibus gratificari. Habes hîc [1] epithalamion, quod jussus & coactus proximis diebus scribebam; cum ab ineptiis nugisque hujusmodi abstinere maluissem. Addo & [2] versus alios, sed majoris rei, quia regiae imagini addendos. Quare rogo censuram tuam, & quidem severam experiantur, ut tempestive mutetur, quicquid mutandum esse censebis. Extorserunt eos mihi familiares regii, qui nefas fore argutabantur, si herilis imago sine meo elogio prodiret in lucem. Librum Geometricum per cursores Florentia ad me perlatum, a praelo etiamnum recentem, diu est quod Cl. *Golio* legendum misi, & *Schoteno*, ea lege, ut mox, lectum ad me remitterent, cum ejus excutiendi desiderio magno Amplissimus, *Witthius* ac *Christianus Hugenius* teneantur, quibus eum exhibere non minus, quam *Golio* & *Schoteno* sum jussus. Mone quaeso *Golium*, ut libri examen maturet absolvere, ne sua cunctatione Italos suspensos tenere pergat, jampridem scire cupientes, quid nostris mathematicis de isto opere videatur. Vale. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLX. a. d. XXX. April.

1 In nuptias *Susannae Hugeniae*, quae nupsit *Philippo Doubletio*. Vid. lib. IV. Eleg. I.
2 Vid. lib. III. Silvar. pag. 204.

EPISTOLA CCCXLII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

COnsuetudinis tuae desiderium impatientius, quam credis, fero. Sum praeterea in aere tuo, ut nosti, & usuram praestari jampridem tempus est. Fac igitur tribus ex te verbis intelligam, an res tuae ferant, ut diebus proximis huc excurras. Sin minus, ego tibi mox adero. Volo enim confabulari super re non una, quam in sinu premo. Epithalamium Nuptiis *Susan-*

nae Hugeniae a me nuper dictum jam miſi, una cum epigrammate, quo Regiam imaginem commendabam. Cenſuram tuam implorabam; ſed fruſtra. Nunc aliud quid [1] nugarum mearum accipies. Vale. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLX. a. d. VIII. Junii.

1 Carmen in *Monckium*, quod legitur lib. III. Eleg. 10.

EPISTOLA CCCXLIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagae.

CArmina tua diſertiſſima omnia recte accepi, & ſane quam illis delectatus ſum. Poſtremi etiam argumentum magnopere probavi. Euge, inter tot etiam corvos poëtas & poëtrias picas apparuit unus, qui ſacro ore honeſta canere, quam fortuita maluerit. Quare nihil commovere te debent, qui ajunt parum πολιτικῶς. Ita enim hodie loquuntur, ut πολιτικὸν dicant, quod Cicero ἐμπειρότερον. Quiſquis non omnia facit, dicit, cogitat in rem ſuam quaeſtumque, is parum πολιτικός. Neceſſe igitur & parum πολιτικὸς ſibique inutilis fuerit, *Tempore ſuſtinuit*. Quod pulcerrime abs te dictum, nec ego hos quidquam πολιτικώτερον cenſeo. Neque enim hoc titulo dignor, quod non ſit cum ſalute & ſecuritate patriae & civium conjunctum. Immo jam & audio ita, ſive indita & juſſa, ſive quia blanda putant, loquentes, ut videantur velle verum reddere illud Cornelii, *beneficia eouſque laeta ſunt*. Ita extenuant, quo nihil ego fortius, fidelius, ſapientius, felicius hoc ſeculo geſtum exiſtimo: & coactum poene feciſſe, neque aliter potuiſſe. Abſit, ut ita ſentiant, quo palpantur. Sed utcumque eſt, tu laudaſti meritam, & laudibus, quas agnoſcet poſteritas. Eadem judicio tuo pariter & ingenio gratiam reperiet. Si venire voles, eris mihi hoſpes gratiſſimus. Ego, niſi aliquo Saturni die, veniam mihi nullam video ante ferias caniculares. Elzevirius tandem bona fide aggredi videtur Tragoedias Senecae. Vale. Idibus Jun. CIↃIↃCLX.

Caſaubonus iterum ex me quaerit, numquid *Fr. Junius* praeſtet de Anacreonte.

EPISTOLA CCCXLIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidae.

In verſibus meis, Vir Clariſſime, quibus *Monckium* laudavi, ut mihi viſus ſum, merentem, nihil a te ſpectari voluì, praeter animum res praeclare geſtas

stas mirantem. Quod ut successisse mihi lubens agnosco atque intelligo, ita voti summam excessit, quod non argumentum solummodo, sed in ipsis quoque versibus nitorem ac elegantiam commendasti. De *Casaubono* omitte sollicitudinem. Adfuit enim *Cottonus* ipse nobis, cui ego & gemina Euripidis exemplaria, manu magni *Scaligeri* passim emendata, tradidi utenda, & Anacreontem a parente meo locis non paucis castigatum. Si a *Vossio* nostro non impetravit, quae desiderabat, Anacreontis ἀνέκδοτα, *Langermannus* ea mihi petenti facile concesserit. Hoc, quaeso, doctissimus *Casaubonus* ex te intelligat. Quanquam & tu desiderio ejus potes respondere, qui Palatinum codicem descripsisti. *Franciscus* tamen *Junius* jam non semel mihi serio affirmavit, se nonnulla Anacreontis Londinum misisse, & quidem inedita, quae qualia sint haud scio. Nam amicus noster ad hujusmodi quaestiones raro, ut scis, accurate respondet. Cum tamen illo praesente spem fecissem nobilissimo *Cottono*, fore ut a *Langermanno* obtinerem Anacreontem auctiorem vulgatis editionibus, regerebat is, se longe plura Anacreontis habere, quam *Langermannum*. Sed & *Cottonum* ab edendo cultissimo poëta revocare enisus est, dum praetendit, virum nobilem, & ad haec opibus affluentem fovere literas debere, & bibliothecam domi instruere, ipsas literas non esse tractandas, nisi a minorum gentium dis, aut, ut ejus utar voce, magistellis. Haec quo consilio ille *Cottono* persuasa voluerit haud scio, scio non persuasisse. Specimen Senecae tui ostendit mihi Elzevirius, quo viso haud modice sum laetatus. In meo Nasone procedunt operae, sed testudineo gradu. Videbis tamen, quando huc te conferes sub proximas ferias, quae ad primum tomum notavi pleraque typis descripta. In Valerio Flacco sum nunc totus, quantum per alias licet occupationes ac litem molestissimam, &, nisi mihi blandior, multa feliciter restitui. Initio operis velim me doceas, quid sibi velit, quod agens de laboribus Herculis, addit, *olim Lernae defensus ab angue Arcas*. Cum Arcadiam non vastarit Hydra, sed agrum Laconicum? quid illa

Sceptra tui toto Pelias sub nomine Phoebi
Maxima &c. tenens?

Nam reliqua tu egregie emendasti? Quid sibi vult sub finem operis de *orbatis* sive *Bacchis* sive *vaccis*, quas cum jejunis comparat Leonibus? Hujusmodi infinita sunt. *Graevius* noster *Martinii* libellum tibi feret, quem memini te desiderare. Monente *Vossio* nostro rem militarem *Patricii* tibi emi duobus florenis totidemque assibus, quod affirmaret eo tibi libro opus esse. Si aliter res se habet, mone quaeso quamprimum. Est enim *Wallius*, sunt alii, qui cum vehementer exoptant. De codicibus Noricis Nasonis salivam mihi movit hinc discedens *Gudius*. Si opinaris eos impetrari posse, scribam vel ad *Arnoldum*, vel ad alium quemvis. Sed de his plura ex *Graevio* nostro intelliges. Vale. Hagae Comit. CIↃIↃCLX. a. d. XXVI. Junii.

EPISTOLA CCCXLV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

DE *Patricii* Re militari curaſti probe: ſed unde iſti amico noſtro tanta cura mei, tam bonum conſilium? Non tale certe, quod Britanno nobili dediſſe ſcribis. Tu vero mitte quamprimum, & meae arcae confidito. Nec ingratus ei comes erit *Ber. Martinius*, ſi quidem in promptu eſt. In Παιδικοῖς Στεφάνοις num quid ſit Anacreontis, male memini, qui a multis annis non inſpexerim: ſed perſalutabo. In Valerii Flacci loco memini pro *nomine* me olim *limite* ſubjeciſſe: nec illud non interdum cogitavi pro *Arcas*, legendum *Argos*, ſed quid fiet τῷ *defenſus*? Hoc tu me docebis. Tertium locum nondum inſpicere potui. Nec nunc etiam ſcripſiſſem, niſi veritus eſſem, ne ſilentium meum *Patricio* alium faceret dominum. Mitte igitur. Audio Profeſſorem Franequeranum *Chriſtianum Scotanum*, in edito I. tomo Hiſtoriae Eccleſiaſticae late diſputaſſe contra aetatem mundi, & quidem prius, quam factum eſt a meo collega. *Arnoldum* ſalutabo tuo nomine: nam commodum adfuit, qui mihi ab illo literas. Quia brevior ſum, producam hîc incluſis. Forſan docere me potes, quod illi reſpondeam. Vale, meum decus, & perge in Ovidio, in Virgilio, in Valerio Flacco, quo te fata vocant. Lugd. Bat. prid. Cal. Jul. CIↃIↃCLX.

EPISTOLA CCCXLVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

PArabam ad te literas, Vir Celeberrime, cum, ecce, a te adferuntur longe gratiſſimae. *Patricium* gaudeo acceptum tibi eſſe: eum hîc mitto. Utinam & *Martinium* poſſem! quem ex Galliis ad me nuper ab amico miſſum, & hûc perlatum, tibi ſepoſueram in bibliotheca meâ. Nunc illo loco, quo reconditus erat, non comparet. Metuo ne quis furacem illi manum injecerit. Nam & Juſtini exemplar diligenter a me perlectum, ac frequenter verſatum nunc fruſtra quaero. *Martinius* tamen ille fugitivus ſicubi occurret, ad te mittetur, ne dubita. *Holſtenius* auctores aliquot antiquos edidit, ſed rem eccleſiaſticam ſpectantes, in quibus nihil tui guſtûs. *Capellanus* te aſſidua ſalute impertit in ſuis literis. Valde ſollicitum habent virum optimum & officioſiſ-

ſimum

simum fortunae affinis tui, quantum video. Narrabat non ita nuper legisse se partem poëmatis Latini ab illo Regiis Nuptiis dicati: & laudabat venam atque ingenium adolescentis. *Bigotius* Romae & Florentiae menses nonnullos dedit, varioſque auctores tam in Vaticana, quam Medicea bibliothecis descripsit, annum proximum in Italiâ exacturus. Notae in Heroidas Nasonianas meae jam ad finem a typographo sunt perductae, quas apud me, ubi voles, videbis. Amorum libro I. El. VI. locus est, qui non parum me torsit. *Excute: sic nunquam dura religere catena.* Atqui religatus jam erat catena Janitor, ut ex ipso elegiae initio satis apparet. Libri veteres praestantiores constanter, *sic unquam longa relevere catena.* Quare corrigo, *sic unco longae relevere catenae.* Neque tamen satis exploratum habeo, *uncosne* vocet annulos illos ferreos, ex quibus catena erat contexta, quemadmodum hamos ferreos vocant in lorica, qui revera anuli sunt in orbem coeuntes, an de *unco* capiendum sit, qui catenam aut parieti aut vecti affixerat. Expedi haerentem, quaeso, vel tribus verbis quamprimum. Urget enim typographus. Alter locus est eodem libro El. XIV. *Non anus Haemonia perfida lavit aqua.* De aqua hac magica ecquid observasti? Sin minus, patere reponi, *laesit acu.* Nam *laesit* est in nonnullis libris scriptis. De acu, puto, intelligis quid velim. In Valerii loco *Arcas Lernae defensus ab angue* gaudeat fortuna sua. Habebam in promptu conjecturam satis speciosam, quam valere nunc jubeo. Nam ejusdem libri 108. *Arcadio armata veneno tela Herculis* vocat. Quod utique de Lernaeo veneno intelligendum, & habuit haud dubie Flaccus auctores suos, quos secutus est. *Defendere ab angue* ut lib. VII. *Audeat atque meum casu defendere ab omni Aesoniden.* Sed is loquendi modus satis obvius ac protritus. Alio loco, v. 484.

Sceptra tui toto Pelias sub nomine Phoebi,

putabam τὸ *nomine* cognatam vocem *Haemoniae* absorpsisse, quales ego mendas plures in Valerio observavi.

Sceptra tui Haemoniae Pelias sub numine Phoebi.

sub numine: ut alludat ad benevolentiam Phoebi erga domum Admeti universam, aut etiam quod greges in Thessalia paverit. Tertio loco VIII. 457. apage *Bacchas* interpretum & Barthianas *hyenas*: *vaccae* etiam cum leonibus & *lupis* non bene comparantur. Ego scribendum suspicabar *orbataeque trahant suspiria tigres.* Quam vocem duae syllabae posteriores in *suspiria* non absimiles abstulerant. De orbatis tigribus comparatio obvia apud poëtas. Meministi illorum Juvenalis,

Tum gravis illa viro: tunc orba tigride pejor.

Acris mihi disputatio erat cum amico nostro hodie super altero Flacci loco, qui ipso operis initio occurrit. *Cum jam genitor lucebis ab omni Parte poli.* Negabam me probare τὸ *ab omni parte.* Quod *in omni turre* paulo ante praecessisset. Deinde *genitorem* hîc appellari Vespasianum, quem modo *sanctum patrem* appellasset, otiosum mihi videri asseverabam. Ac proinde pro *genitore* forte scribendum *senior*, quomodo apud Nasonem Met. XV.

Nec nisi cum senior similes aequaverit annos,
Aethereas sedes cognataque sidera tanget.

Ille vero clamabat, hoc esse urere & secare. Quanquam & alios poëtarum locos adferebam id ipsum confirmantes. Magis vero efferbuit, audito alio loco sub finem libri VIII.

Si Pagasas vel Peliacas hinc denique nubes
Cerneret, & Tempe viridi lucentia fumo

Ego enim contendebam nihil esse *nubes Peliacas*, nec pluris a me fieri *viridem* illum *fumum*. Itaque pro *nubibus*, *rupes* a me reponi, & *viridem dumum*, pro *fumo*. Nihil potui excogitare convenientius, fateor, nam & *dumi* rupium proprie sunt, & *Dumosas rupes* Maro dixit Ecloga prima. Amicus tamen noster omnia antiquitatis scrinia excutiebat, ut *fumum* illum *viridem* mihi venditaret. Nam & in summis montibus Tempe Thessalicorum sacrificia solere fieri, & hinc fumum illum viridem promanare. Cum omnia illi concederem de fumo, praeter viridem colorem, ad opticem confugit, in qua ait plurimum se videre, de Iride deinde multis disseruit, deque repercusso sole a nubibus ac silvis. Peterat compendiosius nugari. Tandem, postremo apud Valerium versu cum affirmarem legi oportere, *tempora quaerere dictis*, pro *currere*, ne hoc quidem impetravi, sed amplius deliberandum esse respondit. De codicibus Nasonianis, quos in bibliotheca Norica asservari, atque unum in his veterrimum, *Gudius* mihi persuasit, velim negotium tibi curae esse. Tum de illo, quem *Nicolaus Rittershusius*, vir doctissimus possidere dicitur. Totum huic rei Gronovium velim impendas: a clarissimo *Arnoldo* hos, ut spero, facile impetrabis, quem si vicissim demereri possum sive communicatis iis, quae ad Diras Catonis fide veterum membranarum notavi, sive alia quacunque in re, non hercle negligam speratam occasionem. Sed festinatione opus. Hoc enim anno lucem Notae meae videbunt. De codicibus ipsis, si qui mittentur, curae mihi erit, ut quamprimum, & quidem tuto, meis impensis Noribergam revertantur. Nec de fide mea erit periculum, quam nosti. Dabitur hic oportunitas publice laudandi Cl. *Arnoldum*, cujus eruditas in Catonem notas nuper evolvi. Vale. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLX. a. d. XXIX. Junii.

Dum loculos bibliothecae & scrinia diligentius excutio, ecce *Martinius* diu frustra quaesitus sese offert. Locum Nasonis in Arte Amatoria, *musie mole viva sua* suggerebas olim a *Dousa* sic emendatum. In quo commentario Dousae restitutio illa loci Naseniani exstet, velim me doceas. Illa enim occasione vapulabit *Faber* in Notis meis. Iterum Vale.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXLVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

Libros accepi, & in altero studium tuum, in altero liberalitatem agnosco libens. *Capellani* humanitati cultum mutuum rependo, & unum illum jamdudum esse autumo, penes quem Gallici carminis hodie summa constet. Si regibus hymenaeum dici justa licentia est, ipse suam illam tum nobilem uberemque veniam fodicet stimuletque, censeat adolescentem, quem ab illo amari scribis, rectius fecerit, si monuerit, ut ludibrium debere caveat. Sed scis prurientes versificatores quam aegre addiscant se poëtas non esse. *Sic unquam longa relevere catena*, haud video, cur conjecturis indigeat. *Haemonia acu* nihil neque elegantius neque acutius videtur. At Valerii, quorum meministi, pleraque talia sunt, ut nisi urendo & secando sanari nequeant, eoque pro desperatis semper habuerim. Tamen *tempora quaerere dictis* perplacet. *Genitor* etiam apud Statium & in tragoediis, quae sub manu habeo, ἀντὶ τοῦ *Senior* vulgo obtinuit. Quid si tamen, *cum jam meriti*. *Ab omni parte* vix videtur sollicitandum: non enim Cynosura nec Helice ab omni parte: & propterea his potius novum sidus futurum. De *male viva* haud scio an mihi imposuerit memoria. In Centurionatu & ad Horatium est aliquid de *male vivere*: sed alio sensu. *Gevartius* autem in Electis *Dousae* tribuit *male nisa*. Nec tamen evadere tibi ille potest, si dignaberis meminisse Pallii Claudiani. Ei ego acceptum retuli ad Epist. 87. Senecae. Et ne nihil subjiciam eorum, quae iste post alios, *ita flentibus adflent*, conjecit olim *Piccartus* Peric. Crit. cap. XXIII. Cum *Arnoldo* agam diligenter: sed miror non statim te mihi remisisse epistolam. Velim etiam si quid restiveris de Manasse. *Schefferus* absolvisse scribit librum Lectionum Academicarum, in quo Notae ad nonnullas Plinii epistolas, in Pacati Panegyricum, Matthiae Camariotae synopsin Rhetoricam, Senecae apocolocynthosin: item commentarium in Taciti Agricolam. Tum Graphicen, seu de arte pingendi, qua ab ipsa pueritia in hunc diem se delectatum ait. Nunc Phaedrum sub manibus habere in usus scholasticos. Promittit quoque ad officia Ciceronis, de re vehicularia, de philosophia Pythagorea, de permutatione literarum. *Matthias von der Laghe*, juvenis, ut ibi creditur, eruditus jam ante biennium publicavit pro Barthio adversus *Vlitium* Lipsiae forma, quam in 4to vocant. Idem in nescio quem hymnum Prudentii aliquid edidit. Legavit ei *Barthius* tomum secundum Adversariorum, quod cum aegre ferrent haeredes (quippe aestimatum tribus aut quatuor millibus florenorum) lite vincendi fuerunt. Statianus commentarius sudat etiamnum sub praelo, mole aequaturus bina volumina, quale occupat Claudianus ejus. Vitam

Bar-

Barthii parat *Chriſtianus Daumius*. *Hulſemanni* laudatio funebris in eundem lingua Germanica jam exſtat. Vale, & me ama. Lugduni prid. Id. Quinctil. CIↃIↃCLX.

EPISTOLA. CCCXLVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

INcuria, fateor, mea factum eſt, quod *Arnoldi* epiſtola necdum ad te rediit. Eam, Vir Clariſſime, nunc mitto, teque iterum ac iterum obteſtor obſecroque, ut negotium de ſcriptis codicibus Noricis omni cura urgeas. Bibliopolae noſtrates proximas nundinas Francofurtenſes adituri quicquid erit ſarcinarum nullo, ut ſcis, negotio perferre huc poſſint, ſi tempeſtivius occaſio libros mittendi non dabitur. Quod ſi ſubveretur forte doctiſſimus *Arnoldus*, ne periculum libris ſit a longiori viâ, quanquam nihil tale metuendum eſt, ſi tamen aberrent, nec ad poſſeſſores ſuos revertantur, fidem do, pro unoquoque codice duo me repoſiturum ſcripta exemplaria nihilo deterioris notae. Scis enim ex amicorum munificentia ac dono non paucos penes me extare codices Naſonis manu exaratos, qui nulli aut exiguo ſunt uſui, cum eos jam abunde ſim perſcrutatus. Hoc, quaeſo, officium praeſta non tam mihi, cui longe majora praeſtitiſti, quam Naſoni. Quid detrimenti paſſus ſit a[1] populari ſuo recordaris. Qui dum maximam vim codicum ſcriptorum vana crepat oſtentatione, omnes deterruit a medicina optimo vati admovenda. Idem ne & nunc eveniat metuo, cum tamen infinita propemodum ſuperſint in eo caſtiganda. Quare non gravabor ſubire laborem quemcunque in conferendis ſcriptis exemplaribus Sulmonenſis noſtri, dum illum paulo cultiorem, quam nunc circumfertur per eruditas manus, praeſtitero. Nolim enim *Ciofanis* annumerari, ut ambitionem meam ingenue tibi aperiam, quem nihil mearum ineptiarum ſoleo celare. De *unco catenae* nihil neceſſe eſſe oportune me mones. Vellem tamen paulo tempeſtivius monuiſſes, ſunt enim ea jam a typographo deſcripta & praelo commiſſa. Sed cum ipſe demum dubitarem, timide conjecturam iſtam propoſui legentibus. Utinam in hoc uno peccaſſem! Sed alia erunt haud dubie majoris rei. Quare nolim de hac Naſonis editione praeclari aliquid tibi pollicearis. Animo enim defaecato haec ſtudia erant tractanda, quo nullus mihi adfuit. Itaque curas ſecundas feliciores fore auguror. In iſta de *unco* obſervatione alium Naſonis locum tentavi in Ibide vers. 166. ubi pro *Infixuſque tuis oſſibus uncus erit*, contendo ſcribendum eſſe *faucibus*, quod uncus gutturi ſoleret infigi. Si hoc bonum habet iſta obſervatio, non prorſus eſt ſuperflua. In Valerio plurima caſtigavi, ſed cruda etiamnum & immatura,

1 Intellegit *Herculem Ciofanum*.

nec

nec satis percocta. Interim designavi locos mendosos, ut aliorum quoque conjecturae sit locus. Nec satis mirari possum bonorum interpretum sive oscitantiam, sive securitatem, qui tot loca pessime a librariis affecta transiliant, nulla aut medicina admota, aut interpretatione, unde possit liquere ea illos intellexisse, quae ego non assequi me lubens agnosco. *Ab omni parte poli* non esse sollicitandum tibi prorsus assentior. Tamen inconcinnum *τὸ omni* bis occurrere tam sibi conjunctum. *Τὸ genitor* otiosum esse videtur, cum jam dixerit, *sancte pater*. *Τὸ senior* suam vim habet, ut in illo Horatiano, *Serus in caelum redeas*, ad Augustum, & plus dixit, quam si *senem* appellasset. Nec tamen *meriti* respuendum. Quae sequuntur velim scire an satis Latina tibi videantur, *neque enim in Tyrias Cynosura carinas Certior*. Habeo enim & in illis quod emendem. Caeterum ex elisione literae unius, aut syllabae, praesertim concurrentibus duabus vocalibus, saepe in illa peccatum est a librariis festinantibus: ut vers 66. *jussos sic tandem quaerere colchos*. Libri scripti *sectantem: sic tandem* conjectura est Baptistae Pii, ut puto. Lege, *jussos sic tandem avertere Colchos*. Jasonem sibi gravem amoliri & amovere cupiebat. vers. 68. *Creditus ignaras*. Nullus est sensus, nisi reponas, *Creditae ut ignaras Cereris*. *Creditus* primo scriptum erat. *Credere Cererem terris* elegans & dignum Valerio. vers. 89. *dabit auratis & cornibus igni*. Quid est dare *colla igni?* Scio quid velit. Sed durum est & inficetum. Transpositas opinor esse voces, & reponendum, *dabit aurato praesignia cornu Colla pater*. Sic & Nasoni, *Vittis praesignis & auro Victima*. mox pro *altaria cingent* libens castigarim, *tingent*. Sed hoc leve. vers. 342. in pulcherrima Aesonis oratione, *ut dent nostro tot in aequore reges:* scribe, *video en nostro tot in aequore reges*. Sed quod sequitur, *tales, tales ego ducere suetus Atque sequi*. *Tales ducere* honorificum Aesoni, illud *atque sequi*, ineptum est, cum crescere potius oratio debuerit, quam tenuari. Repone meo periculo

— *tales, tales ego ducere suetus,*
Statque equidem nunc ille dies, (det Jupiter oro)
Ille super: quo te &c.

Sed modus garrulitatis non esset. Mirabar stuporem Carrionis, qui libro v. pro *dedere labores* non vidisset corrigi debere *edêre*. Sed nunc video id te occupasse. Illud vero opinor mihi integrum relictum libro III. vers. 693. pro *Fert dolor* etiam *est* reponendum esse. Addam aliud. Auroram scis Tithoni conjugem esse, tamen *Tithoniam* non posse dici autumo. Quomodo a Nasone, Statio tuo, hoc ipso Valerio, aliis tamen non uno loco appellatur, nisi addatur *uxor* vel *conjunx*. Quomodo apud Maronem,

Te potuit lacrymis Tithonia flectere conjunx.

Quid ergo? Quoties *τὸ Tithonia* simpliciter positum pro Aurora apud poëtas occurrit, id in patronymicum *Titania* mutari debere contendo. Hoc si tibi persuasero, omne equidem tulero punctum. Sed pergamus de Aurora bene mereri. Apud Flaccum nostrum libro II. 73.

Jamque sub Eoae dubios Atlantidis ignes.

Digitized by Google

hoc est *Pleiadum* inquiunt interpretes. Credo quod Virgilius *Eoas* quoque dixerit *Atlantidas*. Sed aliter iste locus Maronis est intelligendus, quam opinantur. Ego *Eoae Pallantidis* censeo corrigendum. Tu videris. In Italia, Romae praesertim, quid fiat, haec *Bigotii* epistola te docebit: quam perlectam mox remittas velim, cum rescribendum sit proxime. De *Scheffero* quae nuncius fuerunt accepta. *Matthiae Lagii* nihil hactenus vidi. Amico tamen nostro non possum non favere vapulanti, qui crabrones istos irritarit. Ad *Graevium* si scribes, rogo commendes illi rem de codicibus Saxonicis Nasonis. Notas meas ad Heroidas *Medonio* inscripsi, ad Amores *Mario* Senatoribus, huic Divionensi illi Tolosano, ad Artem Amatoriam *Menagio*, quae Artem in primo tomo sequuntur *Bigotio*, Tibi, *Langermanno*, *Graevio*, Notas ad tomum tertium destinavi, quorum cura ac officio haec studia egregie sunt ornata. Phaedrum *Schefferi* videre opto. Observavi nonnulla ad elegantissimum scriptorem, quorum nonnulla inserui lucubrationibus ad Nasonem. Velim sit, qui Rhemensem codicem diligenter excutiat. Nam *Rigaltium* in multis supinum fuisse animadverto. Certe schedae Vossianae paucarum pagellarum in multis a vulgato Phoedro discedunt. *Fabrum* tentabo ad bonam mentem revocare, si possim. Non poterat locus oportunior offerri illo in Arte Amatoria de *male viva macie*. Qui locus cum variis conjecturis sit exagitatus, sic ut nullus in toto Nasone magis, ille tamen audet negare locum cuiquam hactenus suspectum fuisse. De *Menasse* agam cum *Vossio* nostro. Sola enim ex fama is mihi notus est: quem in Zelandia ante biennium e vivis sublatum videor intellexisse. Rem fregisse nesciebam. Amstelodamo tamen emigrarat. Vale. Dabam manu propera. Hagae Comitum CIↃIↃCLX. x. Julii.

EPISTOLA CCCXLIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

SPero perlatas ad te esse, quas nuper dabam. Erant illae solito loquaciores: sita tum factum est, ut negligerem rem tibi commendare, super qua amicus quidam non semel jam me convenit. Is literas mihi exhibuit a *Joanne Holmio*, homine apud Suecos, ut scis, opulento: qui filio suo praeceptorem circumspicit, juvenem aliquem literatum, cui & studia ejus committat, & mox in oras exteras abiturum credat. Si quem nosti apud vos, aut alibi morantem in vicinia, quaeso, mone. *Graevio* nostro haec sparta vellem ornanda obtigisset. Opinor impetrari ab *Holmio* posse, ut praeceptori filii sui praeter victum quingentos florenos annuos stipendii loco assignet. Praesentem te videre gestio, quando venturus sis, nam venturum hisce feriis te promisisti, fac sciam: ne absim domo, cum venies. Vale & me ama. Dabam Hagae Co-

Comit. CIↃIↃCLX. a. d. XIX. Julii Gregor. Paginas Senecae tui recentes a praelo velim tecum feras.

EPISTOLA CCCL.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagae.

IGnosce quaeso, quod tam tarde remitto Bigotianas, quibus profecto immensum quantum me oblectasti. Plerumque sub tempus exeuntium recitationum occupatiores sumus, dum incepta utcumque finiri desiderant auditores. Ad *Arnoldum* tamen, ut jusseras, statim dedi: & inserui excerpta e tuis, si magis eum movere posset tam honesta oratio. In Valerio infinita esse corrigenda fateor, sed vide tamen ne lascivias ac sufflaminandus sis. *Certus in me*, hoc est, erga me, pro fido fidelique, cur non dicam? Sic *certa Cynosura in Tyrias carinas* est fida illarum dux. *Qua jussos sic tandem quaerere Colchos Arte queat.* Equidem ars erat Peliae Jasonem amovere volentis. Sed nihilo mollius decurrit oratio: sc odiis cogi immania in freta, qua arte possit se (Jasonem) Pelias avertere Colchos. Nec *jussos*, nec *queat* hîc commode poni videtur. Potius dicere debuerat se averti Colchos, qua arte cogatur in freta, ut ibi pereat. At vulgatum ego semper sic accepi. Mox intellexit Jason, dolum huic imperio subesse, nec velleris curam esse Peliae, sed ut Jasonem irato objiceret mari, rem quidem spe esse humana majorem. Qua enim arte, via, ratione, se inventurum dictos illos Colchos? Interdum optabat plantaria Persei, aut Triptolemi currus: interdum cogitabat de seditione movenda: interdum, tentandum tamen, saepe unde periculum quaesitum sit, gloriam provenisse. Nam *quaerere* accipio cum effectu, pro invenire, nanciscì, parare, acquirere, ut saepe solet. Conjeci etiam aliquando: *qua jussus sectando quaerere Colchos Parte queat?* qua parte terrarum. *Aut curru saevos frenasse dracones*, *Creditae ut ignaros Cereris*, non audeo repudiare. Illud, *aurato praesignia cornu*, prorsus Ἀλεξάνδρειον. Quid ni *Igni* sit aris, vel ad aras. Scis Justini 22. *expositis ignibus Cereris tactisque.* *Tingent* facile admiserim, nec non, *Video en. Atque sequi* non persuades ineptum esse: nec illa incrementa, ut quibusdam locis, ubique necessaria. *Sequi*, nempe seniores, & est ὕστερον πρότερον. Nec valde pulcrum, *Stat super.* *Est dolor* non incommodum, sed nec *Fert* spreverim, est enim fert in diversas partes, differt, distrahit. De *Tithonia* non inanis est scrupulus, quem injicis, & valde blanditur *Titania*. De *Pallantida* quoque facile tibi subscribo. Proximae hebdomadis initio spero me ad vos excursurum. Hoc quod nunc est otii impendo notis Variorum ad Senecam recensendis, hoc est, stabulo Augiae purgando. Rejeceram eam curam in bo-

num [1] *C. S.* sed is adeo negligenter in primo statim folio rem egit, ut viderem, nisi vellem turgescere opus nugis, & certis Flor. codicis dictatis tanquam paris fidei passim opponi cassas conjecturas, aut librariorum errores, mihi ipsi id praestandum esse. *Bigotium* sibi fidem dedisse de variis Josephi testatur *Coccejus*. De praeceptore, habeo quidem unum aut alterum, quem commendem: sed absunt, Groningae alter, alter Franequerae agentes. Sed haec coram. *Mallincrotius* ex obsidione sua teque *Vossium* amicissime & officiose salvere jubet. Vale, παναέλλη, & me ama. Lugduni a. d. XI. Cal. Sextil. CIↃIↃCLX.

1 *Cornelium Schrevelium.*

EPISTOLA CCCLI.

NIC. HEINSIUS

J. F. Gronovio.

Leidam.

CUm exploratum habeam, Vir Amicissime, non ingratos tibi esse nuncios, qui de rebus literariis peregre nonnunquam ad me perferuntur, *Bullialdi* & *Menagii* epistolas nuper admodum mihi traditas hîc mitto, quas ubi perlegeris, ut ad me remittas enixe te rogo. In Nasone meo lentius, quam velim, festinant operae. *Tanaquillum Fabrum* pro meritis excepi: nec operam me perdidisse opinabor, si magis ingenuum se posthac candidumque nobis praestabit. Injuriam ab editore epistolarum Sarravianarum nobis factam illa occasione non tam ultus sum, quam ulturum me praemonui. Longam enim digressionem de privatis simultatibus loco alieno instituere consultum non videbatur. In Seneca tuo an pulchre negotium tibi ac studia procedant, tum quando excursum ad nos tuum sperari jubeas, fac sciam. De Horatio quoque ut memineris rogo. Ad nobilissimum *Schelium* die crastino sum scripturus, debitasque acturus gratias pro praeclaro munere. Vale, & me, quod facis, ama. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLX. a. d. v. Sextil. Gregor.

EPISTOLA CCCLII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

NOn fefellit te conjectura, quum lectionem tam literatarum epistolarum mihi gratam fore putasti. Nisi quod vellem te parciorem in exspectatione opusculi, quod mihi in manu est, doctis facienda, ne & tuae existimationis periculum adeas, & mihi laborem augeas. Praesertim quum ego nihil afferre

Digitized by Google

ferre possim boni, quod non praeceptum animo, cognitumque habeas: nihil nugarum (quam majorem opinor partem fore) quod non tibi ante omnes alios putescat & sordeat. *Guideti* Senecam excipiam libens, & quod juverit, quum ipsi, tum Cl. *Menagio* acceptum referam. Sed properato opus: neque enim cessant operae. Nec tamen poenitebit me, quae suis locis poni non potuerint, in appendicem conjicere. Ego quicquid mihi temporis praesens cura donat, in Homero Vossiano contero. Noto diligenter (mihi puta, ne tu censeas me manus sancto codici afferre audere) quid habeat commune cum Eustathio & Didymo, quid peculiare. Et utriusque generis invenio non pauca. Non possum etiam pati, quin ex rubricis illis, quas versiculis singulis interjectas habet, quasdam exemplari meo allinam. Atque utinam id incepissem facere jamdudum, nec discessus domini in Britanniam (hunc enim mihi terminum liberalitas ejus constituit) me occupet, maxime ardente ejus laboris siti. In Priapejo videtur legendum:

Ille vocat, quod nos psolon, psoloenta ceraunon.

Est enim ψωλὸς verpus. Atque etsi nos eam vocem in Latinis non reperiamus, non est tamen incredibile in ejus generis epigrammatibus alicui placuisse, ut inter Latinas adscisceretur. Distuli has ad te dare, dum MS. Horatio insidior, sperabam enim me hesterno, dum patet bibliotheca studiosis, eum ablaturum inscio illo, qui summum in ea jus habet. Id frustra fuit, cum scripti omnes propriis armariis sint inclusi. Itaque etsi valde invitus homini quicquam debeam, tamen in tuam gratiam vincam pudorem meum, ut hominem compellem. De meo adventu nihil etiamnum est certi. Vale, Decus meum. Lugduni VI. Id. Sextil. CIↃIↃCLX.

In Hercule Oetaeo vers. 1821. Lipsius notat ex libro: *Ubi negata est.* Delrius scribit eum conjeciss̄e: *Ubi ei negata est.* Et sic editum in *Lipsii* notis a *Scriverio.* Ego suspicor codicem habuisse, Lipsiique manum fuisse: *Uni negata* est. Dissentio autem ab illo in adjecta vocula *Est.* Quanto enim rotundius: *Hic pax cruento rege prostrato data est, Uni negata.* Vel, *data, Uni negata est.* Considera adhibita, si quam habes, vetustiore Lipsii notarum editione. In eodem vers. 1792. *Totus uretur dolor*, conjicio *notus.* Nempe Junonis, hoc est, Ipsa Juno noto dolore uretur. Notavi ad marginem exemplaris mei, nescio quid ad eum locum notare *Barthium* ad Claudian. p. 823. Vide quaeso, quid illud sit: & nisi nimium est, transscribe. Quum haec scripsissem, nuntiatum est mihi legationem tibi esse decretam, quam ut tibi & reipubl. fortunet, Deum opt. max. veneror toto pectore.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

DE *Guideti* Seneca, recte te facturum opinor, censeoque scribas ad *Temuylium* vel tribus verbis, jubeasque ejus usum a *Menagio* petat. Quem codicem, Vir Clarissime, ut tempestive nanciscaris, hodierno die rem *Temuylio* commendes velim. Est enim in procinctu, excursurus ad nos mox, *Bullialdus*, quo latore codex ad te curari possit & tuto & cito. Petefem hoc ipse a *Menagio*, nisi scriptionis officio nuper admodum defunctus essem. Homerum Vossianum pro ingenti thesauro habendum censeo. Atque utinam ex discipulis tuis aut familiaribus nonneminem subornare possis, qui vicariam in ejus editione procuranda operam tibi praestet? Nisi feceris, laudem, ut praevideo, divulgati hujus tam docti commentarii Britanni sibi vindicabunt. Eustathium multa inde in commentarios suos transtulisse sum certus, cum fateatur ipse: persuasum tamen habeo non pauca illic supereſſe, praesertim μυθικὰ, quae Eustathius vix delibarit. De discessu amici nostri in Britanniam nescio an ante hyemem aliquid expectandum sit. Locum in Priapeis recte a te emendatum judico, atque adeo confido omnia in illo epigrammate jam bene se habere. Nam vers. 7. *nisi res non munda* vix satis explicat, quid velit, quare opinabar reponi debere, *merda huic non munda*. Dedecent enim salacissimum Deum, & cui crassa erat Minerva, circumlocutionum ambages, adde quod ipse apud Horatium dixerit, *merdis caput inquinet albis*. Lectioni Senecae tui necdum licuit incumbere, nisi quod hesterna nocte, dum somnum experior difficilem, nonnulla in Hercule Furente summis labris attigi, quae mire placuerunt. Choro actus primi disputari & quaeri ab interpretibus video,, quid intelligatur per *baccas Cadmeas*; at mihi vix est dubium *Cadmeas Bacchas* a Seneca nobis hîc loci datas esse, nec Thebanas intelligi debere, quanquam has quoque, sed Cadmi filias Ino, Autonoen, & Agaven, quae Pentheum discerpserint illo loco. Erat enim locus ille in agro Thebano notissimus, & peregrinis ostendebatur, ut ex Statio tuo liquide apparet: ad caedem Penthei illum respicere ut credam, versus ille facit, *Aspersa die dumeta rubent*, ac si occulte vellet, *quae ante Penthei sanguine aspersa rubuerunt*. Fuit etiam, cum scribenbum putarem, *incita Bacchis*, ut in illo versu, *plausuque pedum gemit incita tellus*. Sed hoc vix necessarium videtur. Dum has scribo, perferuntur ad me pagellae illae notarum ad Nasonem mearum, quibus *Fabrum* defricui. Vellem profecto vehementer hunc contentionis scopulum praeternavigare licuisset. Sed os homini semel obstruendum fuit, ne pergat imposterum sui similis esse. Illa occasione curam adhibui toto disticho lib. 11. Art. 659. illustrando, cujus primam

primam partem nemo, quod sciam, mendi hactenus suspectam habuit.

Si paeta est, Veneri similis: si flava, Minervae.
Sit gracilis, macie quae male viva sua est.

Paeti oculi in Venere commendati, in Minerva flavi. Notus Priapejorum versus, *Flavo Minerva lumine est, Venus paeto.* atqui Naso vult vitia puellarum proximitate boni alicujus excusanda esse. Si flavi igitur oculi in Minerva, in Venere paeti boni ac laudati sunt, cur non & in puella? Sane Naso excessum aliquem vitiosorum oculorum respexit, quod ex vulgata scriptura tamen non deprehendas: jam dixerat fuscas vocandas, quibus sanguis esset pice nigrior. Non multis te morabor. Scripti majori numero,

Si crassa est Veneri similis, si parva Minervae.

Quidam *Grassa*, & *Grossa*, & *laesa*, sed illi recentiores, & pro *parva*, unus *prava*. Conjeci igitur,

Si qua strabo est, Veneri similis, si rava, Minervae.

Nam omnium veterrimus Regius, *Si crasia est.* Militat pro hac conjectura locus Horatii libro 1. Sat. III.

At pater ut gnati, sic nos debemus amici,
Si quod sit, vitium non fastidire, strabonem
Appellat paetum pater.

Ravi quoque *oculi* pessimi habiti, ut ex Festo docemur, qui medii erant inter flavos caesiosque, quales Palladis credebantur. Pluribus hanc conjecturam in notis asserere sum conatus. De legatione conditionem nondum accepi. Habui a *Langermanno* nuper, quibus de adversa valetudine queratur, sequeexauctoratum a Principe Mecklenburgico post longas preces affirmet. *Lipsii* ad Senecam Notas habeo ex editione Raphelingiana CIↃIↃCLXXXIX. in iis quoque legitur, *ubi ei negata est.* De altero Senecae loco *Barthius* ad Claudianum censet, non esse eum culpandum cum Heinsio, esse enim eruditius dictum, quam sonare vulgo audiatur. Sic *famem pascere* Eucheriam dixisse Paraenetico ad Valerianum, *hoc interno ac salubri cibo disce animae famem pascere*, nihil praeterea. Mitterem nunc catalogum bibliothecae cujusdam mense proximo hîc divendendae; sed interpellor, mittam igitur proxime. Vale, decus nostrum. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLX. a. d. XI. August.

EPISTOLA CCCLIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagae.

CUstodem Palatini nostri Apollinis bis domi conveni. Ille contumeliam interpretatur, semper adiri abs te per allegatum, se etiam veterem familiarem

1 *Aut, Thysium*, Bibliothecae praefectum.

liarem tuum esse: denique cum heri in templo assidentem monerem, forsan hac hebdomade me istuc iturum, repetebat. *Ad me scribat.* Oportet huic ambitioni indulgeas, & ad ipsum des literas quamprimum, si habere vis. In Homero non poenitet laboris. Sed quod ego maxime venabar, quodque vos tam magnifice praedicastis, de fabulis alibi non proditis, frustra fuimus. Duos libros absolvi tanta diligentia, ut nullam literam me fugere volens passus sim: folium cum maxime LII. tracto: intelligo autem folia duorum laterum paginas: nullum nomen ibi fabulare occurrit, nulla narratiuncula, quae non sit eadem in Didymo. Verbum aliquando unum aut alterum discrepans, sed ita ut nunc scriptus, nunc Didymus editus meliora habeat. Tamen non poenitet operae, & velim me omnem percurrere posse. De *Cadmeis Baccis* an *Bacchis* scito eadem in mente fuisse mihi, & prioribus quoque interpretibus, ut videre potes vel apud *Farnabium*. Sed non potui mihi satisfacere. Itaque omisi rem, & distuli in alium diem. In loco Ovidii & miror te, & valde places. Vale, nobilissimum genus & ingenium. Lugduni a. d. x. Cal. Septemb. CIↃIↃCLX.

EPISTOLA CCCLV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

AD collegam tuum, quando aliter Horatius obtineri non potuit, scripsi, usumque desiderati libri in dies paucos popposci, qui tamen tanti non est, cujus causa excursum ad nos tuum differas aut trahas, Vir Clarissime, si collega tuus eum ad te mittere cunctabitur. Scholiasten Homeri votis tuis atque expectationi non respondere doleo, cum ego nunquam perlegi, aut evolvi, sed amico nostro de fabulis reconditis & penitus ignoratis magno illic numero occurrentibus multa jactanti credidi, fateor, & quidem temere, cum ille saepenumero in similibus os mihi subleverit. Exprobravi hoc illi praesente *Ludovico Fabricio*, viro doctissimo, & epistolam tuam majori ex parte praelegi. At ille confidenter dicta sua, quod mireris, etiamnum tuetur, atque asseverat, si nondum invenis fabulas aut historias ullas Didymo intactas, inventurum tamen te: nec quinquaginta paginas, quas pervolvisse te scribas, de toto opere sententiam posse ferri. Hoc quoque scholiasten suum laudandum, quod unicuique fabulae auctores suos adscribat, qui a Didymo dissimulentur. Caetera, quae narranda habebam, in congressum nostrum, rectius rejicientur. Si juvenem quem apud vos nosti ex candidatis Theologiae, qui & literatus sit, & verbum divinum utraque lingua, hoc est Gallica ac vernacula, coram populo interpretari possit, hunc mihi dispicias velim. Stipendium ei a republ. assignabitur. Inquirendum tamen occulte, nec mei mentio facien-

facienda: cum munus legationis Suecicae necdum admiserim, & fortassis admissurus non sim. Si admisero tamen, festinanda erit profectio ante hibernam tempestatem. Itaque in antecessum de theologo mihi prospicere volui, ne ea res moram objiciat properaturo. Vale & veni. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLX. a. d. XXVII. Augusti.

EPISTOLA CCCLVI.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

FRaudare te nolui lectione hujus epistolae, quam mihi nudius tertius a *Gudio* tulit tabellarius Parisiensis. Commendaram illi hinc discedenti Remensem inter alias bibliothecam, quod eam codicibus manu exaratis instructissimam esse in Burgundia e Divionensibus olim intellexissem, nec excussam esse ab hominibus literatis probe nossem. Secutus ille consilium meum, quos studiorum profectus illic fecerit malo ex ejus epistola, quam ex me intelligas: ubi perlegeris epistolam, ea ut ad me mox revertatur, da quaeso operam. *Bullialdum* die Lunae aut Martis proximo cum Illustrissimi *Thuani* uxore hîc expectamus. An Senecam *Guyeti* secum ferat, ubi venerit, faxo ex me intelligas. Juveni Gallo, quem mihi commendas, gratificari multis nominibus optem. Unus de sermonis nostri vernaculi cognitione est scrupulus, qua si vel modice sit instructus, cum alteri, quem *Scultingius* commendat, praetulerim. Tuum est hoc arbitrari. Si integrum tibi non est ad nos excurrere, vobis ego proximis diebus adero, quando pluribus de hac re agemus. Qui profectioni ad Suecos meae praefracte apud Amstelodamenses ac pertinaciter obnitebatur, victus est suffragiis universi Senatus, ac manum dedit. Postea Ordines Hollandiae me mittendum eo censuerunt, ac cum iis Zelandi conspirarunt. Reliquas provincias quoque consensuras auguror. Sed an profectionem auspicaturus sim ante tempestatem hibernam dubito. De Nasone quoque meo lentum est negotium. Notas ad Fastos meas jam describere inceperunt operae typographicae. Elzevirium Leidensem rogo moneas, famulo suo ad nundinas Francofurtenses profecto quamprimum in mandatis det, ut si quid fasciculi aut farcinarum tibi mihive inscriptarum ea in civitate acceperit, id ne caeteris adjungat farcinis, sed ocius huc secum ferat. Nam si Norimbergenses membranas Nasonianas meis usibus concesserint, eas ante profectionem Suecicam a me pervolvi est necesse, ac propterea festinandum, ne cum reliquis libris huc missae, ac proinde tardius perferendae, meis usibus subtrahantur. Vale, vir amicissime, & mihi bene velle imposterum perge. *Vossius* noster graviter aegrotavit: sed jam convalescit. Dabam festinus v. Octobr. Hagae Comit. CIↃIↃCLX. *Menagii* versus, quorum *Gudius* memi-

sit ac copiam mihi fecit, misissem una cum literis; sed eos mox reddendos *Christianus Hugenius* heri a me abstulit: redditos, si jubebis, mittam: ut videas non immeritas nimiae libertatis poenas amicum nostrum dedisse.

EPISTOLA CCCLVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

Quum *Limogius* noster, (hic est, quem *Fabricius* egoque nihil profecto supra meritum tibi laudavimus) negotii cujusdam causa Hagam excurreret, auctor illi fui, ut te salutaret. Nec renuit ille, & epistolam, quam alioqui debebam tibi, popposcit. Videbis an tibi satisfaciat. Legationem tandem bona fide etiam ab obtrectatoribus tibi decretam ex animo gratulor. *Guedii* literas vidi libentissime, & cum gratiarum actione remitto. Elzevirium monebo hoc ipso, opinor, die: nam proximum triduum domo egressus non sum corpusculi curandi ergo, quod horrores morbi minabatur. Cl. *Vossium* convalescere gaudeo. Cl. *Bullialdus* si secum tulerit Senecam *Guideti*, ut quam primum mittat, rogo, cures. Ne nihil tibi reddam pro epistola *Gudii*, en conspectum curarum *Mallingrodii* in Hieronymum. *Menagii* versus exspecto. Vale, meum & literarum unicum decus. Lugduni VI. Idus Octobr. CIↃIↃCLX.

EPISTOLA CCCLVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

TArdius ad tuas respondeo, vir summe, quam fieri oportuit. Sed dum *Bullialdi* nostri adventum ac congressum operior, officium scriptionis differre sum coactus. Is ergo, quod mirere, nihil mihi tibique a *Menagio* attulit, cum tamen tibi Senecam *Guyeti*, mihi Virgilium manu exaratum obtulisset. Credo hominem existimationi contra insultum Senatus tuendae intentum de promisso non potuisse cogitare. Accepi tamen poëmatum ejus novam editionem, pro quo munere cum gratias illi sim acturus perendie, de Virgilio non misso obiter mentionem injiciam. Si quid de Seneca *Guyeti* vis additum, tempestive monendus sum. *Limogius* me convenit, placuitque. Sed hominem sermonis Belgici vix gnarum, quî commendare possim Proceribus haud video. Nos de re tota coram aliquando confabulabimur. Nam de profectione mea, quantum video, lentum erit negotium. Mea enim interest me pedem hinc

Digitized by Google

hinc moveam, nisi lite judicata, quae sola me moratur, quod cum proceres nostri intellexissent, heroes *Wittius* ac *Bellimontius* instructi publica auctoritate Judices convenerunt, monueruntque interesse rei publicae, ut causae meae discutiendae suprema manus quam primum imponatur, idque se facturos judices sunt polliciti. Interim ambitiosis, quaeso, titulis abstine imposterum. *Menagii* versus hîc habes, cum *Gudii* epigrammate apologetico, nimis certe bono in mala caussa. De codice Norico multa magnifice amicus ille noster erat pollicitus, qua in re alienis potius oculis, quam suis, credidit. Est enim codex recentis notae. an castigatus sit & fidus, necdum affirmare possum. Mox intelliges. De codicibus Remensibus plus spero. Lucani tria exemplaria a *Rottendorphio* accepi, quatuor ab Illustrissimo *Thuano*. *Spanhemius* interim, ea de re non semel per me monitus, praefracte tacet. Utar igitur illis codicibus mihi. Anacreontem *Fabri* habeo, sed necdum perlegi. Meis in Fastos animadversionibus supremam manum post biduum triduumve typographi imponent. Vale, flos & ocelle elegantiorum literarum. Dabam festinus Hagae Comit. CIↃIↃCLX. a. d. xx. Octobr. Gregor.

Christianus Hugenius Lutetiam profectus est, ante discessum proposuit mihi castigationem in Nasone suam, quam puto esse verissimam, libro XII. Met. initio fabulae de singulari Achillis & Cygni certamine,

----- *Hectorea primus fataliter hasta,*
Protesilae, cadis: commissaque praelia magno
Stant Danais, fortesque animae, neque cognitus Hector.

Itane vero? non cognitus Danais Hector? qui virum fortissimum Protesilaum interfecisset? Legit feliciter, si quid video, Hugenius, *fortisque animae nece cognitus Hector*, ut per fortem animam Protesilaum intelligat, cuius paulo ante meminerat. Pro specimine editionis S. Hieronymi *Malincrotiano* multum tibi debeo: de *Capellani* nostri ode judicium tuum fac ex te audiam. Nam & ad illum proxime sum scripturus.

EPISTOLA CCCLIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

PRoxime praeteritis diebus uberius ad te scripsi, Vir Clarissime. Hasce nunc paucis verbis, & quidem festinans, sed magno cum affectu exaro, commendaturus tibi Nobilissimum hunc juvenem, cujus pater primis in republica Gedanensi dignitatibus fungitur, uti ex *Fabritii* nostri epistola plenius intelliges. Cum ante quinquennium in portum Gedanensem tempestate atrocissima compulsus in urbem aeger me recepissem, atque illic multo tempore decumberem, Pater fratresque generosi hujus juvenis plurimis officiis me sus-

profecuti, quibus paria facere cum non possim ipse, ad te alioſque amicos est confugiendum, ut officio partibuſque meis ſuccedatis, & egregiam animam omni ope praeſidioque veſtro foveatis. Vale. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLX. a. d. XXI. Octobr.

EPISTOLA CCCLX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ITa me circumſtrepunt diripiuntque adventores & auditores quotidiani, ut longinquis & abſentibus reſpondere parum poſſim. At te diutius carere minime decet, quae benigniſſime mecum communicaſti. Placuerunt autem omnia valde, in primis ode *Capellani* noſtri, quae & ipſius cum ingenio, tum fama & nobilitate digniſſima mihi viſa eſt. Vellem unum, non contemptos novos ſoceros. Sed in hanc partem apud ſuos peccare non poteſt. *Voſſius ὁ πάνυ* Homerum ſuum repetiit, cujus uſum certis verbis mihi conceſſerat uſque ad iter ſuum Britannicum. Si, quia ad inquirendum aliquid ipſe indigebat, facile patior: ſed ita ut quamprimum remittat, quod, ubi eum videris, te pro me oratorem eſſe velim. Conjectura in Ovidio non diſplicet: neſcio quid tamen retinet, ne extra aleam eam ponam. Gedanenſis mihi eſt eritque commendatiſſimus. Vale, mi Heinſi, & bene rem gere. Patribus cauſam tuam curae eſſe gaudeo. Iterum vale. VI. Kal. Novemb.

EPISTOLA CCCLXI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

PRo *Bigotii* epiſtola ad me remiſſa multum tibi debeo. Habes hîc *Menagii*; quam poſtulabas, ea quoque cum commodo tuo mox ad me revertatur licet. Ad *Tennuylium*, cum literarum non nihil dabis, memineris velim odes nuptialis a *Capellano* nuper editae, meaque opera tibi traditae, ut juſſus eram ab auctore ipſo. Poteris autem gratiarum actioni laudis nonnihil inſerere, ſi quod encomium verſus illos meruiſſe judicabis. Hoc officio hominem tui ſtudioſiſſimum demereberis, & ad res *Tennuylii* porro fovendas provehendaſque, quod multa cum ſedulitate fecit hactenus, de novo accendes. Si notum habes nomen bibliopolae Amſtelaedamenſis, apud quem vaenales exſtant *Reineſii* epiſtolae,

Digitized by Google

ſtolae, id, quaeſo, ut ſciam fac quamprimum. Vale, mi Gronovi. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLXI. a. d. III. Februarii.

EPISTOLA CCCLXII.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

Menagii epiſtolam vix ad te miſeram, cum ex proceribus noſtris maxima ſane cum voluptate intellexi, dignitatem illam, quam votis omnibus tibi deſtinabam, in te collatam eſſe. Serus tamen gratulator te accedo, quod mihi viſus ſim, longe majori jure hoc officio apud Academicos veſtros functurus, quam apud te. Ad quos, ſi bona ſua intelligunt, honoris tibi habiti pars potiſſima profecto ſpectat. Vnum doleo, integrum tibi per hunc magiſtratum vix fore, ut ad nos excurras, tuoque conſpectu, quo frui ante abitum in meis aedibus unice optabam, me quodammodo fraudari per demandatam tibi hanc de novo provinciam. Caeterum exactâ illâ ſedulitate tua atque accurata diligentiâ fit, ut nemini Leidenſium veſtrorum libentius moleſtus obſtrepam ac importunus, quam tibi. Duas accepi nuper epiſtolas, ex Galliis alteram, alteram ex Italia. Utramque ubi legeris, facile agnoſces, ut puto, nihil tibi cum iis negotii eſſe, ſed quicquid illic a me poſtulatur & contenditur, ad Cl. *Golium* majori ex parte pertinere. Atque hoc ipſo nomine nunc te compello, ut illi utramque harum, quas nunc mitto, epiſtolarum aut tradas ipſe aut tradendas cures, ſimulque effectum des, ut & de Indice operum *Vietae* ineditorum ſereniſſimo Etruriae Principi quamprimum gratificetur, & V. Ampl. *Bernardi Medonii* Senatoris Toloſani, de illuſtranda veteris Urnae inſcriptione, deſideriis ſatisfaciat. Character urnae inſcriptus eſt Arabicus, ni fallor, ſed antiquus. Nam quod eam ad Neronem trahunt, nugas maximas opinor eſſe. Sed vos videritis. Si aqua hîc haeret doctiſſimo *Golio*, alium eſſe apud vos linguarum Orientalium probe gnarum intelligo, cui *Niſſelio* ſit nomen. Vale, vir & amice ſumme, atque operam da, ut ambae mox epiſtolae cum reſponſione ad me revertantur, ne praeter fas & aequum preces hominum optime de me meritorum odioſa procraſtinatione ludam, aut fruſtari pergam. Senecam Tragicum quando videbimus? Dabam Hagae Comit. die x. Febr. CIↃIↃCLXI.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUod mihi gratularis hoc annuum collegii noſtri magiſterium, habeo gratiam. Sane ſi a multis annis hoc cuiquam nec cupido nec optanti obtigit inſperatum, is ego ſum: ſed non habuit omnem fortuna campum, in quo tu quoque ſuffragator fuiſti. Video umbram honoris, aliquid praeſidii ad rem familiarem, moleſtiae invidaeque ſatis, adverſum quas an ſemper hominibus, incertum eſt, animo certo meo & inſtituto, Deo benevolente, ſatisfecero. Ad *Golium*, quae jusſeras, ſtatim detuli, & tundere hominem non deſtiti, donec, quod vides, ab eo nanciſcerer. Tituli exemplum arbitratus eſt ſe jure ſuo retinere. De Pythagoricis non aufert omnem ſpem convertendi, ſed praecipuam difficultatem ait eſſe in nominibus propriis, quae ſic primum Arabes, deinde & librarii contorſerint ac depravarint, ut quid Graece ſonent, aegre poſt multam meditationem reperiatur. Senecam operae, vel earum dominus, morantur. De centeſimis uſuris & unciario foenore Αντεξήγησιν dedi alii typographo, & jam tria folia ſunt expreſſa. *Capellani* memor ero. Nomen bibliopolae, unde emptae epiſtolae *Reineſii* ſunt, eſt *Pieter van den Berg*. *Glandorpius* in Onomaſtico ſcribit *Rob. Titium* lib. I. controv. locorum cap. IV. legere apud Feſtum: *Raviliae a ravis oculis, quemadmodum a colore fuſco Sullae.* *Scaliger* ad Feſtum hoc *Turnebo* tribuit. Velim ſcire, utrius putes, & ut verba *Titii* in hanc rem deſcribi mihi cures. Vale, vir nobiliſſime, animo & genere, & me ama. Lugduni a. d. XIII. Cal. Mart. CIↃIↃCLXL.

Nobiliſſimum *Voſſium* plurimum ſalvere jubemus ego & *Junius*, qui grates illi agit ingentes, nec poteſt induci nunc quidem, ut delatam conditionem accipiat. Hoc coram illi vel ego vel ille renuntiaſſemus, ſi redux Amſtelaedamo domi nos heri inveniſſet.

EPISTOLA CCCLXIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

DE urnâ veteri rem diligenter a te curatam eſſe gaudeo apud Collegam tuum, Ampliſſime & Magnifice Vir: quo officio cum me, tum *Medonium* quoque, hominem tui ſtudioſum imprimis ac obſervantem, demeruiſti.

De

De indice operum *Vietae* ineditorum vellem pari passu negotium processisset: quem si a *Cl. Golio* frustra speramus, aut a *Schoteni* ϗ μακαρίτου fratre, aut a *Johanne Elzevirio* obtineri posse non despero, nisi is a civitate nunc abest. De Pythagoricis Arabum scriptis promissa *Golii* flagitare & convenire *Datus* non desinit: cui praecipuae curae est, ut ipsos libellos Arabicos consequatur, si sermone Latino donatos impetrare non dabitur. Nec quicquam causae est, cur morae multum nectat *Cl. Golius* in depravatis nominibus propriis; quae in integrum restituenda & vindicanda a mendis ipsi *Dato* malim relinquat. Affinis tuus ad me scribit, se nunc in Porphyrii Pythagoricis occupari, quorum codicem vetustum ex Memmiana bibliotheca depromptum sit nactus. De centesimis usuris quae commentatus es, avide expecto. Locum Festi *Titius* libro I. cap. IV. locorum controversorum adducit, sic ut in epistola tua exhibetur, quo vulgatam in Plutarcho scripturam contra castigationem *Sigonii* tueatur. Sed nihil in Festo se mutare aut corrigere monet, aut addit, ut verisimile sit *Turnebi* conjecturam esse, quod tamen ex indice adversariorum haud liquet: disputat autem *Titius* contra *Sigonium* super nomine *Sullae*, quod is in vita Coriolani, ubi agitur de cognominibus Romanis, Σίλους, ἄντι ϗ Σύλλας reposuisset, contenditque nomen Sullae a colore corporis derivari. *Holstenium* graviter aegrotare, & tantum non conclamatum esse narrat *Bigotius*. *Silverstronius* ex Suecia redux, asseverat Heram suam Aprili mense nobis adfore. Quae *Vossio* nostro significari jubes, significabuntur. Vale, decus immortale literarum. Dabam Hagae Comit. CIƆIƆCLXI. a. d. XIX. Febr.

Sed heus! *Menagii* epistolam, quam nuper a me flagitabas, necdum ad me rediisse velim memineris.

EPISTOLA CCCLXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

JUssit noster *Graevius*, ut hoc commentarii in Statium *Barthiani* specimen ex Germania recens allatum ad te mitterem. De Adversariorum tomo inedito necdum decisa lis est. Quid ex Italia nunciet *Bigotius*, ex ipso, quam ex me malo intelligas. Quare literas ipsas hîc mitto, sed ea lege, ut ante diem Mercurii proximum ad me revertantur, cum responsum illis sine mora sit parandum a me, ne id Romam perferatur, post amici nostri ex illa urbe profectionem, quam ante festum paschale parabit. De Indice operum *Vietae* edendorum aurem rursus tibi vello, aut si nihil expectandum est a *Schotenii* fratre & ab *Elzevirio*, fac id sciam quamprimum. Bacchanalibus hisce si diem alterumque poteris vacare mihi, & ad me excurres, multum me demereberis. Lectissimam quoque uxorem quominus hospitam mihi adducas, nihil, ut opinor,

opinor, obstat. Commentarium tuum de centesimis usuris sac brevi videamus. Vale, Vir Magnifice, dabam Hagae Comit. CIↃIↃLXI.

De *Menagii* quoque epistola velim memineris. In *Schotenio* aut *Elzevirio* compellandis operam vicariam doctissimus *Junius* non invitus tibi, ni fallor, praestabit.

EPISTOLA CCCLXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

DE Arabicis Pythagoreis diem profert, & spem convertendi redintegrat possessor. *Scoteni* fratrem percontatus sum: negat putare *Vietae* alia habuisse aut novisse fratrem, quam quae ediderit: tamen schedas ejus se perlustraturum. A *Golio* antehac accepit, *Spagnetum* fuisse Senatorem Burdigalensem, qui complura inedita *Vietae* habuerit, & missurum huc, ut typis describerentur, pollicitus fuerit: eum postea excidisse gratia regis, & Burdigala exsulare jussum: inde nescire, quid homini, quidve scriptis illis acciderit. De *Menagii* & *Bigoti* literis amo te plurimum. Priores quod accipis tardius, memoriae & festinationis meae vitium est. Auxit hoc triduo negotia nobis *Capuzellus*, qui fatuus, quum & capite census esset & proletarius, putavit decoquere sibi licere: quod jure suo primae centuriae faciunt. Hodie Deo volente primum praesidebo in tribunali, & offendendum aut [1] dextrum aut sinistrum cornu; medii nihil est. Non sum avidus simultatum, nec modestiae, ut spero, fines egrediar: sed quia evadere non possumus, ita potius agamus, ut si qui oderint, bonos tamen viros fuisse sentiant. Tibi, puto, probabo rationem meam. Vale, mi Heinsi, Lugduni VI. Non. Mart. CIↃIↃCLXI.

Ad *Spanhemium* scribendum est. Puto me optime per te literas commendaturum *Grotio*. Iterum vale, decus meum.

1 Haec ut intelligant lectores, sciant in Senatu Juridico Academico primum locum Rectori cedere, qui ad dextram habet quatuor ex Professoribus Assessores, ad sinistram quatuor urbis Consules, & duos Scabinos. Quod vero se non posse utriusque cornu gratiam tenere queratur Gronovius, idem nobis adhuc evenire solet, qui saepe memores inde iras sentire cogimur, cum solius aequi & legum rationem habendam esse censeamus.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

A *Spanhemio* has hoc ipso temporis momento accepi, quibus cum perendie sit respondendum, nihil tamen te ignaro atque inconsulto agendum mihi putavi. Quid responderi velis tute praescribe, de tuo enim capite comitia, ut vides, habentur, & de tuo corio luditur apud Heidelbergenses. De indice operum *Vietae* ineditorum non posse me gratificari Etruriae Principibus vehementer doleo. Egi ea de re hesterno die cum ipso Elzevirio, cum forte in hac civitate se mihi obvium dedisset: sed & ille perplexe dubieque respondet. De *Chapuzello* risum movisti. Fatuum tu appellas, & subscriberem ego huic elogio, nisi homines longe magis se fatuos invenisset, de creditoribus me loqui facile intelligis, quamvis Sphingem domi non habes, quae hariolari te doceat. Vale. Dabam praecipiti calamo. Hagae Comitis. CIↃIↃCLXI. a. d. III. Martii.

EPISTOLA CCCLXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

IGnoscendum viris bonis, quando, ut praeco Granius, non contemnunt se. Nec necesse est, ut nos contra fastidiamus. Ego in fine epistolae adjeci post illam scriptam te egisse mecum, & me aegerrime ferre, quod non equis, velis. Sed cogitare ipsum jussi, uxorem me habere, & ex priori conjugio quatuor liberos: illam haeredes, hos avitam haereditatem habere Daventriae. Hoc tantum, & his poene verbis. Tu adde, quae videbuntur, dum ne illos videamur spernere. Vale. Lugd. Batav. CIↃIↃCLXI. a. d. v. Martii.

1 Ex his discimus, actum fuisse a Palatino Electore de evocando *Gronovio* in Academiam Heidelbergensem.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXVIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

NArro tibi, Magnifice & Celeberrime Vir, *Holſtenium* noſtrum e vivis exceſſiſſe, maxima ſane jactura rei literariae. De operibus ejus poſtumis in lucem proferendis cum cogitent Cardinalis *Barberinus* & *Bigotius* noſter, atque horum nonnulla typis noſtratibus deſcribi velint, tu quid cenſeas ante explorandum duxi. Jamblichum & Hieroclem non opinor multum vendibiles fore. Stephanum Byzantium & Geographos inéditos reor praeſtare ut ſeligamus. Sed tu videris, quid de te polliceri aut poſſis aut velis. Nam me in Sueciam avocari meminiſti. Certe ſi rei literariae commodis conſultum non cupis, quod te cupere, & quidem maxime, ſum certus, & aliquid gloriae popularis tui dandum eſſe haud ignoras, nec pietati erga illum tuae defuturum te auguror. Caetera *Bigotii* ipſius plenius te docebit epiſtola, quam hîc mitto. Mitto & alteram, quam a *Gudio* accepi heſterno die. Perendie ſummo mane *Bigotio* ſum reſponſurus, nec procraſtinationem res permittit, cum ille Roma ante exactum quadrageſimalis feſtum jejunii ſit diſceſſurus. Fac ergo, ut vel tribus verbis die craſtino intelligam, quid reſponderi velis. Vale, & me totum tuum ama. *Spanhemia* tuas jam miſi. Dabam manu praepropera Hagae Comit. CIↃIↃCLXI. a. d. IX. Martii Gregor.

EPISTOLA CCCLXIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Eodem.

CUm pedem jam fixerim in Sueciâ, Vir ſumme, ejus rei ſi te ignarum eſſe paterer, nequaquam facturus videbar pro arctiſſima neceſſitudine, quae mihi tecum interceſſit hactenus. Occurri in ipſa via Reginae noſtrae, quae omni officiorum genere me proſecuta eſt, ſic ut invitum quodammodo ac nolentem compulerit ad relegendum leucarum quatuor Suecicarum iter; idque in Halandia provincia. Helmaeſtadii diem unum eſt morata, quod dolores dentium cauſaretur. Adfui illic ei aſſiduus, atque una pranſus ſum. In viâ multus nobis de te ſermo fuit, rheda enim ſua me exceptum interrogabat plurima cum cura, quid tu, quid caeteri homines apud nos literarum periti ageretis. Opuſcula *Holſtenii* poſtuma, Stephanum Byzantium imprimis ut ederes, officii

tui

Digitized by Google

tui contendebat esse, seque per literas hac de re tecum velle agere asseverabat. Hamburgi in autumnum proximum est moratura, inde per Bataviam nostram iter Romanum meditatur. Mores & sermones satis compositos prae se ferebat, tum literarum quoque amorem. Mortem *Holstenii* multum deplorabat, ac querebatur eo e vivis sublato vix esse, cui bibliothecam suam posset committere. Commendavi illi *Meibomium*, quod is Hafniae paulo ante me convenisset, nonnihil jam mutatus ab illo Hectore, qui arroganter omnia solebat agere, orbatus enim *Gersdorphio* patrono, alium circumspicere se haud dissimulabat, cujus in clientelam transiret, aulae Danicae pertaesus, & egestatis, cum qua nunc ibi conflictandum est. Admisit commendationem Regina: petiitque ut per literas cum *Meibomio* hac de re agerem. Sic post protractos in multas horas sermones ab illa discessi, quod Holmiam mihi esset contendendum; ipsa Danicum iter prosequeretur. Omnia ex sententia apud illam cum mihi cesserint, illud unum parum pro expectatione contigit, quod in aere meo se esse non quidem inficiabatur, sed dissimulabat. De paterno negotio, cujus ipse mentionem injiciebam apud proceres Suecicos a me urgendi, sic differebat, ut cum multo rubore culpam suam agnosceret, seque male omnino de me meritam fuisse fateretur. Cum asseverabam, eo nomine me peccasse, quod rarius se curis gravioribus distractam de hoc negotio interpellassem, cum totos interim dies a praefrictae frontis hominibus obtunderetur, reponebat, modestiam meam non debuisse mihi nocere, seque pudere facti indignissimi, quod si revocari posset, libentissime se mihi gratificaturam. De successore suo sic loquebatur non semel, ut notis minime occultis ejus odium proderet. Praesertim temeritatem ejus culpabat, stultitiam, ut verbis ejus utar, qui nostros homines infensos sibi reddidisset, & cum illis navali certamine ausus esset congredi. De praelio Finonico laudabat fortitudinem & bellandi peritiam in milite nostro, tum addebat, τὸ δεινὸν primum omnium orbi universo revelasse horribile arcanum, Suecos videlicet non esse invictos. Plura hujus generis commemorare possem, si essent ea hujus loci. De litis meae eventu cum ultro me compellaret, respondi victoriam adhuc ambiguam, ac in dubio palmam esse. Sed quid si succumbas, inquit, herbamne porrecturus es adversae parti, & in judicum sententiam concessurus? Minime, inquam, cum pateant non quidam altae caliganteque fenestrae, quod ille ajebat, sed amaenissima terrarum Italia, & tuum patrocinium, quo confugere possim. Subrisit illa, & accipiens omen, utinam hac lege vincaris, ait, hospitemque me sibi fore longe gratissimum addidit. Ita frontem ultro citroque in via exporreximus. In laudibus meis ad nauseam usque apud Italos suos operosa erat. Me scilicet unum esse, quem Latinae Musae hac tempestate benigniter respexissent. Dum sic nugabatur illa, vix a risu temperare mihi poteram, cogitans ac mecum perpendens, quanti laudes illae mihi constarent. Mallem certe gratis negligi ac contemni, quam praeconiis tam pretiosis cumulari. Et haec hactenus. *Elzeviriis* Amstelaedamensibus in mandatis jampridem dedi, ut Nasonis mei exemplar quamprimum ad te mitterent, quod ab illis jam factum esse opinor. Scis

Digitized by Google

ipse, quam non defaecato animo me accinxerim ad notas & castigationes in hunc poëtam meas chartae illinendas: quas curis secundis aliquanto limatiores dabo. Tuam interim censuram avide expecto. Non enim dubium mihi est, quin multa improbaturus sis in istis observationibus. Lucani Amstelaedamensis cum editis codicibus conferendi si memor es, bonum factum est. Ego exemplaria ejus membranea quinque Hamburgi apud *Langermannum* nostrum inveni, & diversas lectiones ex totidem codicibus excerptas. Jamque multa restitui non infeliciter, ut mihi visus sum, in hoc scriptore, partim ingenii alis innixus, partim membranarum fretus auxilio, de quibus alias tecum agam. Regem & Reginam matrem ab hac civitate absentes necdum salutavi. Senecam tuum impatienter expecto, illum, & si quid praeterea ad me voles, Elzeviriis Amstelaedamensibus crede. Codices nonnullos ex *Rhodianis* Hafniae apud haeredem ejus *Thomam Bangium*, Theologiae professorem, vidi, atque in his Livianos tres quatuorve, & Senecae philosophi unum, qui Cardinalis *Bembi* fuisse dicebantur, non tamen antiquos. Si quid ex Galliis aut aliunde rerum novarum didicisti, imperti quaeso. Vale, flos literarum. Dabam festinus Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXI. a. d. XI. Junii Gregor.

VV. CLL. *Rufius*, *Vorstius*, *Golius*, & *Bornius* ut exemplar Nasonis ferrent meo munere, Elzeviriis injunxi: officium si negligunt, ejus quaeso admoneantur.

EPISTOLA CCCLXX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

TEneo tandem & eum sacro horrore tracto Ovidium, tersum, politum, & ut illi loquebantur, sub ascia dedicatum: qualem ante mille & quingentos annos si legerunt Romulidae, magnum est. In Notis vero quid prius mirer? laborem inaestimabilem? an divinandi in tam perplexis ambagibus sagacitatem? an multiplicem reconditamque eruditionem? an tot lectorum locorum memoriam? an tot alios auctores feliciter restitutos, ut vel sine Ovidio satis glorioſum tibi volumen facerent? Denique penu quoddam uberrimum omnis Latinae elegantiae nobis dedisti. Tanto in publicum merito addidisti amplum mihi, ut & in parte operis aeterni titulum mihi poneres, & passim hoc nomen velut adjutoris celebrares.

Tunc & meas respexit Alcides manus.

Scis ubi dicat Theseus: sed ille necessitate, tu benevolentia: quam propemodum praefers nimiam, & quae mihi benigne tribuis, gratiae suspecta reddis. Sed & hoc mihi proderit hactenus, ut placabiliorem invidiam experiar: ego interim & pro ipsa benevolentiâ satis tibi debeo. *Rufio*, *Vorstio*, *Golio*, *Bornio*, quae jussisti, exemplaria tradidi: & illi grates magnas agunt, *Vorstius* etiam se

Digitized by Google

se scripturum pollicitus est. Congressum tuum & colloquium cum Regina legi summa cum voluptate. Si Stephanus *Holstenii* huc mittetur, satis confido nos inventuros typographum. Lucani lib. 1. contuleram exiguo fructu, cum institerunt reposcere Amstelaedamenses. Tragoedias Senecae (in quibus cura nostra tantum relinquitur a tua proxima, quantum ab Ovidio Seneca) nihil moratur, praeter picturatum instar Indicis. Fac proximis tuis nomines mihi, ut feciſti antehac, quem procuratorem suscipiendis, quae ad te destinabuntur, Amstelaedami constitueris: nam & apud *Vossium* e Gallia est fasciculus, quem cui commendemus, ignoramus. *Tan. Fabrum* expleviſſe mortalitatem Cadomo scribit mihi *Mat. Beuningius*. Est hîc familiaris ejus, qui narrat hominem a convictoribus ac discipulis collegisse paucis annis 50000 flo. & non inopia, sed lucri desiderio, & illius pecuniae fiducia petisse locum inter mancipes: habuisse etiam emptum 12000 fl. suburbanum, quo saepe excurrere & mirifice delectari sit solitus. Laboribus perpetuis eum succubuisse putat. Evasit ille quidem sensum poenae, quam sibi pro tanta malignitate debebat: fatendum tamen est literas in eo haud mediocre damnum feciſſe. *Heribertus* quoque noster, si hoc ad curam tuam pertinet, nuper decessit, postquam triduum siccus esse, & aversari vinum coepisset: jamque ab tuto bonis affinibus agnoscitur. Rittershusiani codicis ob morosum dominum spem omnem tibi praecidit *Arnoldus*. Vale, ingens literarum incrementum, & Deo juvante effice, ut qui virtutem tuam & studia reveriti non sunt, revereantur in republ. gerenda felicitatem, Lugduni in Batavis a. d. XVI. Cal. Sextil. CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA CCCLXXI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

DE affectu erga res meas meaque studia tuo nunquam dubitavi, Vir summe: non enim poteram nisi ingratissimus. Quod tamen tam profusis laudibus meos in Nasone illustrando conatus ornas, non praeter expectationem solummodo meam est, sed spem quoque omnem longe excedit. Fuit, fateor, non minimi laboris ac taedii in tanta veterum membranarum sorde tanto tempore jactari ac volutari, sed quis haec digne praeter te unum aestimabit? Ingenii ac eruditionis laudem aut nullam in hoc opere, aut admodum exiguam mihi vindico. Plurima etiam meliora fieri posse curis secundis & scio, & meliora, si Deus vitam concedet, praestabo. Caligavit mihi in densissima quisquiliarum nube frequenter animus, effecitque, dum minutiora nimis anxie consector, ut quae majoris momenti erant nonnunquam minus feliciter sim assecutus. Partem operis non minimam, & in qua omnium feliciſſime sum versatus, tibi inscriptam dicatamque volui; quod curis secundis plenius apparebit,

quando praeliminari epistola mihi eris compellandus. Nunc instituti hujus vicem nomen tuum occupavit, ac palam facit in hoc majoris operis gustu, quid postea sim facturus. Inchoatus certe labor nunquam me fatigabit, quamdiu exemplaria probae notae in manus meas de novo venient, quorum ope tersior prodire possit hic auctor. Viris Clarissimis, collegis tuis, *Rusio*, *Vorstio*, *Golio*, *Bornio*, grata fuisse exemplaria gaudeo. Apud *Golium* utinam de impetrandis Arabicis Pythagoreorum scriptis aliquid proficias. A *Dato* totis jam sex mensibus nullas accepi, cum soleret ante diligentissimus ac frequentissimus scribere; metuo misere, ne hominem tot irritis pollicitationibus offenderim, qui in mea causa semper officiosum ac paratum se praestitit. A *Bornio*, cum occasio feret, repetas velim *Nardii* in Lucretium commentarios, & *Septalium* de cura rei familiaris, quos ille libros jamdudum apud se servat, cum centies interea temporis eos perlegere potuerit. *Nardii* quoque commentarios a *Brunello* munus jampridem accepit, ut meo exemplari commodum carere possit. *Fabricium* nostrum Hamburgi fuisse *Langermannus* me docuit, eum postea in latrones incidisse, atque amissis sarcinis vix sceleratas evasisse manus, rumor nescio quam verus ad nos tulit. Regina optime se mihi velle fingit, sed non egò credulus. Claudianum secundae editioni adornare incipio. Si illa aeque negligenter res meas curat ac promovet, ut fecit hactenus, etiam hîc novum patronum mihi fore quaerendum video. Aurem illi super debito vellebam nuper. Hodie officiosas ad illam scripsi literas, ne me hirudinem argentariam appellet, etiam de Stephano Byzantio tuae curae credendo monui. Si nihil respondet, non patiar me diutius vanis promissis ludi, quae *Silvercronius* pleno ore jactare non desinit. Senecam tuum impatienter expecto: quare fac, quaeso, quamprimum is ad me perferatur. Quicquid ad me voles, nulli tutius, quam *Elzevirio Danieli* aut *Ludowico* commiseris: cum illi frequenter ad me & scribant, & sarcinulas mittant. Literas etiam tuas *Strykero* in eadem civitate degenti possunt tradere, cui munus incumbit, singulis ad me hebdomadis publico nomine scribendi. In Lucano Amstelaedamensi si perdebas operam, quod totum cum vulgatis libris non contulisti, recte atque ordine à te factum est. Ejus codices viginti jam aut plures antiquos evolvi: nec multum inde frugis hausi. Unus Vossianus instar omnium est: in quo lectiones aliquot optimae exstant, quas frustra alibi quaero. Ex ingenio nonnulla in melius mutare sum conatus. Versus multos adulterinos deprehendi, quos miror virum summum *Hugonem Grotium* fugisse, de quibusdam tamen non miror, ut de illo loco sub finem operis, ubi de Pothini morte, qui sic legendus

----- *non factum meriti poenasque Pothini*
Distulit ulterius, sed non, qua debuit, ira;
Non cruce, non flammis, rabido non dente ferarum,
Magni morte perit

Nam iste versus ante ultimum insertus,

Heu facinus cervix gladio male caesa pependit,

Ineptus est, & totum loci acumen atque elegantiam plane intervertit. Quasi vero

vero nemo intellecturus esset, qua morte ceciderit Pothinus, cum Magni eum morte cecidisse dicat, nisi cervicem ei gladio abscissam esse addidisset: deinde quid hoc est, *gladio cervix male caesa pependit? pendere* pro *nutare* alicubi dixit Lucanus, sic *domus* illi *pendent*, quae ruinam minantur. Sed hoc hîc locum non habet. Illud elegans ex Vossiano Codice, quod pag. 132. Notarum in Metamorphoses protuli de *percutiendi* verbo textorio: illud etiam libro IX. Lucani vers. 475. *Stat certior illic*

Jupiter, ut memorant: non *corniger*, cum *tortis cornibus Hammon* mox sequatur, quae ταυτολογία prorsus inconcinna est. Erant plura, de quibus alibi. Nam illud quod conjeceram libro II. pro *Hinc & Sidoniae gentes* legendum esse, *Hinc Essedoniae gentes*, non *& Sithoniae*, ut alii voluere, plane confirmant excerpta veterrimi codicis S. Germani a *Langermanno* mecum communicata, in quibus, *hinc Isadonine gentes*, etsi reliqui omnes a me inspecti pro vulgata stant lectione. *Fabrum* obiisse nollem, erat enim, ut tu recte censes, qui ornare literas posset. Interim spero censuram meam alios officii admonituros, si illum admonere non potuit intempestiva morte praereptum. Pluribus volebam garrire tecum, sed urget abitum tabellarius. Vale, vir & amice summe, & frequentes fac in ista, quîcum nunc luctor, solitudine, & a te & ab aliis amicis videam. Dabam manu praepropera. Holmiae Suecorum A. CIↃIↃCLXI. a. d. XX. Augusti.

EPISTOLA CCCLXXII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

VIr magnifice & clarissime. De Theologo, qui verbum divinum & mysteria religionis nostrae in aedibus meis interpretetur, negotium mihi commendare non desinunt, quotquot ritibus ecclesiae nostrae in hac urbe initiati sunt. Et quia proceres nostri de stipendio rem ab aerario suo videntur velle amoliri, ut frugalitati impense nunc studeant, promittunt illi, qui Theologum desiderant, ex suo censu annuum illi stipendium trecentorum scutatorum fore praestandum: praeterea de victu illi prospiciendum fore suis impensis, si ne eas quidem in se receperint proceres nostri. Vides conditionem satis lautam, quae in scutatos quadringentos augeri atque excrescere possit, si Gallici sermonis etiam sit peritus, ac duplici idiotismo seu sermone, hoc est tam Gallico, quam vernaculo, sacras scripturas commode interpretari possit. Erunt praeterea in promptu alia emolumenta, de quibus polliceri nihil nunc volo. Id dixisse sufficerit. *Ludovici Geri* Theologum Bernatem domo, qui post duodecennem moram nuper hinc discessit, abiisse ditatum censu octies mille ad minimum scutatorum. Communica quaeso rem cum amicis, & vide, an hominem idoneum inve-

invenire possis, sed ita ut alienae commendatiori parum, tuis auribus plurimum hîc tribuas. Ex eorum numero, qui Curios simulant, neminem desidero. Juvenem probum, pium, literatum & disertum inveniri opto, qui sine ostentatione ac rigidâ severitate divinis praeceptis inhaereat. Atque haec de Theologo. A *Scheffero* epistolam habui nudius tertius, qui & salutem tibi plurimam dicet, & Senecam tuum avide ac impatienter a se desiderari testatur. Secundae Nasonis editioni manus jam nunc admovissem, nisi ab hoc instituto me publicae occupationes avocarent, quae solito nunc densiores instant, sub hybernam tamen tempestatem, mari videlicet clauso, nonnihil, nisi fallit augurium, remissurae. Horis tamen subsecivis vix temperare mihi possum, quin ad hoc pensum identidem recurram. Istis cogitationibus ubi totum me dabo, fore praevideo, ut observem multa, de quibus primae curae non cogitaverant. Notis ad Epist. Heroid. IX. vers. 78. *Aequaque formosae pensa rependis herae*, multas diversas lectiones ex codicibus antiquis congessi, qui locum de mendo suspectum reddunt. In additis tamen, vulgatam lectionem ex illo Propertii tueri conor,

Et graviora rependit iniquis pensa quasillis.

Nunc adducor ut credam Nasonem scripsisse,

Netaque famosae pensa rependis herae.

Consule diversas lectiones a me prolatas, & scripturae hujus vestigia in iis deprehendes. Est autem id verbum saepe corruptum, ut Notis ad Eutropium Claudiani, & Nasonianam Ibin jam docui. Ad Epist. XVII. vers. 16. *Nec sedeo duris torva superciliis*, *Nec videor* in aliis scriptis legi jam monui. Utrumque otiosum videtur. Opinor autem ab oscitante librario primum fuisse exaratum, *rideo* pro *rigeo*, atque inde *videor* & *sedeo* fuisse conflata: versu proximo non placet illud, *Fama tamen clara est*. Otiosum enim est, quod famae celebritatem hîc jactat, cum de pudicitia sua agit. Quare vide ne scripserit Naso, *Fama tamen cara est*. Caram habeo existimationem meam. Famae studeo. Sed haec levia. Not. ad Metamorph. XIV. vers. 334. *Ancipiti Jano*, multi ex melioribus scriptis *Jonio Jano*. quod interpretari sum conatus, nunc parum abest, quin *Inoo Jano* censeam scribendum esse. *Janus* enim Palaemon seu Portunus nonnullis dictus. Vide duas inscriptiones apud Gruterum pag. XCV. & Festum in *Claudere*. Quid quod Venilia, quae uxor Jano hîc datur, nonnullis Salacia est dicta, ut Varro nos docet libro IV. de LL. & Servius ad vers. 76. libri X. Aen. Quae omnia in Notis nostris pluribus adstruemus. Est enim tota Jani Historia valde etiamnum intricata, & quam non nisi obiter tangant, qui de diis Gentium ex professo scripsere. Sed quid Marciano Capellae agemus, qui initio operis *Argiopam Jano* dat *uxorem?* quod nomen alias mihi non est lectum, nec dubito mendosum esse, ut alia infinita in scriptore doctissimo, sed pessime, si quis alius, habito: cui utinam manum aliquis admoveret! Castigavi certe plurima ex ingenio nuper illum percurrens, & si vacaret attente singula examinare, nulla esset pagella, in qua non errores multos possem exhibere commissos: quid pag. 8. ed. Grotii, sibi volunt illa? *tertia liventis plumbi*

bi fusili robore videbatur. Nisi me fallit conjectura, scribendum, *rodore* vel *rodo.* Nam *Rodus, raudus* & *rudus* dicebatur: *plumbi paxillum rodus* Lucilio apud Festum, quem vide in *Rodus*, atque illic Scaligerum. Simile mendum sustulit ex libello Apulei de deo Socratis elegantissimus Mercerus p. 94. *non secus quam plumbi rodus, & lapis suopte nisu caducae terris illiderentur.* Apud eundem Marcianum pag. 336. quid illud?

Artes creagris vix amicas Atticis

Forte *theatris Atticis.* Sed verius *choragis*, oblique perstringit Satyrico dente Athenienses, tanquam scenae addictos. Sed in toto illo carmine nihil sani est, quod alibi emendare conamur. Nunc ad Lucanum, in quo nunquam placere mihi potuit libro VI. vers. 356. *Atque olim Lariſſa potens*, quare minimum abest, quin refingendum censeam, *Atque soli Lariſſa potens*, nimirum, ut in superioribus, ita etiam hîc Homericum epitheton est aemulatus, cui Λαρίσσα ἐριβωλαξ non semel dicta, quod & Horatius imitatur illo, *Lariſſae campus opimae.* Libro. VII. vers. 607. *Jam Magni deseris arma, Succeſſor Domiti?* Acuta sunt & docta, quae vir maximus illo loco protulit, veriora tamen fortassis, quae nunc ego in medium fero. Scripti fere omnes *Succenſor.* Optimus Vossianus *Succentor. Succentorem* belli civilis vocat, quo modo, *tubam belli* & similia dicimus. *Succentores*, qui alteri praecinenti accinebant, ita oblique secundas Caesari in bello civili facit Domitius, Pompejus primas. *Succentores* quinam dicti, docet Varro libro I. cap. II. de RR. *Incipit nempe hic philoſophiae magiſter sive Stoicus, ſuccinit beatulus hic, sive diſcipulus.* Papias, *Succentor est, qui subsequenter canendo respondet.* Horat. libro I. Epist. XVII.

Est fundus nec vendibilis, nec pascere firmus,
Qui dicit; clamat, victum date succinit alter,
Et mihi dividuo findetur munere quadra.

In *choris incentiva dextra, succentiva sinistra. Magni* igitur *Succentor* Domitius, qui Magno assentabatur. Plura ad rem in Adversariis congessi.

Sed desino ineptiarum, quarum me non omnino paenitebit, si tuarum vicissim observationum aliquid elicuero. A *Bigotio* nuper habui Mediolano missas, quem jam ad suos reversum esse arbitror. Ait literas *Octavii Ferrarii* apud *Bernandinum* sibi visas fuisse, quibus significat adfuisse sibi *Spanhemium* nostrum. Addit praeterea quatuor postremos Polyaeni libros in gratiam *Graevii*, a se cum codice Vaticano collatos esse, unde multa praeclara eruerit. Themistii quoque Ambrosianum codicem se excussisse magno cum successu, idque in gratiam *Cossardi*, cujus Themistius Lutetiae jampridem sub praelo sudet. Vide ut ab *Boeclero* obtineas aliquando excerpta, aut diversas lectiones, ex codice Epistolarum Senecae Argentinensi, qui longe veterrimus in publica civitatis illius asservatur bibliothecâ, vocibus ut plurimum inter se cohaerentibus exaratus. Amicos omnes jubeo salvere. Cl. *Bernium* velim cogitare de Lucretio *Nardii* restituendo, & *Septalio* de cura rei familiaris. Scripsi etiam ad Syndicum juniorem Leidensem, & libros duos tresve repetii, tibi tradendos, cujus opera ad me perferantur. A Clariss. *Golio* nihil expectandum video, de toties pro-

missis Arabicis Pythagoreorum scriptis. Metuo ne haec repulsa amicissimo *Dato* me invisum fecerit. Totis enim octo mensibus nihil ad me scribit, qui solebat esse diligentissimus. Vale, nostrum decus. Dabam festinans Holmiae Suecorum. Anno CIƆIƆCLXI. a. d. XVII. Sept.

De *Vlitio* nostro miror tanto tempore me nihil intellexisse. Nam *Vossius* quod nihil scribit, in eo antiquum obtinet, ac solens facit. Lis illa, quae Academiae vestrae cum Leidensibus intercessit, quem eventum sortita sit doceri vel tribus verbis cupio.

EPISTOLA CCCLXXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

Binis tuis cave putes mihi quidquam suavius fuisse, Heinsi maxime: sed quod tardius respondeo, ignosce, quaeso, catenatis laboribus, qui me exercere ac propemodum enecare non desinunt. De sacrorum famulo egi cum *Coccejo*, & commendavit mihi quendam ex veteribus discipulis *Borsmannum*: cujus ea de re quae sit sententia, ex inclusa scheda cognosces. *Golius* modo dat spem, modo aufert: postremum rogabat, numquid Porphyrium de vita Pythagorae ex editione *Rittershusii* & *Holstenii* haberem: & se illis ad hoc ipsum, quod desideras, ubi vacuus foret, usurum. *Bornius* ait, libellos tuos in fida esse custodia, nec se adhuc *Nardium*, unde sperabat, accepisse. De *Fabro* noli vereri: vivit & valet, sed animo dejecto ob casum *Fulqueti*. Nec tibi iratus est, ut ex *Graevio* aut cognovisti aut cognosces. Rumor de morte ortus est ex *Beuningii* literis, Cadomo ad *Vossium* & me datis. In Lucano nondum persuades versum illum esse παρεμβεβλημένον. Quotidie contingit in suppliciis, ut non omni cervice divisa haereat exigua male caput amputatum parte, ut etiam meministi apud Senecam esse. Et, absque illo foret, obscurum & ambiguum maneret illud, *Magni morte perit*: nesciremus enim, confossus, an capite truncatus esset: quod utrumque passus Pompejus. Nec possum probare illud insolens, *Succentor*, de Domitio. Annon habes apud Suetonium, in Julio cap. 34. L. *Domitio, qui per tumultum successor ei nominatus*. Appianus: ἐφ' ᾧ δὴ σφόδρα πάντες ἀνέκραγον, ὡς ἐπὶ πολέμου καταγγελίᾳ, διάδοχον εἶναι Λεύκιον Δομίτιον. Et, opinor, alii. Sed nec *Creagris* moverim, sic enim solet ille per ostentationem doctrinae ad ineptias prolabi. *Pelasgos* vocat, quos *Barbaros Poticios* Plautus, *Romanos*. Hoc ex Cicerone habet: hos dicit se velle docere artes, quae vix ab Atheniensibus vel Graecis, ad studia natis, comprehendantur. Caetera & in hoc, & in Lucano, & in Ovidio facile mihi probas, & applaudo ingenio tuo. Bredam rediit *Vlitius*, nec elegantiora loquitur de aula, quam reliquit, quam caeteri. Aemulationem ejus erga [1] *F. I.* in Anglosaxonicis hac pe-

re-

[1] *Franciscum Junium.*

regrinatione mirifice crevisse non est quod dubitemus. Lis nostra trahitur artibus, aliorum sperantium, morae nos pertaesum iri, aliorum, gaudentium se nactos, quo homines suae sententiae, & semper in alia omnia euntes vincere consilio possint. Congredimur tamen in conviviis, & hilare invicem Concordiae publicae propinamus. Meus ille [1] provocator edidit Vindicias serias suae opinionis de foenore unciario, satis contumeliosas, & gloriarum plenas; in re omnia σοφιστικὰ καὶ ἰδιωτικά. Contemnebam hominem, & me satis explicasse quaestionem illam arbitrabar. Pervicere amici (in his *Rufius*) ut secundum cum illo congrederer. Successit res praeter exspectationem: nata sunt quaedam, quae non erueram prius: & erant ab illo nonnulla, non docte, sed callide & obscure dicta, quae decipere improvidos possent. Responsum jam est in mundo: sed nondum emitto, ut poliam, & non illi modo grave atque acerbum, sed & vobis suave ac jucundum faciam. [2] Amici nostri περὶ ϛ ο prodiit. Undique coeunt crabrones, hinc jam duo minantur, H. & V. Nescio quis & Delphis aliquid moliri dicitur. Observationum mearum praelo reddi coeptarum Elzevirianis typis, sumptibus Gasbequii, folium primum jam exstat. Senecae duo exemplaria Elzevirio misi tibi destinata, quorum alterum serves ipse, alterum *Scheffero* cures. Vale, vir nobilissime, & me ama. Lugduni in Batavis IV. Cal. Novemb. CIƆIƆCLXI.

1 Est *Martinus Schoockius*, qui in Exercitationibus sacris, Exer. XXVIII. n. 4. disputat contra Gronovium; cui opposuit Gronovius *Antexegesin de centesimis usuris & foenore unciario*, cui *vindicias* illas opposuit *Schookius*, & respondit iterum *Gronovius*. vide illas Antexegeses ultimae editioni de Pecunia veteri additas.

2 *Isaaci Vossii*.

EPISTOLA CCCLXXIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

SEnecam tuum impatienter quidem, sed frustra, quantum video, expectavi hactenus. Per hibernas quippe tempestates claudendo mox mari ut liber huc perferatur non est sperandum. Rari etiam sunt, qui sub id anni tempus ex Batavia itinere terrestri huc excurrant, ut ne sic quidem spes affulgeat, voti compotem me fore, nisi sub aestatem proximam fortasse, quando terrâ marique iter oportunius fiet. Duas non ita pridem longe verbosissimas epistolas ad te dedi, in quibus Lucani, Nasonis, ac Marciani Capellae loca nonnulla in vulgatis libris male affecta tentabam: quibus cum nihil a te reponatur, facile intelligo aut conjecturas ipsas se tibi non probasse, aut nimium me fuisse in venditandis hisce ineptiis. Interim perlatus est huc rumor Hamburgo, qui ab Electore Palatino te evocatum esse, ac Freinshemio destinatum successorem spargat. Hujus rei nil latere me debebat, Vir Eximie, si per occupationes

denſiſſimas liceret tibi priſtinae conſuetudinis noſtrae meminiſſe. Prandebat nuper hîc mecum clariſſimus *Schefferus*, & cum illo *Coyetus ac Figarelius*, Regi a ſtudiis ac moribus formandis, cujus de Statuis antiquis exſtat luculentus commentarius. Plurimus tum de te tuiſque virtutibus ſermo nobis fuit, libato etiam ſaluti tuae poculo. Sedem ex quo hîc terrarum fixi, de Muſis vix cogito, niſi in tranſcurſu, & aliud agens. Metamorphoſes Apulei nuper in manus ſumebam, elegantiſſimum mehercules ſcriptum, ſed peſſime a librariis habitum. Nullibi latiorem campum conjecturis & hariolationibus apertum fuiſſe affirmo. Quod ſi vetuſti codicis copia in promptu foret, auderem fortaſſe poſt tot viros inſignes in hac palaeſtra deſudare. Interim Claudiano recenſendo coepi incumbere. Libro II. de laudibus Stilichonis verſ. 141. *non tempora ſomnus agendi Fruſtratur*, rectius fore videatur, ſi reponamus, *Furatur*. Sed Claudianum nunc miſſum faciamus. Apud Naſonem Faſt. I. verſ. 451.

Ergo ſaepe ſuo conjunx abducta marito
Vritur in calidis alba columba focis.

Miror non vidiſſe me jamdudum, ſcribi oportere,

Vritur Idaliis alba columba focis.

vel *in Gnidiis focis*, cum optimus Mazarinianus *ignitis* praeferat. Nam cum anſerem Iſidi, gallum Deae Nocti immolari ſolere mox dicat, cur non & hoc loco aram exprimat, cui columba immolaretur? Plura hujus farinae in medium proferre nunc poteram, ſed deſino nugarum, ut tu aliquando incipias loqui. In Lucani tamen loco ut me expedias haerentem velim. Is eſt libro IX. verſ. 809.

Utque ſolet pariter totis ſe effundere ſignis
Corycii preſſura croci.

Neque enim ſatis percipio vim comparationis hujus, aut quid ſibi velit, *effundere ſignis*, quid *preſſura croci*. Tu videris. Ex Galliis Italiaque diu eſt, quod literarum nihil accipio. *Bigotium* tamen ad ſuos rediiſſe *Capellanus* nunciat. Vale, Vir ſumme, meque, quod facis, amare conſtanter perge. Dabam Holmiae Suecorum. CIↃIↃCLXI. a. d. XXVI. Novembr.

EPISTOLA CCCLXXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

CUm proxime ad te ſcribebam, Vir ſumme, de ſilentio tuo nonnihil ſubquerebar, quantum memini, quod nullas a te multo jam tempore accepiſſem. Poſtea mihi traditae ſunt, quas a. d. IV. Kal. Novembr. ad me dederas, longe jucundiſſimas, & plurimarum rerum fruge refertas. Iis ne nihil repoſuiſſe videar, en *Schefferi* noſtri epiſtolam, quam per me curari voluit. De ſacrorum famu-

famulo, gratum fuit quod significasti, & multum te ob sedulitatem hanc amo. Vide tamen ne clarissimus *Coccejus* amori erga discipulum nimium indulgeat. Non sum is ego, qui divinum esse me aut credam ipse, aut aliis persuasum cupiam, ex ipsa tamen, quam tibi scripsit vir bonus, epistolâ facile conjicio, oratorem illum esse subfrigidum & minime vehementem; nisi tu conciones ejus audivisti forte, atque iis auritus testis aliquid deferendum censes. Scribam proxime ad Patres nostros de hoc negotio, & ubi desideriis meis indulgentes habuero, de eligendo homine idoneo nec trivialis facundiae curatius cogitabo. *Gelium* miror a te postulare Porphyrium de vita Pythagorae, quem a *Vossio* jampridem me praesente utendum accepit: quique passim apud bibliopolas invenitur facili negotio vaenalis. Sane vir ille, dum omnibus officiosum se praestare contendit, magno conatu neminem demeretur. *Bornio* asseveranti libellos meos esse in fida custodia facilè accedo: sed sic, ut tamen habeam persuasum, apud me tutiores fore. Nec sane video, quid homini aliena quadra viventi, utilitatis adferre possit *Septalii* liber de cura rei familiaris, mihi certe lectionem ejus fore utiliorem non negabis sat scio, cum familia satis numerosa nunc sit alenda. Nasonis mei exemplar tuto quoque apud illum deponi credebam, cum donavi. Expectabam tamen fateor ab homine, & aulico, & Ethicam publice profitenti, ut levem gratiarum munusculo reponeret actionem. Quod quia non fecit, per me licet aulam Ethicenque suas sibi habeat imposterum: aliter profecto nostri rure solebant. *Tanaquillum Fabrum* revixisse gaudeo. Dabit enim aemulus iste uberrimam mihi materiam, ut auguror, de aliis apud Nasonem hactenus corruptis locis cogitandi, qui manum medicam frustra expectant; modo pergat fovere consilium & propositum de caeteris epistolarum tomis, quos est pollicitus, in lucem proferendis: a *Graevio* hujus rei me admonitum cave opineris, nihil enim prorsus epistolarum ab illo ad me perlatum est, ex quo domo absum; etsi hominem ad scribendum bis terve jam provocarim. Nunciavit tamen optimus *Schelius*, *Aemilio* illum succesorem a Trajectinis destinari. Itaque, quicquid id est, quod ad *Graevium* de me perscripsit, & de meo Nasone *Faber*, fac cognoscam. De Lucani versu, quem spurium esse opinabar, manum tibi do, quia tamen pro *rapuit* in multis veterum, etiam in optimo Vossiano legitur *avido non dente*, in aliis quibusdam *rabido*, proxime sequentem versum suspectum habui. Truncatum sive Pompejo, sive Pothino, caput morti eorum non videbatur accensendum, cum uterque post mortem capite truncatus sit, si tamen capite truncatus Pothinus: gladio occisum Pothinum videtur designare. Nam si capite plexus est Pothinus, quod versus ille, *gladio cervix male caesa pependit*, videtur velle, non occubuit ille Magni morte, cui caput post mortem demum sit ablatum. Si abscissum post mortem Pothino caput, versus ille, quem suspectum habui, mentem auctoris sui non satis exprimit. Perpende quaeso locum, & si persistis in proposito, scito me tibi cedere. Certe plures in Lucano hîc illic versus spurios offendi, de quibus, uti spero, mecum aliquando senties. De *incentoribus* & *succentoribus* locus luculentus est apud Varronem li-

bro 1. de RR. c. 11. p. 57. Ed. Comel. ubi inter alia, *Et quidem pastorum vitam esse incentivam, agricolarum succentivam. Quocirca succinit pastorali, quod est inferior, ut tibia sinistra a dextra foraminibus.* Avienus, scriptor doctissimus, Orbis maritimae descriptione. p. 272. ed. Pithoei,

Caucaseas arces & dumicolas Arienos
Incentore canam Phoebo.

Sed & *Succentores* in choro *praecentoribus* opponebantur, quorum meminit Apulejus & Columella, vide Indicem Elmenhorstii Apuleianum in *Praecentor*. *Incentivum* apud Jul. Firmicum. libro. 1. cap. 111. *Hinc intelligi datur stellarum quidem esse quod patimur, & quod nos incentivis quibusdam stimulat ignibus. Incentor* igitur pro stimulatore. *Succentor*, qui incentori vicariam operam praestat. Potissimum me movit ad locum sollicitandum, quod in plurimis veterum codicum *Succensor*, in nonnullis *Accensor*. Glossa Petaviani, *Succensor, qui eadem arma succendebat ad bella civilia.* Vossianus autem, qui aut raro aut nunquam imponit, *Succentor* disertim. Vulgatam lectionem optimis auctoritatibus tueris, quod & vellem vir summus praestitisset, qui nimium brevitati hoc loco studuit. Geminam igitur scripturam olim in veterrimis exemplaribus exstitisse opinor, aliis, *Successor*, aliis *Succentor* praeferentibus. Expectabam fateor, ut & tertio loco vulgatae scripturae causam agendam susciperes, *Atque olim Lariſſa*. Sed *olim* & *quondam* uno eodemque versu minus convenienter poni agnoscas. Fuit cum conjicerem *ovium Lariſſa potens*. Sed alterum Homerico epitheto magis respondet. De variis Lucani & Apulei locis nunc vellem judicium tuum explorare, sed in immensum abirent quaestiones. Claudianum recensere coepi. Nascuntur sub manum nonnulla, de quibus curae priores non cogitaverant. Libro 1. in Eutrop. vers. 111. *Corruerat passa facies rugosior uva.* Tὸ *Corruerat* offendit aures. Pricaeum *Aruerat* reposuisse video. Mihi rectius videtur *Marcuerat*. Plinius libro xv. cap. xiv. *in rugas marcescere* de pomis dixit, atque hinc *Marcentes uvae* apud Martialem libro v. Epigr. LXXIX. intelligendae, pro passis aut ruga obsitis. Orientius commonitorio,

Pendula quae marcent rugis deformibus ora,
Protulerant quantum conspicienda decus?

Ita scribantur versus illi. priore loco male legitur *maerent* pro *marcent*, posteriore *vanum* pro *quantum*. apud eundem Claudianum paulo post,

— *tantone libet mortalia risu Vertere?*

Vertere risu inconcinne dictum. Quaere *nisu* censeo reponendum esse, quo modo apud Lucanum, *tantus ne evertere, dixit, Me superis labor est.* In Marciano Capella minus me pudet errasse, quam in Lucano. Est enim scriptor ille operose in multis ineptus. *Vlitium* rediisse ex Britannia tu primus me doces. Vindicias tuas avide expecto; sed Senecam impatientius, quem, utinam paucis diebus citius, mari necdum clauso, ad Elzevirium misisses! Nunc vereor, ne hybernae noctes sine hoc contubernali mihi sint agendae. De amico nostro Hebraicae veritatis oppugnatore quid dicam, nisi Catullianum forte illud? *Otium Catulle tibi molestum est. Scheffere* cras aut perendie de Seneca tuo

tuo spem faciam. Vale, decus literarum immortale. Exarabam Holmiae Suecorum. Anno CIↃIↃCLXXI. a. d. XIV. Dec. Gregor.

In Phaedro suo me nonnunquam exercet *Schefferus*. libro IV. Fab. LX. ed. Rittershusii. *Sic valeas, inquit, ut farina es, quae faces*, nihil video leporis aut acuminis, nisi scribas, *quae noces*. Sic tu, inquit, valeas, ut alii per te valent, quos sub farinae specie necasti. Fab. LXIV. p. 57. *Quae saevum ingenium variis involvens modis*. Emendabam, *variis dolis*, hinc πολυμήδης Medea Apollonio Rhodio dicta. Apud Nasonem Met. VII.

Neve doli cessent, odium cum conjuge falsum
Phasias assimulat, Peliaeque ad limina supplex
Confugit.

Apposite ad hanc Phaedri narrationem.

Adjecta erant huic epistolae duo carmina in Delphinum Ludovico XIV. natum, quae leguntur in Poematibus Heinsii lib. IV. Eleg. 4. & lib. III. Silvar. pag. 205.

EPISTOLA CCCLXXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

BInas tuas recte accepi. Quia nondum videris decreviſſe de ſacrorum curatore. *Johannes* eſt *Hogerſius*, meus olim per triennium diſcipulus, & tantundem puto temporis *Heidani* atque *Cocceji*, cum maxime ex Gallia redux, juvenis Hebraice, Graece, Latine ſupra vulgum doctus, frater *Goſvini Hogerſii*, qui nuper *Graevio* Daventriae ſucceſſit: & prorſus ille, quem deſignavi in meis ad Senecae Nat. Q. notis pag. 305. Non audivi quidem publice verba facientem, teſtantur tamen mihi, qui Daventria veniunt, cum plauſu audiri. Nec ſcio, an conditionem accipere velit: eſt enim in re bona. Sed ſi velit, neminem nunc noſſe me puto, qui & ſtudiis tibi placere poſſit. Has autem properavi, ne decernas, priuſquam, ſi videbitur tibi, cum illo egero. Ex Epiſtola *Tan. Fabri* ad *Graevium*: *Legi nuper notas V. CL. Nicolai Heinſii, quae mirifice mihi placuerunt, in illis etiam ipſis, quae contra me dicuntur. Tu conjicito caetera. Si quid autem ſit, quod in illo egregio opere diſpliceat, hoc unice unicum eſt, quod putavit Vir clariſſimus, me Salmaſii notas ad lib. Tertulliani de Pallio legiſſe, cum tamen nihil Salmaſii unquam legerim, praeter neſcio quas Notas, quae una cum aliorum notis ad Plautum apud vos editae fuerunt. Sed uti dicebam modo, quae a V. Cl. ſcripta ſunt, adeo me non moverunt, ut contra, ſi quid unquam otii mihi fuerit ab aegritudine & moleſtiis, quae mihi animum exedunt, reliquas omnes meas conjecturas ad Ovidium deſcripturus ſum, & ad eum miſſurus. Harum certe nonnullae, ut ex perlectis Cl. V. notis, intelligo, maximo poëtae utiles eſſe poterunt. Sed quod Elzevirii veſtri ſplendorem chartae ac niterem characterum in editione tanti operis neglexerunt, id vero eſt quod mihi νεόθεν ἐκ χερδίης dolet, ſi quid eſt, quod mihi nunc praeter illuſtris amici caſum doleat. Hic enim liber, ſi quid in eo genere*

ſapio,

ſapio, vivax erit: neque enim minus emendatoribus debet Ovidius, quam Gronovio debet Livius &c. Ad reliqua epiſtolarum tuarum, ut & ad Cl. *Schefferum* otioſior. Vale, dulciſſime rerum, & me ama. Lugd. Nonis Januar. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA. CCCLXXVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

PErlatas eſſe ad te literas binas, Vir Celeberrime, quas ſub exitum anni proxime elapſi exararam, animo minime invito ex tuis tandem intelligo. De Theologo negotium, quod commendas, curae erit. Sed rei totius caput eſt, ut Patres hoc mihi poſtulanti indulgeant: quod difficiliores neſcio quam ob cauſam in aequiſſima petitione ſum expertus. Interventu tamen amicorum impetrari poſſe confido, ne ultra obnitantur. Quod ex *Fabri* epiſtola non es gravatus excerpere, quae ad me pertinebant, plurimum te amo. Poſt tantam malignitatem candorem hunc, fateor, non expectaram. Vidit nimirum vir ſagaciſſimus ſe teneri, & procacis linguae paenas jure dediſſe. Nihil ergo impedit, quominus cum illo redeam in gratiam. Certe, ſi promiſſum praeſtabit de ſuis ad Naſonem obſervatis huc mittendis, laude debita non fraudabitur. Ego vineta illa ſubinde caedo per otium, nunc addendo nonnulla obſervatis prioribus, nunc eradendo, in quibus lapſum me eſſe agnoſco, quale illud eſt ad verſ. 715. libri VI. Met. nam τὸ *ſubnixa* minime ſollicitandum fuit. Met. XII. verſ. 466.

Qui clypeo galeaque Macedoniaque ſariſſa
Conſpicuus.

Non patior mihi perſuaderi, ut ſecundam in Μακεδονίαν produxerit accuratiſſimus ſcriptor. Quid igitur? Opinor ab illius manu eſſe,

Qui clypeo, & galea, Lacedaemoniaque ſariſſa.

Sciolus interpolavit, qui ſariſſam Macedonum telum eſſe meminerat. Atqui ſariſſis aliae etiam gentes ſunt uſae. *Biſtonias ſariſſas* in Triſtibus habes. Lacedaemonios certe ſariſſis uſos fuiſſe vel unus Plutarchi locus evicerit, qui Cleomenem eas invexiſſe militiae Spartanae, cum haſtis antea uterentur, teſtis eſt. Poſſem & aliorum auctoritate conjecturam adſtruere, ſed feſtino. Triſt. I. El. II. verſ. 102. *Si ſatis Auguſti publica juſſa mihi.* Nihili haec ſunt. Adi, ni moleſtum, ſcripturae diſcrepantias, quas illo loco congeſſi. Videbis in optimis membranis *viſa* exaratum exſtare, non *juſſa*, & *tuli* pro *mihi* in nonnullis. Opinor antiquitus ſcriptum fuiſſe ſolenni errore *viſalus* pro *viſa ſalus.* praeterea pro *ſatis* repono *laris.*

Si laris Auguſti publica viſa ſalus.

Si ſalutem domus auguſtae non duxi alienam a rei publicae ſalute: ſi arbitratus

tus sum ab ejus incolumitate publicam pendere. SALUTI DOMUS AUGUSTAE; scis quam frequenter ea formula in Inscriptionibus antiquis occurrat. Si quid melius excogitare potes, communica, quaeso. In Claudiani loco recepta scriptura *Frustratur* defendi nullo negotio potest. *Furatur* tamen magis appositum fore censeo. De Lucani versu, in quo *pressura croci* occurrit, quid arbitreris aveo doceri. Cui accedat Phaedri locus iste Fabularum libri v. initio. *Detrito Myronem argento. Fabulae exaudiant Adeo fugatae:* nam neque numeri neque sensus constat versibus. Tentavit locum Salmasius Solinianis Exercitationibus pag. 406. sed infeliciter, si quid video, dum reponit, *Trito Myronem argento. Fabulae exulant Ideo fugatae.* Egregia sane ratio, cur exularent fabulae. *Faber* in editione sua nodum Gordium secuit, omissis, quae non intelligebat. Fab. LXIII. sub finem, *Quacunque summa tradet luxuriae domum*, opinor mendosa esse, nam cur *luxuriae domum* appellat? scribebam,

Quacunque summa tradet licituris domum.

Observavi satis multa ad tersissimum scriptorem, quae *Scheffero* tradam. Is enim ejus editionem novam molitur. Ad Statii Sylvas amoeniissimas otiosus nuper devertebar. Utinam secundis aliquando curis eas perpurges! Plurima in iis restituisse mihi non infeliciter sum visus, de quibus tecum acturus sum, cum audire nugantem vacabit. Non possum tamen, quin pauca nunc ex iis delibem. Risu Saturnalitio ad Plotium, vers. 24. *Caesis pilea suta de lacernis.* Scribo *Scissis*. Proximo versu cur *luridas mappas* appellet, velim me doceas; fuit cum *sordidas* reponi debere censerem: sed ἐπέχω. vers. 27. *Nusquam turbine conditus ruenti*, cur *ruentem turbinem* dicat, nemo est qui sit interpretatus, nec opinor esse, qui commode possit. Reor scriptum fuisse, *ruventi*, pro *rubenti*, atque hinc natum errorem. Coctana enim & pruna in vas testaceum rubrum recondebantur, & turbinatum. vers. 29. *non replicitae bulborum tunicae* vix opinor sanam esse scripturam, tuum est me erudire. Proximo versu, ne illud quidem placet, *ova tantum*: olim *tandem* legebam; nunc *ova matrum* emendo. vers. 33. *lardum grave*, & versu proximo *graves Falisci* non quadrant. Quis enim credat elegantissimum poëtam bis eodem epitheto, nullo fere orationis interstitio, fuisse usum? vers. 44. *Cumano patinas in orbe tortas*, malim, *vel orbe*. Rotam figulinam innuit, quanquam & vulgatum defendi potest. vers. 45. cur *albos calices* dixit? vers. 4. *Si post hoc aliquid mihi remittas.* Usus Latini sermonis videtur postulare *remittes*. vers. 9. Τὸ *Praeter me* nescio an satis sanum sit. vers. 13. *Aut Byzantiacos colunt lacertos.* Τὸ *colunt* offendit aures meas. Vide ne scripserit Statius *olent*, sic vers. 40. pro *cereos nitentes* vetus editio Parmensis, quae penes me exstat, *olentes* agnoscit, nec male. Omnia enim deprimit Statius, nisi *olentes* pro odoratis interpretaris, quomodo Naso: *solvit odoratas pennarum vincula ceras*. vers. 47. eadem editio, *Nil mittis*, pro *Nil mutas* vers. 49. pro *Illatam salutem* conjeceram *Illotam*, quod id optime τῶ *semicrudus* videretur respondere. Video id & aliis in mentem venisse, & a te damnari. Velim tamen exemplum suppeditari, quo *Inferre salutem* veteres dixisse

liqueat. Vides quaestiones sat multas tibi solvendas proponi. Sed addam plures, libro II. Epicedio Pileti vers. 53. cur *Haemonium Pyladen* appellat, quem *Phocensem* fuisse constet? cur libro III. ad Claudiam Uxorem vers. 48. *Aegialen* castis uxoribus accenset, quam impudicam fuisse non est ignotum? Sed in duobus istis conjunctis versibus nihil omnino est sani. Nam & *Meliboeae* nomen inter praeclaras faeminas est obscurum, & Ariadna nuptis perperam accensetur: cur libro. v. Epicedio Patris vers. 130. posteriorem in *Maeon* corripuit? cum Μαῖων Graecis sit. Sed ea scriptura Domitii somnium est, nam in Parmensi editione *Mater* ejus loco deprehendi occurrere, in alia *Major*. Hunc tamen scopulum securi interpretes praeteriere. libro II. Epicedio Glauciae. vers. 130.

----- *brevibus constringere laenis*
Pectora, & angusta telas arctare lacerna.

Quid est *telas arctare lacerna?* Spero me habiturum te conjecturae meae obsequentem, qui corrigam, *talos arctare*. Ad talos enim lacerna descendebat: de instita Horatius, *subsuta talos tegit instita palla*. Libro v. Abascantii Pietate vers. 215.

----- *praereptaque templis*
Tura, Palaestini simul Hebraeique liquores.

Recte tu *Palaestinis*, sed nihil opus id τῷ *simul* construi, *praerepta tura templis Palaestinis*, ut ad victoriam Vespasiani de Judaeis alludat: nam *Palaestini liquores* & *Hebraei* eidem: quanquam vix persuadeor ut credam, τὸ *Hebraei* a Statiana manu esse, cum nullus, quod meminerim, poëta meliorum temporum hac voce sit usus. Coercuissem nonnihil hanc profusam loquacitatem, nisi defunctum magistratu Academico jam scirem. *Carolus Datus* aurem pervellit denuo de Pythagoricis Scriptis. Sed jubebo virum optimum de hoc negotio desperare. Vale, magnum literarum decus. Holmiae Suecorum. a. d. IV. Febr. Gregor. CIↃIↃLXII.

EPISTOLA CCCLXXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

REctoris tandem invidiosum nomen evasi. Nondum tamen rediit sperata vacuitas: adeo multa ex superiori tempore dilata, & quasi reliqua officiorum & curarum certatim ingruunt, & se quodque primum vult. Sed tuarum querelarum, Heinsi dulcissime, justam invidiam diutius ferre non possum. Genethliacon tuum quotquot viderunt, mecum admirati sunt. Ingesta enim & alia erant, sed quae vidisse statim piguit, & jam ab amicis reposci tuum illud

[1] In Delphinum Franciae natum.

os magna sonaturum, quum repente tua epistola non modo illis satisfecit, sed & omnium exspectationem vicit. Cum convivas habuisti, quos commemoras, credo vobis fuisse frui votis usque ad invidiam felicibus: nisi dum me, tanquam Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα, interposuistis. Et credo venisse alicui in mentem: *Nulli homini perpetuum bonum. jam huic voluptati hoc adjunctum est odium.* Non indignor tamen me tanti esse fautoribus, ut tot Veneres & Gratias voluerint parum suavi mentione interpellare. Fac, quaeso, omnes a me per occasionem quam officiosissime salutes. Laetatus etiam sum, quod cognovi primum ex tuis, Amplisf. *Figrelium* tenero Achilli Gothico datum Phyllyriden. Soli profecto reginas & reges pupillos recte educant Sueones. *Hogerfium* tentavi: sed corpusculi sive imaginaria, sive vera imbecillitas, tenet hominem inter suos: quemadmodum & vix visam Galliam, *Fabrumque* & *Amyraldum* curriculo deseruit. *Bornium* raro video: jam enim [1] discipulum ejus taedet hujus secessus, & cum ipsum, tum cohortem omnem percepit Lotos Comitatensis. De loco [1] Apollinis Palatini supplendo nihil aliud scio, quam quod tu ipse ad me olim detulisti. Sic etiam ex Sicambris, Saliis, Frisiis mihi gratulati sunt, tanquam ad magnum emporium ituro. Ego vero haec spargi ultimus rescisco, nec ullo aut dicto aut facto rumores lacessivi. Suspicantur aliquid homines ex superioris anni actis, dein id quasi certo futurum narrant. Sed egerint, tulerint nos terriculis, minis, sumptibus, tardato salario judicibus. At vivere & stare in frivolis nostris, at medios & quosdam ex ipsis bene sentire de nobis patiuntur: frontes quoque, utcumque sit animus, obviis exporrigere sustinent. Itaque, ut nunc est, ut desercndum censeamus τὴ Πολιοῦχον, quum praesertim tu & pauci hoc homine vehementer illam indigere judicetis, nondum a nobis impetramus. Et quis est, a quo caveamus, ne vitantes [3] villae Trivici lacrimosum fumum ad Beneventanum hospitem & macros turdos ardeamus? Praeterea si non ad summam illam Epicteti accessimus, ut accusemus neminem, gradum tamen hunc tenemus, ut libentius nos, quam alios accusemus. Itaque si quid fuit acidi, id ipse me mihi miscuisse debeo credere. Quid enim? non merito plectimur, qui magistratum, jusjurandum decreta Ordinum esse aliquid putavimus, & pro his tanquam rebus praeclaris pugnavimus, ubi jamdudum ista omnia mera ludibria sunt, & nil nisi nomina sine corpore ac specie? Posthac igitur alio conferetur gratia: hoc est, opera dabitur, ne sex, aut, ut mire bene se habeant res, septem millibus nummum sesterlium tentemur ad serviendum & fidem prodendam. Sit ita: hoc fortem animum

1 Principem Arausionensem Gulielmum III. cujus studia regere jussus fuerat.

2 Intelligit Professionem Heidelbergensem, quam Gronovio oblatam fuisse rumor sparserat, natus forte, quia Senecam Tragicum Carolo Ludovico Electori dedicaverat. Frigus vero Magistratuum Leidensium (quos, cum Rector esset, offenderat, dum jusjurandum & decreta Ordinum tueretur. Vid. supra Epist. CCCLXVI.) non effecturum tamen indicat, ut πολιοῦχοι, id est, Pallada Leidensem deserat, aut ministi &c. deterreatur a recti tramite. Quid dicemus? eamdem fabulam, mutatis actoribus, saepe in Academicam hanc scenam relatam videmus, & dolemus.

3 Respicit ad Horat. II. Sat. V. 79.

mum tolerare jubebimus, nec fugiemus quae effugere non est. Sed haec in aurem tibi. Quid est autem, cur te tantopere offendat illud: *Nec tempora somnus agendi Frustratur.* Immo perbelle dictum autumo, quod sit, eximit, eludit, ut irrita & sine actu elabantur. Scis *fallere*, *decipere diem.* Scis apud Plautum, *sopor manus calvitur.* Sed nec displicet *Corruerat:* certe magis placet, quam *Aruerat*, aut *Marcuerat. Stantia pectora* cogita in puellis laudata. Sic *flat facies* plana & non rugosa: rugosa & pendula corruit. Facit huc & Statii: *totas duxere in lumina frontes.* Satis etiam fero: *tantone libet mortalia risu Vertere.* Non utique jungendum *vertere visu*, sed vertere, tanto risu hominum accidente, aut tam ridicula mutatione aut vicissitudine. Nullus hîc nisus, nullus labor: ultro volvitur fortunae rota: sed saepe cum magnis ludibriis. Phaedri autem: *Sic valeas*, *inquit*, *ut farina es*, *quae jaces*, sine magno peccato non potest sollicitari. Est enim dictum, ut Antonii apud Suetonium Octav. cap. LXIX. *Ita valeas, uti tu, hanc epistolam cum leges, non inieris Tertullam, aut Terentillam aut Rufillam.* Deos oro, inquit, ut non alia conditione tibi bene sit, quam si es, quod esse te simulas. *Si satis Augusti publica jussa mihi*, non putavi antehac esse nihili: sed si jussa Augusti mihi satis publica, intelligebam, si pro republica mihi satisfecerunt Augusti jussa: si non optavi vetera, contentus praesentibus. Nam qui priora malebant, iis non *publica*, quae Caesarea. Lucanus, *Usque ad Thessaliam Romana & publica signa.* Tacitus: *postquam nulla jam publica arma.* Obsecro te, ne lomento & nitro nimis utamur, & dum sordes eluimus, venas ac viscera auctorum aperiamus. De caeteris non habeo vel quod dicam, vel cur tibi adverser: aut si quid erit, cognosces proxime, quando nunc satis garrivi. Vale, unicum literarum & amicorum decus. Lugduni Non. Mart. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA CCCLXXIX.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

PUto mihi hoc apud te licere pro jure necessitudinis nostrae ac pristinae familiaritatis, ut quae in buccam subinde veniunt, ea sine delectu ut chartis illinam, quoties per literas mihi compellaris. Nam quae ipse pro certis habeo, nec in discrimen voco, tanquam indubitata, iis te obtundere quid attineret? cum is mihi propositus sit scopus, non tam ut doctum doceam, quam ut proficiam ex tua institutione, quo nihil neque jucundius neque honorificentius in vita mihi potest obtingere. In Claudiano quae annotaram displicuisse tibi haud miror, cum unam ex tribus conjecturis a me quoque ipso minus fuisse probatam, cum postremas ad te exarabam, potueris agnoscere. Somnus enim tam frustratur tempora, quam furatur, ut tu optime mones. *Corruere* quo-

quoque *facies* prae macie poteſt dici, quomodo & *labi*. In epiſtola Cydippes apud Naſonem habes, *Concidimus macie: color eſt ſine ſanguine.* Poſtremum illud, *tantone libet mortalia niſu vertere* pro evertere interpretabar, tu ad rotam Fortunae maluiſti referre. Conjecturam illam ne penitus damnem, facit auctoritas duum codicum Vaticanorum, quos inter unus omnium optimus, in quibus τὸ *niſu*, cum Claudianus novae nuper admodum editioni a me pararetur, eamque in rem diverſas veterum membranarum lectiones excuterem, ſcriptum exſtare deprehendi. Sed major tua apud me eſt auctoritas. In Phaedro elegantia ☞ *Sic valeas, inquit*, non me praeteribat, ad quam confirmandam Suetonianus locus oportune omnino & appoſite a te productus eſt, ſed concoquere vix poteram τὸ *jaces*, in iſtis, *ut farina es, quae jaces.* nam & farina ipſa jacebat per pavimentum diſperſa, & videbar autem jure meo requirere verbum aliquod, quo muſtela a farina diſcerneretur. Alterum, quod poſtremis literis ſuggerebam, ex eodem Phaedro *Quacunque ſumma tradet licituris domum*, vereor etiam ut ſe tibi probarit. *Luxuriae domum* ſi retineri placet, credatur dictum, quomodo *Victus luxuriae* in Petronio, *Luxuriae victu Martis marcent maenia.* Ita enim illic ſcribendum eſſe opinor, pro *victu*. Quanquam domum ſplendide atque affatim ſupellectile lauta inſtructam, non propterea *luxuriae domum* dicendam eſſe contendo. Atque utinam cadem opera Lucani locum, quem tibi propoſueram, enodare voluiſſes! nam mihi plurimum negotii exhibuit. Quid enim eſt, *preſſura crooi ſignis effuſa*. Non deſinam aurem tibi vellicare, donec mihi hîc ſatisfeceris. Atque adeo, ne impune ſilentium id feras, ecce alium in Martiali nodum libro Epigr. v. 10.

Sic veterem ingrati Pompeji quaerimus umbram,
Et laudant Catuli vilia templa ſenes.

Quinam hi *Catuli ſenes?* quae *vilia templa?* nam prior verſus difficultatis habet aliquanto minus. Quae interpretes de Capitolio, quod Catulus refecerit, huc congeſſere, ea ἀπροσδιόνυσα mihi videntur. Cur idem Martialis libro x. 64. *Reginam* vocat *Pollam* Argentariam? Cur *viduam platanum* libro v. 104? nam ſi propterea viduam dicit, ut volunt interpretes, quod fructum non ferat, cur non & aliae arbores ſic dicantur, quae haud ſunt frugiferae? Quae *prima cervix* illi dicta, & quare, libro i. Ep. 52. Sed ohe jam ſatis eſt! In Statii tui Silvis proximae meae ſeſe occupabant, vereor ne & nimiae fuerint. Riſu Saturnalitio illud *Praeter me* ſubobſcurum eſt. Verſu quarto ſcribendum, *Si poſt hac aliquid mihi remittes*, nam *hoc* proxime praeceſſerat. De caeteris meis conjecturis agam uberius fortaſſe, cum intellexero, quas ex nuperis illis damnes, quas probes, aut veriſimiles arbitreris. Genethliacum placuiſſe tibi, gaudeo impenſe. Quis enim eſt ex numero mortalium, cui conatus meos aeque geſtiam probatos, quam tibi? Senecam tuum impatienter expecto: qui tamen ne perierit nobis, video ſubverendum eſſe. Negat nimirum ille, cui librum ſe tradidiſſe huc perferendum ſcripſerat Elzevirius, de re credita quicquam ſibi conſtare. Cujus tam inopinati reſponſi certiorem jam feci Elzevirium, quid ad haec ille ſit repoſiturus cupio

Digitized by Google

quamprimum cognosse. *Figrelli* quia mentionem injicis, non possum quin narrem, ejus curae creditam esse bibliothecam regiam, cui ingens incrementum accesserit ex praeda Danica Polonicaque. Vidi illic *Meursii* complura inedita. Praecipue magnam collectionem Antiquitatum Atticarum, tam editarum jam ante, quam edendarum. Tres praeterea peculiares commentarios de antiquitatibus Rhodi, Cretae, ac Cypri, praeter alia, quibus recensendis nunc non est locus. Imprimis Regni Laconici, sive legum Spartanarum librum singularem, quam Justus Pluymerus Miscellaneis Laconicis debebat addidisse, & ut addat operam dabo. Confido enim proceres compelli posse ad permittendam editionem eorum, quae ex lucubrationibus Meursianis illic supersunt ἀνέκδοτα. Lutetiae eduntur familiae Romanae *Fulvii Ursini*, cum auctuario trecentorum & plurium numismatum ad id argumentum spectantium, quae lucem hactenus non viderant. Curat nummos etiam suos publicare Comes *Briennius* filius, Regi Christianissimo ab Epistolis. *Spanhemius* Romae aetatem agit. Eodem quoque contendit nuper deserta Gallia noster *Gudius*. Expectari illum Florentiae sub aestatem proximam scribit *Carolus Datus*. Ab Apolline Palatino miror nec gratiarum actionem, nec redhostimentum ullum hactenus ad te venisse pro donato Seneca. Nostri homines quod merita tua parum intelliguht indignor. Sed quando eam instituisti semitam, quae paucorum solo sit trita, ferendum & concoquendum a paucis te capi & digne aestimari, quorum in numero me esse ac fore semper persuasum habe. [1] *Alopecius* noster commentarios Chronologicos Reginae munus non ita pridem miserat. Rescripsit illa, hominemque tetigit paulo asperius aculeatis verbis, ac serio hortata est, ut a vepribus & spinis theologicis contineret male feriatam manum. Mirari sese vehementer, quo consilio argumentum tam invidiosum suscepisset pertractandum. Esse quippe mortalium plerosque eo ingenio, ut juniores videri gestiant, quam revera sint. Illi hoc esse propositum, ut senium orbis ac mundi universi aggravet, oneretque bis mille annis. Facete quidem hoc illa; sed amicus noster, si quid video, mallet illam cogitare aliquando de solvendo debito. Virgilio manus admovere jam coepissem: sed metuo ne mihi sordeat omnino Claudianus & negligenter tractetur, ubi divina gravissimi scriptoris majestas in venerationem suam me pertraxerit. Claudianus igitur praemittatur praestat. Quamquam jam nunc non sine taedio huic cogitationi incumbo, praesertim post decursum Barthiani operis latum illum ac sterilem campum, quem quamvis summis, quod ajunt, pedibus vix delibavi festinans, tamen temporis plurimum mihi absumpsit. *Bornius* ne discipulum suum magno pretio nihil scire doceat valde metuo. Invasit spartam ejus de Lucretio edendo *Tanaquillus Faber*. Idem commentarium de poëtis antiquis vernaculo sermone conscriptum divulgavit. Apollodori quoque bibliothecam, additis notis illustravit, sed brevibus, ut solet, & operae perfunctoria.

1 *Isaacus Vossius*, qui de *aetate Mundi*, edidit A. 1659. librum, cui cum *Hornius*, *Colvius*, & *Schotanus* se opposuissent, ille A. 1661. iterum edidit, addito etiam libro de LXX. interpretibus, & de eorum Versione & Chronologia dissertationibus.

Digitized by Google

storia. *Dionysius Salvagnius Boessius* suos in Ibin Nasonianam Commentarios longe auctiores publicavit. Libellum necdum vidi, sed ex Galliis expecto. *Graevium* sic oblitum mei esse equidem miror, ut toto jam anno nullis literis ter quaterve compellatus me dignetur. Diversas tamen Polyaeni MS. lectiones illi impetravi a *Bigotio*, quas Danielem Elzevirium secum e Galliis esse allaturum spes sit. Hoc ex te intelligat velim. *Langermannus* Viennam Austriorum ad aulam Caesaream ante menses hosce tres profectus est, promisitque Hamburgo discedens bibliothecas veteres per illos terrarum tractus diligenter sibi excutiendas fore. A *Vlitio* literarum nonnihil habui. Queritur ille panegyricum suum surdis Britannis cecinisse. Sed manum de tabula tolli jam tempus est. Vale, decus Musarum. Holmiae Anno CIↃIↃCLXII. VIII. April.

Apologeticon tuum adversus *Schoockium* an lucem videat cupio doceri. De Theologo impetrando nihildum promovi apud Patres, & sane rem istam hactenus urgeo parum fervide, quod alia sint, quae me exerceant, non minoris momenti, praesertim causae jurgiorum de novo exortae in littore Africano inter utramque gentem. Velim me doceas, quid sint *penaces* in veteri epigrammate Turcii Rufii Asterii Apronii, quod Virgilio suo praefixit, qui in Medicea bibliotheca servatur longe vetustissimus. *Distinxi emendans gratum mihi munus amici: Suscipiens operi sedulus incubui. Tempore quo penaces circo subjunximus, atque scenam Euripo exstulimus subitam*, &c. Vale, Vir summe. Exarabam Holmiae. CIↃIↃCLXII. X. April.

Juvenem aut adolescentem si quem nosti, qui amanuensis spartam apud me adornet, Latini ac vernaculi sermonis non ignarum, mei memineris rogo. Nam is, quem ex patria mecum abduxi, vix ullam literarum Latinarum cognitionem habet, ut quarum primis tantum elementis leviter imbutus sit, & cum spem mihi fecerit fore, ut studiis totum se daret, nihil minus cogitat, quam de promissis praestandis, Bacchi quam Musarum studiosior. Agam igitur cum Parentibus ejus, ut illum ad se revocent. Iterum vale.

EPISTOLA CCCLXXX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

NAe tu odiosam in me loquacitatem, & ineptas quaestiones cordate & sapienter vindicasti, mi Gronovi, qui nodos hosce Gordios non gladio, ut ille, sed oportuno silentio perquam simpliciter, & tamen ingeniose omnino, solvis! Pervenit interim ad manus meas Seneca tuus, exoptatissimum munus: pro quo & ego, & *Schefferus* tantum nos debere tibi agnoscimus, quantum maxime obaeratos par est. Ei perlegendo jam me totum coepi accingere, atque in proposito tenacissime persistam, dum observationes tuae ad me perferan-

Digitized by Google

rantur, quas sub praelo typographico sudare *Graevius* jampridem significavit. Ego Maroni manum mox admovebo, non quod huic telae inter publicas occupationes detexendae nunc par sim; sed quia flagitatores obstrepant assiduum Elzevirii, quos toties repellere non est meae frontis. Circumspicio igitur, si quid membranarum veterum indagare possim, quae conatibus meis nonnihil auctoritatis ac gratiae apud fastidiosos lectores addant. Membranis Mediceis longe vetustissimis me usum esse in Italia meministi, quem librum sub Virgilii Carpensis nomine *Aldus Manutius* in Orthographia, aliique homines eruditi frequenter laudarunt. Est praeterea nunc in manibus mihi Mentelianus liber ante annos DCCC. exaratus. Sunt & quinque alia exemplaria, sed recentis notae. Vossianae bibliothecae duo aut tria praeter haec expecto. Leidensem codicem evolvisse me recordaris, puto. Exstat in iisdem scriniis aliud Maronis exemplar, & quidem eo, quo jam usus sum, vetustius, nisi imponit memoria; sed quod nisi obiter a me inspectum est, cum Servii commentarios, quibus annectitur, perlustrarem. *Boeclerus* suas in Maronem curas jampridem pollicetur, si quid certi de iis rescisti, impertire, quaeso. *Langermannus* Vienna nuper admodum rediit. Nasonis & Claudiani nonnulla in Caesaris, ac Bavari Ducis bibliothecis, meae in spem gratiae, se commisisse cum vulgatis editionibus narrat, eaque se missurum mihi pollicetur. Addit praeterea, quod rideas, *Lambecium* ducta uxore quinquagenaria, mox conjugii pertaesum, tertio nuptiarum die, amicis & marita insalutatis, se clam proripuisse ex aedibus, atque ex civitate, nec sciri, quo se contulerit, sed suspicionem esse, legi ab illo vestigia heroidis Christinae, quae biduo triduove ante Hamburgo esset profecta. Haec in sinum tuum, dum certiora nunciare possim. Spero enim fugitivum nostrum post carecta alicubi latere, nec animum revertendi penitus amisisse. *Carolus Moronus* de novo Inscriptionum vetustarum opere, quod praelo commisit, spes nostras fovere pergit, idque Gruterianum volumen ipsa mole facile aequaturum esse minatur. Si verum dicit, toto decennio illi opus erit ad provinciam hanc administrandam, nam & ingenio admodum lento est, & *Holstenii* ope consiliisque destitutus, valde metuendum, ne portum contingat inter tam vastos fluctus. *Ferdinandum Furstenbergium*, mihi quondam amicissimum, perquam elegantis ingenii virum, Episcopatu Paderbonensi auctum jam puto significavi. *Dionysius Salvagnius Boessius* secundam editionem Commentarii sui in Ibin Ovidianam vulgavit. Librum ipsum ex Galliis expecto. Phaedrus *Schefferi* praelo mox committetur. Vale, decus immortale literarum. Exarabam Holmiae CIↃIↃCLXII. a. d. XXIX. May Gregoriani.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXXXI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

A *Scheffero*, quas nuper admodum accepi, tibi inscriptas, hîc mitto. Gratias, ni fallor, agit pro Senecae Tragoediis, a te recensitis, praeclaro mehercules munere. Ego sane maxima cum voluptate observationes tuas ad gravissimum scriptorem jam perlegi.

Nec satis est legisse semel: juvat usque morari.

Relegam igitur iterum iterumque, dum aliud quid muneris literarii a te adsit, quod de novo in eruditionis tuae admirationem me impellat. Mitte, quaeso, quamprimum quicquid minaris. In Seneca mentionem mei honorificam non semel a te fieri agnosco cum pudore meo. Nonnullas ex iis, quae videntur tibi non displicuisse, conjecturas retractavi ipse. Quale quod mones ad Herculem Furentem vers. 89. *Supernas sedes.* Legendum enim,

I nunc superbas caelitum sedes pete.

Claudianus bello Gildonico de Roma, Jovem apud superos conveniente --- *talique superbas Irrupit clamore fores*, ubi perperam olim *Supernas* ex veteri libro placebat reponi. *superbae fores* apud Virgilium non semel occurrunt, & *postes superbi*. Sed de his ad ipsum Claudianum. Oedipo Actu II.

Incipit Lethaea vates spargere horrentes comas.

Lethaeae vati nullus hîc locus, non improbabas meum illud ejus loco *repleta vates*, sed cum in vetusto codice Mediceo sit, *loeta vates*, literis transpositis emendo, *Letoa vates*, cujus glossema est, quod in nonnullis codicibus apparet, *Phoebea vates*. *Letous* pro *Latous* in vetustissimis membranis Nasonis, Horatii, Ausonii passim exarari ad ipsum Nasonem jam monui Trist. III. El. II. sed τὸ *Lethaea* ut hoc loco perperam inculcatum est, ita male Actu III. ejusdem Tragoediae ejectum.

Et obsidentem claustra lethalis lacus.

Lethaei lacus opinor: apud inferos enim nihil lethale, & post mortem. Medeâ choro actus secundi, monere oblitus es, in membranis Florentimis legi, *Attica tardus plaustra Bootes*, non *Arctica*. Ego quidem τὸ *Arctica* pro *Arctoa* apud nullum primi aut secundi ordinis poëtam legisse me recordor. *Attica plaustra* hîc prorsus oportuna & tempestiva mihi visa sunt, quod meminerim Booten hunc a multis credi Icarium Athenienſem, qua de causa Valerius quoque Flaccus *Actaeum Booten* dixerit. Sed de Seneca alias videbimus. In Lucano non potui concoquere illud, lib. v. vers. 771.

Utque solet plenis se effundere signis Corycii pressura croci.

Crocum in theatris per fistulas expressum fuisse, & in spectantes sparsum haud

ignoro, sed tale nihil comparatio ipsa videtur admittere. Quid si legas, *plenis se effundere finis Corycii sparsa aura croci*, vel *spissa aura*, vel denique *versa aura*, a vergendo. E finis enim & canistris crocum quoque in theatris effusum ac sparsum fuisse quid prohibet? *pressura*, pro *spissa aura* ex elisione natum, vel pro *sparsa aura*; certe in vetustis Nasonis aliorumque poëtarum exemplaribus pro *spissus* non semel, *pressus & sparsus* exaratum offendi: jam *aura croci* pro ipso croco solemne Martiali non uno loco, & Statio in patrem Epicedio vers. 41. Ipsi Statio quod manum post te admovere sum ausus, ignosce confidentissimis conatibus. Τὸ *turbine rubenti* non improbabis omnino, si recordaris, quae de coctanorum vasis prorsus similia occurrunt apud Martialem, apud quem etiam *ova matrum* non semel habes, ut & apud Juvenalem ac Nasonem, ita factum ut *ova tantum* minus placeret. *Albos* illos *calices* si mihi sistere non potes ex antiquitate depromptos, lege meo periculo,

Obbarum, calicum, atque cacaborum.

Obbas & *calices* Varro quoque conjunxit apud Nonium in *Obba*. Occurrunt & *obbae* in Persio. Plura volebam, sed immensus dolor ex repentina Sororis optimae morte conceptus totum me sibi vindicat, & nondum excidit, jam me nimium fuisse in hisce apud te nugis. Vale, Vir summe, & feliciter rem gere. In Virgilio, quantum per occupationes licet publicas, diligenter pergo, & video ex membranis antiquis plura depromi posse, quam olim habui persuasum. Suos codices ut ad me mitteret *Vossium* rogavi, sed tuli repulsam, cum minetur de Virgilii nova editione paranda sibi quoque cogitandum mox fore. *Lambecius* vetulae suae elapsus Viennam Austriorum advenit, ad castra pontificia transiturum nullus dubito, modo conditiones satis lautae offerantur. *Vlitius* obtundere me cum non cessaret, Runicis, Gothicis, Islandicis libris flagitandis, ut ineptire desineret, aut saltem ut minus operose nugaretur hominem sum hortatus. At ille serio mihi succenset, magnumque malum minatur. Iterum vale. Holmiae. XXVIII. Junii. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA CCCLXXXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

NIhil tuum mihi senio esse potest, Amicorum suavissime: nihil quod ulciſci debeam: sed continua praesentium occupatio me absentibus pro voto servire non patitur, & ad hos adigit comperendinatus. Quod si de modo conjectandi verbum adsperſi, id non proprie dictum tibi putabis, sed unum ex promiscuis & translaticiis, quibus vulgo in tali re uti solemus, quaeque ad mediocria ingenia pertinent. Tuos autem igneos impetus cave me sufflaminandos existimes putare, aut ita interpreteris, quasi minus apud me tibi licere postu-

poſtulem. An adeo me invenuſtum credere potes, ut impedire auſim progreſſus meos, qui tuas nunquam deponam niſi doctior? Nam & ſicubi te ſequi & capere altitudinem ſenſus tui non quimus, addiſcimus & admonemur multa, quae nemo alius ſuggeſſiſſet. Itaque hujus rei me vel maxime poenitet, quod non parata ſemper vice tuum illud promptum & exſertum excipere, ſaepiuſque ad me convertere poſſum. Tu ergo ſcribe quicquid & quoties libuerit, & fer indulgenter me reſpondere, quoties breve otium, & quod ingenii tarditas permittit. De *Meurſii* ineditis beata nuntias, & opto, gloria intret animos poſſidentium, ut tantum boni publico non invideant. Epiſtolam Heroidos non nimium placuiſſe olim ſuſpicabar. Profectus erat ad ſalutandum [1] brevis ſucceſſor meus, & quia non offenderat, reverſus huc narrabat accepiſſe ab ſeniculo exſultante, allatam e Gambriviis. Eopſe die hac tranſiens redierat ille domum. Recurrit ergo eadem Gr. ſed redux alto ſilentio acceptam diſſimulari ferebat. *Ant. Hulſii* pro Hebraica veritate ſcriptum acre prodiit, cum *Fr. Plantae* acerba magis, quam auctore indigna elegia, in qua jactat nunc Bavios & Maevios ſe vindicare. Ita exedundum eſt illi etiam, quod non intrivit. *Terbarius* me nuper allocutus mentionem habebat Virgilii, cui multa Scaligeri manu adſcripta fuiſſent, apud *Car. Labbaeum* viſi. Voſſianos MSS. paratos eſſe mihi dixerat Elzevirius, modo inveniretur, qui hîc locorum conferret. Itaque ego cum contubernali meo *Junio*, & is id facturum ſe recepit, ſi codices impetratos ſibi tradidiſſet Elzevirius. Quo magis miror eum, qui tantam Camerinam movit, cogitationi de Virgilio edendo vacare. Nec tamen hoc prae ſe ferenti fidem omnino abrogare audeo, quia videtur ea ſolum velle tentare, quae tentaturum nemo ſperaſſet. Nam & de aeſtu maris promittit. Interim & meus aemulus in illum prurit, jamque aliquid aut edidit, aut ſub praelo habet. Quae rogas, pleraque ſunt ejus generis, ut ego potius, quid tu de illis ſentias, cognoſcere, quam ipſe de illis ſentire velim. Ut tamen nonnulla, quae me intelligere putavi, acceperim, libenter tibi fatebor. Martiali dicuntur *ſenes*, non Catuli, ſed Romani, qui ſcilicet per aetatem videre potuerunt ſtans Capitolium Catuli curatione exſtructum, antequam bello Vitelliano conflagraret, tum quoque illud laudare, non ratione, ſed faſtidio praeſentium, quum vile fuerit, ſi cum eo, quod reſtituerat Domitianus, compararetur. *Reginam* Pollam vocari puto, quod Martialem ſalutatorem crebro ſportulis aut rectae coenae partibus proſequeretur: ut, quum canit,

Qui me reſpiciet, dominum regemque vocabo.

Viduam platanum, quae ſola umbram faceret, inter myrteta & tonſilia buxeta, quae non intelligimus, niſi pluribus arbuſculis conjunctis & in ſe flexis, maritata. *Cervicem primam*, quam habet primae formae fera aut pecus: etſi facile poſſis *opima*: quod tamen nolim. In Statio, *Praeter me*, eſt, praeter laborem ingenii & temporis, quem ei impendi. *Caeſas lacernas* dixit, ut Martialis *raſa ſagis vellera* de lanis, quae forcipe aut pectine demebantur ſagis vel lacernis

1 An. *J. G. Graevius*, ? qui in Daventrienſi profeſſione ſucceſſerat, ſed paulo poſt Ultrajectum vocatus erat.

Digitized by Google

noviſſimo purgamento, ut loquitur Plinius: nam ex illis tomenta pileique & olim, & hodieque fiunt. *Luridas mappas* accipiebam pallidas, paullo minus quam albas: etſi *lucidas* poſſis, & de purpureis interpretari: niſi hae nimis pretioſae. *Turbinem ruentem* interpretor metam inverſam, vas inverſae metae figura: videtur enim *ruere* dixiſſe pro deorſum faſtigari. Hîc ego, quum heri jam concubia nocte ſiſterem eo animo, ut hodie caetera perſequerer, inque his lugerem tecum ornatiſſimam matronam Sororem tuam, quam ſemper ſingulari reverentia dilexi, ecce ſubitum fulmen nuntii, incomparabilem *Schelium* noſtrum fuiſſe: quo quidem ita concidi, ut vix quidquam jucundum in vita ſentiam. Nec quomodo in tanta reipublicae ac literarum clade, inque tanto meo dolore aut taceam aut loquar, ſcio. Tua Melpomene lugubres cantus praecipiet. Vale, mi Heinſi, & ſalvus honeſtuſque diurna. A. d. XIII. Cal. Sextiles Gregor. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA CCCLXXXIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

JAm contabueram prae deſiderio tuarum, Gronovi jucundiſſime, cum poſt longam expectationem epiſtolium a te accepi, in quo habenas omnes dilatae multo tempore confabulationis effuſurus eſſe videbaris, niſi telam inchoatam abrupiſſet ſuperveniens de morte *Schelii* noſtri intempeſtivâ funeſtus ille nuncius, qui me quoque plus quam credas afflixit. Poteram lamentis inanibus nec profuturis indulgere, niſi pulchrius laudabiliuſque noſtrûm utrique fore arbitrarer, ſi ad aeternitatis praeſidium hîc confugeremus, & tam deſiderato capiti, quantum in nobis, vitam redderemus, huc collatis omnibus ingenii inſtrumentis. Quod ut felicius praeſtem, diem a publicis occupationibus feriatum unum alterumque jam nunc circumſpicio. Caetera ſuaviſſimis acceptiſſimiſque literis tuis unice id defuit, quod de Obſervationum tuarum nova editione, quam *Schelius ὁ μακαρίτης*, *Graeviuſque*, jampridem juſſerant ſperare, nullam omnino fecere mentionem, quaſi nihil ad me pertinerent curae tuae immortales, aut eas aeſtimarem pro illorum captu, qui nil admirantur, praeter tenebroſam Lucis ſuae obſcuritatem. Virgilium plurimis locis ex veterum membranarum fide caſtigatum jam miſi ad Elzevirios: quos editionem divini poëtae mox paraturos eſſe praeſagio, niſi promiſſa illorum me ludunt ac fruſtrantur. Notas & obſervationes etiamnum premo, dum plures membranae hinc inde ad me perferantur. Codices Hamburgo duos *Langermannus* ſe miſſurum eſſe pollicetur, totidem a *Rottendorphio* proximis diebus accepi: nonnullos e Gallia, praeter jam miſſos, jubeor ſperare. Nam ſuos amicus noſter *ὁ φώσφορος* mari ſe crediturum negat aut terreſtri viae, & preces meas non obli-

Digitized by Google

oblique reppulit. Si quid per hibernam tempestatem otii concedatur (& solent proceres sub brumam Decembrem Januariamque rusticari) Valerio Flacco & Silio Italico recensendis supremam manum imponam, dum ad Maronem observata maturescunt atque elimantur. Amici nostri ἢ δεῖνα nuperum scriptum a Gallis Italisque exsibilatur, me nolente. Ego, quo magis indies magisque comperio, mortalitati hanc inhaerere labem, ut nimia ingenii nostri indulgentia transversi agamur, & in scopulos frequenter impingamus, eo constantius te amicum gratulari mihi soleo, qui luxuriantem lascivientemque castigare possis, & erranti saniora suppeditare. Etsi parcius modestiusque id facis, quam aut sacrosancta sincerae amicitiae lex, aut meus impetus, quem plus aequo sibi interdum indulgere agnosco, permittunt. Ad Statii tui Silvas non pauca annotavi, de quibus agetur a me aliquando, si Poëma illud curis secundis illustrandum tibi propones. Nunc eorum, quae una alteraque epistola apud te excutiebam vix satis memini. τὸ *Maeon* in Epicedio Patris non concoquo, & sane libri veteres id non agnoscunt, in quibus *Major*, si recte memini. Editio Parmensis optima, *Mater*: tum *Phrygius qua puppe magister* in margine ejusdem ex veteri libro annotatum, non *Graius*, pro quo tu *gratus*. ibidem notatum *Velie*, ex antiquo codice, pro *Selle*. Pro *adscita colonis*, malebas *adscripta*. Sed vide ne vulgata scriptura defendi possit ex illis Surrentino Pollii.

Inde Dicarchaeis multum venerande colonis,
Hinc adscite meis.

Tentabam igitur totum locum sic constituere ex vestigiis veterum librorum,

Te de gente suum Latiis adscita colonis
Graja refert Helie: (vel *Hyele*: nam utroque nomine *Velia* Graecis est dicta: quod pluribus, si necesse sit, facile demonstrarim) *Phrygius qua puppe magister* (Palinurum intellige, qui prope portus Velinos apud Maronem, ut scis, submersus interiit. Locum libro Aeneidos sexto consule)

Excidit, & mediis miser evigilavit in undis.

Mater & inde (vel *unde*) *suum longo probat ordine vitae Maeoniden*. prius egerat de paterna origine, cui maternam subjungit, eam ab Homero descendere hoc argumento evinci contendit, quod poëtas complures dederit. τὸ *ordine vitae* non satis capio, & sane Velia cum secundum veteres colonia sit Phocaica, nihil mirum fuisse illic familias, quae Homerum in majoribus suis numerarent: quae sequuntur, *aliaeque aliis natalibus urbes Diripiunt cunctaeque probant*, etiam minus videntur sana, pro *immanis gloria falsi*, Parmensis & *inanis*, quod praetulerim. mox illud minime potest ferri,

Atque ibi dum profers annos, vitamque salutas.

Nam cum de infantia patris jam egerit, perverso ordine ad nativitatem ejus primam recurrat, quare corrigebam, *vitamque solutam*, hoc est otiosam, privatam, ita Cicero aliique optimae Latinitatis scriptores frequenter. Male etiam paulo ante videtur circumferri,

Protinus exorto dextrum risere sorores:

Digitized by Google

Quis enim credat tam inepte loquacem Statium fuisse, ut nativitatis paternae ter meminerit, interrupto ordine & processu orationis? Vide igitur ne scripserit, *Protinus exserto. exserto*, quia deficiente censu equestri purpureos amictus posuerat, uti paulo ante praecessit. Longe plura ex eodem epicedio poteram subtexere, sed metuo ne jam nimius sim. Istud Martialis

Et jactant Catuli vilia templa senes.

A Scriverio, ni fallor, mutatum est. Codices sane veteres plerique *Julia templa*, unde suborta suspicio τὸ *Catuli* mendosum esse. Neque enim satis est veri simile, aedificia Domitiani cum Catuli capitolio, toties instaurato, nostrum voluisse componi. Simiam Augusti Caesaris fuisse Domitianum in aedificiis publicis splendidissime struendis, exhausto hanc in rem & attrito aerario, potes meminisse. Huic adulatus, ut solet, noster, hoc videtur egisse, ut structuras Augusti prae Domitiani sui templis deprimeret. Quare suspicabar illum reliquisse,

Et laudant fatui Julia templa senes.

Fatui senes, quomodo *deliri* apud Horatium. *Julia templa* ab Augusto structa, ut *leges Juliae* ab eodem conditae. *Julia templa* habes apud Statium quoque Equo Germanici. de *Pompeja umbra* (sic enim malo, quam *Pompeji*, quod vix aliter locutos meminerim) recte addit; nam praeter instauratam ipsam porticum & splendidiorem factam a Domitiano, pro *uno nemore duplex* ei postea accessisse ex alio ejusdem Martialis loco videor deprehendisse. *Viduam platanum* ingeniose interpretaris. *Caelibem* eandem Horatio memineram dici, sed ubi hanc cum ulmis, quae maritae, conjungit. Quare suspicabar a Martiali relictum esse, *Vdaque platano*. Meministi illorum nostri de eodem, *Crevit & affuso laetior umbra mero*, ubi minus bene *effuso* circumfertur. Sed tu rem acu tetigisti. In Statii loco *turbinem ruentem*, pro meta inversa interpretaris. Metae formam ejusmodi vasa exhibuisse memini, de metae inversae forma non recordor; nescio an monuerim videri mihi scribendum *turbine rubenti*, nam ex testa rubra fiebant, ut curis secundis ad Fastos Nasonis pluribus monui. Pro *caesa lacerna* vide ne *rasa* debeat refingi, quamquam *sciſſa* placebat olim ex Sat. V. Juvenalis. Haec copiosius quam putaram. Vale. *Schefferi* Phaedrus praelo jam commissus est: ejus epistolam mittebam tibi nuperrime. Apud Phaedrum Fab. LXXXVII. haec leguntur in ed: Rigalt. *Chorus reducto tunc & notum canticum Imposuit.* an chori erat imponere canticum? at supra dixit, divitem illum nobilemque virum, qui ludos erat facturus, cum tibicine pepigisse: ut tantum se ostenderet in theatro, cur ergo hîc canticum illi inponitur? deinde si notum fuit canticum, cur decepit id tibicinem, ut de se factum crederet? certe Pithoei editio *ignotum canticum*, verius omnino fuit, cum legendum putarem, *chori reducto tunc ignotum canticum Imposuit.* Chori canticum ignotum tibicini in theatrum reducto imposuit, i. e. verba dedit, delusit hominem. Tu videris. Vale, CIↃIↃCLXII. a. d. XVIII. Oct. ſt. no.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXXXIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

CUm Nobilis hic adoleſcens, *Johannes Leiencronius*, peregrinationis ſtudio incitatus, iter ad vos moliatur, rogatus ſum a parente ejus D. *Johanne Leiencroon*, cum quo multos jam annos arcta neceſſitudo mihi intercedit, ut filio ſuo commendatitiis adeſſem, arbitranti, quod res eſt, ex conſuetudine praeſtantium virorum praecipuum ad peregrinantes fructum ac utilitatem potiſſimam redundare. Quapropter optime de adoleſcente ipſo, optime etiam de me merituras es, ſi ſtudia ejus, quae rebus politicis hiſtoriciſque dedicavit, non tantum conſilio tuo moderari interdum digneris, ſed etiam ſi des operam, ut in contubernium viri cujuſcumque eruditi & honeſti admittatur, quo ſtudia ejus rectius procedant. Magni beneficii loco operam hîc tuam ſum acceptus. Vale, Vir Eximie. Exarabam Holmiae Suecorum. Anno CIↃIↃCLXII. XIV. Novem.

EPISTOLA. CCCLXXXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

NIſi Muſis atque rei literariae viveres, mi Gronovi, mortuum te mihi ducerem, qui tam rarus literis tuis me convenias. Scio in Livio recenſendo te eſſe nunc totum. Sed tamen amicos ne ſic quidem faſtidire debebas, aut inſuper habere. Miſi etiam jampridem [1] Epicedion Schelianis manibus dicatum, in quo te alloquebar, ſed tu ad mortuales ejuſcemodi naenias aurem delicatam jampridem obſtruxiſti. Obſervationes tuas nec vidi, nec quando ſim viſurus ſat ſcio, cum oportuniora navigationi tempora ſint exſpectanda, quae ante Majas Kalendas vix ſperantur. Utilem & laborioſam mihi operam tuus *Junius* praeſtitiſſe dicitur, commiſſis inter ſe compluribus Maronianis codicibus vetuſtis. Ego mehercules Juveni egregio ob ſingulare officium nihil non debere me & intelligo, & publice etiam profitebor. Interim dum haec aliaque ſubſidia exſpectantur, in ordinem jam nunc redegi ac deſcripſi, quae ad Valerium Flaccum olim annotaram. Praeter excerpta codicum trium quatuorve

1 Legitur lib. IV. Eleg. 7. qua ſimul juſta perſolvit Sorori ſuae unicae, *Eliſabethae Heinſiae.*

Digitized by Google

ve Vaticanorum, & Oxonienſis, a te quoque inſpecti, alius mihi in Regia hujus civitatis bibliotheca ſeſe obtulit, ſed recens admodum. A Valerio ad Silium digreſſus ſum, cujus libros quinque priores jam caſtigavi, reliqua feriis Paſchalibus deſcripturus. Sed morantur impetum, quae deſunt ad ſeptem poſteriores libros excerpta codicis Oxonienſis & editionis Romanae ejus, quae in publica Academiae veſtrae bibliotheca aſſervatur: ea enim *Langermanno*, cui librum dederam utendum, ſubrepta ſunt. Tu ſi ex ſcriniis tuis id damnum potes reſarcire, plurimum me demereberis. Spero animadverſiones meas non tantum in ſcriptorem utrumque, ſed in Maronem quoque hoc anno abſolvi poſſe. Circa Maronem cura praecipua verſabitur. *Schefferi* & *Loccenii* literas, cum hujus opere hiſtorico jam te accepiſſe confido. *Schefferi* Phaedrum autumo jam prodiiſſe, ſed necdum vidi. De Mauricii Tacticis edendis nunc cogitare dicitur, quae luci parata jampridem habet. Nunc potiſſimum ſcriptionis hujus argumentum habe. Florentia *Gudius* ad me ſcribit, ſe vobis aeſtate proxima adfuturum, monetque ne Livianam editionem nimis urgeas. Habere enim ſeſe in promtu, quae tibi tradat, non pauca ſubſidia, editioni huic ornandae multum profutura. Exemplar Romae ſe nactum cum libris ſcriptis a *Mureto* collatum. *Pichenae* codicem a *Carolo Dato* ſe accepiſſe praeterea utendum, tum praeſtantiora Mediceae Bibliothecae exemplaria a ſe diligenter evoluta eſſe. Praeterea aere ſuo ſe ſibi addixiſſe duos aut tres ſcriptos codices probae ac vetuſtae notae. Haec ut ad te perſcriberem rogavit. Me ſperare jubet Naſonis codices manu exaratos quatuor aut quinque, quos vaenales neſcio ubi invenerit, praeter varia excerpta. Appulejanae etiam Metamorphoſeos exemplaria bina. Quid horum promiſſorum ſit praeſtiturus poſtea videbimus. Si reditus ejus nobis ante menſem Majum fuiſſet exſpectandus, jam proſpexeram illi de luculenta conditione. Magnus quippe regni hujuſce Cancellarius extulit nuper liberûm ſuorum praeceptorem, cujus in locum me commendante *Gudium* cupiebat ſuffectum. Sed cum de adventu ejus nil certi poſſem polliceri, alio cogitationes, ut opinor, convertit. In Epicedio Scheliano curis ſecundis nonnulla caſtigavi, quod moneo, ne tu id me inconſulto typis deſcribi patiare. Litem, quam noſti, denuo ceſſiſſe parum ex ſententia mea intelligo. Sed parum res haec me movet. Tu velim tunc demum me victum arbitreris, cum videbis huic judicio manus porrigentem. Sed hoc inter nos. Amicos omnes plurimum ſalvere jubeo. Vale, decus noſtrum immortale. In loco Statiano, quod *talos arctare* pro *telas* reponebam, nunc minus neceſſarium videtur. Nam & apud Lucanum recordor occurrere *telas laxare* contrarium τῷ *arctare*. Iterum Vale. Holmiae Suecorum. A. CIↃIↃCLXII. a. d. VII. Martii Gregor.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXXXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

IGnoſce amicorum prime: Maleum non navigavi, ſed natavi. Ita tertium additus me agitavit atque in ſuam unius ditionem redegit T. Livius, quaſi, quod tam diu dilatus eſſet, ulciſceretur. Notas ita paratas, ut in ſingularem tomum conjicerentur, dum refingo, ut commode, ac ſine ſupervacuis ipſi corpori auctoris quaque pagina ſubmittantur, propemodum omnes deſcripſi. Suborta ſunt interim complures δεύτεραι φροντίδες, ut neceſſe eſt: & ſcis vitium ſolenne, nihil ut meum recenſere poſſim, quin ſaepe ſtilum vertam, mutem, recidam, augeam. Lactarunt & tres codices Voſſiani, ſecundi quidem generis illi, tamen quibus caruiſſe nollem. Sed & ideo relictis rebus hoc unum egi, ut, quia tam longum opus tarde procedit, in anteceſſum mature omne detextum haberem, ne me poeniteret edendorum, ſi quid interea, dum in curſu ſumus, me fieret, & finem videre prohiberet. Ita enim me confudit hic necopinatus amici exceſſus, ut nullam horam meam putem, quam non rapui, & incerto caſuum ſubduxi. Et indulſit hoc quidem Deus immortalis: retractavi totum, & nunc, quia difficilius lectu chirographum eſt meum, ſtudioſa manu deſcribo, ut operarum labor levetur. Sic quoque tamen, dum partes ſingulas trado, dum ante praelum jam compoſitas & correctas relego, & plurimum me moratur, & nonnunquam creſcit, quo me jam perfunctum putabam. Verum eſt igitur, & tuae de hac cura ſpei, & poſterorum, ſi quae conſequentur, commodis te condonare peccatum meum: cui non minimam cauſam praebuit, quod te, tuos oculos & aures, revereor, nec nimis ſollicitam in eo diligentiam eſſe poſſe autumo, quod tibi vel primo approbandum eſt. Neque invides, opinor, juvenibus noſtris, quibus quo majorem ingenero cupiditatem tantopere antehac ſpretarum literarum, eo ſaepius ab illis interpellor, & adjutorium miniſteriumque conſilii mei me flagitant. Et tum tamen tu nobis non longe: vides enim, commiſi privato auditorio Metamorphoſes: quinque & viginti alacres nobis operam dant, qui omnes tua editione, me auctore, utuntur. Exemit praeterea hebdomadem unam & alteram languor quidam & incertus hic veris aër, movens quicquid eſt corporibus aegrum: quod ut ceſſavit incommodum, duplicavi laborem, ut tot dierum damnum compenſarem. Nunc venio ad tuas. In praefica tua Elegia legenda & recitanda non potui ſatiari, & identidem tam juſtas lacrimas repetivi. Satis apparet ingenium creſcere veritate doloris: & quamquam ſemper ita canis, nemo ut ſanus contra te coronam petat, triſtius tamen ſolito argumentum diſertiorem luctum tuum reddidit. Pietas & amicitia certare videntur, utri plus deferas: & utri-

que cumulate satisfeciſti. Ego vero ut crucior deſiderio, ita laudibus meritis mulceor ac delector, quas intellexi primus, quas, quod in me fuit, alui & produxi, cujus virtutum & morum & doctrinae pars mihi debetur; ſed multo major Deo datori & ipſius felicissimae indoli, & generoſiſſimo animo, & efficaciſſimae induſtriae. Itaque ingens ſolatium capio ex hac tanto viro digniſſima laudatione; non tantum ex honore, quo me mactaſti eximio, quum unum omnium ex tot lugentibus tam debiti officii participem invocaviſti. Nam quod & ſororius planctus huic continuatus eſt, pro fratre me habitum duco. Quod ſi jucundius eſt laetis adhiberi, tamen de illis, quibuſcum triſtia communicamus, honeſtius judicamus: nec vero minus animum ſauciavit ac laniavit meum crudelis ſententia, qua rurſus petierunt caput tuum, quibus ſummum jus eſt ſumma injuria. Videntur homines quidam dedita opera hoc moliri, ne ſatis in [1] Magno expellendo patria peccaverit. Tu vero τέτλαθι, ac fide Deo & virtuti tuae, & ſpera eſſe adhuc aliquid praeſidii in bonis; quod hîc ſi deſtituat, non iſta, & alibi fore innocentiae atque ingenio locum. Ad Statii deſperata quid me revocas? An non ſatis eſt ſemel ineptiiſſe? Et vera forſan eſt conjectura tua: neque enim refuto: dicam tamen, quid jam pridem mihi in mentem venerit. *Adſciſci in civitatem*, cui civitas datur, ſatis memineram: ſed *colonis adſciſci* parum placebat. Sciſcendo, id eſt, ſuffragio ferundo, liberi populi peregrinis ſuae civitatis jus impertiebant. Coloni non ſciſcebant de eundo in coloniam, ſed in eam conſcripti domo mittebantur. *Adſcribi* autem *colonis* oppida, quae in album coloniarum referrentur (qualia fuiſſe docent Agrimenſores) multo commodius videbatur dici. Sed hoc remitto. *Adſcita* eſt adjecta vel addita aliis coloniis vel Latinis, vel civium: atque etſi coloni non dicerentur ſciſcere de eundo, tamen populus Romanus ſciſcebat de deducenda colonia. Deinde legebam: *Graja refert Siren*, hoc eſt, Parthenope, ſive Neapolis, illa Siren, origine Graja, nobilitata colonis Romanis, te ſuum refert. Tum, *Trous qua puppe*: nam Virgilius excidiſſe Palinurum oſtendit haud longe ab Sirenum ſcopulis. Ad Veliam non excidit, ſed delatus eſt poſtquam ipſum triduum ac trinoctium nataſſet. *Maeon* Domitius fecit ex *Major*: nec potuit quicquam propius. Dixerat duas eſſe terras, quae cive Papinio gloriarentur, quod majores ejus partirentur. Altera Neapolis eſt, altera Cumae, ut videtur. Refert te ſuum Siren Parthenope: refert & illa, unde Maeon poſt multa ſecula, te velut recidivo Homero dato, probat Maeoniden ſuum ortum fuiſſe: quaſi diceret: & Cumae deductae ab Aeolica Cyma, quam veram patriam Homeri fuiſſe vel tu ex oſſibus ejus exiſtens probas. Plutarchus teſtatur ex Ephoro Cymaeum fuiſſe Homerum; fratres Atellam, Maeonem, Dium; ex Maeone & Critheïde Atellae filia proveniſſe Homerum. Sequitur: *aliae quem aliis certantibus urbes Diripiunt*, per hypallagen, quem aliae aliis certantes ad ſe unaquaeque trahunt. Accipio autem *diripi* eleganti more illo, quo apud Senecam lib. III. de ira cap. XXIII. *Cunctaeque probant*, ex ipſarum opinione: certis argumentis id demonſtrare ſibi videntur & jactant. *Immanis gloria*, multo

[1] Credo *H. Grotium* intelligi.

ma-

magis placet quam *& inanis*. Plerumque enim magis gloriantur, qui minus vere. *Vitamque ſalutas* non de recens nato infante accipio, ſed de adoleſcente, qui ſe vivere intelligit & incipit noſſe, quid ſit vita. Quod ſi tenes *ſolutam*, explica, non otioſam, privatam, ſed liberiorem, ſine paedagogo, toga pura accepta: quum, ſi Romae fuiſſet, *tota impune Subura* permiſiſſet ei *ſparſiſſe oculos jam candidus umbo*. *Exſerto*, vehementer abhorreo. An quia purpureos amictus non habuit (nec ſatis decrevi aut ſana eſſe verba, aut hoc ſenſu, quibus id dici cenſes) ideo nudus inceſſit, aut exſertus Cethegus. *Sic laudant Catuli vilia* ex tribus MSS. ante *Scriverium* dedit *Gruterus*. *Goedius* pollicetur egregia: utinam reſpondeat eventus, & brevi. Utrum fefellit illum, an te poenituit addere, fragmentum Petronii in Dalmatis repertum, atque in eo nunc, ſitne τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένον, doctos diſputare? Mihi quidem ſic, & ſic tantum, Roma ſcribitur. De Silio mandavi *Jacobo* meo, qui & in Virgiliis conferendis *Junii* adjutor fuit. Sed audi aliud κύντερον. Quum nuper audiiſſet (nunc quidem ſecundum) lib. v. verſu CXXXI. *aut totidem tollebat farris acervos*, poſtero die, memor quae legiſſet in quarto Obſervationum περὶ τοῦ *cogere fructus*, rogabat, annon potius ſcripſiſſet, *cogebat farris acervos*. Item verſu DLXXII. *natae ſecura repertae*. Hanc tu laſciviam fac patruo convicio objurges, & jubeas eum redire aliquantiſper ad nuces. Ampliſſimi *Loccenii* hiſtoriam accepi, gratiſſimum munus, & ipſi, ut & elegantiſſimo genero ejus, propediem reſpondebo: nunc enim intelligis me defatigatum eſſe. Quidam, qui valde volunt amici noſtri videri, ſpecie dolentium vicem tuam, acerbe mihi exprobrant, neſcio quid iterum infuſcatum, & te laborantem in Charybdi etiam Scyllam adſciviſſe. Quid auctor es? Arguone mendaces, an demitto auriculas, ut iniquae mentis aſellus, cum gravius dorſo ſubiit onus. Vale, decus noſtrum & melioribus utere fatis. Lugduni a. d. IV. Non. Majas CIↃIↃCLXIII.

Quid ſi ſic legas: *Te de gente ſua* &c. *Graja refert Siren, Trous* &c. *Major & unde ſuam longo p. or. v. Maeonides*. Suam puta gentem. Sed ſatis difficilium nugarum. Vix enim reperiemus in quo uterque acquieſcat. Nobilis juvenis, quem mihi commendaſti, Patrem grates egiſſe tibi puto. Ita nulla in re, quam a me exſpectare poteſt, illi deſum. Iterum vale.

EPISTOLA CCCLXXXVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

MAcerabar jampridem expectatione literarum tuarum, neque excidiſſe tibi penitus habebam perſuaſum, cum oportune admodum uberes & copioſae a te exaratae mihi traduntur. Livio primas a te deferri longe eſt aequiſimum,

simum, quem ego scriptorem in paucis veneror ac admiror. Hunc tua cura sic expolitum mox videbimus, ut ne ipse quidem, si reviviscat, melius de se mereri possit. Tu modo spartam hanc adornare constanter perge; &, ne nimio constet mihi silentium tuum, spem nostram & desiderium frustrari morâ diuturniore noli. Obdurabo interim animum adversus solitudinem omnem, & si rarius a te compellor, posteritati tempus in lucro esse arbitrabor, quod mihi apud te perit. Caute & prudenter, ut caetera, id a te fit, mi Gronovi, quod lucubrationes jam nunc in scriniis paratas & descriptas tenes, ne, si suprema dies superveniat, nos tanto thesauro careamus, & tibi labores tui pereant. Idem consilium & ego nuper sum amplexus, dum quae ad Maronem, Silium, Flaccum Valerium hîc illic annotaram, colligo & dispersa compono, a prima manu opus omne jam detextum est, sed quod limam secundae curae etiamnum desideret ac requirat. In Silio multum jacturae feci, amisso codice, cujus marginem occupabant diversae lectiones mea sedulitate collectae, quas Colonienſis & Oxonius libri manu exarati, tum editiones tres quatuorve priscae suppeditarant. Passus erat perire *Langermannus* id exemplar negligentius servatum: sed & cujus loco obtulerit schedas inde excerptas non nimis accurate, dum festinat & aliud agit, & illas quidem haud integras, atque in libro decimo desinentes. Colonienſi libro praeter *Modium* usus fuit & *Carrion*, ut meministi, cujus exemplar esse opinor, quod utendum mihi concessere patres Societatis Jesu Antverpiani, quam multae fugerint ex praecipuis praestantissimi hujus codicis lectiones bonum *Modium*, videbis aliquando. Sed & illud exemplar fuisse mutilum videtur, cum in libro Silii decimo sexto deficiat, quo diligentius mihi ad libros duos postremos consulendas esse duco vetustas editiones, & si quid Oxonius codex tuo beneficio nobis suggeret. Mediolanensem tu laudas alicubi, mihi hactenus non visam. In regia hujus civitatis bibliotheca nuper offendebam Parmensem anno MCCCCLXXXI. editam, qua nec ipsa ob varias occupationes uti est datum. Post descriptas in ora Dausqueiani codicis observationes meas, quae tu hîc illic, quae *Barthius* in Adversariis illustrastis, percurri. Multa agnovi a vobis occupata, quale illud inter caetera, quo mihi placebam, *Maenia barbarico Nomadum sociata tyranno*, & illud *vage chrysa* Barthianum. In libro decimo quarto uterque feliciter versati estis. Illud tamen vos fugit ipso propemodum libri initio:

Nec res dedecori fuit, aut mutasse pigebat
Sicanum Siculo nomen: mox accola Minos
Duxerat Etretum non fausta ad bella cohortes.

Valde exercuerunt Dausqueium *Etretum* illae *cohortes*, alii alia commenti sunt. Monet idem Dausqueius a Modio proferri ex Colonienſibus membranis

— *mox duxerat actos Maenibus e centum non fausta ad praelia Minos.*

Ubi id produxerit Modius doceas me velim. Nam in Novantiquis ejus nil tale comparet, citat & alia ejusdem Modii passim Dausquejus, quae non recordor in ejus hoc scripto me legisse. Membranae Colonienses pro tribus versibus duos exhibent hoc modo:

Nec

Digitized by Google

Nec res dedecori fuit, accola duxerat actos
Maenibus e centum non fausta ad praelia Minos.

Nec abludit Puteaneus codex, nam caetera subsidia hîc deficiunt me hactenus, nisi quod in eo, *accola duxerit actus Maenibus ereptum.* Scribo minima mutatione.

Nec Cres dedecori fuit accola: duxerat actos
Maenibus e centum non fausta ad praelia Minos.

Κρήτην ἑκατόμπολιν nosti. Sed Livii tui modo injecta mentio alterum Silii locum pessime affectum mihi revocat in mentem ex libro XIII. vers. 30.

At contra Agrippa haud parvum decus, inclyta namque
Semina ab Oenei ductoris stirpe trahebat
(Aetolidas inter fuit haud ignobile nomen)
Laetus opum.

Et quae sequuntur. Τὸ *Aetolidas* non est nauci, & peccat in legem metricam, nec saniora sunt caetera. Sed videamus scriptos. Primo bene Colon ensis, *At contra Argyripae provum decus.* Puteaneus *Aggripe parvum decus*, pro *Oenei ductoris* uterque codex, *Oeneâ ductoris stirpe.* Versum tertium sic exhibet Colonienſis, *Autolidas id fuit ignobile nomen.* Puteaneus *Oetolidas fuit haud ignob. n.* pro *Autolidas id*, facio levi mutatione, *Aetoli Dasio.* Locum integritati pristinae restitutum ecce:

At contra Argyripae pravum decus, inclyta namque
Semina ab Oenea ductoris stirpe trahebat
Aetoli, Dasio fuit haud ignobile nomen

Argyripam non Silio solum libro XVII. ubi *Argyripae campos* habes, pro Arpis poni; sed Virgilio etiam haud ignoras. *Argyripae pravum* decus, quia ab ipso Diomede Arporum conditore originem trahebat vir altae nobilitatis, sed pravo ac perfido ingenio, hic Dasius Altinius, quem ad Hannibalem defeciſſe Livius testis: eum vide libro XXIV. cap. XLV. Injurius igitur est Hubertus Goltzius, qui in magna Graeciâ pro *Dasio Altinio* illic reponendum esse censet nomen *Cassii Atinii*, nescio qua auctoritate permotus. *Dasio fuit nomen* plane Silianum est, libro XI. vers. 58. *Pacuvio fuit haud obscurum crimine nomen.* libro XIV. vers. 150. *Asilo nomen erat*, & alibi, *Cristae nomen erat.* Sed jam nimii sumus. Nasonem nostrum tua commendatione florere & studiosae juventuti in manu esse gaudeo. Castigationum in Metamorphoses mearum si quid est, quod se tibi probet, pulchre succesſit opera. sub finem libri VI, cum mutavi, *barbam rutilis subnixam capillis*, toto aberrabam caelo. Sed nec illud libro XII. quod nuper tibi proponebam, nunc placet, pro *Macedonia sarissa* rescribi *Lacedaemoniam*, nam Μακηδονίην etiam poëtis dici observo, quomodo apud Periegeten,

Θεσσαλίη δ'ἐπὶ τοῖσι Μακηδονίηϛε πόληες.

Mimnermus apud Athenaeum libro XIII,

Ἀλλὰ Μακηδονίης πάσας κατενίσατο λαύεϛις.

Quae filius tuus castigavit, amplector, eumque famae paternae tam feliciter

ſuccreſcere laetor. *natae ſecura repertae* elegans eſt, nec minus alterum *cogere acervos*. *Tollere* tamen pro auferre interpretabar, ut in illo Maroniano,

Tollite cuncta, inquit, coeptoſque auferte labores.

Poſt triturам farra tollebantur ex area in horreum recondenda: habes patruam cenſuram, cui tamen nec ipſe ſubſcribo niſi dubie & cunctanter. Funebrem elegiam variis locis correxi, deque iis, quae videbantur mutanda, *Graevium* jam monui. Tibi me hîc placuiſſe non poſtremae felicitatis eſt. Vellem & in caeteris. Flagitant Elzevirii novam poëmatum meorum editionem, quam ipſi mox parent. Quare proximis diebus feſtis redigam fortaſſis omnia in ordinem, & pro duobus Elegiarum libellis, praeter juvenilia, alios totidem dabo. Duos Silvarum, epigrammatum unum additurus, qui ſeptem libelli corpus integrum voluminis abſolvant, nam juvenilia auctarii accedent loco. Curas in Naſonem ſecundas nc hactenus detexam facit *Gudius*, qui huc properantis impetum nonnihil ſufflaminavit, promiſſis novis ſubſidiis, quae expectaſſe operae ſit. *Junio* & filio tuo *Jacobo* plurimum debeo, quod meos in Marone recenſendo conatus fovere non ſunt gravati, idque beneficium publice gratus agnoſcam. Codices *Moreti* minimum vetuſtatis prae ſe ferunt, Voſſianos antiquiores eſſe arbitror, exemplar in Leidenſi bibliotheca ſatis luculentum ſervatur, cui integra Servii commentaria praefiguntur, quodque dolco a me evolutum non eſſe, nam altero ejuſdem bibliothecae uſum eſſe me, puto, recordaris. In eo cum offendiſſem libro v. verſ. 620. *Fit Beroe Marii coniunx longaeva Dorycli*, quod & ipſum ex pleriſque ſuorum annotavit *Pierius*, non *Iſmarii*, ſcribendum eſſe *Tmarii Dorycli* ſuboluit; uti curis ad Claudianum ſecundis monebam bello Getico verſ. 18. nam & Eccloga VIII. veterrimus liber Mediceus *Aut Maros aut Rhodope*, hanc conjecturam tres ex Moretanis codices confirmant, quod in excerptis caetera accuratiſſimis non eſt annotatum, ut nec illud libro VI. verſ. 209. ex iiſdem Moreti codicibus, *crepitabant bractea vento*, adeo nulla diligentia poteſt nimia eſſe, & ſane dubito, an non id ipſum me quoque fugerit, cum Mediceum illum longe vetuſtiſſimum evolvebam: nam caeteri fere omnes probatioris notae ſic agnoſcunt: nam cum ramus eſſet aureus, ſingula rami folia ſingulas bracteas conficiebant, eo igitur, quod dicit, *crepitabant bractea*, plures fuiſſe bracteas deſignat. Voluit *Moreti* codices ad me venire Elzevirius, quos cum excerptis committam, ubi primum erit integrum, & fore proximis feriis opinor. In hac enim ſolitudine illud obvenit mihi perquam commodum, quod proceres frequenter ruſticantur, & ferias ſibi ac nobis indicunt, quas otiando perire mihi non ſino. Eas ſibi proxime vindicabit Maro, quem miror tam ſupine ac negligenter ab interpretibus tractatum eſſe. Vrget hunc herois *Chriſtina*, & ſibi lucubrationes noſtras inſcribi poſtulat. Promiſi morem poſtulato huic a me gerendum fore, ſed ea lege, ut ex aere meo ſeſe expediat tandem aliquando. Jamque verſus habeo paratos, per quos opus id illi dedicetur, ut ſerio rem a me agi intelligat. [1] horum epilogum ecce.

Poſt

1 Vid. lib. IV. Eleg. VII.

Digitized by Google

Post palmas toties dextra victrice relatas,
Auctaque consiliis, spretaque regna tuis; &c.

Phaedrum *Schefferi* jampridem accepisse te oportet, quem mari ante hos triginta dies & plures ad Elzevirias aedes Amstelaedamum misi. Conjecturas meas minima ex parte operi inseruit amicus noster; vereor tamen, ne vel sic nimius hîc fuerit. libro I. fab. IX. male editum est *mortis en solatio*, pro *solatia*, quomodo legendum videbatur. Libro III. fab. XL. corrigebam, *quale te dicam bonum Antehac fuisse*, ut in illo, *Forma bonum fragile est*, sed monendum non putavit: ut nec illud libro. v. LXXXVI. quod bis castigabam, *verrem ut subesse pallio contenderent*, & *pervellit aurem verri*, *quem celaverat*, non *verum*, *vero. verrem* pro porcello posuit, quomodo & in fabulâ proxime antecedenti. Sed tu de his videris. Nunc Mauricii Tactica praelo subjecit. Ut veniam tandem ad Observationes tuas, munus longe gratissimum, jam eas percurri ea aviditate, qua tua soleo. *Nec satis est legisse semel, juvat usque morari.* De iis quaecumque dixero, longe infra operis meritum erunt. Tentatur illic locus a te Statianus ex Tiburtino Vopisci, ni fallor, quem ego jampridem sic constituebam,

At nunc ignarae forsan vel lubrica Nais,
Vel non abruptos tibi debet Hamadryas annos.

Tibi debet, quia illis propter te & in te parcitur, nam, *fatum Naidos arbor erat*, ut in Fastis inquiebat ille. Sed nae ego fatuus sum, qui sus Minervam, praesertim in illo scriptore, qui nemini plus debet, quam tibi. Pro caeteris, quae in illo epistola tua me docuit, grates ago, quantas par est. Palinurum mediis in undis effusum, & terrae adnatantem describit Maro, nec deprehensum ab Aenea hunc casum, nisi cum jam scopulos Sirenum esset advectus. Sirenum scopuli e regione promontorii Minervae, & Caprearum. immensum sane itineris spatium conficiendum fuit Palinuro natanti, si Neapoli usque Veliam sit delatus. Nam Sirenum scopuli inter Neapolim & Veliam medio fere itinere, quo devecta navi jampridem excussus erat Palinurus. Nondum igitur displicet *Graia Hyele*. *Hyele* enim Graiis, Latinis *Velia* est dicta. In Velienſium nummis apud Goltzium passim ΥΕΛΗΤΩΝ. Sed nec *Phrygius magister* amovendus, cum nitatur vetusti codicis auctoritate, quîcum vir doctus nescio quis antiquissimam editionem Parmensem commisit in museo meo exstantem, nec dubitari de fide ejus potest, cum multae lectiones inde depromantur a receptis plurimum discrepantes. parentis mei illud *Nubigenas clypeos* & Politiani alterum *Quam tuus ille dies*, aliaque id genus plura ibi exhibentur. Quare nec temere rejiciendum, *Mater & inde suum:* pro *ordine vitae* forsan castigandum *ordine avito*. Τὸ *Maeon* manifeste in legem metricam peccat, nisi quinti sit casus. Τὸ *exserto* capiebam respectu illorum, *nobile pectoris aurum*, quo exuto, tamquam amoto omni impedimento, Musas coepisse illi favere, neque enim *exsertus* pro nudo semper sumitur, sed quandoque pro parato aut expedito aut exercitato, *exsertus lentandis navita tonsis* apud Claudianum. In Senecae Tragoedias nonnulla suggesseram, quae nescio an acceperis. Sunt in prom-

promptu longe plura. De Petronio cum alii, tum *Carolus Datus* nuper admodum nonnulla significabat. Ipse tamen suspensam tenet fidem, nec quicquam arbitratur temere credendum. Dedisse quidem se literas Romam ad *Octavium Falconerium*, elegantis ingenii virum, per quem sperabat certiora de re tota posse cognosci, caeterum eas serius Romam delatas esse, *Falconerio* jam in Gallias profecto, quo se cum *Raspono* nuper contulit. De Scylla post Charybdin securum esse te jubeo, satis enim superque per hanc fundi nostri calamitatem sum attritus. Quos autem innuas amicos nostros haud scio. Praeter te enim & *Beuningium* vix opinor illic terrarum esse quemquam, cui id nominis conveniat. Nisi [1] homines designas in Gothicarum, Saxonumque ac Islandicarum antiquitatum luto spurcissimo assidue volutantes, qui cum veterum elegantiarum omnemque priscae eruditionis cultum stolide ejurarint, & castra nostra turpiter deseruerint, quo jure se pro amicis meis ausint venditare non video, digniores profecto qui huc relegentur terrarum, quam ego. Esse hîc, qui male de me aut loquantur aut sentiant, non miror, cui res longe odiosissimae fuerint tractandae hactenus, ac inter caeteras urgendum supplicium juvenis nobilissimi, & cognationis vinculo procerum plerisque adnexi, qui piratarum manu instructus nautas Hollandos complures trucidarat. Is jam poenas pro meritis me accusante dedit. Ne quid erres, amice, fuit hîc nonnemo nuper ex discipulis tuis, qui pro venerio nepotulo te palam traduceret, aliis etiam viris honestissimis pari modo obtrectaret. Hunc ego a me removi, cum domi foriſque saepius jam digladiatus esset, & nunc alios pugnis depexuisset, nunc vapularet ipse, jurgiisque ac calumniis modum non faceret, tum ex famulis meis unum trino vulnere lethaliter confecisset. Tanta in illo erat calumniandi libido & insania, ut & hîc terrarum viros primates duos proditionis, & Viennae in Austria unum ex Proceribus paederastiae insimularit, atque hanc ob causam inde nocturnus clam profugerit.] *Schokium* quando pro meritis a te ornatum videbimus? aut cur premis tanto tempore, quae legi publice non tuâ tantum, sed omnium, quotquot te & literas aestimamus, intererat? In [2] ϑεῖα quae dixi, sunt verissima. Gessit enim se perquam nequiter, ut minimum prae aliis delictis in eo peccarit, quod in scriniis meis compilandis manu siniſtra non belle usus est: hoc enim illi fraternum esse quodammodo videri potest. Scis, quid in Vossianis aedibus evenerit. Deprensus & convictus coram tribus testibus ad calumnias confugit, & invenit, qui aurem hîc illi commodaret, Trajecti nonneminem ex familiaribus nostris. Sed haec contemni & negligi praestat. Tu vale, mi Gronovi, & cum vacabit horam unam alteramque amicis impertiri, fac intelligam de rebus tuis nonnihil. Exspecto indies, ut rationum mearum examen Proceres nostri absolvant, tum curae mihi erit, ut per Elzevirios, quod debeo, tibi numeretur. Vides, quam manum de tabula non tollam tempestive, cum ad te scribo. Vale, Holmiae Suecorum. CIↃCLXIII. a. d. VII. Junii Gregor.

EPI-

1 *Janum Vlitium* intelligit. 2 *Jacobum Tollium*, quem puto indicari in praefatione Heinsii in Valerium Flaccum, & qui notas ejus subduxerat.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXXXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

QUaſi non ſatis negotii Livius faceſſeret mihi, deſubito admiſi & Plautum, Heinſi jucundiſſime. Nam quum ſignificaſſet typographus ſe ſubjecturum praelo, qualem antehac dederat, & phalerarum aliquid poſceret, quod commodo meo facere poſſem (hac enim ſemper & anxie formula mecum agit, ne quid imputem) promiſi, nihil aliud tum deſtinans animo, quam veteres nonnullas miniatulas cum eo communicare. At re diligenter tractata intellexi aut totum mihi Plautum in fulloniam eſſe mittendum, aut iterum fore, ut & chartae & formae tam nitidae perirent, ac ſi quid eo conjiceretur meum, ignoſcat mihi genius tuus, in oletum adderem. Ita vanum omnem *Gruteri* laborem tantum reddidit nomine ſuo corruptiſſimo exemplari praepoſito *Aug. Buchnerus*, quem ſecutus eſt noſter, & hic margines ſcoriis ſuis & foriis opplevit. Quid ille, qui non obſervavit, quid eſſet *in mundo eſſe:* quid *Sic dedero*, vel *Sic datur:* quid in imprecationibus, *Qui illum:* quid *Condigne:* quid *Eâdem* pro eadem opera, & alia paſſim occurrentia? & his tentandis ſe prodat correctorem ſe prius prodiiſſe, quam domi ſediſſe lectorem Plauti? Scis penes me legatum eſſe [1] *Philippi* juſtum Animadverſionum (ut in brevioribus editis appellat) volumen, haud facile edendum: ita deterret parochos moles libri, nihil niſi varias lectiones, & magnam partem inutiles, continentis. Ignoraſſem, quam fidelis & exacta fuerit opera *Gruteri*, niſi centies iſtum viderem conqueri, vitiatos ab adverſario ſuo verſus deletis aut tranſpoſitis, aut additis vocibus. Neque enim diffitetur in MSS. ſic repertum, & lex illa metrorum, quam Comicis nuper indixerunt, & Plauto & Terentio, opinor, magnum malum dedit. Pauca tamen occurrerunt, in quibus & contentionis ſtudium abduxiſſe *Gruterum* videbatur: in quibuſdam judicium fefellerat: erat, ubi differrent, & neuter aliquid commemoraret auctoritatis: alicubi hic ait, ille negat ſic in ſcriptis haberi. Ergo optavi videre & illos, quoſque potui paravi, tres a Voſſio in membranis, chartaceum ab *Had. Junio* Rectore Amſtelaedamenſi, quo [2] *Marcus* olim uſus: licet omnes non ultra fabulas octo contineant. Sic exemptae mihi feriae, adeo quidem, ut nec uxorem Daventriam ad communes neceſſitudines viſendas profectum comitatus ſim. Sed Plautum multis locis illuſtriorem, paſſim antiquis exemplaribus congruentiorem habebitis, ut tu ſtatim, quum legeris, quae diſplicent, divinando reſtituere poſſis, nec vereare, ne male inculcata quanquam, quae vis eſt ingenii tui, meliora reddideris, longius tamen a priſca manu recedas. Qua in re non ſemel

1 *Jo. Philippi Parei*, qui legatum Gronovio reliquerat. Vid. ſupr. Ep. CLX. 2 *Boxhornius.*

illusit sibi *Salmasius*, pro scripta lectione accipiendo, quae recentiorum erat conjectura. Sic Mostellaria 2, 2, 27. *Pulsandâ pedibus poetae confregi assulas*, vetus esse putat, quum sit *hasce ambas*. Et statim vers. 38. *Dii te deaeque omnes perduaxint cum isto omine*, si liceret a vestigiis scriptae lectionis recedere, pronum fore notat legere *perduint*: sed *perduo* antiquum fecisse *perduasso*. At scripta lectio est *axint* vel *faxint*: & hoc recte: intelligitur enim, male perire. Hoc ego vos periculo liberabo. Te quoque jam inveni locum, ubi intexerem: nempe ad *Deglupta Maena*. Quae literis tuis misces φιλολογήματα, melli fuere omnia. In altero Silii loco multos annos est, quum ex vulgata conjecceram: *Duxerat & Cretum*: sed remisi, quia *Cluverium* occupasse cognovi. Placet & consilium de Virgilio, Silio, Valerio Flacco. Age sane, da illos sacros sinceros, quod solus potes, & quamprimum: festina, urge. Potin, ut hos nobis sistas pure lautos tersosque? en erit unquam, cum hoc tui Musei munus habebimus. Nec levius tibi convicium faciemus, si cessaverint poëmata, quae quidem nunc domi desidero: nam cum homini nobili Transalanae civitatis ea praedicassem, & commodassem, nunquam postea recuperare potui. Oxonienſia excerpta, quae desiderabas, en tibi filii manu: quae ex Romano exemplari, proxime mittentur. Amicorum tu nomen in arctum concludis. Sed ita est: ego quoque idem indies magis experior in meis, paucissimos esse. Interim vulgi more loquutus eram: & sunt hic quoque, qui, quae parum secunda audiunt, spargant specie dolentium, cum revera sint in ulcere ungues. Ita certatim de postrema sententia ingesserunt mihi, & quia te bono esse animo dicebam, exaugebant periculum, scilicet illi quasi solliciti tuam vicem, quae si fierent, nil nisi cachinnarent. Sed istos merito contemnimus. Euathli mei παρουσίαν cognovi apud *Plumerum*: ubi Sannionem aut Ballionem sane quam risi: in te patrata tuli aegerrime. Quem scribis ei aurem commodare, miror profecto, si est, quem censeo. Honorem, quem studiis vestris habitum ivit Galliarum rex, libens vobis gratulor, ut & istam magnitudinem animi, atque exemplum merito praedico: licet ipse fastiditus, scilicet quia infortunati amicus. Ita enim ad nos scriptum est, meum quoque nomen (& hoc multum satisque est mihi) ibi a primo receptum fuisse: sed nescio quem fascinantibus oculis submonuisse, in rationibus vincti munusculum mihi expensum ferri; ita illud expunctum. Bene habet: dum honos sit literis, non invideo felicioribus. Quae in lesso tuo correxisti, recte facies, si nobiscum communicaveris, ut sint in promptu, si forsan edatur. Vale, decus nostrum, & pectus amicitiae. Lugduni a. d. prid. Cal. Septemb. CIↃIↃCLXIII.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXXIX.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

DE Regis Christianissimi munificentiâ erga viros, literarum cognitione potissimum sub hanc tempestatem florentes, res non te latet. Ego quamquam ante menses hosce sex septemve *Capellano* nostro auctor fuerim, cum de Regis hoc instituto mecum per literas agebat, ut tui in praecipuis rationem haberet apud illustrissimum *Colbertum*, cui negotii totius cura a Rege erat demandata, quemque *Capellani* consiliis inniti hic haud ignorabam, hominis sibi per quam familiaris: (cum pudore enim nostro conjunctum fore videbatur, si aliquo essemus loco, ubi tu non admittereris, optime, si quisquam, de literis meritus) rescripsit tamen *Capellanus*, te nolente tui rationem nunc quidem habitam non esse, quamquam virtutes tuas operose commendasset *Colberto*, sed nec te unum esse praeteritum in hoc numero, nec de re ex voto meo conficienda desperari oportere in annum proximum. Id vero ut oportunius confieri possit, Livium tuum aut ipsi Regi, aut saltem *Colberto* dedices atque inscribas censeo, nisi fidem tuam alius jam patronus oppigneratam tenet. Sin minus, vide sodes an e re tua sit, florenos mille annuos fastidire. Si paratus es consilio meo manum dare, ita causam tuam in aula Gallica sum acturus, ut certo intelligas, quid tibi sit sperandum, priusquam horum, quos jam designabam, alterutri Livium inscribis. Fac quaeso hic saltem responsi a te nonnihil obtineam, & quidem mature; ne cum dolore meo denuo te praeteritum esse, quod abominor, intelligam. De Marone & studiis meis proxime nonnihil fortasse, quamquam satis ac super hisce frivolis jam nuper te obtundebam. Habe nunc hoc [1] epigramma regiae pietati a me datum, ne ἀσύμβολος te accesserim. Vale, mi Gronovi. Holmiae. CIↃIↃCLXIII. XII. Sept. Gre.

1 Editum lib. III. Silv. p. 207.

EPISTOLA CCCXC.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

DE castigandis Plautinis Comoediis te cogitare ut lubens intelligo, mi Gronovi! Inopinato equidem supervenit mihi hic nuncius, cum solum a te Livium impatienter expectarem, cujus editionem egregie ornabit tibi *Ludius*,

dius, si salvae sunt schedae omnes, quas ille tuam in rem apud Italos collegerat. Ipse *Gudius* non longe a vobis potest nunc abesse, cum Lutetiam jampridem incolumis advenerit. Fortunas ejus habeo profecto commendatissimas. Quare, si me audit, de conditione a Duisburganis oblatâ nunc quidem non cogitabit, sed secundam ad exteros profectionem molietur, quam priore hac longe utiliorem sibi fore experiatur aliquando; ego certe id expertus sum. Occasio rei oportuna non deerit, sive *Leeuwencronii* filio operam hanc addicet, quod pater mihi visus est optare, sive alteri cuicumque. Indolem *Leeuwencronii* adolescentis perspectam tu habere jam potes, quam si minus probaris, alibi facile comitem itineris illi inveniemus, quem per Europam sine impensis suis circumducat. Velim tamen anno alteroque interea sedem apud vos figat, & nonnihil prodat in lucem suarum lucubrationum, quo facto existimationem apud homines literatos multam haud dubie est collecturus vir egregius. Rogo & auris illi a te vellatur super iis quamprimum ad me mittendis, quae multo studio conquisivit undique, Nasonis novam editionem non parum exornatura, quam parari a me posse ante tempestatem vernam confido. Multum quippe praesidii hoc acturo mihi in se fore, jam non semel est pollicitus. Sed ad Plautum tuum ut revertamur, memineris velim pervetustum ejus exemplar; typis tamen descriptum, in Leidensi bibliothecâ adservari. Teneo & ego Venetam editionem Anni MCCCCLXXII. quam *Georgius Alexandrinus* recensuit: adhaec Plantinianam manu *Scaligeri* passim emendatam. Si quid horum codicum desiderabis forte, id in tuos usus esse apud me paratum scito. Nam Aldinum codicem cum MStis, si recordor, collatum utendum a me *Goesius* ante annos complures accepit. Filium ejus, nepotem meum, per literas monebo hodie, ut libri hujus copiam tibi faciat. Praecipuo tamen usui erunt Schedae Gruterianae, quas Amstelaedami apud *Johannem Sixium* vidi olim. Eas *Rufius* noster facile tibi impetrabit, ut spero, nisi ille hoc officio jam est perfunctus, quod malim. Commentatores varii quidem penes me exstant, sed quorum neminem te fugisse opinor. De me ut addam nonnihil deque studiis meis, exerceor etiamnum membranis Maronianis evolvendis, labore ingrato & molesto, sed qui ad finem jam propemodum sit perductus. Duodeviginti codices, & aliquanto plures etiam, fuerunt excutiendi. Nunc restat, ut quae inde depromta sunt, veterum Grammaticorum auctoritate nonnihil confirmem. Eos enim nosti in Marone ad partes vocando tantum non assiduos esse. Hinc ubi me expediero, castigationes ad Val. Flaccum & ad Silium Italicum continuata opera detexam. In Flaccum Commentarios integros *Baptistae Pii*, hactenus mihi ignotos, ex Ubsalienſi bibliothecâ sum nactus, quos percurrendos proposui, praesertim cum membranis vetustis se usum esse Valerii passim depraedicet. Silii quoque editionem Parmensem hîc inveni, quam cum Romana in plurimis consentientem deprehendo. Libro XIV. apud illum sub finem scis illa occurrere, *non aera vacabant, quae scirent Ephyren*; ea negotii nonnihil & mihi exhibuerunt, & tibi quoque quantum video. Τὸ *vacabant* in Juntarum editione Florentina, anni MDXV. quam *Ambrosius Nicander Toletanus* in-

interpolator se gloriatur castigasse, video comparere. Idque Aldus etiam secutus est, & Aldo obsecuti caeteri typographi. At vetustiores cum Marso eumque scriptis exemplaribus, *juvabant* constanter; nisi quod *juvabat* in Colonienſi. Idem quoque, uti & Puteaneus, & Oxonius *Quem scire*, non *Quae scirent*. Videor videre quid velit Silius, verba tamen ejus an exhibere possim & revocare fugitiva dubito. Tentabam tamen,

—— non usquam clarior illo
Gloria picturae saeclo, non aeris (avitam
Quâ scires Ephyren) fulvo certaret ut auro.

Non usquam clarior illo saeculo gloria nec picturae nec aeris, ut etiam auro certarent, nec minus cara haberentur signa aenea; qua gloria (ad aes refer) facile scires avitam esse Syracusanis Ephyren. Syracusae autem Corinthiorum colonia, hinc supra hoc ipso libro vers. 181. *Ephyraea moenia* Syracusas appellavit. Vide & vers. 52. ex literarum transpositione error subnatus videtur. Tu judica. *Ephyraea aera* pro signis aeneis faberrime factis in proverbium abierunt apud Maronem aliosque. Ut cogitarim aliquando in Petronio scribi posse. *Aes Ephyres laudabat miles in umbra.* Quo ductus vetustae scripturae invitabant Mediceorum codicum. Et quia Petronii oportune mentio est injecta, narro tibi Italos de scriptore illo recens invento, ut aut integer mox in lucem sit proditurus, aut integro simillimus, pergere praeclara omnia polliceri. Nunciat *Carolus Datus* codicem ipsum ab amico quodam suo, rerum haud imperito, esse inspectum, qui testetur pervetusta manu omnia esse exarata, nihil inculcatum interpolatumve, aut quod de dolo malo suspicionem possit injicere. Idem ex Italia ad se perscribi *Bigotius* asseverat. Nobis obdurandus est animus, dum videamus, quo evasura sint promissa. Munifice me habitum fuisse a Rege Christianissimo qui spargunt, nil mentiuntur. Quamquam Proceres nostri fructum liberalitatis regiae omnem mihi intercipere videntur velle. Munus ipsum ut iis ignaris admittendum non putavi, sic neque invitis iis id sum amplexurus. Te praeteritum molestе aegerrimeque tuli. Auguror tamen huic errori posse a nobis occurri, praesertim si consilium meum sequeris, de quo proximis literis tecum agebam. Possis autem officii partes haud incommode sic dividere, ut Livius Regi, *Colberto* Plautus inscribantur. Ego utrique grates per epistolam jam egi. Ubi rescribetur nonnihil, rem tuam urgebo, quantum potero. *Fulqueti* patrocinium quod scribis invidiosum noxiumque rebus tuis hîc fuisse, ita jam suspicatus eram, & video nunc nihil conjecturae me falsum. Sed mederi conabimur huic ulceri. *Colbertus* ultro humanissimis literis ignotum ignotus compellavit, quarum exemplum hîc habes. Ad *Loccenium* & *Schefferum* tuas perendie curabo. Noster ille post Phaedrum commentariis illustratum, Mauricli atque Arriani tactica praelo nunc subjecit, etiam Opus de Philosophia Italica Sectae Pythagoreae. In Phaedrum conjecturarum nonnihil tecum communicabam nuper, de quo quid sentires, vellem explicasses paullo apertius. Sunt enim non pauca ejusdem notae mea, quae amicus noster observationibus suis inserenda non duxit, credo, quod ea improbaret.

Ego tamen, ut noſtra nimii plerumque nos amamus, ea proſus ut damnem induci nondum poſſum. In Marone conjecturae omnis ſum parciſſimus in tanta copia veterrimorum exemplarium. Auſus tamen ſum quandoque aliquid tentare, praeſertim quod exploratum habebam ipſis membranis, antiquiſſimis utcumque, naevos pertinaciter nonnunquam inhaerere. Sic *Hylas* pro *Hylax*, & *Sardonii herbis* pro *Sardois*, *Projiciunt* pro *Perriciunt* aliaque hujus notae plurima. Quare in Bucolicis adverſus membranarum auctoritatem tentabam Ecloga verſ. 30. *thiaſos indiere Bacchi*; non *indicere*. *Bacchi* pro *Baccho* eſt in ſcriptis omnibus. Aeneidos x. *Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi.* Statius tuus Achill. *Sed Bacchi comites diſcuſſa nube ſoporis Signa choris indicta patant.* Aeneidos primo verſ. 548. putabam, *Non metus, officio ne te certaſſe priorem Poeniteat*, pro *nec te*. Non eſt metus, ne te poeniteat. verſ. 737. *Primaque libatos ſummo tenus attigit ore.* latices nimirum: non *libato*. Scis poëtarum accuratiſſimos quoſque diligenter cavere, ne voces duas in eundem ſonum deſinentes conjungant. Sed, ohe jam ſatis eſt. Filium tuum ob excerpta Siliana Oxonienſis libri ad me miſſa amo vehementer. Vale, Vir ſumme. Exaratum Holmiae. CIↃIↃCLXIII. a. d. XXVI. Sept. Gre. De Quinctiliani editione ne quid temere aut inconſulte *Screvelius* veſter agat erit monendus. Pithoeanum exemplar hanc in rem offert *Bigotius*, locis plurimis caſtigatum. Tum *Turnebi*, *Guieti*, aliorum notas, per quas editio ornari egregie poſſit. Cogitare ſe de caſtigando hoc ſcriptore *Graevius* diu eſt quod monuit, etiam de Heſiodo. Utrumque inſtitutum praeclare non uno ſubſidio poterat promoveri, ſi hoc ſerio illum agere haberem exploratum. *Graevius* noſter, quid rerum moliatur, ubi curas occupet potiſſimùm, ſciſcitatus jam non ſemel eſt humaniſſimus *Bigotius*, ad quam quaeſtionem reſpondere nil poſſum. Velim tamen obligatam de Polyaeno edendo fidem aliquando liberet. In *Schelii* epicedio quae hîc illic emendaram, is jampridem a me tulit. *Schoppii* Minervam Sanctianam ſcis, puto, jam proſtare venalem. Si Plumerus aliam ejus libri editionem parat, ut opinor, auctor illi eſto, ut reliqua ejuſdem argumenti Sanctiana opuſcula Minervae ſubjiciat: quicquid hujus notae in ſcriniis tuis meiſque deſideratur, *Bigotius* ſe aliunde inveſtigaturum eſſe promittit.

EPISTOLA CCCXCI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

BOnitas tua & ſtudium in me commendando, Heinſi excellentiſſime, pluris eſt mihi, quam regia pecunia. Itaque in magno beneficio mihi licet expenſum feras, & quod ita fieri oportere judicaſti, & quod, ut fieret, elaboraſti. Eas tibi ego grates habebo immortales, & Deum veneror, te ſupra omnes au-

augeat, quum tam benevole illos tibi aequari cupis. Rem ipsam ita cecidisse magis laetatus sum vestra, quam dolui mea causa. Didici enim multis casibus non accusare homines ob ea, quae contingunt, quam omnia referre ad divinam providentiam: quae mihi quamcumque partem adsignat, ea laetus vivo: si cui prolixior alluxit, non inde ὀφθαλμὸς πονηρὸς mihi. Deinde amor ille infinitus literarum, qui me tot cogit suscipere ac tolerare labores, vetat indignari, ut vos magis illis enitescere, ita etiam eas in vobis magis honorari. Sed & gloria magni regis salva est, quoscumque ille munificentia sua dignos probet, dummodo hanc ob causam probet. Quid ergo me sollicitas, & amicum tuum, quem tantopere monstrando evexisti, illum deprimis indigna suadendo? Primum ambiguum est an haec sit ad utilitatem via. Deinde ut sit, praecipua rei gratia interit, quae est, quod ultro & non exspectantibus provenit. Ac forte ob id ipsum non proderit: nam & ego ambiendo viliorem me fecero, & illi, si rationem mei haberi debuisse intelligent, nolent agnoscere in judicio se peccasse. Itaque cane illa, quo volent: ego de fortuna habeo, quod illa sponte detulit, non quod importunus fatigatae extorsi. Livium mihi auctor est *Rottendorfius* ut ad Paderbornensem Principem allegem. Plauto (scis enim quae postremo Sextili ad te scripsi) videbo, si quem salvo pudore invenero. At tu, o fidissimum & carissimum caput, alium quaere feliciorem, in quo gratiam tuam experiare: istos arbitratu suo uti, me nemini molestum esse patere. Quod adjecisti, *Tale tuum carmen nobis*, *d. p.* nosti caetera. Vale & salve, ὦ φιλότης. Lugduni a. d. III. Cal. Octobr. CIↃIↃCLXIII.

EPISTOLA CCCXCII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

SOlet mihi plurimum apud te licere, flos amicorum, unde fit, ut manu praecipiti incogitanter plerumque illinam chartae, si quid ad te perscriptum cupio. Id ipsum ne & nuper mihi evenerit metus est, dum in partem regalis munificentiae te adhiberi cupio. Nam quemadmodum meritis tuis eum haberi honorem vehementer optabam, atque etiamnum opto, qui viris nequaquam tibi comparandis, meritique longe minoris, obtigisset nuper, ita in ea nusquam fui sententia, ut aliquid te indignum hic tibi faciendum, & ad lucra sordide adspirandum esse, arbitrarer. Quid enim? Egone venalem te exponi velim, aut quicquam a te fieri, quod & ipse averser, & in mores ingenuos cadere non possit? Cum abhorream & ego ab intempestivo honorum ambitu, putare noli, id tu ut facias a me postulari. Si quid tale scripsi aut flagitavi, praeter mentem praeterque animi sententiam id flagitatum ac scriptum esse scito. De Livii tui editione Regi aut *Colberto* dedicanda tempesti-

ve

ve te monendum duxi, ne post acceptum beneficium, si beneficium tamen esses accepturus, serum foret ea de re cogitare; ubi alteri jam addixisses, quod benefactoribus deberi judicabam. Volui praeterea & ipse de re certus esse, ne, qui *Capellano* negotium omne commendarem fervide, & de grati animi in te laude eximiâ multis eram praefatus, viderer fidem obstrinxisse, quam liberare non possem, si ad alios patronos irent Livianae lucubrationes, quae inter scripta tua principatum tenent. Sustine igitur parumper, & consilium in arena cape, cum ad umbilicum jam perducent id opus typographi, de patrono libri eligendo. Nolo enim ut tu occupes aut venêris beneficium; sed ut beneficium te deprehendat volo, paratum tamen & accinctum, ne, cum velis praestare te gratum, non sit, quo praestes. *Paterbornensi Principi* volo optime, & mihi plurimam olim Romae cum illo fuisse necessitudinem haud ignoras, nec quicquam impediet, quominus ad illum Livius sese convertat, si nil interea regiae monetae ad te redundarit. Petii, fateor, a *Capellano*, ut tuis meritis aulam conciliaret, aut, si tu parum illic esses intellectus, ut mihi in hoc negotio gratificaretur, qui honori regio omnia, tuo nihil ambirem. Regium enim honorem consummari posse hoc facto. Satis is exploratum habet per se, nec eam tibi mentem, nec eo fortunas tuas esse loco, ut extortum Regi cupias, quod ultro deferendum fuisse nemo non intelligit ac fatetur. Sed de his jam plus satis. De *Paterbornensi Principe* & *Rottendorphio* si quid potes nunciare, nuncia quaeso. Scripsi ad utrumque plus vice simplici, sed biennium jam ferme est quod neuter respondet. *Rottendorphius* ultimis suis iter cum Colonienſi Electore Hildesium a se parari significabat. In ipso itinere bibliotheças veteres non unas perlustrandas fore. Si quid illic reperiret, aut Maronis, aut aliorum poëtarum, ex horum praesertim numero, quibus ego manum jam admovissem, diligenter se curaturum, ut eorum mihi fieret copia. Saltem moniturum esse sese de iis, quae illic invenisset, per literas. Ille vero hactenus ne γεὺ quidem, ut mirer hominem in vivis adhuc esse, quem ad plures abiisse ex pertinaci silentio suspicabar. Pergo interim in Marone, quantum per alias occupationes licet; &, ni blandior mihi, multas detersisse nitidissimo scriptori maculas me opinor, de quibus per duodena saecula ne cogitatum quidem fuit. Praelucet mihi facem in plurimis Silius, quem studiosissimum Maronis fuisse imitatorem haud ignoras. Aeneidos x; 455. pro *meditantem praelia taurum*, Mediceus codex omnium veterrimus *meditantem in praelia*, non dubitabis de scriptura elegantissima, si Silium audis: is libro x.

Haec dicens Silarum meditantem in praelia telo
Praevenit. hasta volans imo sub gutture sedit.

Sed majoris momenti illud sub finem Georgicon primi.

Ut cum carceribus sese effudere quadrigae,
Addunt se in spatia,

quaenam ista sit Latinitatis ratio, *Addere se in spatia*, non video. Affirmat Pierius in nonnullis veterum τὸ *se* omitti, ac legi *Addunt in spatia*. Idem de iis, quos

quos inſpexi, aſſevero. Prior Mentelianus omnium veterrimus poſt Mediceum, *Addunt ſpatia* omiſſis duabus vocibus. Mediceus ipſe *Addunt ſpatio*. Nimirum Maro ſcripſerat *Addunt in ſpatio*. Cum carceribus ſeſe effuderint, magis adhuc effunduntur in ipſo circi ſpatio. τῷ *Addunt* videtur *curſum* eſſe ſubintelligendum. Sic *addere gradum* habes apud Plinium, ea, ni fallor, epiſtola, qua mortem Plinii majoris Tacito enarrat, pro augere aut incitare gradum. Sed audiamus denuo Silium XVI. verſ. 372. ubi agit de re ſimili; *Jamque fere medium evecti certamine campum In ſpatio addebant*. Ita enim Colonienſis & Puteaneus codices. nam vulgati *In ſpatia*. Bene Servius *currendo curſum augere* interpretatur. Erant plura, quibus recenſendis nunc ſuperſedeo. Collegam tuum ex aedibus Bredani hoſpitis fato paraſitico turpiter ejectum eſſe audio, remque totam plenius cognovi ex epiſtola publice edita. Videor mihi videre praefrictam Stoici, ſi dis placet, noſtri frontem. Mirum, ni filio monitor fuerit, dum domo inprovide occupatâ emigrabant inviti uterque. Spectaret, & in haec tempora ſeſe natum meminiſſet, quibus animum conſtantibus exemplis obfirmare oporteret. Deos tamen fervide precatum eſſe fit veriſimile, ut omen averterent: dum hoſpes interim & uxor hoſpitis Jovi Liberatori libabant. Vale. Habes hîc denuo nonnihil nugarum poëticarum. [1] Ultimum epigramma tibi ſoli habe. nolo enim me auctorem ejus circumferri. Quintum diſtichon eſt acerbum ſatis, quo rem annonariam a *Mario* ſordide, & multâ cum populi Romani querela adminiſtratam tango. Caeterorum nihil in obſcuro tibi poteſt eſſe, qui hiſtoriam omnem Romanam penitus exploratam habes. Ob inſcriptionem *C. Billieni* plurimum te amo. Utinam plura ejuſmodi monumenta antiquitatis ab Amſtelaedamenſibus noſtris eruantur. Holmiae. CIↃIↃCLXIV. XVII. Octobr.

Schefferus, qui nunc nobis adeſt, plurimam ſalutem jubet tibi dici. Quando *Schoockium* defricatum videbimus? niſi feſtinas, denuo interveniet hyems, & me deſiderati libri conſpectu in aeſtatem proximam fraudabit.

1 Primum editum legitur lib. III. Silv. p. 108. ultimum hîc ſubjici curavimus.

EXPEDITIO ROMANA.

Martia gens Senones iterum cum triſte minentur
Excidium laribus, Roma, famemque tuis;
Jam tibi Victoris Ludovici foeta triumphis
Caſtra ſuburbanam cum populentur humum;
In duce ſpes Mario eſt: Mario te vindice tutam
Credis. ad hunc belli ſumma relata novi eſt.
Hoc Capitolinam cuſtode tueberis arcem?
Hic tibi defectae Manlius alter erit?
Ad mala per longos, fateor, praemuniit uſus,
Inque Saguntinam Romula tecta famem.

Sic tamen ad Cimbros Marium Numidasve relega.
Hinc tibi sub Maria forte triumphus eat.
Laudo ducem Marium. Sed dux, mihi crede, Camillus
Hoc foret utilior tempore, Roma, tibi.

EPISTOLA CCCXCIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

CUm Illustrissimus Comes *Turo Oxenstierna* filios suos peregrinationi Belgicae accinctos habeat, qui sedem aliquo tempore apud vos fixuri sint, rogo & obtestor te, ut adolescentibus splendidissimo loco natis consilio atque alia quavis ope adesse ne graveris, quorum Avus Archidapifer & Prorex Regni Suecici, totiusque Senatus Princeps, D. *Gabriel Oxenstierna*, magni illius *Axelii* frater, de Republica foederati Belgii optime olim sit meritus. Confido reapse illos esse intellecturos, preces meas nonnihil apud te potuisse, quem immane quantum demereri hoc officio potes. Quamquam meae commendationi vix est locus, ubi de votis ac desideriis illustrissimae gentis Oxenstiernarum agitur, cui te studere vehementer ac unice cupere sum certus. Vale, Vir Celeberrime, & te tui similem, hoc est virum comitati natum nunc praesta. Exarabam Holmiae Suecorum. CIↃIↃCLXIII. a. d. XVII. Octobr. Gregor.

EPISTOLA CCCXCIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

PErlatus est ad me hesterna die recensionis tuae Plautus, vir Clarissime, una cum Apologetico rem nummariam spectante. Atque hunc quidem jam perlegi libellum non doctum minus atque elegantem, quam aculeatum & de corio adversarii tui suaviter ludentem. Plautus ut a capite ad calcem totus quoque pari diligentia a me percurratur proximae mihi curae erit. Scis enim quam tua omnia unice probem ac venerer. Utriusque voluminis cum geminum exemplar mihi sit oblatum, alterum ad me pertinere facile sum arbitratus; de altero quid capias consilii sum docendus, quanquam est suspicio *Scheffero* munus istud destinari. Sed divinum me venditare in conjecturis, quae frequenter imponunt, vix ausim. prodibat post paucos dies amici hujus nostri de Italica Pythagoreorum Philosophia commentarius, Mauricii quoque & Arriani Tactica

Digitized by Google

dica ante Kalendas, ut opinor, Octobris lucem videbunt, de tuo interim Livio quid nobis expectandum? cujus desiderio immane quantum nos torques. In eo dum totus es, videris amicorum oblitus. Quod ex silentio tuo jam propemodum annuo etsi colligi posset, intercedit tamen pro te, ne id credamus, tum munus nuperum, pro quo gratias ingentes ago, tum in ipso munere mei tam honorifice facta mentio, quod omni munificentia est majus. A Virgilio occupationes publicae jampridem me avocarunt, sed brevi revertar ad pensum. de silentio tuo jure an querar haud scio, qui alibi quod agas habes. *Gudio* tamen & *Graevio* nulla ex causa tacentibus, quin iraſcar, minimum abest, horum certe nunquam recordor, recordor autem saepe numero, quin Ovidianae istud Helenae succurrat mihi, certum in hospitibus esse amorem diffidentis. *Vorstium* e vivis audio excessisse invitus. Petronii fragmentum accepi proxime ex Italia. Sed nedum perlegi totum. Tu si quid de eo sentias ex te cognosse cupio. Ad Trimalcionis coenam pleraque videntur esse referenda. Hisce missum te facio. Tam paucis inquies? An tu verbosus, qui nihil scribis. Vale, Holmiae Suecor. CIↃIↃCLXIV. ad. XVII. Junii Greg.

Patruum regis ne fortunis omnibus exutum videremus periculum proxime fuit, post custodes tanquam jam captivo appositos. Imperium quippe militiae utriusque deberi sibi contendebat ex ultimis fraternae voluntatis tabulis; praevaluit tamen gratia candidatus *Vrangelius*, & aemulum submovit. Vale iterum.

EPISTOLA CCCXCV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

AGe sane, repetamus sollenne officium: nam & me poenitet tam diu tuis carere, & nescire longius non debes, alterum utriusque libelli exemplar Cl. *Scheffero* destinatum esse. Itaque per hoc nihil est causae, quo minus in conjecturis te divinum vendites: quemadmodum etiam, cum me totum in Livio esse auguraris. Sum enim, atque id eo magis, quia quae amicus noster ex Italia promisserat, strenue praestitit, suoque beneficio magnum mihi laborem imposuit. Qui quod sic raro scribit, non excuso: sed certe nunquam una sumus, quin magna pars colloquii nostri tuas virtutes & meritissimas laudes decantet, ac certemus inter nos, uter te magis amet, colat, admiretur, desideret. Ac nollem accidisse, sed accidit tamen, ut illum etiam cupidiorem tui fecerit istius, quicum [1] *Bonus* noster uno omnium conjunctissime se victu-

1 *Marquardus Gudius*, cujus contubernalis fuit *Schiassius* vel *Schassius*, Belgice *Schas*, quem in itineribus comitatus est, & postea heres ab eo scriptus consecutus magnas opes, & bibliothecam instructissimam. Intelligi vero *Vossii* simultates, ex epistolis sequentibus apparet, ubi sub *Gelotiano* Vossius, sub *Probino* Gudius, sub *Gazaeo* dives Schassius inducuntur.

Digitized by Google

rum istic putabat, pravitas, invidia, & poene dixerim perfidia. Sed nosti forte aliunde fabulam. Vocatus est Teutoburgum: sed nullo modo dimittit hominem contubernalis ille triennii, qui raro exemplo decrevit in literis vitam agere, & hoc, quamdiu potest, adjutore uti. Quin nunc ipsum adornant iter in Germaniam, excussuri ibi quoque, quicquid est bibliothecarum. De fragmento Petronii quaeris? quasi non dissimulando sententiam tuam me quoque ad opinandum tardiorem facias? Dicam tamen aliquid. Timeo tum Danaos, tum Dalmatas & dona ferentes: & ut agnoscam nonulla haud inficeta, ac propemodum credam, qui fuit hunc centonem, paullo plusculo, quam antehac edita habuimus, excerpta & reliquias ejus auctoris habuisse, tamen totum hoc textum Arbitri esse adfirmare haudquaquam ausim. Primum monstra vides plurima quaesitae ostentationis: ex quibus tamen quaedam procuravimus. *Iliada & Odysseam, inquit, aclenatis gladiatorium munus non licebat multitiam confiderare: nos jam ad triclinium.* Scripsit, qui condidit: *ac Laenatis gladiatorium munus. Non licebat tralaticia confiderare, nam jam ad tric.* Laenatis intelligo Popillii cujusdam. Juvenalis: *Quod captator emit Laenas.* Picta autem gladiatoria munera etiam publice solita proponi nosti. Rursus: *Ipse nescit, quid habeat, adeo saplutus est; sed haec lupatria providet omnia.* Scribendum, *Zaplutus*, ζάπλυτος: deinde, *haec laecastria.* Λαικάστρια, πόρνη. *Postquam itaque omnes bacalusias consumpsissem.* Voluit, *omnes bacculas jam consump. Ab hoc ferculo Trimalcio ad lasammum surrexit.* Valde blanditur, & cupio esse Petronii. Scribendum autem: *ad lasanum.* Scis Horatii lib. I. Sat. VI. *lasanum portantes oenophorumque.* Ubi Acro, *vas, in quo exoneratur venter.* Eadem vox desideratur inferius, ubi Trimalcio in convivium redit: *Si quid plus venit, omnia foris parata sunt, aqua, lassant, & caetera.* Scribendum: *aqua, lasanum* vel *lasana.* &c. Ubi quod sequitur, fuit: *Credite mihi* ἀναθυμίασις (vel *anathymiasis*) *in cerebrum it.* Restant multo plura: sed tu jamdudum me derides, adfectata forsan haec vitia sanare dignantem. Neque enim credis Petronii esse *impropero, abstinax, urceatim, linguosus, desomnis, larifuga, gaudimonium, tristimonium, corporaliter, depraesentiarum, inspeciosus, apoculo.* Quomodo autem persuadebo tibi domi nata, non adoptata, & pellecta atque excantata aliunde, quae sequuntur? *Fundos habet, qua milvi volant.* Suum hoc clamat Juvenalis Sat. IX. *tot milvos intra tua praedia lassos. Cum mulsi pultarium* (forte *sextarium*) *obduxi, frigori laecasim dico.* Martialem volvit, si nasum habeo, hic Petronius, cujus est lib. II. 59. Λιχάζειν *cupidae dicet avaritiae.* Mox: *Chrysanthus animam ebulliit*: quod & repetit alibi, Senecae subreptum de morte Claudii. *Et ille quidem animam ebulliit. Habitabat ad arcum veterem*, nonne mutuatus est a Juvenali Sat. III. *Restitit ad veteres arcus madidamque Capenam? Piper, non homo*, ut *Phantasia non homo, Discordia, non homo*, ad taedium usque adumbrata ex Ciceronis ad Atticum, *Metellus non homo, sed litus atque aër & solitudo mera*, iterumque, *non hominem, sed scopas solutas.* Jam vero, *piper, non homo; is quacumque ibat, terram adurebat*, partim ex Martialis 8, 59. *Autolyci tam piperata manus*, partim ex Plauti Epidico, *Quaqua tangit, omne amburit.* & profecto

eo magna miraſunt, ni mirificus hic Petronius *Petri Scriverii* notas in Martialem lectitavit. *Nomina omnium reddere* Seneca ei praeſtitit ex Conſtant Sap. cap. XIII. Brevit. vitae cap. XIV. 1. de Benef. cap. III. *Echion centenarius* evocatus videtur ex Juſtiniani Inſtitutione p. III. de ſucceſ. libertorum: atque ad horum imitationem dictos *ſeſtertiarios* & *dupondiarios homines*, *ſeſtertiarios gladiatores*. Niſi tamen & *ſeſtertiarium ac dupondiarum foenus* ab Salmaſio didicerat hic Petronius. *Niſi te toga perverſa ubique fuero proſecutus*, prodit hominem: eſt enim, quod meminerim, ἅπαξ εἰρημένον apud Senecam de Ira 1. cap. XV. *etſi perverſa magiſtratui induenda veſtis*. Magis illud: *Et quia bonam mentem habet, attuli illi Roma munus* (ſic enim legendum) *cultros Norico ferro, quos juſſit ſtatim afferri, inſpectoſque miratus eſt, & nobis poteſtatem fecit, ut mucronem ad buccam probaremus*. Decet Dalmaticum Arbitrum mentio ferri Norici, ſed quid, malum, eſt *mucronem probare ad buccam*. Scias & Suetonii clarorum Rhetorum non ignarum fuiſſe, utcumque male intellexerit, ibi habes cap. v. Sex. Clodii jocum. *Fulviam Antonii uxorem, cui altera bucca inflatior erat, acumen ſtili tentare*. Haec nunc ſatis: quae vide, numquid ipſe tibi, ego certe ea tibi me approbaturum diffido. Uno tamen loco juvari & verus Petronius videtur. *Proceſſit ſtatim ſciſſor, & ad ſymphoniam geſticulatus ita laceravit obſonium, ut putares eſſem Darium hydraule cantante pugnare*. In editis deeſt τὸ *eſſem*. Et ſatis tamen veriſimile Petronium ſcripſiſſe: *ut putares eſſedarium hydraule cantante pugnare*. Scis gladiatores *eſſedarios*: unde hic noſter mulierem *eſſedariam* commentus eſt. Academia noſtra non modo *Vorſtium*, ſed etiam *Lindium* luget: & velit Deus op. max. ne plures, adeo minari incipit contagio. Vale, decus noſtrum, & me ama. Lugduni VII. Id Quinctil. CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA CCCXCVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

MIrifice adfectus ſum mehercules litteris tuis, quae & valere te & mei meminiſſe, quo nunciare nil jucundius acceptiuſque potuiſſent, egregie ſignificarunt, virorum amiciſſime: tum quod de *Gudii* noſtri adfectu ſecurum eſſe me jubes. Optimum factum eſt. Cujus ipſe argumentum indubitatum veterrimas Maronis membranas, eaſdemque praeſtantiſſimas, ſed quibus ob publicas occupationes uti hactenus non eſt datum, nuper Elzevirio curante perveniri ad me voluit. Utinam pari facilitate Naſonem meum foveat; praeſertim ſi quid veterum exemplarium notae minime vulgaris, aut excuſſit nuper in peregrinatione ex priſcis bibliothecis, aut aere ſuo comparavit noſter. Quod tu, cui paruere ejus ſcrinia, arbitrari optime omnium atque unice, ni fallor, potes. Naſoni enim recenſendo, hibernas lucubrationes deſtinavi. In-

Digitized by Google

terim gaudeo vehementer, quod Italia Galliaque perlustratis, Germanicam quoque profectionem sibi nunc proponit *Gudius*; nec dubito quin in Holsatia, Gottorpianam bibliothecam sit inspecturus, quae & Wouwerianos libros complectitur, & alios complures in membranis exaratos, qui a *Lindenbrogiis* fratribus ad principem transivere. Contemplatus sum illic semel iterumque, quae non modice placerent. Sed adeo me totum sibi vindicabant Nasonis exemplaria, quae ibi adservantur nonnulla, ut praeter unicum Lucretiani fragmenti codicem nihil horum in usus meos converterim. Etsi triumviros amorum cum vetustis schedis a *Wouwerio* collatos plurimum inter alia minime protrita gestiebam, praeter hanc cum Argentina & Basilensi bibliothecis nullas in Germania excussi. Sed & illae ob angustias temporis, quibus premebar, unico Nasoni a me sunt datae. De Bernensi Bongarsiana praeclare multum *Langermannus* mihi est pollicitus, cui sane hîc credo. Ut operae pretium facturus sit amicus noster, si eo iter convertat. Wyngartensem si probe memini, in Helvetia *Johannes Rhodius* Scioppiana fide vehementer mihi olim commendavit, sed nae ego nugator sum insignis, qui homines rerum peritissimos erudiendos mihi propono. Quid simultatum inter nostrum hunc & *Alopecium* sit subortum equidem cum ignorissimis ignoro: nec fuit hactenus, qui apud me vel levissimam rei indignae mentionem impetret. Narra igitur sodes, & expone apud aures fidissimas omnem querelae istius originem. Non enim dubito quin ὁ δᾶνα etiam hîc mirificum sese Philosophum, & plane paradoxum sit professus. Cl. *Schefferus*, vir tui amantissimus, pro praeclaro munere ἀντίδωρον deposuit apud me de Italica Philosophia Commentarium, quem mittam proxime. Auguror etiam fore, ut Mauricium & Arrianum ejus, scriptores tacticos, ante Januarias Kalendas nanciscaris, nescio an idem de Livio tuo mihi debeam polliceri. Sed polliceor tamen. Tu da operam quaeso, ne mea apud me vacillet fides. Nam vel eo impensius scriptorem longe optimum a te castigatum desidero videre, quod hac lucubratione defunctum ad intermissa jampridem compellationis epistolariae munia te rediturum spes est, cum hanc ego solitudinem impatientius, quam credi mihi a te posset, feram. Βασίλεια nostra, rerum peregrinarum pertaesa, praesertim ex quo & litibus alienis incautius sese immiscuit, & ob id contumeliose a Gallis ac Romanis ipsis haberi coepta est, nunc id agit, quantum video, ut in patriam revertatur, quod ut sibi liceret hisce comitiis apud regni ordines per *Appelmannum* illa serio contendit. Nec abnuere postulato ordines, sed regni Senatus conditionem duram addidit, ne integrum illi esset, celebrare sacra ac rem divinam ritu Romano, aut sacrificuli cujuscumque pontificii opera, atque caeremoniis uti. Si illa nihilominus huc pergit, metuo, ne Papa suspicatus de Palinodia cogitari, minum abiturienti injiciat. Et haec quidem inter nos. Ego interim occentare illi per litteras haud desino, antiquum, *omitte mirari beatae Fumum & opes strepitumque Romae*. Nudius quintus regiae munificentiae monumentum secundum ex Galliis ad me pervenit, addita Colberti humanissima epistola. Sed negant munera hujusmodi a me admitti oportere ii, a quorum nutu pendeo: nec descen-

descendam ego ad preces in contraria euntes, ut judicio magni regis liceat frui, *Neve mihi noceat quod vobis semper*, *Achivi*, *Profuit ingenium*. Novisti caetera: renuntiandum igitur erit regio favori. Si nescirem litteras, essem felicior. Claudianum meum aut cum hisce accipies, aut mox habebis. Certe quae praefationi addenda sunt omnium postrema, misi jam nuper ad Elzevirium. Adjecta & Claudiano Lactantii de Phoenice Elegia, locis plurimis non infeliciter, nisi mihi Suffenus sum, a me castigata: veterum exemplarium, uti videbis, quam debui, rationem habui in omnibus fere; nec potui tamen mihi temperare, quin ad conjecturas quandoque confugerem, praesertim ubi in membranis nihil erat praesidii, talis est ille locus, *Magnitiem terris Arabum quae gignitur ales Vix aequare potest*. *Magnitiem* interpretantur avem: nec tamen quae sit haec avis nos docent; credo quod ipsi nesciant. At ego in Animadversionibus moneo & scribi oportere, *Magna etiam terris Arabum quae gignitur ales Vix aequare potest*, & de Struthiocamelo intelligendum esse demonstro, quae στρθὸς ἡ μεγάλη, & ὄρνις ἡ μεγάλη Graecis dicatur, Claudiano *vasta ales*: *Libycam* quidem avem Graecis juxta Romanis scriptoribus frequenter appellari scio, quod Struthius in Libya sit frequentissimus, sed & in Arabia occurrere hanc avem Animadversiones nostrae ex Xenophonte, Aeliano, Herodoto palam faciunt. Adde quod illic admonere me fugit, tabulas antiquas Arabiae chorographicas, qualis illa in notitia Imperii vetere, Struthiocamelos & serpentes promiscue existere, tanquam huic regioni familiares admodum. Nec dubitemus de struthiocamelo agere Lactantium sequentia faciunt, *seu fera sensit avis*. Rerum quippe naturalium auctores ubi id animal describunt, ferisne terrestribus an volatilibus sit accensendum, in incerto relinquunt. In Nasone nuper occurrebant illa libro VII. Metamorph. *florentemque Cythnon*, *Scyron*, loco suspecto: nam priorem *in Cythnos* posse corripi non opinor, idque *Raphaelis Regii* commentum est; cum vetusta exemplaria ad unum fere omnia agnoscunt, *Florentemque Tyron Cyprum*, vel *Cypron*; nisi quod tribus quatuorve *Florentemque Ciron*, in uno Thuaneo *Chiron*. Alii alia suggesserunt, corrigebam ego, *Florentemque thymo Syron*. per omnes Cycladas uberrimus mellis proventus, ac proinde etiam Thymi, maxime in Insula Calydna, quam Hymetto & Hyblae proximam faciunt mellis copia atque probitate Strabo & Plinius: hinc *faecunda melle Calydna*, bis terve apud Nasonem occurrit. Sed & Syros mellis laudatissimi & thymi ubertate commendatur a Columella, quem vide omnino RR lib. IX. vers. 14. ubi in transcursu monendus es corrigi oportere ex optimis membranis S. Germani, *rursus in insulis Cycladibus*, *cum ex aliis transportantur Syrum*. Scyros si melle fuisset faecunda, ejus rei meminisse Statius in Achilleide non neglexisset, puto. mox sequitur, *Quamque impia prodidit arcem Sithonis accepto quod avara poposcerat auro*. Codices vetusti habent maxima ex parte, *quamque impia prodidit Arne Sithonis*. vel, *quoque impia prodidit Arnon*, nullo *arcis* ullibi relicto vestigio, & stat pro *Arne* vetustus argumentorum in fabulas Nasonianas auctor. Praeter haec in optimo Berneggeriano & uno Ciofani, *Sithon & accepto*, omnium veterrimus Florentinus *arci Sithon accepto*. Emendo, *quamque impia prodidit Arne Siphnon*,

&

& accepto quod avara popoſcerat auro Mutata eſt in avem: auctor argumentorum refert haec ad Minois expeditionem. Certe Siphnos omnium Cycladum maxime vicina Cretae, & a Cretenſibus frequenter oppugnata, ut quodammodo apparet ex excerptis Valeſianis Diodori Siculi p. 338. opulenta eadem, aurifodinis commendata olim, ut animadverſiones noſtrae pluribus ubertim evincunt: hinc vetuſta adagia Ζίφνιος ἀργύρεος, & Ζίφνια ποτήρια, quod ex auro ſcilicet potabant, etſi alii ad gulam Siphniorum referunt. Sed ſcrinia mea nunc non compilabo. Faſtorum VI. 680. *in plauſtro ſcirpea lata fuit.* Diverſas lectiones codicum in Notis congeſſi, legendum tamen, *in plauſtro ſirpea ſtrata fuit*, quod ſuo loco pluribus illuſtramus. Faſtor II. 572. monui jam non probari mihi *anum annoſam* dici, *& vinoſam* proinde illic inculcabam, nunc *anus pannoſa* magis mihi arridet: anum enim pauperculam deſcribit, qualis illa, *pannucea Baueis*. Egeſtas juxta ebrietas ſenectutis comites, hinc illud Comicis & aliis ſcriptoribus familiare, *annis panniſque obſitus*. Epiſtola Deianirae loco vexatiſſimo ex ſcripturae diſcrepantiis jam exhibitis caſtigo,

Scilicet immanes eliſis faucibus anguis
Infantem nodis involuiſſe manum.

nudis pro *nodis* exaratum erat, hinc tot monſtra lectionum prognata. De *nodis* ſerpentium nos illic copioſe. De Petroniano fragmento alias agemus, mihi enim alibi occupato vix ſemel hactenus id properata lectione delibatum eſt, pleraque frigere mihi viſa ſunt, & ad nativum illum orationis Petronianiae nitorem nequaquam adſurgere. Ita ſemibarbara, ſolaeca complura, ſunt tamen & nonnulla ex reconditis ſcriniis ultimae antiquitatis depromta, quae ab homine noſtrorum temporum ſemiliterato confingi vix potuerunt. *Schefferus* noſter omnia illic genuina, ſed admodum depravata opinatur. *Octavius Falconerius* Roma perſcribit, ſibi aliiſque hominibus in urbe aeterna eruditis ſuppoſititium videri foetum. Cui accedemus? Tuum judicium mihi quidem perplacet, dum videamus, quid *Schefferus* in cauſam ſuam publice ſit dicturus. Videtur enim obſervationes in id ſcriptum meditari. Quae tu illic animadvertiſti, & in integrum reſtituiſti oppido feliciter, pro iis plurimum me debere tibi agnoſco. Habebis & aliquando, quae mihi hîc illic caſtiganda ſeſe obtulerunt. De caſtigatione mea loci Maroniani illius, *in ſpatio addebant* ſententiam tuam non diſſimulaſſes vellem, tum & conjectura ad illud Silii XIV. 654.

non clarior illo
Gloria picturae ſeclo, non aeris, avitam
Qua ſcires Ephyren, fulvo certaret ut auro.

ſuſpicabar aliquando ſcriptum fuiſſe, *fulvo, conſertave an auro*, pro *conſertaque ab auro veſtis*, unde *certaret ut* prognatum eſſet. Sed nunc placet nil mutari. Syracuſae Corinthiorum colonia, ut alias monebam. Corinthus non ab aeris ſolummodo ſignis affabre factis commendata, ſed picturae etiam mater & inventrix habita, ut apud Plinium in Naturali hiſtoria apparet, artem utramque Syracuſanis Silius hîc, ut vides, cum Corinthiis communem facit. Tu vide an meliora comminiſci poſſis, atque interim vale. Holmiae CIↃIↃCLXIV. XVI. Aug.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXCVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

DE friguſculo inter *Gelotianum* & *Probinum* accipe paucis. Simul intellexit tantum priſcarum & literatarum pellium advectum, livere veneno invidiae homo, & ſe vertere in omnes formas. Apud *Probinum* contemnere totum hoc genus: aliquando me coram aſpernabatur ipſum conferre: nunquam per ſeſe, ſemper conducta opera aut per amanuenſes id facere: denique ſi ſit, qui digitum tollat, quamvis vili, quicquid haberet, & tantum non nummo ſeſtertio addicturum, ſive ut ſatis philoſophus videretur, ſive ut gaudia noſtra refrigeraret, ſeu denique ſtultiſſima ſpe, poſſe iſtum imbibere ſenſus, quos hic ſimulabat, & abjicere, quod ipſe per ſe aut per alium colligeret. Apud *Gazaeum* longe aliter; hunc ſeducere, ſevere monere quaſi neſcientem, theſaurum agi inaeſtimabilem: ne pateretur ſibi fucum fieri, neu velut ſcruta, velut frivola, condonaret homini peregrino, propediem in vervecum patriam ituro. Ille contra, quicquid eſſet, *Probini* eſſe, nihil in eo ſibi juris. Alter ridere quaſi mimum, non dubitare, quin illius aere forent paratae, ne vano captus nomine benevolentiae aut grati animi (eſſe abunde aliarum copiarum, unde utrique ſatisfacere poſſet) rebus tanti pretii tamque raris ſeſe & Batavos fraudaret, poſſe eos conſociare hujuſmodi opes & inſtituere MSS. tabularium, quod, dum viverent, haberent commune; decedentes novo in his terris exemplo, & ingenti cum gloria publico relinquerent. Sic terque quaterque tentatus *Gazaeus*, quum maneret in eo, quod ſemel dixerat, *Gelaſimus* aggreſſus eſt fratrem, videret; illos de compacto agere, ut quod haud dubie ipſorum pecunia (erant autem fratres ercto nondum cito) & magna & pretioſum ipſum emptum eſſet, hic alienigena auferret. Poſtquam hoc quoque parum proceſſit, nec niſi ad frigida murmura valuit (etenim mox homo ſordidus turpiſſimam ſuſcepit litem, dum biennio major fratrem perpetuum pupillum deſtinat habere, neque aut tutelae ſuae aut patrimonii compotem reddere, quae controverſia conſiliis maxime *Probini* juſtos & optatos eventus ſortita eſt) apud ipſos Proceres, & quoſdam e curia Hollandiae ingentem *Probino* invidiam conflavit: quae ſimul cum diſceſſu ejus in inſulam propinquam erupit: ſed paullo poſt tamen evanuit. Eo autem hoc aegrius ferunt uterque, quod ſperaverant, te abſente, nemine cum alio ſe conjunctius victuros: ὁ καλὸς κἀγαθὸς etiam, quod ſcis, ubi nunc eſt, a pleriſque vehementer hominis mores improbari, ipſe illorum ignarus ſemper repugnaverat, atque exiſtimationem ejus defenderat. Quid apud Britones effecerit, quid ad Sequanam, omnino ignoro. Nonnemo, qui forte eodem comitatu partem itineris fecerat, retulit mihi e famu-

lo audisse, portare librum offerendum τῷ μέδοντι. Cujus liberalitatem (quam vel unico illo epigrammate meruisti) etiamnum invideri tibi, doleo & indignor. Scilicet hanc legem curant, qui omnes, quoties opportunum est, ambitioni donent. Quae ex sanctiore promis eruditionis tuae aerario, me quidem capiunt omnia: neque est quicquam, quod sine probabili conjectura & ratione dicatur. Livius noster ad finem properat: mensem tamen facile unum alterumve eximet. Accepit mantissam haudquaquam spernendam ex Gudianis partim excerptis, partim membranis. Jamque exspectatur a Principe Paderbornensi: quod aegre ferre non potest [1] Janiculi cultrix, quippe quae ad se profecto, atque etiam arcessito, nullum, ne verborum quidem, honorem habuit. Interim rursus ad urbanae frontis praemium descendi. Scis patrum [2] τῶν Κυκεώνων, solum ex tanta familia pestilenti sidere abreptum, Quintiliani opera, *Bigoto* potissimum instigante suscepta, destituisse. De Institutionibus neque consulunt me, neque ego, nisi quod vivo pauculas conjecturas dedi, me immisceo. Sed declamationes avi misere periissent, nisi ultro manum admovissem. Persuaserat sibi *Aerodii* editionem Pithoeanae praestare: & hoc etiam typographo inculcarat, qui secure post mortem hominis eam dederat operis exprimendam. At Pithoeana & auctior est, & multis partibus e veteribus scriptis emendatior: ne dicam *Aerodium* sibi jus fecisse totos versus, non solum vocabula, inserendi ad sententiam complendam. Sed quibus nunc vulgo Pithoeanis utimur, ea tot scatent operarum culpis, ut aegre nomen tanti viri sustineant, & in contrarium quinquies aut sexies integras periodos, quae in *Thaddaei Ugoleti* editione legebantur, & sine dubio auctoris sunt, dissimulent. Inter hanc Scyllam & Charybdin ut medium tenerent, frustra docebam homines imperitos: ipsum me oportuit ire viam: hoc est, ex tribus illis exemplaribus parare unum, mea manu interlitum, cui subjiciuntur *Aerodii*, *Pithoei*, meae notae: habeo enim satis multas, jam ex quo M. Senecam recensui. Ita rursus in pistrinum conjectus fui. In Petronii fragmento facile concesserо esse quaedam Petronii antehac ἀνέκδοτα: totum contextum multum laborabit amicus noster, si germanum esse evincere volet. Verba illa, *cum mulsi pultarium obduxi*, sollicitari non debebant. Aucupatus est eam quoque raram vocem, quae Cornelii Celsi est lib. II. cap. XI. *caliculus quoque aut pultarius oris compressoris*. Et Plinii lib. VII. cap. LIII. *calidam potionem in pultario poposcit*. In principio: *Venerat jam tertius dies, id est, exspectatio liberae coenae*. Videtur voluisse, *libertorum*, aut *libertinae coenae*. Statim: *evitaremus procellam, unus servus Agamemnonis*. Puto, *procellam, Manius servus Agamemnonis*. Fuit id quandoque antiquis servile nomen. *Et circulis ludentem accedere*. Forte, *circulos ludentium*. Tum, *& quid jam principium coenae videtis? Et jam non loquebatur*. Lego, *Ecquid jam p. c. v. Etiamnum loquebatur Menelaus*. Post aliqua: *Nondum mihi suave erat in triclinium absens more vobis venire, sed ne diutius absentivus essem, voluptatem mihi negavi*. Censeo illa, *absens more vobis*, suprascripta fuisse τῷ *absentivus*: inde non suo loco in con-

1 *Christina* Regina.
2 *Corn. Schrevelium*, auctorem multorum Scriptorum, cum notis variorum editorum.

Digitized by Google

contextum relata, sive in veteri libro sic fuit, sivi docti hominis conjectura erat, ut legeretur: *Nondum mihi suave erat in triclinium venire, sed me diutius absens morae vobis essem, voluptatem mihi negavi.* Illud etiam videbatur juvari posse: *Sed quomodo dicunt, ego nihil scio, sed audivi, quomodo incuboni pileum rapuisset, & thesaurum invenit:* si reponeremus: *Sed, quomodo dicunt (ego nihil scio, sed audivi) cum Euclioni pileum rapuisset, & thesaurum invenit*, id est avaro domino libertatem extorsisset. Sed de his viderit ὁ πάνυ *Scheffenus*, cui materiam ingenii exercendi praereptum ire nolo, & jam scribendo fessus sum. Versiculi, quos vides, cujusdam sunt auditoris mei Amstelaedamensis, qui quam spem faciat de se, agnoscis. *Gudium* & *Sciassium* adhuc exspectamus. Tuas Hamburgi eos reperisse opinor: fuerunt enim illic, & jam inde discessere. Vale ac salve plurimum, decus meum, una cum optimo *Scheffero*. Lugduni VII. Id. Novemb. CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA CCCXCVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

NUnc certe tu in culpa es, quam si expiare voles, potes cum aliquo commodo meo. Est Bremae Vicariatus, ut vocant, ad Altare SS. Trinitatis, & B. Caeciliae, cujus fructus adjumentum studiorum olim mihi concessit Archiepiscopus, susceptor meus, *Johannes Fredericus*, Dux Holsatiae, cui pater meus ad viginti annos a consiliis fuit. Scis, opinor, quum post pacem Monasterienſem illa bona dividerentur in bene meritos de republica, Sereniss. Reginam me ultro jussisse petere, quemcumque vellem opimum Canonicatum; meque respondisse, satis mihi fore, si, quod haberem, non eriperetur. Illa tum pristinum jus meum non modo auctoritate sua confirmavit, sed idem in filium quoque majorem meum post mortem meam in dies vitae ejus contulit. Ejus codicilli manu sigilloque regio muniti exemptum fide publica confirmatum proxime ad te mittam, si forte opus sit. Jam nuntiatur mihi Brema, *Guthmuthum Specium*, regium Secretarium, sibi eandem donationem a Rege factam ferre, & per *Scherium* quendam indictum colonis, ne posthac procuratori meo solverent. Et vix nuntiatum erat, quum superveniunt literae istius *Scherii* satis inverecundae, quarum exemplum his inclusi. Puto virum illum, quippe illustri loco positum, tibi notum esse. Si vis eleganter facere, hoc est, & bonae causae & amicitiae servire, explora, quaeso, ex ipso, num quid ita se res habeat: mone, quam indignum sit me justissima possessione pelli, regia diplomata pro nihilo putari, praesertim ab eo, qui auctor illorum esse soleat: doce rem illam tanti non esse (neque enim centum reficiuntur floreni annui) ut ob eam vir

tantae dignitatis, & communibus ſtudiis praeditus, in hominem ſtudioſum, & de plurimis nobiliſſimiſque ex juventute Suedica egregie meritum & merentem, ſaevire velit: ſi opus putabis, etiam allega; & credo inveniſſe te aliquos nomini noſtro benevolos. Quod ſi auctoritas tua non valuit, ut aliunde regiae liberalitatis particeps fierem, valebit utique, ut hanc ſtipem mihi retinere liceat. Eoque enixius te operam mihi navaturum ſpero, & ne pigrere, te vehementer etiam atque etiam obſecro. Vale, decus & praeſidium meum. Lugduni a. d. VII. Non. Mart. CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA CCCXCIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ACcepiſti, opinor, meas, quibus tibi commendavi rauduſculum

Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen

quod mihi ſupereſt in agro Chaucorum. Poſtea locutus ſum cum *Appelbomio:* ei viſus tutiſſimus conſiliorum portus recta ire ad Regem, atque obtinere aditum per *Berenclavium* & *Erenſtenium:* eam eſſe unicam rationem, fundandae in perpetuum rei, & omnium impetum non hujus modo, ſed & quorumcumque in poſterum declinandi. Parui ſalubria monenti, & libellum ſupplicem literaſque ei commiſi, quibus ille ſe ſuae ſuffragationis pondus adjecturum promiſit. Quod ſi ergo nondum interpellaviſti hominem, videbis, numquid etiamnum opus ſit. Nam ſi feciſti jam, nihil peccatum cenſeo tamen: ſive enim durum inveniſti, huc eundum erat: ſive juſtum, non tam adverſus illum, quam alios inſidiatores, quicquid impetraro, mihi proderit. Apud *Berenclavium*, *Erenſtenium*, *Figrelium* ſi quid poteris, opportunum erit. Item ſi quid reſciveris, ut literae exceptae ſint in utramvis partem, per te cognoſcere melli erit. Claudianum tuum ab Elzevirio accepi, & grates ingentes ago; ſed per fidem, etſi fateri pudeat, inſpicere nondum licuit: ita diripior. Quintilianum abſolvit Hackius, cujus exemplar propediem Elzevirio committam, ut ad te curetur. [1] Τὸν Θυσιον obiiſſe ſcis: & exſpectas fore, ut mihi bibliotheca credatur. Exſpectabam & ego, ſed monitus, niſi prenſarem, alio delatum iri, circumivi ſane, ambigua ſpe dimiſſus. Ajunt & [2] Μάγειρον hiare, & qui jamdudum amico noſtro Vindicias Ebraicas minatur, quas credo una cum Caro τοῦ δεῖνα apparituras, & neſcio quos alios. Certe [3] ὁ Ῥώσιος mihi confeſſus eſt ſe facturum, niſi ego facerem. nam quia iſte habuit, ſe quoque & quemvis verum eſſe. Quid de aliis titulis facturi ſint defuncti, ignoro, nec me immiſceo, loco meo contentus. Bonus noſter [4] Κερατίας nuper incidit in valetudinem mentis, adeo ut

1 *Ant. Thyſium.* 2 *Joh. Cocceium.*
3 *Alb. Ruſius.* 4 *Georg. Hornius.*

Digitized by Google

ut per aliquot dies custodiendus fuerit: sed jam restitutus est. Vale τοῦμὸν μέλημα, & me ama. Lugduni a.d. XIV. Cal. April. CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA CCCC.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

NE mirare, Vir Clarissime, si mea interpellant avocantque officia, qui publicae tranquillitati insidiantur. Ex quo a male feriatis Britannis terrâ marique turbari intempestive coeptum est, nuncius a me Musis & Apollini, quibus operabar nonnumquam ante, confestim mittendus fuit: adeo seriis occupationibus totum me dedi, dum illi fide subtestâ hunc quoque Septentrionem in partes suas pellicere contendunt, nec omnino frustra. Interim dum alius ex patriâ adventurus huc speratur, qui sistat ac coërceat infrenem gentis efferatae libidinem, meae mihi spartae invigilandum esse intelligo, ne quid detrimenti aut incommodi per supinitatem meam capiat res publica. Quo aequius est, abs te ignosci ac veniam dari nobis, si mutuae necessitudinis legem sacrosanctam minus religiose observamus duro ac molesto hoc tempore, rerum privatarum negligentes, dum publicis toti curis vocamus. Duabus abs te epistolis non ita nuper ditatus, responsione Laconica defungar, auguratus mox adfutura oportuniora confabulationis tempora. De injuria insigni, quam posteriores tuae instituunt, querelam eam invitus equidem & indignabundus accepi. Vellem solummodum paucis diebus temporius epistola fuisset mihi tradita, ut ante ferias Paschales tuis commodis studere licuisset, nunc rusticatum abiere ex civitate procerum plerique, aberuntque, ni fallor, in Eidus usque Apriles. Quaesivi tamen, si quis *Speeckium* istum haberet compertum, qui me latuit ac praeterivit hactenus cum ignotissimis ignotus. Quos percunctatus sum, illi hominem se novisse pernegarunt, omnem exemisset scrupulum *Figretius*, quem die hesterno scisciandum super re eam proposueram mihi; nisi ille ad convivium quoddam in villam suburbanam Cancellarii tum fuisset evocatus. Vide interim, ne is, quem tu hominem esse pretii quantivis opinaris, nebulo sit magnus. Novi complures, qui Regi ab actis & epistolis se venditant, ut hujus farinae ingens est in hac aula numerus: nec gloriari ausim, omnes id genus mortales hîc terrarum mihi cognitos atque exploratos esse. Suspicor tamen apud Stadanos in Bremensi provinciâ oportere quaeri, quem in hac aula investigamus. Ea de re certiora proxime significabo. Tu interim diploma regium describendum, ejusque apographum ad me mittendum cura: ne tela non sint in promtu, dum ego rei indignitatem, injuriamque fortunis tuis insigniter factam, ab hoc sycophantâ apud proceres Suecicos invidiosa narratione percurro. Historiam de friguſculo inter *Gelotianum* & *Probinum* legi ac relegi mul-

tâ animi contentione, & patricias artes in homine privatae vitae hactenus addicto ſum miratus: quamquam, ut, quod res eſt, dicam, antiquum mihi viſus eſt obtinere, in ſimilibus jam olim a me deprehenſus non ſemel. Livium tuum inpatienter nimis exſpectamus, quem jam luce publicâ donatum oportet, ſi quid poſtremis Elzevirii bibliopolae litteris credendum. Eundem mecum *Schefferus* aviditſimus exſpectat, cujus Arrianum Mauricium que, ac de dogmate Pythagorico libellum autumno proxime elapſo ad vos miſi: nunc demum intelligo navem illam, cui faſciculus tum fuit concreditus, non hybernaſſe tantum in Daniâ, ſed Lubecam propediem cogitare, cum Amſtelodamum eſſet deſtinata, ne in piratas incidat Britannos. Valde me percellit hic nuncius, cum facile hinc colligam, tarde admodum copiam munuſculi iſtius eſſe tibi faciendam. Haeret penes me ejuſdem amici noſtri de Stylo commentarius editionis tertiae, quem nuper admodum munus ad te volebat perferri; nunc, ni fallor, in fragmento Petronii edendo occupatus. Claudianum meum ad te jampridem perlatum eſſe confido, etſi tu nihil omnino de hac re in tuis. Invitus deprehendo mendas complures huic operi irrepſiſſe: quibus tu clementer ignoſcas aequum eſt. Sub finem libri nonnihil inculcatum eſt praeter rem ex neſcio quo ſchedio. In Elegiâ de Phoenice perperam, *praeminet iſte locus*, pro *eminet* conjiciebam. Vidi enim poſtea τὸ *eminere* cum quarto caſu etiam a Manilio conjungi. Cl. *Brunnerus*, qui Graecas litteras publice apud Ubſalienſes profitetur, in Attico vocabulario Thomae Magiſtri edendo totus eſt, cui Moerin Atticiſtam hactenus ineditum ſubjunget, ut alias monuiſſe me recordor, & excerpta nonnulla ex Orionis Thebani etymologico, quae ex ſchedis Vaticanis deſcripta *Octavius Falconerius* Roma ad me miſerat, ſed monet *Bigotius* integrum Orionis etymologicon, duobus voluminibus magnae molis comprehenſum, a *Gudio* in Italia repertum venalem, atque inde ad Belgas foederatos avectum eſſe. Veruſne ſit is rumor, per te doceri cupio. Nam ab ipſo *Gudio* tale quid nequicquam exſpectem, quem ejuraſſe litteraria commercia haud neſcis. Janiculi cultricem nobis hac aeſtate adfuturam ſperaveramus; ſed cum ex aula Gallica hinc perſcriptum ſit, illam neſcio quid rerum novarum in religionis negotio hîc eſſe machinaturam, aut ſaltem Pontifici fidem de hoc conatu obſtrinxiſſe, neſcio an prudenter ſit factura, ſi huc excurrat, quamquam tale quid abs ſe promiſſum cogitatumve ipſa pernegat. Quintilianum tuum aeque ac Livium avidus & impatiens geſtio videre. Ad Petronii fragmentum quae obſervaſti, mirifice placuerunt. *Petri Francii* verſus laudibus meis datos, politos ſane & rotundos praedicarem pro merito, niſi nimius is eſſet in meis praeconiis. Tibi interim, mi Gronovi, maximam felicitatem gratulor, cui inter tot ingentia in rem litterariam merita laus provenit uberrima ex compluribus diſcipulis eruditionis fama praeſtantibus, in quibus poſt te longum ſuperſis, ſaeculumque noſtrum, quamvis ingratum, demerere. Barthianos in Statium commentarios vidi, ſed vidi tantum: infeliciter locum illum ſub finem epicedii in Glauciam conjectura ſuperflua tentavit, *inſontes animas nec portitor arcet, Nec diras comes ille ferae.* Ad Silii enim librum XIII. verſ. 845. de Othro ſeu Orthro, bicipiti cane

Ge-

Digitized by Google

Geryonis, haec intelligenda monui, qui Cerberum fratrem apud inferos comitari credebatur, ab Hercule una cum Domino interfectus. Nam & in Silio ex Colonienſibus membranis caſtigandum, *illatrat jejunis faucibus Orthrus*. Ubi plura ex Graecis ſcriptoribus ad rem. Vale vir ſumme, & mihi favere perge. CIↃIↃCLXV. a. d. XI. Kal. April. Holmiae Suec. Pauciſſimis verbis te convenire propoſitum mihi erat; cum interim in molem maximam excrevit epiſtola.

EPISTOLA CCCCI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

Udmuthus ille *Spaackius*, quem fruſtra aliquamdiu quaeſivimus inter deos majorum gentium, quique Regium ſeſe Secretarium venditabat tibi, collegio rerum maritimarum (Admiralitatem vocant) in hac civitate eſt ab actis & epiſtolis. Rem omnem, ut augurabor fore, *Figrelius* me perdocuit: miratus ille impudentiam in homine, quem cactera minime malum aut improbum contendit eſſe. Quapropter opinatur procuratorem ejus *Scherium* negotium omne ſervidius paullo urſiſſe. *Spaackium* obtinuiſſe quidem jus tibi ac filio tuo ſuccedendi, ubi in vivis eſſe deſieritis, quod frequenter hîc fieri conſuevit: vivos ac videntes poſſeſſione dejectos nolle, contra quam *Scherius* rem eſt aggreſſus. Et hoc quidem ſuſpicatur ille, pollicitus mihi operam in hoc negotio ſuam, ubi proceres poſt res prolatas denuo ſunt conventuri in aulam, quod propediem fiet. Tu interim mitte ocius regium diploma, quo nobis opus eſſe etiam *Figrelius* arbitratur; apographum diplomatis ſuffecerit, ſed cui aut ab *Appelbomio*, aut a notario ſive tabellione publico auctoritas accedat. Pluribus tecum agebam proxime. Tu vale, Vir eximie, & rem feliciter gere. Exarabam Holmiae Suecorum. CIↃIↃCLXV. a. d. VIII. April. Gregoriani.

EPISTOLA. CCCCII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

PRoxime ſignificabam habitos a me ſermones cum *Figrelio*, quem *Grypenbelmium* nunc vocant, ſuper negotio, quod tibi faceſſitur a tenebrione quodam male feriato. Poſtea & *Chreſtenium* ſuper re eadem conveni, qui & operam ſuam nobis non defuturam ſpondebat, & libellum a te ſupplicem accepiſſe teſtabatur Regi offerendum. Caeterum abſentibus ab aulâ procerum pleriſque, ac

ac rebus prolatis, expediri te hinc haud posse: quapropter opportunius exspectandum esse tempus. Evenit autem commodum, ut spe nostra citius magnus regni hujus Cancellarius nudius quintus rure in hanc civitatem recurreret, valetudini curandae intentus, quod in praetorio suburbano minus sibi licuisse ob continuas amicorum interpellationes ac frequentes convivas querebatur. Illi negotium istud fervide satis hesterno die a me commendatum est. Respondit benigniter admodum pro caetera comitate sua, ac luculento erga universum litterarum nomen, curaturum, ne tibi negotium exhibeatur a *Spaackio*, aut Spaackii similibus: quod facinus invitus ex libello tuo supplice cognoverit, sed dolere praeter hoc, non esse rem majoris momenti, de qua gratificaturus sit tibi. Addebat nonnulla in laudem eruditionis tuae, commendabat merita in nationem Suecicam privatim, cupereque liberos suos, quos post annum alterumque studiorum caussâ in Bataviam esset missurus, disciplinae tuae traditos. Haec & plura ille: quae dubitare nos non sinunt, rem ex sententia tibi cessuram esse. *Figrelium* nobis non male hîc consuluisse opinor, quo est candore. Nam reliqui illi, ad quos confugiendum esse *Apelbomius*, vir satis officiosus, rebatur, cum fastidio quodam curant litteras, & cum frigore, quibus tamen fortunam omnem referunt acceptam. Visi praeterea jam non semel foederatis Belgis haud quaquam favere; quod inter nos sit dictum: ut recte ordineque sis facturus in posterum, si remissis ambagibus ipsi Cancellario per litteras te sistas, quotiescunque auctoritate regia adversus istiusmodi harpyias tibi erit opus. Ego interim urgere negotium non cessabo, dum in tuto navigemus. Claudianum mecum ad te perveniisse satis est, quid enim evolvas, unde nihil a te proficiatur? *Thysium* e vivis excessisse nescirem, nisi tu nunciasses. Accipio enim litteras rem privatam spectantes ab amicis e Batavia oppido infrequentes. Quibus a me hîc ignosci eo aequius est, quod primae necessitudinis consanguinei nihilo illis diligentiores in hoc officio mihi se praestant. Bibliothecam ni credunt tuae custodiae Curatores academici, pessime de republica merebuntur. Vellem adesset nunc vobis *Beuningius*, cui commendari negotium istud a me posset: quamquam virtutes tuae commendationis amplissimae locum obtinere debent. Vale, Vir summe, & me, quod facis, ama. Holmiae Suecorum Nonis Aprilibus. Anno CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA CCCCIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

CUm illustrissimus atque excellentissimus Dom. *Gustavus Bonde*, Regni Suecici aerario praefectus, & regis tutor, par liberorum suorum ad te nunc mittat, ut studio bonarum artium, & tui nominis celebritate excitati adolescentes hi nobilissimi, disciplinae praestantium eruditione virorum se tradant, quos Ade-

demia vestra complures habet quidem, sed tamen haud quemquam, qui laude meritissima doctrinae ac rerum usu tibi sit componendus; rogo obsecroque te pro jure diuturnae necessitudinis, quae inter nos fuit hactenus, ut splendidissimo prognati loco adolescentes re ipsa intelligant, commendationem meam nonnullo apud te fuisse loco. Praestabis autem abunde, quicquid abs te officiorum hîc promitto mihi, si ad te ventitantes consilio & hortatu omni impleas, talesque abs te dimittas, quales pater illustrissimus cum rege & Republica, ad quam sunt nati, videre reduces exoptant. Ita aliquando est futurum, ut tibi maximam partem referant acceptos honores illos, quibus olim laudabiliter ac digne capessendis jam nunc destinantur, conspirante omnium suffragio. Haec ut prolixius a te contendam facit cum indoles ipsa adolescentum, nil non praeclari spirans, tum insignia parentis in me merita, qui prudentia & auctoritate per universum Regni senatum prorsus nemine est inferior; quemque hac opera sic nunc demereri potes, ut nunquam magis. Vale, vir summe, & me in tuis porro habe. Exarabam Holmiae Suecorum. A. CIↃIↃCLXV. a. d. XVII. Julii.

EPISTOLA CCCCIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

BIbliothecam tamen mihi crediderunt. De aliis titulis hominis quid faciant, susque deque: neque enim ego πολυπεφύγμων, & illi, si quisquam, ἰδιογνώμονες, ut commendari ab aliquo nostrum pene sit praerogativa repulsae, ut sic dicam. Caeterum id carum qualecumque depositum dum recenseo, dum per *Cocceji* valetudinem Hesychio Hackiano, atque etiam Sallustio (ita nobis exedundum est, quod illi varie valentes, capigrenum & pantherinum genus, intriverunt) oculos commodo, dum Livio supremam manum impono, dum privatas scholas, ut commode ante ferias absolvam, multiplico, diutius in aere tuo fui. Interim multum debeo tibi pro ternis jucundissimis tuis: nam & sollicitudinem tuam in negotiolo meo testabantur, & ex honestis procerum judiciis boni eventus laeticiam praecepi. Nunc iterum tibi onus injungendum habeo, ut illustrissimis illustribusque illis viris, quorum propitias in me voluntates deprehendisti, in primis Dn. *Figrelio* & Dn. *Erensteinio*, per occasionem meo nomine exquisitissimas grates agas, meque hujus beneficii memoriam omnibus officiis tum in nobilissimam universam gentem, tum erga eos, qui contulerunt, prosecuturum polliceare. Idque eo majorem in modum peto, quod intelligo, quantum eis ponderis adjectura sit & persona tua ac dignitas, & delenifica facundia, & ille, quem in paucis experior, fidus & sincerus amor mei. Cl. *Brunneri* coeptis mire faveo. Sed quod penes *Gudium* vetus Lexicon est, non est ejus, cui gentilis ac civis filias.

Hanc non foemineum jugulo dare pectus aperto,
Illam demisso per fortia vulnera telo
Pro populo cecidisse suo,

Canit vates, a quo tu civicam; verum Photii. Cl. *Schefferi*, cujus munera exspecto cupide, mentio me revocavit ad illud fragmentum ψευδόνυμον. Ubi de Fortunata & Trimalcione: *Ad summam, quemvis ex istis babaecalis in rutae folium conjiciet.* Hîc crucem figere lectoribus voluit Praetor ab Illyriis. Sed vide, ne se perdiderit. Nam *babaecalos* istos unde hausit, nisi ex Arnobio Salmasiano lib. IV. pag. 141. *ut babaecali adolescentes solent, salax deus:* nam vulgo *bacchari* legitur, & *Heraldus* adversus nescio quem, qui *vagari* substituerit, tuetur. *Salmasius* autem id videtur finxisse ex apicibus codicis Regii: ac valde vellem, exposuisset nobis, qui essent *babaeculi*. Potest videri a βάβαξ, φλυαρός· sed quid hoc ad libidinem? An igitur a βιβάζω, de admissariis equis: ut sint libidinosi, instar admissariorum adhinnientes. At quemadmodum haec significatio convenit sententiae hujus, si diis placet, Petronii? Dein, quid est *in rutae folium conjicere.* quo & παρακατιὼν delectatur: *nisi dominum tuum in rutae folium non conjecit:* ubi forte voluit, *meus conjecerit.* Numquid alludit ad Syracusanum πεταλισμὸν, de quo Diodorus Siculus lib. XI. cap. LXXXVII. sed ibi est πέταλον ἐλαίας. Numquid igitur ut toties barbaros, & soloecos, & fabulam veterem conturbantes (ut in Diomedem & Ganymedem fratres, & Ajacem insanire desiderio Iphigeniae facit convivas suos) ita hunc voluit, dum eruditionem ostentat, imperitiam confiteri? ut *in rutae* (*oleae* voluit dicere) *folium conjici* sit ἐκπεταλισθῆναι vel ἐξοστρακισθῆναι. At sine persona ineptit etiam de Habinna: *oneratusque aliquot coronis & unguento per frontem in oculos fluente, praetorio se loco posuit.* Quia legerat apud Plutarchum de *consulari loco* in lectis, putavit etiam bene dici *praetorium.* Cur non & *aedilicium* & *tribunicium* & *quaestorium?* Non longe a prioribus, quae tentavimus, verbis: *Nam mihi nihil novi potest afferri, sicut iste fericulusta mel habuit praxim.* Legendum: *afferri, sicut iste ferculus, tamen habuit gratiam.* Nisi homo passim palam κακόζηλος scripsit *graxim.* Meministi in Asinariae prologo aliquando lectum, *cave ne graxis*, pro *gratiis.* *Ferculus*, ut *caelus*, *candelabrus*, *malus fatus*, *balneus.* Nunc accipe, quam mihi cogitationem fecerit ista quaesita barbaries. Ad illa veri Petronii verba: *Contubernalis mea fastum mihi facit: ita, si me amas, male dic illam versibus, ut habeat pudorem:* hîc ille legerat apud Gonsalium: Servile hocce „ prorsus verbum & inurbanum vilique mancipii ingenio adprime conveniens, „ qui personarum mores mire a Petronio servati. Hoc ille, ut Thracius rusticus apud Gellium putationem vitium accipiens, putavit se pro germano Petronio facillime probaturum, si libertinorum dialogos barbarismis & soloecismis inquinaret. At nugatur Gonsalius: sunt enim ista purissimae Latinitatis: nec usquam Petronius servos fugitivos & scorta, quantumvis insana dicerent, legem aut morem loquendi migrare passus est. Quemadmodum Comici frigida quidem & plebeja & incompta, atque etiam nonnunquam sordida, vilibus tribuunt togatis & palliatis personis, at non male Latina vel Graeca. Quemad-

admodum in Bucolicis est quaedam simplicitas rustica, quae & verbis & sententiis proditur: nec Graeci tamen nec Latini suos opiliones & caprarios tam stulte ac palam βαρβαρίζειν jusserunt. *Clamat itaque primus, cum pataracina poposciſſet.* Puto *amaracina*. *Et mundum frigus habuimus*, suave est, sed Martiali furto subductum lib. 3. ep. 58. *At tu sub urbe possides famem mundam. Staminatae duci & plane matus sum.* Haud dubie *madidus*: forte &*geminatas*, nisi potius *beminarias* i. e. non sextantes, non trientes, non quincunces, sed sex cyathorum potiones. Non potuit enim praeterire ullum rarius vocabulum, quin colligeret, & nunc nimium doctis, nunc nimium barbaris libertis daret. *Baliscus fullo est. balneus*, ut apparet. *Tamen bene elatus est, vitali lecto.* Credo, *vittato lecto.* Id est, coronis strato. *Puto illum reliquisse solida centum, & omnia in nummis habuit.* Aut rursus voluit σολοικίζειν suum Seleucum, aut nos conjicere, *solidum centies.* Illud *in nummis habuit* emendicatum a Cicerone lib. VIII. ad Att. ep. X. *se quod in nummis haberet, nescire quo loci esset.* [1] *Gelos*, homo mirus, post reditum ex peregrinatione immutatus prorsus & alius videtur. Bene rursus de literis sentire, nomen Grammatici non vile putare, venditare διορθώσεις, requirere nomina & indices omnium pusillorum librorum, quos te consectari olim criminabatur. Visebat ad me nuper cum splendido comitatu nobilis & perelegans adolescens Lutetia: is ex eo audisse ajebat, Phaedrum esse penes se MS. non versibus, sed fabulis, sed paginis multis auctiorem: id supplementum, missum a se ad *Tanaquillum*, in via periisse. Hoc tu cave *Scheffero* nostro dixeris. Crederet enim, quod tu & ego non facimus. Sed charta deficit, non animus tecum garriendi. Quintilianum & duos Livios, quorum scilicet alterum *Scheffero* tradas, Elzevirio dedi ad te curandos. Vale, pectus amicitiae, & cum privatam, tum in primis publicam rem hoc difficili tempore bene gere. Idibus Quintil. CIↃIↃCLXV.

1 Gudius.

EPISTOLA CCCCV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

LIvium & Quinctilianum tuos tandem aliquando post longam expectationem accepi. Horum alteruter cum sat superque muneris per se esset, tu utrumque ad me simul pervenire voluisti, insigni plane munificentia. Sepositi & hunc & illum mihi sub proximas ferias perlegendos, imo conterendos, sunt enim ejus notae tua omnia, ut satis evolvi non possint. Vellem equidem nonnihil nunc & meis frivolis reponi, si quid esset in promptu. Poëmata propediem videbis, quae nomantur libelli duo adoptivi variorum carminum ab

amicis meis mihi inscriptorum. Hos enim & addi bibliopola cupit, ut in molem nonnullam liber excrescat, & sic ut fiat viri ex praestantioribus quidam sunt auctores. Agmen illic ducunt dux *Montozerius* & *Briennaeus* comes. Nam de *Furstenbergio* vix exploratum habeo, an & sua illic legi, quae ad me dedit aliquando, aequo laturus sit animo. Diu est quod super illa re scisitatus sum *Rottendorphium*, qui cum nil respondeat, vix est ut quicquam ausim tentare *Furstenbergio* nolente, aut de consensu ejus parum certus ac securus. Quae in Maronem, Flaccum Valerium, Silium Italicum tantum non parata habebam, etiamnum premo, quod difficultati horum temporum a me datur, quibus nec publicae res, nec privatae satis sint in tuto. Affulgebunt mox, spero, pacatiora. Interim Salustium tuum, quem jam prodisse audio, mirum in modum gestio videre, ut absentem erudire pergas, quando ab absentis ore pendere haud concedetur. Elegiam, cum in Galliis esses, ni fallor, ad me ante annos complures dedisti & epigramma. Utrumque adoptivis insertum cupio. Quare si quid in iis mutasti aut mutaturus es, Elzevirio quaeso permitte, quod de suis versibus *Hugenius*, *Vlitius*, *Wallius* jam fecere. Urget enim editionem libri bibliopola, quem ante Februarias Kalendas juris publici faciendum spondet, nisi mora a nobis objicitur. Hîc igitur quaeso gratificare mihi, tum si quid novi in litteris meditaris, communica. Habes hîc a *Scheffero*, cujus varios libellos non unâ occasione ad te misi, nec scio. tamen si quid horum hactenus ad te sit perlatum. Phaedri fabellas & Pacati Panegyricum editione secunda molitur. Sed de his ipse, ut opinor, ubertim ad te. Vale, vir summe & amicissime. Nosque, si meremur, in oculis ferre perge. A *Gudio*, *Graevio*, *Vlitio*, tota denique amicorum cohorte, diu est quod nec litteras nec nuntios accipio. Nam *Vossius* nil praeter solitum facit. Iterum vale. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXV. a. d. XXIII. Decembr. Gregor. Habes hîc nonnihil nugarum mearum, quod rogatus ab amicis Parisiensibus effudi.

EPISTOLA CCCCVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

VEllem, aut satageres minus, aut plus profligares. Hoc tempus igne spectat qui amant tuam meamque nutricem: & ad obrussam vix quisquam. Unus amicus certus in re incerta cernitur, qui benignus in vos, me sibi privatim nihil debere voluit. Itaque jam & amare fastosum possum, quamvis derelictus. Expungat nos, quantum volet, dummodo sic laudi serviat. In hujus gratiam, si non bonos, at satis bonos, aut certe non malos fore puto, in quibus laboras. Et is, ut opinor, & certe, qui supra nos negotium curat, nitescere vult virtutem duris, non exstingui. Quare ne concidamus animis. Sextus

tus eousque mari felix, ut se Neptuni filium diceret, ac caeruleum paludamentum sumeret, constantia tamen bis fugati, bis naufragi Octaviani periit. Nam ille alter, qui pro pedo sumsit hastam, & deglupto suo pecore nunc brevem rabiem in alieno satiat, plus habet quam meretur gloriae, quod unum ex Selectis Trajectensibus terrore exanimavit. De versiculis, equidem omnes aboleri mallem: & cum ad bonos emendandos tam pigre veniatis vos disertissimi vatum, quibus vix unus & alter limandus locus, quid eos oportet, qui scribunt Musis & Apolline nullo? praesertim si paullo plus habeant sensus, quam ut ineptos tolerent; minus autem facultatis, quam ut recte tornatos reddant. Tamen quia imperas, sic illum accipe,[1]

Tu melior, tam rara quies & vivida virtus
Ad laudem pleno quem jubet ire gradu.

Tum istum,

Et facilem raperes artis ad omne decus.

Sed & hunc talem:

Me, cum seducto tibi venit Apolline carmen
Ab Nasone suo quale Corinna tulit.
Aut Nemesin cupidam quod rure avertit ad urbem,
Detinuitve oculos, Cynthia pulcra, tuos.

Malim etiam, *Atque impar quamvis.* Item. *Et numeros virtus implet.* Denique:

Mitte tuas curas, sola haec medicina veterni,
Rursus & agnoscet se prior ille vigor.

Haec si placent, utere. Quod de historia cogitas, probo vehementer, & σπεύδοντα ἢ αὐτὸν ὀτρύνω. Quamquam omnis propemodum doctrinae & scripturae liberalis sterile seculum sortiti simus; tamen hac ipsa nihil desolatius: & tu unus, qui eo munere nos ornare potes. Euge igitur, nec cessa, utique ubi Maronem, Flaccum, Silium restitueris: & jam nunc consilium formare te velim, unde incipias, quantum complectare, patrias res, an & Europae, immo & per omnem orbem cognitum, tradere malis. Atque utinam domum revocatum, instrumenti publici copia facta, commodis ita tractarent Patres, ut huic uni curae vacare posses. Quae a Cl. *Scheffero* tu, & ipse in suis per nobiles quosdam adolescentes allatis, promittis, jamdudum exspecto: & minus tarditatem miror, cum ille noster in magno emporio (solus qui ἡ εὐθείαν, non tamen naso) tam fuerit negligens, ut quos ego Livios mea manu inscriptos Cadomi & Salmurii legi putabam, eos nuper Hamburgi oberrare, & dominum quaerere acceperim. In Sallustium nihil ausus sum: sed filius meus, qui in gratiam Hackii postrema operarum specimina relegit, ex opusculis meis excerpta, & de marginibus quaedam descripta nostra in Variarum veterem illam congeriem addidit. Hesychianum opus exigit *Coccejus:* & cum parum vacat, ad me veniunt. Certum habeo, si minus esset difficilis, tibi, qui reticet, egregiam accessionem fore: sed in hoc quoque coisse videntur nostra amborum

1 Hae emendationes sunt elegiae Gronovianae, quae legitur in Heinsii Adoptivorum carminum lib. 1. pag. 35.

Digitized by Google

fata, neutros ut agnoscant proximi, nec quam praestamus pietatem reddant. Ego nunc paullulum interjungo, etsi est qui Diatriben, ille ipse qui Observationes. Sed horreo stabulum Augiae, nonnunquam tamen sic quasi limis. Et vide quid mihi nuper in mentem venerit. Scis in Soteriis Rutilii:

Non labente Numa timuit sic curia felix,
Pompejo nec celsus eques, nec foemina Bruto.

Non possum probare *curiam* illam *felicem*. Felicior ego, si bene conjecerim.

Non labente Numa tenuit sic curia fletus.

Inspice superiora & arbitrare. Ante omnia vale, & rempublicam privatamque bene gere. Lugduno a. d. III. [1] Id. Decemb. CIↃIↃCLXV.

1 Credo temporis notam non recte aut hic, aut in superiori epistola expressam, nam idibus Decembribus non potuit respondere Gronovius ad priorem, datam XXIII. Decembris, nisi Heinsius suas Novembri mense dederit.

EPISTOLA CCCCVII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

DIu est quod litterarum nonnihil abs te exspecto. Quae cunctatio tua ut permolesta accidit mihi, sic gaudeo tamen, me, quando aliis artibus te sperare non possum, diligentia saltem & affectu victorem evasisse. Nam quod occupationes tu silentio praetendas, nunquam effeceris, ut te magis negotiosum credam, quam sim ego: nec scripsissem sane nunc, nisi & poematum meorum exemplar allatum tibi vellem, & quas hîc vides, ad te curandas mihi credidisset noster *Schefferus:* haeserant illae aliquamdiu penes me, dum praestoler tuas. De Statio bis terve nuper tecum egi, & pluribus fortasse, quam par erat: *de luce una* retro referente Protesilaum, puto rem ipsam me tetigisse. De Admeto, ut, quod res est, dicam, necdum mihi satisfacio. Alcestin Admeti loco reponebam ad Nasonis Fastos: illa enim ab Hercule ad superos reducta. Sed *lux una* illi reductae haud respondet. Admetus vicaria uxoris morte jam morti vicinus, sed necdum mortuus, aut ad infernos delatus, liberatur a praesentissimo periculo. Ut nec in illam ista satis quadrent. Vide igitur num exciderit versus unus atque alter, quomodo & paulo ante postilla, *gavisusque vovit Quae lamenta tulit.* pro *vovit*, ego *fovit*, hoc est aluit, nutrivit hortando vel laudando. Sic *fletus immodicos corde fovere* Abascantii pietate. Apud Lucanum pari modo scribendum censeo de Cornelia, *fovitque sui solatia casus*, non, *volvitque*, libro VII. vers. 659. cum MScriptis pluribus exstet *vovitque*, quod & *Vossii* unum praestantissimum occupavit, vel *novitque*. lib. X. vers. 500. *cladem fovere Noti.* Ausonius Parentalibus carmine 7. *Dicebas sed te solatia longa fovere.*

vere. Illud *segnes vias gravatus* nondum displicet, & *vias gravatas* minus probo, quia *graves arenae* paulo post sequuntur, quod tantumdem est. Tu vale, & feliciter rem gere. Holmiae Suecorum CIƆIƆCLXVI. a. d. XVII. Martii manu praepropera.

EPISTOLA CCCCVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

QUod jamdudum desiderasti, mittitur tandem ad te lectu Ordinum, qui caerimoniis domui tuae praesit. Neque ipse modo, si quid vellem, sed & omne venerabile collegium hujus urbis, ut eum tibi de meliore nota commendarem, multis verbis mecum egerunt. Virum invenies, ut testati sunt mihi, pium & probum & religionum interpretandarum satis peritum, tum ad ea, quae ποιμένα λαῶν, μᾶλλον δὲ τῆς περιουσίου λαοῦ, videre, accurare, festinare oportet, summe promptum atque industrium: aliarum rerum, quae extra id officium sunt, nec callidum nec πολυπραγμονοῦντα. Tuum nunc est operam dare, ut apud coetum vestrum ob honorem, quem illi tribues, in merita dignatione sit, nec eum tantum iter pietatis colendae causa fecisse poeniteat, utque libenter te mutuis officiis prosequatur, nec Borean Arctonque in isto contubernio sentiat, denique non illic modo, sed & hîc laudi tuae serviat. Id te rogant omnes vehementer, & non minus ad suam, quam ad tuam existimationem pertinere judicant: tuque cur ita judicent: facile intelligis. Ad literas tuas alia via otiosior respondebo. Nunc accipies & Sallustium, quando ita voluisti, etsi in eo me vix agnosces. Vale, vir summe, & rem publicam privatamque bene gere. Lugduni a. d. VI. Non. Maj. CIƆIƆCLXVI.

EPISTOLA CCCCIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

SAtis & olim credebam tibi, Patrone beneficentissime, tua nominatione inter dignos congiario regio mentionem mei factam. Nunc [1] *Aedituus* ipse id

1 *Joh. Capellanum* intelligi puto: nam illa verba, quae mox in hac epistola referuntur, legi in epistola Capellani ad Heinsium VIII. Aprilis hoc anno data, qua & Heinsio indicat, se per

id confirmat mihi, teque in magna apud me gratia ponit, & assidua admonitione tua potissimum se incensum & captasse eam, & oblatam rapuisse occasionem confitetur. Equidem tanti faciebam testimonium & judicium tuum, ut eo contentus esse, ac fortunae jus donorum suorum aequo animo relinquere possem. Quod autem & contendisti vehementer honoris mei causa, & indignitates, frustrationes, repulsas pertulisti, nec nisi perfecta re conquiesti, id prorsus est sanctissimorum morum tuorum, & insignis cujusdam erga me benevolentiae. Omnino ambiguum feçisti, tibi plus an illis, quos expugnasti, deberem. Itaque stabit hujus quoque facti apud memorem gratia, & agnosco paratissimo animo ingentem cumulum tuis erga me meritis accessisse. A [2] *Venatore* non est, quod in posterum literas exspectes. Ille enim uxoris impatiens, postquam non secubuissent modo aliquandiu, sed & semigrassent, domo, supellectile, bibliotheca, creditoribus & hastae subjectis, non hoc tantum dolore, sed tum quoque ζηλοτυπίᾳ ipse suum cor edens, in conducto obiit, vix, qui funus prosequerentur, inventis. *Vossius* de Nili & aliorum fluviorum incrementis Regi, appendicem de Lucis natura *Capelano* dicavit. Is negat te causam habere, cur excursum in has partes desideres, & melius tibi consulere Patres, qui non indulgent; fore enim si apparueris, ut hospitio publicitus excipiare munere dominae. Non video quid haereas in illo: *Virtus sopita admonitu parvo resurgit, & implet numeros suos, ut ante.* De *Delrio* bene mones: sed quae est illa Solini editio? mihi non est nisi Stephanica, in qua nihil tale reperio. Sallustium misi tibi per eum, qui rem divinam domi tuae facturus est. Rogarunt me nostri Κήρυκες, ut hominem diligenter insinuarem tibi probum & pium, & disciplinae, quam profitetur, bene gnarum asseverant, alia exigere te non debere. Quin & excusant ultro, inconsultis ipsis ordinatum, si adhibiti forent, alium validiorem externis, magisque ad aulam factum circumspecturos fuisse, talem tamen orant ut toleres, foveasque etiam existimationis tuae causa. Ὁ Ἀρυτὴς fuit meus φοιτητής, frugem facturus, si maturescet: ut nunc etiam est, frenis indigere videtur: itaque vereor, ut exspectationem tuam sit impleturus. De Diatribe post illa vix cogitavi, adeo huc illuc diversus trahor; sum tamen in speculis, si quid otioli, eoque grata sunt, quae subjecisti, nec Parmensis codicis, sed nec Solini Delriani, & Epitomarum MS. usum fastidio. Mitte, ubi via dabitur. Epigramma de bis fulminato magnificum & ingenio tuo dignissimum vidi libenter, multisque admirantibus recitavi. *Palmerius Grentemenilius* Exercitationes suas in optimos quosque veterum Graecorum doctissimas per *Bigotium* mihi volenti commisit edendas, & jam operas exercent. Vale, decus & praesidium meum, & me ama. Lugduni a. d. XII. Cal. Junias Gr. CIↃIↃCLXVI.

Has

per Colbertum impetrasse a Rege viris doctis, *Gronovio*, *Reinesio*, *Conringio*, & *Ferrario*, liberalitatem insignem, qua illi octingentis imperialibus donati fuere. Heinsio eadem pecuniae summa data, quam ille, quia in Sueciae regno Oratorem agebat, ex legibus patriae accipere non poterat. Vid. supr. Epist. CCCXC. & seqq.

[2] *Jano Vlitio* puto, qui Venationem novantiquam edidit.

Digitized by Google

Has obſignabam, cum mihi reddita eſt gratulatio tua, cui caput ex literis *Aeditui* adjeceras. Quid illi homines, oro te, de me exiſtimant? aut quis iſtic locorum mihi frigidam ſuffundit. Mirabar in ipſius ad me epiſtola tam anxie commendari gratiarum actiones. Non minorem in iſta curam video. Et opinor quidem hactenus me ſatisfeciſſe: jam enim reſponſum habeo ad illas εὐχαριστικὰς ſatis humanum. Sed potin' mihi commentarium facere in illa verba: *quoy qu'il ne m'en euſt pas donné grande occaſion, & que des ſçavans de voſtre connoiſſance trouvaſſent eſtrange, que vous vous eſchaufiez ſi fort en ſa faveur.* Si de alio haec ſcriberentur, & magni alicujus eum peccati reum, & graves habere obtrectatores crederem. Ipſe nec iſtius mihi conſcius ſum, nec hoc meruiſſe me cenſeo. Iterum vale.

Nondum manum de tabula. Venit enim in mentem ſcribi aliquid oportere, cujus exemplum, ſi tibi videtur, ad *Aedituum* mittas. Hoc igitur habe. Narro tibi, Heinſi Ampliſſime, tandem me quoque reſpexiſſe R. C. liberalitatem, non qvidem cupidum optantemque (neque enim improbis votis indulgere ſoleo) ſed tamen gratam animo proprie, & quidem tanto gratiorem, quanto minus exſpectatam: ſic enim & danti honeſtior eſt & accipienti. Nam quod tardius, fatum eſt meum ſero agnoſci, hoc in omni praemio (neque ullum niſi labore ac virtute, ſi hoc adjici pateris, quaeſitum habeo) jamdudum experior. Quare vivat Ludovicus Adeodatus, unicum hoc tempore toto terrarum orbe magni regis exemplum, in quo & ſpes & ratio ſtudiorum ſolo eſt. Vivat, & Majeſtati ejus placeat *Colbertus*, qui tam glorioſa conſilia ſuggerit, & eam aerario copiam praeſtat. Vivat & canat aeternum *Capelanus*, qui Magno Miniſtro me tradidit. Vivas tu quoque & floreas, juxta canore Heinſi, qui *Capelanum* mihi benevolum reddidiſti. Nam (ne ignores candorem & civilitatem viri ſummi) cum totum commendationis beneficium ad ſeſe vindicare potuiſſet, te admiſit in partem, ultro confeſſus, inter alias, quae ſe moverint, cauſas aſſiduam interpellationem fuiſſe tuam. Caeterum is honor meis

Molem immenſam humeris & vix tractabile pondus
Impoſuit.

Nam qui conſtitueram poſthac abſtinere ſcribendo, aut ſaltem interjungere aliquamdiu, tanquam rude donatus, video novo auctoramento me retractum in hunc ludum, nec quieſcere poſſe, priuſquam publice grates egerim. Ea cura nunc me coquit, & verſat ſub pectore fixa. Tu, cui coepiſti, me commendare perge &c.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCIV.

NIC. HEINSIUS.

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

INdignabar, fateor, & aegerrime ferebam a congiario regio te excludi, nec in partem admitti meritiſſimi honoris, non quod fortunis tuis multum incrementi inde acceſſurum cenſerem, ſed quod cum ignominia quadam ac certiſſimo pudore regis maximi conjunctum videbatur, te fraudari ea munificentia, quam alii tuis virtutibus haud quaquam pares toto jam triennio eſſent experti. Nunc ſecurum rei totius me reddidit induſtria optimi *Capellani*, omnemque exemit huic pectori ac deterſit penitus moleſtiam, etſi ſerius id multo quam fieri oportuiſſet. Eſſe in urbe principe Galliarum, qui minus tibi velint, jam dudum eſt, quod agnovi, quanquam nec auctores indigniſſimi facinoris compertos habeo, nec cauſas ſatis excogitare poſſum. Interim optime, ni fallor, conſules tibi, ſi & cum *Capellano* noſtro, & cum aliis viris illic terrarum aut eruditione aut dignitate praeſtantibus, quos hoc ambire ac ultro velle deprehendes, literarium commercium inſtaures minus frigide, quam hactenus eſt factum: operumque tuorum, ſi quae in poſterum proditura ſunt, copiam iis facias. *Venatoris* exceſſum permoleſte tuli. etſi ille ex quo barbaram antiquitatem venerari coepit, me ac mea quodammodo neglexit atque inſuper habuit. Certe vellem paulo meliora fata ante diem extremum eſſet expertus. Meus in patriam excurſus, ne quid detrimenti rebus meis ferat pulcre, ut ſpero, providebitur: eum urgeo praeſertim, ut aut ſtipendio majore doner a patribus, aut ſi difficiliores mihi hîc erunt, alios mihi circumſpiciam heros; ac ſimul plorare illam in perpetuum jubeam cum ſuis, quae me indignis modis luſit hactenus atque exagitavit. De ſtipendio augendo dudum ſpes eſt facta, & quidem per Senatuſconſultum ſcripto conſignatum; nec tamen quicquam promoveo, cum, quia abſentium ratio vix ſolet haberi, nec adeſt vobis, qui res meas multo ardore fovebat, *Beuningius*, tum quia Ampliſſ. *Isbrandius*, qui, quo eſt in me animo, hanc rem utpote aequiſſimam praecipuae curae ſibi fore, ſimulatque domum rediiſſet, erat pollicitus, hîc terrarum longius expectato detinetur. Is teſtis oculatus abunde exploratum habet, quam caro conſtet vivendi ratio in hac civitate, idque non levi ſuo cum damno. Accedit nunc cumulus haud exiguus huic incommodo bellum Britannicum, per quod fit, ut pretia mercis tranſmarinae in immenſum excreſcant, interpellantibus commercium omne piratis Britannis. Ne tamen omnino moleſtum ſit hoc exilium faciunt, tum is, quem deſignabam modo, *Isbrandius*, vir comis & literis probe inſtructus; tum orator Gallicus *Dandillaeus Pomponius*, elegantiſſimi eruditiſſimique homo ingenii, quem in hoc ſuburbio vicinum habeo. Is *Fulqueto*

tuo

tuo unice aliquando carus, & ejus ob noxiam in aula Gallicana parum gratioſus, nunc denuo pro meritis haberi coepit: hunc mihi *Montozerius* & *Capellanus* plurimum commendarunt. Prudentio manum nuper admovebam, promiſſi reus apud praeſulem Paterbonium, qui poſtulavit hunc laborem ſibi darem, idque iteratis jampridem precibus, paucorum dierum otio eſt opus, ut reliqua detexam, quae in libris adverſus Symmachum praecipuam partem occupantur, ubi membranae vetuſtiores me deficiunt. Si quid hîc potes juva. Reginam noſtram, quae Virgilium publico a me dari cupit, rogavi, ut codices bibliothecae ſuae Maronianos a me excutiendos huc ferat Roma ſecum: venturam enim ſeſe jampridem minatur. Quod ſenatus regni minime fieri velit. Quid totius rei ſit, & an allatura codices, quos deſidero, propediem videbimus. Ego certe ſcriptorem tantum non ſine cura caſtigandum mihi propoſui. Interim poëmata jam mea, niſi fallor, prodierunt: quorum exemplar ab Elzevirio accepiſſe debuiſti. Inſpicies librum aliqua cum venia, me abſente, & tempore maxime alieno, juris publici factumi. [1] Alaſtor illic pro meritis habetur. Voluiſſem limam huic poëmatio admovere. Quod in poſterioribus, quorum initium, *Age literarum dic facete dictator* utcumque a me eſt praeſtitum; in prioribus vix licuit, quod occupationes publicae alio me vocabant. Eo majori cum venia abs te legenda ſunt, ſi tanti facies id carmen, in quod oculos conjicies. Plantinianam Solini editionem innuebam, non Stephanianam. Nec quidquam *Stephanus* praeter ſolitum fecit, ſi tollenda inde curavit pro ſuperfluis, quae paginas complures occupabant. Theologus ille non male, puto, apud me erit. Si *Boekhorſtio* negotium concreditum curae fuiſſet, uti debebat, alium haberemus. Sed is cum toto quadriennio mandata publica & meas adhortationes eſſet fruſtratus, tandem opera *Isbrandiana* apud patres foederati Belgii hac in re ſum uſus, qui Batavis meis id beneficium debere maluiſſem. Ajunt hunc noſtrum ſatis facundum eſſe. Id ſi ſic habet, applauſum facile & approbationem omnium ac meam facile conſequetur: nam alter ille, quem *Gherii* fratres alunt, vir quidem bonus eſt, ſed orator minime vehemens. *Schefferi* Upſaliam antiquam proxime ad te miſi, quem ab Elzevirio librum accipies. *Palmerii Grantemenilii* illa, quorum meminiſti, quaeque *Bigotius* jam apud me laudavit, videbo libentiſſimus: Phaedrus *Schefferi* necdum typis deſcribi coeptus eſt. Velim ſcire ecquid in vivis etiamnum ſit *Fererius*, ejus rei ſciſcitatorem habeo aſſiduum *Henricum Moucheronium*. Plura, quae his addam, nunc non occurrunt. Vale, vir ſumme, & me, ut ſolebas, ama. Holmiae Suecor. CIↃIↃCLXVI. a. d. IX. Kal. Quintil. Gregor.

1 *Salmaſius*. Vid. lib. II. Silvar. pag. 165.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCXI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

SAlluſtium, munus ab te jucundiſſimum, tulit ad me theologus ille noſter: quem jam verba publice facientem audivimus non ſine plauſu. Mores viri ad vitam aulicam magis compoſitos optaremus. Sed & ſic, docilem modo ſe praeſtet, poterit nobis probari. Et vivit jam ſub diſciplina illuſtriſſimi *Isbrandii*, apud quem puto proficiet nonnihil. In eloquio & doctrina hominis nihil deſideramus. Salluſtium perlecturus ſum brevi una cum tuo Livio. Quamquam Livium jam fere totum evolvi. Sed opus eſt iterata cura; ut hîc mihimet ipſi plene ſatisfaciam. Interim poëmata noſtra tibi exhibita jam eſſe opinor, de quibus judicium tuum non ſine acri cenſura expeto. Apud Prudentium libro primo adverſus Symmachum quid ſibi velit, *communes de matre Dii?* ubi agit de Dioſcuris, an *communes* quod ex meretricibus ac proſtibulis prognati? Emendatione locum aggrediuntur *Barthius* & alii: ſed non perſuadent. *Reineſius* me monet apud Naſonem Met. VII. verſ. 291. legendum eſſe, *capit hoc ab Aetide munus*, ut Αιητης dicatur pro Αητης, reſolvendo diphthongum in duas vocales. Tu vide, quaeſo, an id liceat, & exemplum ſuggere, ſi potes. *Schefferus* noſter Phaedrum editionis ſecundae praelo commiſit. Miratur nullas ſe tanto tempore abs te accepiſſe. Tu vale, virorum doctiſſime, & ſolens me ama. Exarabam praepropere Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. ad XIIX. Quinctil. Gregor.

EPISTOLA CCCCXII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

RUrſus ergo decoxi tibi? certe tardum & impeditum nomen fui, non feci copiam mei, latitavi vel poſt columnam. Quid faciam? tot circum undique; in his, qui nihil numerarunt, tamen ferunt expenſum, inſtant, flagitant, poſcunt de praeſentibus. Ego autem, ut homines infirmi atque obnoxii ſolent, rem perdere malle, quam miſerum pudorem: & tamen hîc quoque poſtea laeditur: nam poſtquam negare non ſuſtinui, quibus nihil debeo, ad reliqua non reſpondeo. At tu, oro, da mihi & hanc veniam, atque ignoſce, quemadmodum ſoles: poſthac frugi ſat ſcio me fore, ſi culpam emendare permi-

Digitized by Google

miseris. Nec tamen feriatus tibi complicatis manibus sedi. Nam praeter illa legitima, diatribas publicas & privatas, senatulos, puteal Libonis (assedi enim) officia, cum aliquamdiu inter orsa Statiana, & Noctes Atticas A. Gellii, & Senecas meos, huc divisus & huc fuissem, & in singulis non parum operae temporisque posuissem, chartasque aliquammultas nugarum implessem, repente rebus relictis unus me Tacitus addixit sibi. Id factum intemperie istius, qui Cajum Aleandri merere noluit, ut vultum tuum subiret. Coeperant hîc locare miscellum famen (si me pateris cum Martiano loqui) an misellum, [1] *Franciscus Rufus* conducere, cum duo [2] *Danieles* (& alteri, cum forte demulcendum haberem ob rem urgentem, vivo etiam tum affine ejus, id receperam) ita institerunt, ut manum darem. Habebis igitur, si tibi mihique Dii favent, Tacitum cum *Lipsii* integris, *Merceri*, *Gruteri*, *Salinerii*, *Freinshemii*, *Pichenae*, *Grotii*, fere integris, aliorum excerptis, & si quas mihi residuas fecerunt, notis. Sed quoties inter haec ego, Bovi clitellas? Nam praeclari artifices centonum suendorum ut magni imperatores fortuito cibo, obvio poculo, sic illi, ut quaeque fors obtulerat, omnibus contenti, nullo delectu, labore minimo defungebantur. At homini neque omnino naris obesae, nec mentis male sanae, isto cum stomacho & fastidio, ubique occurrunt *Plura quidem tollenda relinquendis*: & cum post arrosos saepe ungues tandem acquievi, ac satis curate fideliterque rem gessisse videor, quantum feci, poenitet. Sed intrivimus, exedundum est: praela sistere metuunt. *Jac.* quoque *Palmerii* Grenthemenilii Exercitationes, opus doctum, sed ne popularibus quidem, nedum Germaniae superioris officinis admissum, quia omne in Graecorum optimis restituendis & illustrandis occupatur, hîc inveni, cui obtruderem, ita tamen, ut postremam spectationem suscipere me oportuerit. Nec desinit *Rufus* eadem fini Hesychii sui (bis destituti, primum morte *Schrevelii*, postea morbo *Cocceji*, etiam postquam is convaluit) unumquodque folium missitare. Ita subegerunt me ingratissimi mortalium, & gratis imperant laborem, quem multo leviorem minusque utilem magna mercede alioquin emere solent: postquam facilitatem meam & studium in fovendis juvandisque omnibus, quae literis profutura sunt, deprehenderunt. Ad Prudentium me vocabas in postremis tuis, hem, hic est, qui primus impetum meum ad respondendum tardavit. Dum jam pridem non inspectum cupio replicare non in tuam tantum gratiam, & de die in diem ad id mihi otium frustra promitto, menses abierunt. Ad Symmachum tandem curriculo quasi transii, dum quaero *Communes de matre dei*, nec reperio, sed *Corrupti de matre nothi*, & *Cognatos de Marte deos*. Invenio autem ad marginem ver. LXIV.

Capta quibus volucrem virguncula ferret amorem,

me maluisse olim, *amantem*. Ver. CIX.

In-

1 *Franciscus Hackius* Bibliopola.

2 *Daniel Elzevirius* & *Daniel Gaesbeeckius*. eadem, quae *Heinsio*, fere scribit *Octavio Ferrario*, in epistola edita inter Ferrarii, parte III. pag. 104. *Gronovius*.

Digitized by Google

Indomitum intendens animum ſemperque paratum
Ad facinus.

Non ſufficere videbatur *animus*, quia ſaepe paratus miles arma non habet: itaque cogitabam, *nervum*, quem mox *ramum* vocat. Verſu CXLIII.

Mox Ariadnaeus ſtellis coeleſtibus ignis
Additur, hoc pretium noctis perſolvit honore
Liber.

Naſo tuus, opinor, dixiſſet, *hunc, pretium noctis, perſolvit honorem.* An & Prudentius, tu videbis. Verſu CLIX.

Inde puellarum ludibria, piguora, partus,
Et furtivus amor juvenum, & deprenſa jugalis
Corruptela tori.

F. *raptus* alleveram, & *defenſa:* omnia enim iſta defenſa & velata ſunt nominibus deorum. Ver. CXCV.

Talis & antiquum ſervavit terror aſylum

Conjeceram *ſacravit*, & propemodum etiam *torpor.* Ver. CCXXVII.

Illic Alcides, ſpoliatis Gadibus, hoſpes
Arcadiae, fulvo aere riget.

Poteſne concoquere *Arcadiae* poſitum pro Euandro jam in Latio regnante, ut *Hac Tyron, hac profugos*, an mavis *Arcadii? Aetis* dicere non auſim: ſed, *capit hoc ab Aeetide munus*, jam olim notaram ex codice Menardi, & probaram: non enim inſolens Graecis diphthongum in media voce ante vocalem aut diphthongum aliam corripere. Sic Ariſtophanes in Pluto:

Ἐγὼ τοσαῦτα δυνατός εἰμ' εἰς ἂν ποιεῖν.

Sic Homero Δρυάντος υἱὸς Λυκόεργος, Theocrito ἄεισδε τοιαῦτα. Quod imitatum Ovidium non audacius putabam, quam dixit *Dyſpari Priamide.* Si vidiſti Paſſionem Perpetuae & Felicitatis, ſcis, unde ſuppoſtor ille fragmenti Petroniani acceperit, *liberam coenam.* nam, ut homo Italus, exemplar de illis, quae typis facta ſupprimebat *Holſtenius*, facile habere potuit, habuitque. Reſtat, ut poëmata tua quantopere permulſerint me, demeruerintque, referam. Tu vero, quae vel in theatro vel in auditorio honorificentiſſima & ſtudioſiſſima poteſt ἐπισημασία dari, ea me uſum interpretare: nam quicquid dixero, minus erit, nec, quid de illis ſentiam, ſatis unquam eloquar. Ita quicquid moliris, omnibus numeris perfectum eſt, & virtutes venereſque pectoris inſtructi & aetherio ſpiritu calentis poſſides univerſas. Vivet hoc opus, neque in eo eſt quicquam, quod aetatem non ferat, niſi forte qua me quoque immortalitati admoviſti. Ea vereor, ne, ut aries aureus Hellen, prodat Pegaſus tuus. Vale, decus praeſidiumque meum, & feliciter age. Lugduni a. d. pr. Id. Febr. CIↃIↃCLXVII.

Solinum Plantini unde mihi? ſi non ſunt nimis multa, poſſes ex tuo exemplari deſcribi jubere.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCXIII.

J. F. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

VAlde amo te de *Octavii Falconerii* V. Cl. musteo libello, quem mecum in primis communicare dignatus es. Et doctae ejus conjecturae, quantum ex properata lectione decernere possum, facile subscribo: nam Persea & Danaen, Telephum atque Augen cogitare cum alia, tum aetas maris figurâ vetat. Sed & jucundum est & pium sanctissimorum initiorum nostrorum umbras & simulacra penes τὸν ἔξω agnoscere. Ego praedicto die & hora, sexta scilicet matutina, in lintrem me conjeci, ubi desideratum te mutasse consilium putavi: adeo non exspectabam tibi jus esse fidem meam appellandi. Vin' signi quid amplius? Dum absentis *Volbergii* commodum ab hora XI. usque ad mediam secundam opperior, confectis ubique prandiis ganeas & popinas frustra circumii, & vix tandem magna mercede reperi, qui recalfaceret focum, & viscus nobis semicrudum, ut Velitris Marti, apponeret. Ad *Graevium* quas mandaveras, statim misi. Nuper a recitatione publica regressus in veste longa obvium auspicato habui illustrem *Slingelandum:* qui statim ut me salutarat (ego enim ablatus aestu dictorum & exterritus etiamnum parum utebar oculis, & poene haud agnitum praeterieram) de novo vicino sibi gratulabatur. Vale, & me ama. Lugduno a. d. III. Cal. Maj. CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA CCCCXIV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

HOminem te lepidum & festivum! quia semel ineptire me vidisti, putas idem quotidie posse facere. Atqui nosse debebas ingenium meum, & me ab istis fragilis gloriolae choragiis alienum quam qui maxime, neque unquam huc (descendere enim me puto, cum illuc escendo) nisi instaret Διομήδειος ἀνάγκη. Scis etiam moris non esse, & difficulter exemplum novum introduci, nec quicquam me posse tale conari, nisi tot approbantibus. Apud quos si verbum ea de re faciam, exspecto, ut amici nostri (illi ipsi, quos tu atque ego diutissime coluimus) interrogent: num Criticus est? num literam occidere scit? num collegium in[1] I. & F. habere vult? hac enim adventicia plerumque

1 Credo notari *Justinum* & *Florum*.

que amoris & honoris causa excipior. Quemadmodum autem effugero, ne rauduſculum quaerere, aeruſcare, ſtipem petere, ut μητραγύρτης, videar dicarque? praeſertim tam recenti exemplo ejus, qui ducentos praeſentes, quadringentos annuos, juſſo, ut prae ſe fert, Panegyrico meruit? Taceo alia multa, quae me deterrent. Quare te oro, obliviſcere hoc, & pro non ſcripto habe, & ne dicas cuiquam hoc tibi in mentem veniſſe, ſed ſine me latendo & quieſcendo vitare deriſum & ciconias a tergo pinſentes. *Laur. Megalottus* & *Paullus Falconerius* me dignati ſunt alloquio pleno humanitatis, elegantiae, eruditionis. Tranſire tum putabam τὸ μέγαν, & hos eſſe de cohorte: ſed interrogare non audebam, ne invitarer ad faciendum officium, qui illo ſermone uti dediceram, neque ullum habeam, quo tam delicatas aures permulceam. Si naenia eſt parata *Golio*, hem tempus eſt. *Fabricio* pro me ſatisfecere *Francium* noſtrum juſſi. Si tibi curandi occaſio eſt, curabis; ſin, ad me redeat face. Vale, meum decus, & noli me apud gentem omnium ſubtiliſſimi ſenſus & naſi traducere. Lugduni a. d. XIV. Cal. Januar. CIↃIↃCLXVII. [1].

1 Ad haſce & quaſdam ſequentes deſunt Heinſii epiſtolae, quibus reſpondet, unde clarior lux appareret. Sed agere Gronovium puto de Allocutione ad Coſmum, magnum Etruriae principem, cum Academiam Leidenſem viſitaret, facta publice a. d. IV. Idus Januar. CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA CCCCXV.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

BEne habet: luſimus aliquid, & ἔπεα πτερόεντα literis revinximus: ſed tuo periculo, qui me hoc poſſe hominibus perſuaſiſti, & me credere juſſiſti. Audietur nonnihil de honore loci; pauca, ſed nervoſe, de Italia & Florentia; multum de gente Medicea, ſed ita, ut res geſtas perſequar, nomina nulla interponam; plurimum de ipſo & de hoc conſilio peregrinandi; tum vota & bona omina, quae tamen omnia intra dimidium horae facile poſſint pronuntiari. Sed heus tu doctor meus, quam longe aberras? Coſmo Franciſcum ſcribis ex Blanca Capella ſublatum. At Coſmus ex Petri Toletani regno Neapolitano praefecti filia quatuor filios ſuſtulit, in his Franciſcum & Ferdinandum. Blanca Capella primum fuit Franciſci delicata, & tum, ni fallor, ex eo peperit. Poſtea Franciſcus duxit Auſtriacam Ferdinandi filiam, Maximiliani Caeſarum ſororem, quod ſcire potes ex P. Victorii praefatione comm. in τὰ πολιτικὰ Ariſtotelis. Et hinc proveniſſe cenſeo Mariam. Ea mortua publice collocantibus Venetis duxit Blancam juſto matrimonio, ſed ex ea nihil procreavit, quae cauſa mortis utrique fuit. Hoc tamen ex miſſo ſtemmate didici

Digitized by Google

dici Mariam Franciſci fuiſſe filiam, quam ego Ferdinandi putabam. Nunc non in praeſentem uſum, ſed animi gratia cuperem ſcire, quemadmodum Coſmus I. Magnus dux deſcendat a Laurentio Coſmi P. P. fratre? nam Coſmi Petrus & Johannes filii fuerunt: Petri Laurentius & Julianus: Laurentii Petrus, Johannes, (qui Leo X.) Julianus, qui pater Julii, hoc eſt, Clementis VII. Petri Laurentius dux Urbini, pater Catharinae Henrico II. Chriſtianiſſimo nuptae, & Alexandri Ducis, in quo Coſmi ſtirps defecit. At inter Laurentium Joh. filium Coſmi P. P. fratrem, & Johannem Coſmi M. D. Patrem neminem novi. Sed de his, ubi bene vacaveris. Vale, meum decus & praeſidium. Lugduno a. d. pr. Cal. Januar. quas toto pectore tibi opto auſpicatiſſimas.

EPISTOLA CCCCXVI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Ad. XIII. Calendas Febr. quum tuae mihi redderentur, nihil jam poterat cum *Calcaneo* agi. Mos enim ſolennis illi pomeridianum agitare Dolae, non quae iram Borbonii ſuſtinuit, ſed ubi facta eſt pugna porcorum. Poſtridie igitur bene mane, & quae ad ipſum erant data & excerpta ex iis, quae ad te, quatenus ad illum pertinebant, ad hominem miſi, & ille ſe, quod opus ſit, curaturum reſpondit. Habet auctores ſuos, quibus utatur, licet. Plurimum praeſtitero, ſi attendero, ne quid fiat inepte nimis. Nam fatigari quis velit, & operam navare homini, qui pro triennii aſſiduo & quotidiano labore ſex ſcilicet aſſignat exemplaria? Tu vero mone communes amicos, ut impudentem & arrogantem paedagogum iſtum norint & faſtidiant, niſi ab eo velint epiſtolis miſſitandis occidi. Ευφημια illa noſtra ſub praelo eſt, & cum hac hebdomade, quamquam moratores, finem promittunt. Dein dies abibunt, dum glutinantur exemplaria. Etiam ſcire me oportet, quot velis tibi mitti, nam & circa ipſum aliqui, opinor, erunt promerendi. Sed unde fiducia tibi, futurum ut ea cauſa ſit unctiuſculum olus? nam vexatio tranſierit: ſed inſumere praeterea & neſcire, an id ſumptum exerceat ſuum, durum eſt. Praefationem aliam nullam adjunxi: nam ad ipſum, id eſſet nimis profiteri, quid exſpectes; ad Curatores, de ipſo deſperare. Homines vulgo, quoties nego adhuc factum quicquam, derideri ſe putant, & me ſcilicet egregii mortalem altique ſilentii. Placetne addi tria carmina? Mihi fere, tibi ſi minus, fac me moneas. Vale & laetare, quicquid erit. Lugduni a. d. VIII. Cal. Febr. CIↃIↃLXVIII.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SCiſti, qua cogere poſſes, quamquam munere iſto oderim te odio Vatiniano. Vix mihi ſatisfacio paratiſſimus. Nunc ad omnia flagitioſe imparatus ſum. Itaque ludibrium debebo, & habebunt, quod ſemper rideant. Fac tamen ſciam quamprimum, quod nomen & ipſius & patris, quae aetas, num qui fratres aut ſorores. Quando venturum putes, &; ſed interrogandi finis non eſt. Vellem diſceres omnia, quae ego debeo. Vale.

EPISTOLA CCCCXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MItto tibi ſex exemplaria, quorum tria, ſi tanti eſt, offeras aulae, unum tibi ſerves, unum, quorum carmina miſiſti, unum *Schatzio* noſtro, ni grave eſt, tradas. Nec mei honoris cauſa frontem perfrices. Ego enim ut iſta, ſi ſponte veniant, accipere grate poſſum, ita eadem facile aſpernor, ſi minima ſubſit indignitas. Meminiſti, quid olim ad te ſcripſerim, cum de Gallico congiario mecum ageres. Caeterum poſthac hujuſmodi me commiſſionibus cave objurges. Aliquot millia paſſuum commoratus es non cantharum, ſed Cornelium Tacitum, & aliquid etiam tempeſtivius, quod parabam ei, qui quanto civilius fert me ſui obliviſci, tanto magis operam mihi dandam puto, ne ille me ſui oblitum ſentiat. Vale, & me ama. VIII. Id. Februar. CIↃIↃCLXVIII.

Haec ſcripſeram cum mihi reddebantur tuae. Ego nec quid ſcribam, ſcio, nec cur etiam epiſtola moleſtus ſim, cauſam video. De libello, inquiram. Iterum vale.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCXIX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ET voluntati tuae & operae & conſiliis gratias habeo habeboque immortales. De exemplarium & cultu & numero utinam me monuiſſes, quum rogabam. Epiſtola, & quae alia jubes, exemplaria parata ſunt, ſive hîc ea adventum tuum manere velis, ſive iſtuc mitti, ſive denique ad Elzevirium: modo ſciam quot exemplaria, & glutinata an ſoluta, aut quot utriuſque generis. Vale, & valetudinem cura in primis. Lugduni a. d. v. Idus Februar. CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA CCCCXX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

TAmen aliquando ad officium redeundum eſt. Hoc dudum non ſemel ipſemet mihi dixi, & ſuccenſui jam hoc agentem interpellantibus; cum tandem, Tollito cuncta, inquit, & tui me primam rationem habere juſſit, quem tu (bene apud memorem veteris ſtat gratia facti) tantam mei rationem habere compuliſti. Is cum in curandis ad te ſuis meam fidem legiſſet, juſtis deſideriis tantorum fautorum moram nec facere nec fieri ſuſtinui. Acceſſit alter monitor ampliſſimus *Thevenotus*, quem ſcis, opinor, ab aliquo tempore hîc deſediſſe, dum perſequatur Arabum τὰ γεωγραφούμενα. Ego & conſilium nobile ac ſalutare non omni genere ſubſidii proſequi barbarum, & noſtrae Academiae amplum ratus habere, quod alliciat demereatque hoſpites longinquos & honoratos, (quum praeſertim & divinus *Capelanus* eam rem ſibi quoque gratam agnoſcere dignatus eſſet) quod poſſum, indulgeo libens, & vellem me plura poſſe. Quicquid tamen facio, non dono, ſed foenero: ita praeſentem & improbam mercedem capio, propemodum ἡμιοδανειστὴς, conſuetudinem viri & ſtudiis, & moribus, & ſermone ad miraculum uſque politi, & judicio elegantiſſimo, qua nihil poteſt contingere jucundius, ſuavius, amoenius. Saepius tamen filium ei delego, quem nunquam non meliorem & doctiorem dimittit. Hic igitur etiam tui crebram ſemperque dignam virtutibus tuis facit mentionem, cum acceſſione illa legitima, ut quoties ad te ſcribo, ab ſe amiciſſimam ſalutem & promptiſſima obſequia tibi deferam. *Brummeri* legem Cinciam accepiſſe te puto, a me ad Elzevirium miſſam. Noſtra ad majorem Plinium una

cum praefatione, jam pridem profligata, exſpectant reliqui operis conſummationem. Alter quoque Plinius, ad quem manipulum obſervationum dedimus, ad carceres haeret. Interim & Plautus repetitus praelis, cui denuo aliquot horas impendi: venitque in mentem, quod ſuadebas olim una re deterrito, ne ambitione honorem corrumperem. Nunc quia ſpecioſior gratiarum agendarum titulus ſuccurrit miſero pudori, & haud ſcio, quam mox, quamque facile iterum eam ſim habiturus copiam, conjeci quaedam in chartam, quibus Principi Miniſtro dico ſpeculum vitae vulgi, ſed duorum cultiſſimorum populorum. Amſtelaedamenſes cum de inſtaurando Lyceo ſuo cogitarent, & mihi honorem habuerunt. Retinuerunt (qui calculus & in priori migratione plurimum valuit) mortui, & vergens aetas corpuſque labori priſtino impar, & crebrius ſolito languidum; denique contentus praeſentibus animus. Itaque ſimpliciter, nihil cauponatus, gratiam feci. At ὁ τῶ φοιτητῶν μοῦ τὰ πρῶτα (cui ad rogantes, cum de me deſperarent, meritum teſtimonium perhibueram) cum praebere aurem & tractare conditiones coepiſſet, apud aeſtimantes recte ſuos, quid perderent, commoda mirifice auxit. Profuerunt haec τῷ τελωνήσαντι & proderunt, modo preſſis manibus tenere fortunam ſciat. Vale, meum decus & praeſidium, & rem bene gere. Lugduni tuae a. d. VI. Idus Majas CIↃIↃCLXIX. Ampliſſ. & Optimo *Scheffero* plurimam ſalutem, cui etiam, quod debeo, exſolvam quam primum. Minantur quidem ſe meam effigiem aere reddituros. Quid ſubſcribam? Puto nil niſi nomen. Quid enim mihi opus invidia. Iterum vale.

EPISTOLA CCCCXXI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

Diuturnioris ſilentii culpam agnoſco & deprecor, Vir Celeberrime, cujus ſumma ad valetudinem referenda eſt jam ferme annuam: ex quo enim regreſſus ſum in hanc aulam, morbos tantum non continuos experior mihi familiares. Hiemem certe proximam aut lectus aut cubiculum me ſibi adfixere toto temporis quadrimeſtris ſpatio. Nuper etiam in recidivam ſum lapſus, ex qua lento proceſſu nunc vix tandem emergo. Hoc rerum mearum ſtatu confidebam equidem fore, ut gratiam mihi facerent patres demandati publico nomine ad Ruthenos itineris, concordiaeque hoſce inter ac Suecos inſtaurandae. Cui ego me ſpartae non parem eſſe jam ſaepe numero apud amicos, Ampliſſimum imprimis *Beuningium*, per litteras eram teſtatus: quibus ex Senatu abſentibus cauſam meam proditam ac profligatam invitus nunc intelligo. Itaque nil integri relictum nobis, praeter obſequii gloriam. Nec tamen mihi tempero, quin illa Fortunae meae occentem nonnumquam:

Ergo erat in fatis Scythiam quoque viſere noſtris!

No-

Novisti cetera. Meram igitut barbariem spiranti, & in irae permolestae cogitatione defixo tuae mihi reddebantur proximis diebus, ex quarum lectione tale delinimentum cepi, quale sopor fessis in gramine. Epistola optimi *Capelani* haesit in via multo, quantum apparet, tempore: meliori tamen fato usa, quam ejusdem penultima, in itinere una cum Illustrissimi *Colberti* literis intercepta, quod nunc primum doceor. Amplissimi *Thevenotii* consuetudinem quotidianam tibi quin invideam, minimum abest, etsi nunquam non secunda quaevis rebus tuis apprecatus, tantum ex ea voluptatis atque emolumenti ad te redundare sum certus. Utinam illi tibique iter, quod molior, commodi nonnihil foret! Ita enim uterque de me meriti estis, ut, sine animi ingrati nota praesentissima, utilitati vestrae deesse haudquaquam possim. Quae de viri virtutibus uberi oratione subjungis, ea ex tripode proferri mihi sunt visa, veris nihilo majora. Quapropter iterum iterumque meis verbis quaeso, salveat homo ad unguem factus: atque ex te cognoscat, absentiam a solo natali meam multis mihi nominibus molestam esse, nullas tamen ob causas molestiorem, quam quod per illam fit, ne in commune studiis suis publico profuturis a me consulatur pro virili. Sed & Magnum Etruriae principem sic res in Brittannia suas componere est rumor, ut per Belgas Foederatos iter in patriam moliturus credatur. Videbis igitur Heroem praestantissimum, & dextram tot meritis insignem proxime continges.

At mihi Sauromatae pro principis ore videndi.

Fragmentum Petronianum, in Dalmatia repertum, Romam perlatum esse nuntiabat non ita nuper *Falconerius*; nec de impostura aut dolo malo suspicionem apud homines rerum peritos in urbe relinqui, ex quo compererunt, codicem ipsum ante annos ccc. esse exaratum, hoc est, illo tempore, quo fraudi litterariae inter Barbaros locus non erat. Cl. *Schefferus* valet utcunque, ac totus est in adornandis de re vehicularia veterum commentariis, quos describit ac luci parat. Idem aliquando fert iniquius Navalem militiam, post priores curas parte altera auctiorem, ab Elzevirio negligi: qui erat pollicitus, nullam editionis in se moram fore, simul atque librum accepisset. Eum & accepit anno proxime decurso mea opera, & tamen nescio quid cunctatur, ac promisso deest. Admoneatur is officii interdum per te, quaeso, objurgeturque; dum in publicum consulat. Ait quidem se in Spanhemiano opere edendo occupari, & has excusationis ambages jam praevidit fore objiciendas *Schefferus* autumno proximo, quando alter ille negabat, procrastinationi hac de causa vel minimum subverendum esse: sufficere enim sese utrique telae simul detexendae. Hortatu *Graevii* nostri, qui typographum non defore *Meursii* postumis edendis asseverat, petii a Magno Regni hujus Cancellario, ut quae vir ille doctissimus super Antiquitatibus Cretae, Cypri ac Rhodi commentatus est, & quorum exemplar hîc in arce Regia asservatur, mitti in Belgium pateretur juris publici facienda. Promisit ille cum senatu sese ea de re propediem esse acturum, & bene nos sperare jussit. Ceterum studia omnium hîc unice occupantur in edendis libellis nescio quibus Gothorum veterum historicis, & ad institutionem

Digitized by Google

regiam pertinentibus, quae & cura *Schefferum* noſtrum a melioribus avocavit. *Brummeri* Commentarios ad Legem Cinciam nuper admodum accepi, nave, qua libellus vehebatur, tempeſtatibus multum jactata, & in portu Gothoburgico hybernare compulſa. Pliniana tua mirum in modum oculis hiſce uſurpare geſtio: utinam hic mihi comitatus obtingat ad Ruthenos excurrenti! armarem certe hoc me amuleto adverſus omnem barbarae faſcinationis adflatum, ſed nec invitus evolvam, quae ad Plinii junioris epiſtolas, & ad Plautum curiſecundis annotaſti. Plinii epiſtolas in manibus habebam lecto nuper adfixus, & ex Membranis Florentinis ad Aldinam Editionem complura viſus mihi ſum obſervaſſe, haudquaquam inſuper habenda. Etſi *Aldus* ipſe ea praefatione gloriatur, membranas ſibi praeſto fuiſſe ex Galliis allatas longe vetuſtiſſimas, & ad Plinii ipſius aetatem proxime accedentes. In Hendecaſyllabis certe Sentii Augurini: qui libro IV. Ep. XXVII. exhibentur, ſcribendum codex me docuit,

Ille o Plinius, Ille, quot Catones!
I nunc, quiſquis amas, amare noli.

Nam ita diſertim illic legebatur, niſi quod mutavi, *Quod Catones*, in *quot*. Plinium inſtar habere plurium Catonum voluit, & hoc jam monui ad Naſonem. Vale, vir Eximie, &, ſi vacabis a continuis occupationibus, fac litterarum aliquid a te adipiſcar, in Ruthenis conſtitutus. Exarabantur Holmiae Sue corum Anno CIↃIↃCLXIX. a. d. XVII. Junii.

EPISTOLA CCCCXXII.

J. F. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

DOlui non ſemel, Heinſi jucundiſſime, vicem tuam, in tam profundam barbariem miſſi: ubi non virtus tua, non fama, non ingenium, non ſuavitas tanta publicae cauſae ſuffragaretur: unde, quum quaſi Perſicus Angaros δι' ἐλαχίστων γεγραμμάτων, aut inſtar Scytales Laconicae juſſa eo portaſſes, meram ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσιν referres. Sed & ego (tanquam ita conſentiret noſtrum utriuſque aſtrum, ut neceſſe foret eodem tempore ambo miſeros eſſe) interea rerum mearum ſategi. Decubui enim in ſextum menſem cum exigua ſpe ſalutis, & alterum tantum jam temporis quaſſatam valetudinem inter Phinea edundi faſtidia traho & vix ſuſtento. Praeterea jacuit non tamdiu quidem, ſed identidem pari deſperatione univerſa domus, quam ἡμιτελῆ, non tam cubili, quam cenſu, reliquit, quae fidei ac pietatis noſtrae & veterum dolorum immemor, nos alii Phinearum volucrium generi, quos ipſa peſſime oderat, diripiendos prodidit. Itaque non modo corpus & vires, ſed & rem amiſimus. Sed vita cum ſupereſt, bene eſt: non tam mihi, qui ſatis firmaveram animum

ad

ad tranſitum per quantumvis ardua in pacem aeternam, quam parvis meis, quos, ſi quid accidiſſet mihi, non aliis, quam quibus me vivente ac vidente ſub ſpecie bonorum novercae redigendorum praemio quaeſtuique fuerunt, commendare poteram. Talis tamen anno praeterito variis moleſtiis dies nocteſque inquietatus geſſi magiſterium collegii noſtri, in quo ſeniorum jam quartus ſum: ſed numerus ejus major, quam umquam fuit: quemadmodum nec viae urbis auditoriave, atque Album Academiae ſolita frequentia carent. Familiae forſan etiamnum ſentiunt, quos perdiderint: ſed ut quaeque meliore ſtatu ſunt, minus, ut reor, inter adverſa, quod contigit, numerant, quia computant, multis repente adeptis, ad quae nunquam alioquin aut tarde fuerant perventuri. Caetera civitas, praeter paucos, quos reliquiae mali languidos tenent, Κρότωνος ὑγιέστεροι, adeo ut medicum nuper mitioris autumni ſe non meminiſſe, & die ſacris ſolenni nullas preces pro aegroto deſideratas, quod XL. annorum miniſterio ſibi non eveniſſet, de ſuggeſtu praedicantem audierim. Quod mihi quaeſtionem ponis de veredis a te incitatis, & te recte conſuluiſſe judico, & illos merito greſſum acceleraſſe; utique ſi gerebant & fiſcos cum pecunia, quos ferro tonſitari ſolere a compare ginno Phaedri Aug. Lib. didicerant. Nec fugae nomen invidiae ſit: nam ipſe Apollo per flumina jurabit

Infera ſub terris tacito labentia luco

fugam honeſtam eſſe, quae te, delicias ejus, ſervavit; nec te quicquam tota vita excuſandum habere, quam quod, dum te Herculem putas, unam excetram non fugeris. Plinium & Plautum, filiique Macrobium jamdudum adſervo tibi: de Polybio promittere vix poſſum, adeo indigne nobiſcum agunt mortalium ſordidiſſimi & ingratiſſimi: quod poſſum tamen, promitto. Habeo etiam ab *Aproſio* ad te *La Beliſa tragoedia*, Il *Veratro*, Le *Vigilie del capricorno*, & inſtar vitae tum Parentis tui, tum tuae manuſcriptum. Quod in literis aliud hinc exſpectes, nihil eſt, niſi forte Stephanum de Urbibus cum verſione & notis bonae frugis, quantum ex uno alterove ſpecimine praeſagio, *Abrahami Berkelii. Schefferi* V. CL. Militiae navali mancipem quaerere non omittam, etſi jam ab uno alterove repulſam tulerim. Cauſantur priorem editionem nondum eſſe diſtractam: erat, qui, ſi pretium facere vellem, ſena exemplaria ſibi eſſe in promptu diceret. Sed haud dubie politiſſimum opus praejudicio gravat, qui adhuc lactavit auctorem, ſociennis occultior, non melior: quem, ſi lucroſam rem fore ſperaret, nunquam dimiſſurum fuiſſe ex ſuo & ipſius ingenio interpretantur. Sed videbimus. Vale χαίρων καλδεννᾶν καθαρὸν φέγγος, & mei memor eſto. Lugduni prid. Cal. Mart. CIↃIↃCLXXI.

Sto compilando la ſeconda Pentecoſte della medeſima in cui non mancara qualche Grillo a VS. Eccma. ed al Sig. Heinſio. Magia che di lui favelliamo non ſo ſe m'habbia a dolere, mentre havendo egli publicati nel CIↃIↃCLIII. *i ſuoi Poemi, ſi ſia di me affatto dimenticato. E pure non gli mancava occaſione a pag.* 119. *nel regiſtrare l'Epigramma* In Talpam impudentem plagiarium *notata come fattolo a mia inſtanza, egli l'haveſſe. Poco pero meno curai. Ma ſpiacquemi vedere taciuto il nome dell' Illmo. Sig.* Tommaſo Spinola, *che fu figliuolo de* Giuliano, *coſi anco d'altri ami-*

amici Genoveſi. Intendo che egli habbia ſtampato Ovidio con le ſue Note, non per ancora io l'ho veduto: & lo bramo al maggior ſegno, pero che havendogli donato un MS. delle Epiſtole di quello, per lo quale havendomi ringratiato di Venetia con le ſue lettere delli 13. *del caduto* CIↃIↃXLIIX *diſendomi:* Nec diſſimulabo hoc beneficium in Notis ad Ovidium iſtis, *eſſendoci paſſati tanti anni di mezzo vado ſoſpettando, che egli habbia ſegnata la promeſſa nelle efemeridi dell' obliviene. V. S. Eccma. ſi compiaccia di non tacerle queſte mie juſte doglianze: che ſe ho torto, laſſo che egli medeſimo l'habbia a giudicare &c. & vorrey pure prima di finirlo riverire con tutto l'affetto il mio Sig. Heinſio. &c. di Vintimiglia. 2 Martze.* CIↃIↃCLXIX.

EPISTOLA CCCCXXIII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

NUntio, rediiſſe me ad meos, nec tamen omnino ſalvum. Eſt enim negotium cum pedibus ingratum, qui niſi clavo trabali adfixum tenerent lectulo, jam ad te advolaſſem. Tu, ſi melius voles, fac, quaeſo, quod a me fieri non poſſe permoleſte equidem fero. Vale. Hoſpitio utor, quo & ante hoc triennium ſum uſus. Hagae Comitum a. d. v. Auguſt. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA CCCCXXIV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

LUbens equidem reſcivi nudius tertius ex Ampliſſimo *Terborghio*, in quem forte incidebam, die craſtini te nobis eſſe adfuturum, Vir Celeberrime. Hoſpitio meo nihil tibi debet eſſe antiquius, quod pro veteri illius jure, abs te promitto mihi. Etſi & peſſime illic exceptus nuper, & alibi lautius ſat ſcio, habendus, juſtiſſimas potes proferre cauſas, cur nos ſordeamus tibi ac praetereamur in poſterum. Tamen nolito tui eſſe diſſimilis, aut ſeverius vindicare in nos homunciones longe longeque tibi devotiſſimos: ſi quid nuper eſt peccatum, non tam mea ſupinitate aut culpa, quam abſentia illorum, quorum aedes nunc inhabito, ut ſane peccatum eſt graviſſime. Catalogos ſi tecum tuleris bibliothecarum proxime apud vos auctionibus publicis diſtrahendarum, rem pergratam feceris. Atque adeo auctor ſum filio tuo, eos, qui poſthac in lucem prodituri ſint, ut ad me mittat. Nondum enim emacitatis antiquae morbum expugnavi. Vale & veni. Hagae Comitum A. CIↃIↃCLXXI. a. d. XVI. Octob. Greg.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCXXV.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

DE Thesauro *Stephani Henrici* memorem te fore spes est, Vir amicissime: ut mihi is addicatur, si exemplaris sit neque immundi, & pretio salubri possit comparari. Idem de *Reusneri* familiis dictum esto. Quamquam si tu eas tibi destinasti, usu harum me non fore defraudandum possum mihi promittere. Velim & *Glandorpium*, si commode vendetur. Est enim mihi exemplar ejus jam olim acquisitum. Nunc video & exhiberi Senecam cum commentariis variorum ex editione Aurelianensi. Si recordor probe, illi accedunt notae *Franciſci Jureti*, quae ab aliis absunt editionibus, cujus rei admonitum te volui. Navali militiae Schefferianae si spei nihil reliquum est de typographo apud vos inveniendo, certior faciendus erit quam primum istius rei amicus noster. Ausonium nuperae editionis evolvo, ipsi frontispicio abesse epistolam Theodosii Aug. miratus sum, quae laudes poëtae luculentum in modum complectitur. Praefatione Ausonii ipsa ad Theodosium, quid sibi velint illa, *quoties contra parem dubites*, doceas me rogo. Nam nec Latina satis sunt, & peccant in legem metricam. Vale. Hagae Comitum. a. d. XXI. Octobr. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA. CCCCXXVI.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

CUm *Langermanno* ut agam ipse super negotio, quod nosti, consultum opinor. Ne si tibi acrius nonnihil fortasse excidat, quod fieri interdum possit, ego vos collisisse arguar immeritus. Hodierno die monendus erit amicus noster per litteras, ne aurem nimis credulam praebere pergat hominibus id genus garrulis, & supra modum aut malignis aut improvidis. Ad quae quid rescripturus sit, tibi postmodum communicabo. Ob minacias cur iraſcaris huic tanto animi fervore, agnoscis, puto, tute, causas non esse tibi longe justissimas. Si tecum perpendis aliquanto meditatius, esse naturae legibus ac pietati convenientissimum, ut existimationem paternam etiam, cum jure fugillatur, ab omni opprobrio, quantum in nobis, vindicemus atque adseramus. Agit autem sic tecum amicus noster, ut delatori non plane subscribat, sed haereat

ambiguus mediusque credentem inter ac narratis derogantem. Nec dubium est, quin, quando ex me intelliget, inficiari te rem omnem; tibi potius, quam alteri accessurus fidemque habiturus sit. In loco Ausonii etsi minus Latine dici videbatur, *dubitare contra parem*, tamen quid istis vellet auctor, cetera non inelegans, minus obscurum censebam, sed de loco corrupto cur liberius sententiam ferrem, faciebat posterior syllaba correpta *& contra:* quod praeter exemplum esse, nec ferre legem metricam persuadebar ut crederem, & adhuc ut credam persuadeor: cum noster sit accuratissimus in ratione Syllabarum servanda, Graecis nonnullis exceptis, in quibus accentibus & pronunciationi, pro more temporis sui, se praebet plus nimio obsequentem. De claris urbibus in laude Athenarum occurrit quidem

Unde per Joniae populos & nomen Achæum
Versaque Graia manus centum se effudit in urbes.

Vel, ut scripti potiores, *versa & se fudit*, cum prima in *Jonia* corripienda fuerit, producenda secunda. Sed scribendum utique,

Unde per Jonii populos & nomen Achæum
Sparsam Graia manus centum se fudit in urbes.

Jonio in magno, cum mare subintelligatur. De Arelate ipso statim initio

Pande duplex Arelate tuos blanda hospita portus.

τὸ *Arelate* in carmen ipsum subrepsit ex lemmate carminis & titulo, de Arelate certus sum Ausonium scripsisse,

Pande, duplex Arelas, tutos blanda hospita portus
Gallula Roma, Arelas:

quod ipsa repititio Arelatis sat evincit. Sed haec in infinitum abirent, si percenserem omnia, quae castiganda in Ausonio supersunt, post curam ultimi [1] interpretis. Quem miror non solum omisisse Divi Epistolam in ipsa operis fronte, quam illic legi Ausonius ipse haud dubie voluerat, sed amoebeas Paulini litteras, per quas Ausonianis respondet, cum in vetustis Ausonii membranis legantur, utpote ab ipso Ausonio juris publici factae. Non dissimili modo frater ejusdem, qui Appianum nobis dabat nuper, Illyricis omissis, quo nomine nos omnes Belgae exteris ludibrium debemus, quasi consultores illi defuerimus, cum ipsus, credo, defuerit consultoribus, cum nemine hominum litteratorum communicato consilio hoc suo ac proposito. Sed ad rem. Tentabam in nostro, *quoties cum pare res dubia est*, vel *contra operi indubitas*. Sed non satisfacio. Vide, si quid aptius hinc extricare possis. In Caesaribus.

Tertia finit hiems grassantia tempora Caji.

vel, *crassantia*, ut in aliis. Liber Vossianus veterrimus *transatia*, alii quidem *tranantia*. Conabar, *transacti tempora Caji*. Sed exemplum desidero; quod suppeditari a te velim. Apud Florum, *bellum cum Pompejo peractum*. Peractus Pompejus, & cum Pompejo peractum bellum. Sed de *peragendi* verbo hac significatione complura in Adversariis annotavi ad illa Martialis vulgo mendosa, *Jam Lacheſi jamque peractus eras*. Apud eundem Ausonium Epistola jocosa

[1] *Jacobi Tollii*, cujus frater *Alexander*.

Digitized by Google

sa ad Theonem de Ostreis, cujus initium *Ostrea Bajanis*, hic versus exhibetur, *Quot ter luctatus cum pollice computat index.* Nonnulla illuc congesserunt interpretes de numerandi per digitos ratione, quod veteres, quae qualis fuerit, apertius demonstrare debuerant. Fuit cum τὸ *luctatus* censerem mutandum in *jactatus*: ut ad micationem digitorum referatur, ludum veteribus usitatum, & diversum ab eo, quo Itali nunc utuntur. Nosti illa Calpurnii Ecloga II.

Ter quisque manus jactare micantes.

Haec, ut te doctore proficiam. Sed revoco me, ne, qui praesentem praesens obtundebam nuper recitatione nimia quisquiliarum, nunc in absentem pergam saevire. Doleo tantum temporis periisse filio tuo, dum Thesaurum Stephani in meos usus nequicquam venatur: exemplar minoris chartae (quale meum, quod Holmiae jam habeo) haud a me desideratur, Glossarium multo minus, quod in bibliotheca mea non semel exstat. Ajebant, qui auctioni interfuere, nusquam alias hunc librum minoris fuisse divenditum. Ceteros etiam salubri pretio ab emptoribus addictos. Vale, decus litterarum & meum. Hagae Comitum. CIↃIↃCLXXI. a. d. XXX. Octobr. Gregor.

EPISTOLA CCCCXXVII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

Filius meus diem perpetem in auctione persedit rebus relictis: sed adeo excandefecerunt pretia sive appositi sive animosi licitatores, in his *Plumerus* Amstelaedamo, ut nihil nec tibi, nec mihi ausus fuerit parare. De *Schefferi* opere docebit te, atque ipsum referet tibi *Riquius* noster. *Quoties contra parem dubites*, accipiebam, si sit auctor conditione par nobis, non tanto major, quanto princeps privato, & dubites, vel tergiverseris, aut tarde accedas ad id, quod suadetur, tunc decet & laudatur modestiae mora: principi statim parendum est. Si tamen tu quid melius, ut plerumque soles, addiscam libens. Tentavi aliquot formulas epistolarum, tam ad delatorem illum, quam ad eum, qui tam facile illi credidit. Sed non possum moderari mihi, nec decerno satis, plus sit indignitatis in vanissimo mendacio, an in minis tam incivilibus. Itaque virtute me involvam mea & silentio: ut nimio saepius quam vellem feci, quum magnis beneficiis meis par merces reddebatur. Valeant, & sint similes sui: non dubito brevi fore, ut ipsimet inter se his artibus moribusque invicem plectant. Tu aliter vale & salve, plurimum merito tuo cognatis carior. Lugduni a. d. IX. Cal. Nov. CIↃIↃCLXXI.

Stephani integri cum Glossario & bene compacti copiam tibi de sua copia defert librarius quadraginta florenis, si libido est.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCXXVIII.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

QUi has portat, de auctione tibi satisfaciet, in qua qui bene emerunt, aut albae gallinae filii fuerunt, aut rivali caruerunt, aut nihil, quod placet, carum putant. De D. *Magno* credo & praeclaris speciminibus, quorum mihi copiam facis, & ipse olim expertus, etsi nunquam ei tam enixam operam dederim, ut de industria eum ad suam ipsius & majorum obrussam exigerem; sed si quid tamen in eo vidi, obiter & non hoc agenti natum sit. Sed ab tirone isto quid majus exspectare potuisti? Non cuivis datum, ut bonos versus facere, ita Poëtas restituere. Utrumque tuum solius est, non in his modo, sed quot aut fuerunt, Aut. &c. Vale, unice *Cantandi positor*, *cantati sancte repositor*, & salve plurimum, me autem ama, cui nec molestus unquam, & omnium minime, cum doces. Lugduni. raptim a. d. IV. Non. Novem. A. C. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA CCCCXXIX.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

OPinor filium tuum ad te pertulisse, quorum caussa huc missus erat nuperrime. Cum Regina litem antiquam mihi esse nosti, aut potius aeri meo. Quae quod nomen haud bonum esse pergit, ac sui similis, flagitatione Musicâ proximis diebus a me conventa est, non quia sperem sive negligentiam ejus, sive dolum malum cantando rumpi ac expugnari posse, sed ut posteri cognoscant, si huc pertinget mei fama, non potuisse verba semper dari mihi nimis stulte credulo. Ipsone versus ad illam sim missurus an pressurus tenebris, nondum satis apud me deliberatum est. Mittendos tamen fore potius est ut credam: quos judicio tuo, sed censorio, non indulgenti, proinde commissos nunc volo, ea lege, ut a te solo inspiciantur, ac revertantur post ad me, ubi commodum tibi id erit. Cum [1] Romana urbe & Arca mire difficili expostulare me

1 Hanc elegiam periisse doleo, qua debitum, de quo toties in epistolis ad Christinam queritur, sibi tandem post tot moras solvi postulat: erat vero ad Arcam Reginae expostulatio. miris laudibus saepe a celeberrimo *Graevio* hoc carmen praedicari audivi, qui & sibi deesse querebatur: & a recitante Heinsio non potuisse exemplum obtinere, ex ejus Epistolis videbimus.

Digitized by Google

me potiſſimum vides, quae tamen quorſum ſpectent, tu & illa, credo, intelligetis. Nunc habe ex ſeptem Auſonii ſapientibus nonnihil, ne otioſus plane te accedam. Biante.

Sed nemo quiſquam tam malus judex fuit,
Qui non bonorum partibus ſe copulet.

V. C. *nemo quiquam*, & *judex fiat*, & *qui non amborum*, opinor:

Sed nemo ſui umquam tam malus index fuat;
Quin jam bonorum partibus ſe copulet.

Poſſis & *ſui uſquam*. Quod ſequitur, etiam corruptum eſt,

Jam fugit illum nomen inviſum mali.

Τὸ *illum* videtur irrepſiſſe ex praecedenti verſu, *ſive ille vere bonus eſt*, ejuſque loco excidiſſe *omnes*, ob cognationem proxime ſubſequentis vocabuli *nomen*. Audax videbor, corrigo tamen, cum melius nihil ſuccurrat.

Tum fugiunt omnes nomen inviſum mali.

Non enim jambum in ſecunda ſede horum verſuum ſemper admittit Auſonius. Paullo ante.

Qui jus & aequum & ſacros mores negligunt.

Sacroſque mores liber veterrimus. Ni fallor,

Qui jus & aequum, ſacraque & mores negligunt.

Sed praeſtat non moveri hanc camarinam: inquinatiſſima enim ſunt omnia. Tu Vale cum Collegis Clariſſimis, *Heidano*, *Colonio*, *Ruſio*. Hagae Comitum Anno CIↃIↃCLXXI. a. d. VII. Novem. Gregor.

Habui heſterno die Roma a *Falconerio*. Is cum de Manichaeorum ſecta ſcriptores antiquos ineditos collegerit nonnullos ex Vaticana aliiſque bibliothecis, luce publica propediem donandos, ejuſdem argumenti libellum miſere quaerit, nempe *Cyriaci Spangenbergii* Hiſtoriam Manichaeorum, ſub finem ſuperioris ſeculi Urſellis editam. Tu conſule ex Theologis Leidenſibus amicos, an praeſtare hunc librum aut eruere ex forulis bibliothecarum poſſint, demerituri hominem inter Italos longe officioſiſſimum. Iterum vale.

EPISTOLA CCCCXXX.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

DIgnos profecto verſiculos, qui non modo, quod flagitant, ſed & alterum tantum auferant. Vide tamen, ne res eat in exemplum, atque ut inter vos duos hoc arcanum pereat, (nam ego facile tacitum premam) verendum eſt enim, ne tibi, quibuſcumque credidiſti, reliquentur, & mala nomina ſimulent, ſi ſciant etiam in obvagulando & pipulo poſcendo te tam dulcem eſſe. Libellum de Manichaeis ignorant omnes: hominem aliunde norunt: nec ſibi

Digitized by Google

quisquam de illo quid magni promittit. Ausonio te operam dare pergere gaudeo. Ego plusculos dies parum bene me habui, bis quartanae impetum sensi: prae gravedine vix sustineo caput, nec stomachus respondare ac nauseare desinit. Itaque totus torpeo jaceoque adeo impar curis, ut & in Tacito invitis invitus operis ferias interposuerim. Tu melius vale, & me ama. Lugduni prid. Idus Novemb. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA CCCCXXXI.

J. FR. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

En tibi, quas heri accepi a praestantissimo *Thevenoto*. Responsum ad me mittere potes, aut, si mavis, recta ad illustrem *Capelanum*, sunt enim inter se amicissimi. Nudius tertius, etsi religiosius Attico mysta jejunium servassem; & ne fidera quidem visa inediae mihi gratiam feciissent, venit ad constitutum acerbissima quartana: & quamvis bene calefactis stratis ac lodiculis foveretur, miserum corpus quatere ac vexare ad numerum & legem suam perseveravit. Secus eo die apparatis epulis in ipsa Patris tui bibliotheca invitabar, & non tam cibo, quam tot occurrentibus memoriae jucundissimis congressibus, amplexibus, alloquiis, convictibus, praeceptis & hortationibus divini senis refici potuissem. Hesternum subsidens fatigatio & acutus capitis dolor exemit: hodiernum ignavia & taedium rerum eximet, ut & crastinum exspectatio accessionis recidivae. In hac jactor charybdi, donec in utramcumque partem juxta propemodum optatam misereatur ὁ κρείττων. Cui tuam valetudinem resque omnes toto pectore commendo. Lugduni a. d. XI. Cal. Decembr. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA CCCCXXXII.

NIC. HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Leidam.

PRo Thevenotianis curatis ad me litteris non parum tibi debeo, rescripturus ad illas ea, quam designasti, viâ. Cum Quartana negotium tibi esse permolestum audio equidem invitus. Multum molestiarum eadem haec bellua truculenta mihi exhibuit ante annos complures, atque hoc in omine vix tandem intermisit, ut me alteri harpyae & homini rapacissimo, hoc est belluis nihilo mitioribus, simul despoliandum objiceret. Tibi meliores successus precor.

cor.

Digitized by Google

cor. Sed ajunt, qui te aeque ac ego multos in annos vitalem ac ſuperſtitem videre pervelint, cum diaeta rationem minus curatam a te iniri. Cruda omnia, nec foco admota procul ſunt habenda, quae grato quantumvis ſui frigore febrim nutriunt & irritant. In rapis paſſuliſque, quas Corinthiacas vocant, plurimum praeſidii fuiſſe mihi recordor. Detergent enim mirum in modum vitioſos ſanguini humores. Quae cum tibi non magis ſint ignota, quam mihi, reliquum eſt, ut ea tantum adhibeas, quae ſi profutura non ſint, morbum tamen nec poſſunt augere: piſcium eſu, marinorum maxime, cum febris profligata quodammodo jam videretur, recidivam me paſſum plus vice ſimplici, & hoc recordor. Non eris vilis tibimet ipſi, ſi memineris, quanti nos omnes te faciamus, qui bonis artibus conſultum cupimus, quorum & in numero Illuſtris eſt *Capelanus*, qui in ſuis omnibus & ſalvere te jubet, nec parum ſollicitudinis ad ſe redundare ex adverſis tuis hiſce profitetur. Ego quidem (non enim ignoras quam timori amor ſit obnoxius) vehementer metuo, ne in cauſſis ſim ſceleſtae quartanae, adfuſa nuper frigida tot nugacium obſervatiuncularum. Itaque manum nunc de tabula revoco, de ſtudiis communibus non acturus tecum, niſi poſt debellatum morbum. Epiſtolam tamen hanc a *Scheffero* nuper ad me perlatam ſubtrahere oculis tuis non poteram; quod noluiſſet auctor ipſe. Multum curarum demſeris nobis, ſi verbis vel tribus interdum ſcribas, quo loco res ſint tuae. Mihi enim ob dubiam quoque valetudinem vix eſt ut liceat ad te excurrere, eaſdemque ob cauſſas manu aliena nunc utor, quod tu in bonam partem interpreteris velim. Cum in omni vita numquam non ſis eruditiſſimus & feliciſſimus antiquitatis aemulator; hanc tamen gloriam, vix erit, ut certius nobis des approbandam, quam ſi curae tibi eſſe, & quidem unice, valetudinem oſtendas. Hagae Comitum a. d. XXII. Novemb. CIↃIↃCLXXI.

Hîc finis factus commercii literarii inter duos Viros ſummos, nec tam eruditione & ingenio, quae tamen in utroque ſummae fuerant, quam ſanctitate amicitiae perpetuae aeternum celebrandos: adjicere viſum Filiorum epiſtolas, quae de obitu patris nos edocere poſſent.

EPISTOLA CCCCXXXIII.

LAUR. THEOD. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagae.

EN quae voluiſti deſcribi ex Solinianis. Libri, quos juſſeras emi, pretium quod definieras, exceſſerunt: nam *Pontanus* ſeptem florenis & undecim ſtuveris. Rituale graecum quatuor florenis conſtiterunt. Itaque doleo me tibi parare eos non potuiſſe. Pater nondum languere deſiit, & te plurimum atque officioſe ſalutat. Vale, & me in clientelam tuam ſuſcipere ut digneris, oro.

Lug-

Digitized by Google

Lugduni in Batavis a. d. tertium Id. Novemb. CIↃIↃCLXXI. Auguſtinum nactus ſum, ſed peſſimae notae & vix ultra centum annos. Rei Ruſticae ſcriptores nullius fuere momenti, nec textus aderat, niſi altera pars tantum notarum.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Laur. Theod. Gronovio.

Leidam.

EST ſane, quod ſtudium in te ſingulare prorſus mei demerendi collaudem atque exoſculer. *Pontanus* in Maronem alibi Bibliothecae meae jam tenetur mancipatus; alioquin majus ei pretium poſuiſſem. Rituali Graeco addidiſſes mallem pretii nonnihil, etſi parum refert: nam nec liber magni faciendus is eſt, & haberi venalis etiamnum in bibliopoliis poteſt: pro excerptis vero Salmaſianis de *Clavicula* Germanici Caeſaris gratias habeo ingentes, relaturus, cum voles. Videtur autem locus Germanici ſcribendus

Quali ſerratos obices clavicula dente
Succutit, & foribus praeducti vincula clauſtri,
Talibus eſt poſitus ſtellis.

Ex poſtremo verſu, *talis diſpoſita eſt ſtellis*, fecere, *talis diſpoſitis ſtellis*, ut Puteani codex, & vulgata exemplaria. *Talis* pro *talibus* dederat feſtinans librarius. Hinc incrementum ſumpſit error: illud autem, *meritae non juſta piacula matris* haud quaquam mutandum fuit in *meritam*, cum *meritae* tueatur etiam Puteanorum fratrum, quo olim uſus ſum, exemplar. Eſt epexegeſis elegantiſſima. Ipſam Andromedan dicit non juſta piacula meritae ſupplicium matris, quod luebat inique filia maternae poenae ſuppoſita. Parentis tui, viri ſummi, valetudo dubia nos miris modis anxios habet, cui meliora precor. Vale tu quoque, & veſtigiis ejus innitere. Si ex amicis tuis nonnemo Lutetiam aditurus eſt propediem, habeo faſciculum paratum, quem illuſtri *Capellano* traditum velim. Is *Wierii* opera ad ſe mitti voluit, quibus opus habeat. Faſciculus ipſe nihil praeterea librorum complectetur! Tu, ſi quem ſcis illuc excurſurum, tempeſtivus, quaeſo, mone. Vale. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXI. XII. Decemb.

EPISTOLA CCCCXXXV.

LAUR. THEOD. GRONOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ITA quotidie cogimur ire in lacrimas, & ſupplices numen tentare precando: En vindicem peccatorum, hinc nobis prima mali labes, δίκαιος ὁ θεός. Ex ſupe-

superioribus audisti, si mensem nunc, si septimanam, si diem, immo si noctem imminentem trahere possit. Haec *Silvius* noster. Precibus tum publicis, tum privatis commendatus est humani generis servatori, cui & ipse nos vicissim, jam lingua deficiente, commendavit. Ferreus profecto es, nisi solatium aliquod aut carmen mediteris: a quo praeter te, consilium, auxilium, opem implorare possumus? de oratione funebri te appello, interpellavi saepius afflictum, at ille recusat, *vanitas vanitatum* ait. Certum est Senatum Academicum *Coccio* hoc officium injuncturum: non patiar, nosti mores hominis. Frater etiam saepius mihi testatus est, non videri sibi, ut quisquam hanc tragoediam agat, nisi melior. Quid si amicus tuo nunc amico; sed valetudo, vereor, ut excusset. Fac, summis precibus oro, periculum. Profecto nulli hîc placent. Haec te volvere in animo & quam celerrime respondere oramus & precamur: an Frater redeat! pater ipse ante diffuasit, ipse tamen, voluit. Suntne hîc multi patris familiares ad funus invitandi? de loco etiam te digno, quaeso, sis memor. Oratio ut habeatur, ex animo dico, nisi praeposita conditione, non placet. Vale, & ignosce mihi in tam acerbis luctibus. a. d. XIII. Kal. Jan. Non sunt haec digna, quae in oculos incurrant. *Terborchius* est ne adhuc apud vos? quaeso, significes, etiam *Hugenio*, de patris valetudine. Iterum vale, & responde.

EPISTOLA CCCCXXXVI.

NIC. HEINSIUS.

Laur. Theod. Gronovio.

Leidam.

INvitissimus profecto, nec sine lacrimis profusis, ex epistolio sum edoctus, jam nunc in manus mihi perlato, loco esse perquam afflicto Parentis tui valetudinem. Pervelim mehercules occurrere, suprema excepturus mandata, & officia arctissimae necessitudini, quae tanto tempore inter nos viguit, convenientia exhibiturus. Sed debilitas pedum vix permittit mihi reptare per cubiculum, nedum ut domo prodire possim, aut iter ad vos moliri hoc tam inclementi caelo. Salutabis meis verbis optimum desideratissimumque senem, deque affectus mei constantia certiorem facies, quamquam spero adfuturum e machina deum. De funebri oratione, si huic sit locus, nolim in *Coccium* aliosve simultatum quid suscipias, sed rem omnem Senatus Academici arbitrio permittas, quando opinioni tuae apud vos non est locus. Nihil hoc impediet, quo minus ex amicis paternis aut *Graevius*, aut alius quicumque, spartam hanc majori cum applausu adorment postea. Vale, & certus esto, non te magis adversis tuis indolere, quam me tibi amicissimum. Dabam praecipiti manu. Hagae Comitum. XXI. Decemb. CIↃIↃCLXXI.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCXXXVII.

LAUR. THEOD. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

O Θεὸς τῆς ἐλεότητος respexit patrem, postquam sex septimanarum spatium vehementes & acres febris παροξυσμοὺς & impares tantillo corpori expertus esset. Die dominico xx. hujus mensis cum afferretur jusculum aliquod, primum sumsit, dein manum allevans non poterat repetere vices, *en fili non possum*: & ita vespere ejus diei ingravescente morbo, petenti veniam peccatorum, esse puerilia & aetatis, non solum veniam dedit, sed & solatus est, & ita manum exosculandam porrigens, nihil peccasti, esto bonus & probus, *Godt sal het maecken*. De studiis multa volebam, nihil, nisi *perge*, *ut coepisti*: interim lacrimis sermonem abrumpentibus, ultima haec, quae integris & validis viribus ὁ μακάριος effatus est: donec tandem per septimanam sine cibo & potu lecto afflictus animam reddidit ei, a quo accepit,

Sub pedibusque videt nubes & sidera Daphnis.

Ergo ad exequias Gronovii, quibus commodum est, sorores, & ego invitamus eum, cujus praesentia ipse pater, si mortuis sensus, exultaret. Interim cura valetudinem, ne quod in patre amisimus, in te duplicetur. Vale, mi Heinsi, & me ama. *Colonius* te plurimum salutat, & petit documenta ad parentandum. Tu, si simile munus suscipias, facies rem gratissimam & fratri, & mihi. Alexander, ni fallor, nolebat depingi nisi ab Apelle, & Achilles, non nisi Homerum optavit laudum suarum decantorem, sed non possumus ita ut volumus. Iterum vale a. d. IV. Cal. Jan. CIↃIↃCLXXI. Ignosce festinanti & in tantis doloribus. *Hugenium*, opinor, invitabit *Ryckius*, ego prae dolore vix mentis compos.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Laur. Theod. Gronovio.

Leidam.

EXcessus optimi parentis tui nemini luctuosior potest esse, quam mihi accidit, adeo totus animo dejectus sum, post acceptos de hac tam insigni calamitate nostra nuntios. Quapropter auctor tibi sum, ut quae nequicquam exspectes a me solatia, a temet ipso mutueris, ac nobis fortiter subministres. Quod feceris profecto, si relicto sororibus tuis animi dolore, erigas te viriliter,

Digitized by Google

ter, atque in eo cogitationem omnem exerceas, ac penitus defigas, quanam via te parenti tanto simillimum praestare possis, ac ereptum nobis feliciter referre. Nos quidem nulla admittimus solatia, praeter id unum, quod uti a te pendet, ita nihil est caussae, cur longe quaeratur. Agnoscis paternum omen, quando exegit a te moribundus senex, ut studiis pergeres inhaerere. Exequiis ϑ μακαρίτȣ si interfuturus haud sum, imbecillitati virium id adscribas necesse est. Optime enim intelligo, quanto majora summi amici singularibus erga me meritis debeantur. Cetera ex *Ryckio* nostro jam cognovisti; Ampl. *Terborchius* sese comitaturum funus spondebat hesterno die. Vale, cum lectissimis sororibus, & me tuum crede. Hagae Comitum manu propera. Pridie Kal. Jan. CIƆIƆCLXXII.

EPISTOLA CCCCXXXIX.

JAC. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

NObilissime & Eruditissime Vir. Denique a quot diano ϑ πάνυ *Valesii* congressu, & ultra fidem grato suavissimi *Thevenoti* contubernio avulsus, ac postpositâ in Italos meditatione ad agnoscendam fatorum meorum saevitiam huc appulsus, secundum vix diem ago, quum ab hoc redduntur mihi literae, in quas aliae ad te conjectae erant, quas vides. At quantam jacturam! quam verum & inveteratum amicum tu perdidisti! quam dignum politissimi ingenii tui aestimatorem! quam fervidum cultorem literae interiores, jam velut publico jure despectae! quam fidum serperastrum, quam benignum praebitorem juventus mea & tenera studia! Obmutesco & obstupeo ad considerationem tam crudelis, tam inexspectati, tam indigni casus. Damnum majus est, quam ut ipsum capere queam. Invidiam facere fatis doctrina arcet, quam unicus hic praeceptor mihi inculcavit. Quod possum igitur, refero me pietati, & summo numini grates laudesque ago, quod ei, qui sortem ab ipsis vitae principiis vel mexime irrequietam expertus est, tandem indulserit propriam & sinceram missionem, etsi magno nobis constantem. A te solum omni prece contendo, ut, sicut cum nomine familia ϑ μακαρίτȣ transibit, ita quoque in te amando, curando & admirando universum ejus jus transmitti permittas. Quod si abstulero, tum vere vos amicos fuisse censebo, tum me non penitus periisse. Propter nugas domesticas jam plura scribere prohibeor. Deum Opt. Max. annos, quibus pater meus fraudatus est, tuis adjungere & longam ac propriam salutem tibi largiri ex toto corde precor. Vale, Vir Nobilissime, ac fratris, qui te multum salutat, misere & mei, qui ero semper profundissimae doctrinae, & limatissimi ingenii tui admirator & cultor observantissimus. Lugduni Batav. a. d. XII. Cal. Febr. CIƆIƆCLXXII.

EPISTOLA CCCCXL.

NIC. HEINSIUS

Jac. Gronovio.

Leidam.

SOspitem ex peregrinatione Gallicanâ te rediisse ad tuos, Gronovi praestantissime, gaudeo mehercules, ut qui maxime. Quamquam si votis meis fuisset locus, meliore rediisses auspicio, illumque domi invenisses salvum ac incolumem, cujus excessu universum literarum nomen graviter adflictum est, & conturbatum. Sed quando publicae calamitatis fatum averti non potuit, praesentissimi solatii medelam a te omnes artium bonarum sectatores exspectamus, quo subveniatur immoderato dolori nostro: nimirum ut scripta quae ὁ μαχαίτης complura reliquit luci parata, ea publico quamprimum permittas, ac sinas per ora famae volitare. Ita fiet, inquam, ut verba sibi det maeror hic noster, ac Gronovium a te nobis exhibitum in scriptis, tanquam superstitem ac praesentem interesse vivis credamus. Hoc igitur age, quaeso, amota omni procrastinatione, & tantum genitorem ab oblivione saeculi pientissimus filius, cui debes omnia, assertum ito. Reliqua differemus in congressum nostrum: opinor enim fore, ut compositis rebus domesticis, ad nos excurras, quando per valetudinem mihi haudquaquam integrum sit, pedem ex hoc oppido movere, cui pertinacius equidem, quam vellem, adfixus haereo, non sine taedio sedentariae hujus vitae. Clarissimus *Thevenotus* responsum propediem ad suas a me feret, pro quibus ad me gnaviter curatis, est quod plurimum debere me tibi agnoscam. Caeterum de affectu meo, si quid emolumenti rebus tuis hinc sperandum, quaevis promittas tibi par est; nihil enim est quod in rem tuam non velim, cum paterno nomine, tum tuo. Vale, doctissime Gronovi, cum fratre sororibusque te dignis, & in meis esse perge. Hagae Comitum a. d. XXIV. Jan. CIↃIↃCLXXII.

EPISTOLA CCCCXLI.

JAC. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

NOn existimo arcessitis allegationibus me debere uti ad impetrandum, ne haec annua cessatio mea a te subscribatur, aut si forsitan ista fidem meae in te observantiae in aliquam suspicionem adduxerit, eam ne altius in animum tuum descendere patiaris. Fateor enim paratius sequendum fuisse diem, quo tibi,

Digitized by Google

tibi, Honoratiſſime domine, non ſolum ut principi paternarum amicitiarum (in quibus omni genere amplectendis majorem mihi injunxi religionem, quam quas ipſe conciliavi) certa debiti obſequii argumenta acriter ſignificanterque deferrem, ſed jam quoque propter ſucceſſionem familiaritatis paternae in me tranſcriptam ac propagatam, ut cenſori meo vitae rationes ederem & approbarem. Verum ſi quid in eo eſt alienum officio commiſſum, illud inducet ac pro me ſatisfaciet infinita haec, & aetati meae imperturbata literarum amoenitate abuti ac foveri ſolitae incognita tum temporis, tum omnium ferme rerum acerbitas; quae quum quaſſo ac labefactato mihi vix ullam a miſerrimis cogitationibus avocationem conceſſerit, ſpero aequius te cauſam meam ac juſta cogniturum, ſi congelaſſe nec officioſae mentis ſtipendia prompte meruiſſe videar. Itaque confidens & voluntatis tuae ſecurus, quam primum horam aliquando tandem excitata noſtrorum hominum virtus in tam longinquo exilio mihi dedit ad liberum os circumferendum, & animum aegritudine hactenus concluſum laetius diffundendum, eam ſumo potius ad Hiſpanicae hujus peregrinationis fortunam tibi ſignificandam, quam ad declarationem mei in te proſequendo fervoris; quem conſtanter mihi haerere ardentiſſimum, & quocunque tempore fore, ut ſi aliquam demonſtrandae ſedulitatis cauſam mihi dederis, rebus & exitum talem me ſis cogniturus, qualem velis, firmiſſime tibi perſuadeas, precor. A Fontarabienſi munitione, hoc eſt, introitu Hiſpaniae, uſque ad hanc metropolin nihil omnino, propter quod pedem moveas, in rebus noſtris occurrit dignum; adeo mera & una vaſtitas inertiaque illic cunctos tenet, ac immani cautium iſtarum horrori exaequavit. Hic diu multumque per ſacrarum aedium ſcrinia concurſavi: ſed quum earum pleraeque nuperrime ſint erectae, nullos in iis libros conſervari deprehendi, niſi ex quibus horum hominum vitilitigationes inſtrui ac formari poſſunt. Eadem plane ratio Compluti & Salamanticae eſt, nemine ullo jam peregrinas linguas & veterem urbanitatem morante. Caeterum ante dies, quum publica fama nos excitaſſet ad videndam elegantiam Marchionis *Lichei* (is filius *Ludovici de Haro*, frater major hodierni Flandriae praefecti) quam in colligendas tabulas pictas pulcherrimi operis ex more horum procerum contulit, praeter expectatum inducti ſumus in bibliothecam ſatis egregiam, ubi inter alia erant MS^ti Plautus, Livius, quondam Alphonſi Arragonum regis, poſt a *Cujacio* miſſus ad *Lipſium*, deinde *Jani Wowerii* Antverpienſis; Caeſar, Ovidius cum commentariis, Plinii hiſtoria naturalis, Curtius, Suetonius, Claudianus, Donatus in Terentium: omnia non antiquiſſima. Item aliqua ex adverſariis Hier. Suritae, in quibus libellus antiquarum Inſcriptionum, de Familiis Romanis, de nummis; quae ſi otioſius tractare permitteretur, non dubito, quin operae pretium facturus eſſem. Sed unde hanc ſpem mihi deſtituto illa interceſſione, cujus expectatione ad hujus itineris moleſtiam ſum impulſus? Quare undique excluſus, ne nimium macerer, quamcumque rationem ineo & omnem occupationem aucupor, ut hic taedioſiſſimi temporis curſus quam celerrime ſine ſenſu meo avolet. Sic quam vis facile conjicerem nihil me profecturum, neque praeter lapides quidquam

Digitized by Google

visum, Escoriacum (ubi quum prima vice librorum MSS. conspectum mihi comitum meorum impeditus sit insulsitate, deinde temere sparsos in tabulato vix per cancellos aspexerim, nunc aliquam partem recollectos vidi, habuique in manibus Horatium, Claudianum, Terentium, Ciceronis nonnulla, etsi quota illa pars prae istis, quae propter festinandam profectionem praeterire debebam intacta?) inde Abulam (ubi etiam apud Dominicanos quaedam latebant) Salamanticam, Vallisoletum Segoviamque excurri, in quarum ultima urbe merita cum admiratione contemplatus sum aquaeductum opere fornicato a Romanis, ut volunt, fabricatum, undiquaque integrum, maximaeque altitudinis. Vivit hîc *Bartolomaeus Bagnanius*, qui immensam & lectissimam nummorum veterum vim ex auro, argento, aere corrasit, tam Graecorum, Siculorum, Hispanorum, quam Romanorum: ipse mihi affirmavit *Carcavium* jam incepisse licitari, seque ut precium conveniret, proposuisse omnia in Galliam ad amicum quendam mittere. Caeterum ex his omnibus existimare potes, Heinsi politissime, quam libenter hinc essem discessurus, si scirem, quo me verterem: quum & mare sit infestum, & Italiam petere, id quod omnibus certe votis praeferrem, arceat incertus ille domesticarum opum status, tantaque jactatio. Ita dum expedire nequeo, quid sit satius, hîc desideo, & fallendis horis, quas mihi comitatensia munera reliquas faciunt, recipio me ad libellos, licet paucos, tamen quietis probatissimae portum experior, donec me casus quidam hinc sit erepturus. Quod si tu me errabundum in his fluctibus consilio juvare, sicuti potes, ita dignaberis; certe maximo me beneficio devincies, & ego tempora mea ad sententiam ac arbitrium tuum accommodare & componere laetabor. Illustris Patronus meus die dominico, hora undecima, de praesenti rerum ratione cum Regina, ac deinde omnibus magnatibus egit. Deus Opt. Max. in hoc procellarum concursu incolumem intactumque custodiat. Vale, Amplissime & Nobilissime Vir, meque in tuorum numero habere perge. Mantuae in Carpetanis, quorum nulla supersunt vestigia. a. d. v. Nonas Julias CIↃIↃCLXXIII.

EPISTOLA CCCCXLII.

JAC. GRONOVIUS

Nic. Heinsio.

VIx literarum tuarum splendor me inertissimo annui temporis somno, sopitum dicam an mortuum, expergefecerat, quin continuo oculis meis mentique Italia tot votis, sed irrito semper successu petita, obversari coepit. Itaque quamvis mihi consilium tuum retractanti & non modo elegans ac verissimum, sed necessarium existimanti & propterea statim sequuturo, inopina debilitas & mox febris (eadem certe omina, quae ante biennium Parisiis pares cogitationes foventem represserunt) viderentur obnunciare; tamen rationes meas, simul conva-

valui, ad auctoritatis tuae momentum potius, quam ad rerum aut domesticarum aut publicarum statum subduxi, & ad ignaviae Hispanae scabiem in Etruria primum excutiendam, recta illuc viae me commisi. In qua uti scias desideria tua maximae mihi curae cordique fuisse, strigavi integrum diem Caesarauguſtae, tantum quo diligentius possem investigare significatum tibi Catalectorum oditeri. Qua de re hoc solum affirmare habeo, neminem Caesarauguſtanorum scire in illa urbe bibliothecam esse, praeterquam in suburbano coenobio, nomine Franciſci, ad alterum Iberi latus; ad quam admissus credere quidem potui ejus partem a *Suriga* veniſſe (quippe ſillabae ac literae in affixis ad earum tergum chartulis eandem formam ac manum ostentabant, quam in libris Marchionis *Lichei* cognoram) caeterum nec nomen ejus, nec quidquam hujus generis ad margines scriptum annotavi, nec monachorum quiſquam noverat, unde hi libri veniſſent. Virgilium ſane inter iſtos neminem offendi, nedum Catalecta. Scilicet hic cumulus praeteritae infelicitati imponendus restabat, ut ne tum quidem uſui tibi esse potuerim, quo multum doleo, etsi profecto, Heinſi maxime, nullus dubitem, quin perrupturus ſis facile, quidquid scrupuloſi nodoſique occurrat, modo ſe vivacitas ingenii tui vere divina illuc immerserit. Meae nunc res ita ſe habent, ut ſi aliquam ſpem paulo firmiorem habere unquam potero reparandi mei temporis, eam plane exploratam ac certam mihi haec civitas praebeat; ita vixdum ingreſſo ipſum theſaurorum ſuorum, qui ſunt maximi, ſinum patefecit ac obtulit, eoque magis me amo, quod bene monenti tibi obtemperarim. Hoc omne debeo amicitiae *Ant. Magliabechii*, quem virum quum experiar in ſtudiis utriuſque linguae & aliis artibus liberalibus eruditiſſimum, in cenſendo ac diſceptando limatiſſimum ſinceriſſimumque, in devincendo unoquoque promptiſſimum & effuſiſſimum, denique omnia virtutum ſtipendia acerrime merentem, neſcio, quo digno honore nominis ejus mentionem proſequar, ita ut jure palmam amicitiae Principatis obtineat. Ne enim de triduo dicam, quod penitus mihi impendit, ſimulatque Magnus Dux ex receſſu Artaminenſi in hanc urbem rediit, confecit mihi quotidie Laurentiana bibliotheca utendi commeatum; id quod praecipue ſcis ad me pertinere. In qua ſicuti te deſudaſſe multum ſcio; ita ſi quid reſiduum esse noſti, quod collatum aut exſcriptum velis, recipere jam tibi poſſum, non incaſſum te id mihi imperaturum. Ipſe etiam Clariſſimus *Magliabechius* a me petiit, ut & hoc facerem, & ſui de ſcriptis tuis politiſſimis judicii & erga Heinſianum nomen obſervantiae certum te facerem, cum precatione fauſtiſſimae ſalutis. Quum maxime in ſupplendis Aeneae Tactici lacunis ex vetuſtiſſimo codice ſum totus, cujus jam poſſem dare documenta, niſi vererer Muſarum commoda morari. Itaque Vale plurimum, Nobiliſſime Vir, meque commendatum tibi habe. Florentiae ipſis Nonis Octobr. CIↃIↃCLXXIII.

ISAACI

ISAACI VOSSII
ET
NICOLAI HEINSII
EPISTOLAE.
MUTUAE.

EPISTOLA I.

ISAACUS VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

JAmpridem tibi, amiciſſime Heinſi, miſiſſem Codicem hunc MStum, niſi plenius tibi ſatisfaciendi ſpes fuiſſet. Quippe & aliâ quaedam opuſcula Ovidii MSta, quorum ſpes mihi facta erat, una mittere decreram. Sed poſt longam cujuſdam abſentis exſpectationem, ſenſi me operam perdidiſſe. Interim ſi opinio nos fruſtrarit, compenſabit id libri hujus bonitas. Quod tu ipſe melius judicabis. Videtur autem is codex eſſe ex bibliotheca S. Nazarii, ut in fronte ſcriptum offendi. Auctores Mechanicos & Tacticos, quorum mihi copiam feciſti, ſimulac uſus fuero, mittam: vixdum enim inſpexi, quod hactenus meis, quae jam eduntur, paulo fuerim ſolito occupatior. Si & alia opuſcula Ovidii MSta acceperim (hoc ut fiat opera dabitur) non ſegnior mea in mittendo, quam tua in pervolvendo erit opera, etſi eam maximam fore omnes confidimus. Quamquam moleſtiſſimum id mihi videatur, quod plerique hîc, in quorum Bibliothecis hujuſcemodi patent theſauri, gryphis ſint ſimillimi: auro incubant, attingentibus infeſti. Vellejum Paterculum primae editionis *Rhenani*, qui in inſtructiſſima veſtra Bibliotheca eſt, ſi miſeris, fratrem maximopere tibi devinctum reddes. Vale, ſpes magna magni patris, & patriae communis. Amſtel. CIↃIↃCXXXVII. Decemb.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA II.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

MItto tibi, Doctissime Heinsi, Epigrammatum librum, quem a me, dum una tecum Lugduni perquam familiariter sermones sererem, petiisti: plura missurus, si postulasses, vel mihi quidnam tuis laboribus potissimum inserviret, compertum fuisset. Socium tamen addidi Glossarium, quod vides, pervetustum, ἀνέκδοτον hactenus, cui & in fine adjunguntur Glossae *Eucherii* Lugdunensis Graeco Latinae: quamvis vocabula Graeca Latinis characteribus sint concepta, & ut plurimum corrupte, nihilominus multa inde hauries (si visum fuerit percurrere) quorum non poenitebit. Testamentum cum variis MSS. collatum si Illustris parens tuus aliquid inde emolumenti capere possit, statim mittam. Quaeso fac sciam, non diu morabor, ἄμ' ἵπῳ ἄμ' ἔργον. Si alia fuerint, quibus indigeas, velim perscribas. Si detur facultas, non deerit voluntas mittendi. Vale, non juvenum minus, quam amicorum meorum purpura. Amstelodami Pridie Kal. Febr. CIↃIↃCXXXVIII. Epicteti ἐγχειρίδιον MS. quod penes vos me vidisse memini, rogo transmittas. Si & Plinium MSS. carere aliquamdiu possis, quaeso, mitte & hunc. Iterum vale.

EPISTOLA III.

ISAAC. VOSSIUS.

Nic. Heinsio.

Leidam.

TUas accepi, doctissime Nicolae Heinsi, una cum libris, quos misisti, pro quibus tantas me debere profiteor gratias, quantas nec possum dicere. Codices, de quibus ad me scripsisti, constitueram *Gronovio* dare, ut tibi traderet, sed ille praeter opinionem praeterita Leida, recta Hagam perrexit. Hactenus idcirco a me protractum fuit negotium. Decreveram una libros nonnullos, quos a te habeo, remittere, ut Atheneaum & Britonem περὶ μηχανημάτων, & praeterea Epictetum, sed tutius mihi visum, ut differrem in tempus, quo ipse Lugduni excurrerem, quod brevi, uti spero, fiet. Vale, & plurimum saluta Illustrem parentem, & suavissimam sororem. Amstelodami.

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

QUibus verbis gratias tibi agam, doctissime Heinsi, equidem nescio. Caudex essem, si me ea humanitas, qua una cum Clar. *Boxhornio* me excepisti, non admodum cepisset. Ingratus, si non paria referre, quoties licuerit, studerem. Interim pro libris scito me tantas tibi agere gratias, quantas & debeo & possum. Mitto Isidori glossas, altera parte auctiores, quas e Bibliotheca *Guilhelmi Noemsii* δ μακαρίτου accepi, ut memini me tibi ante hac retulisse. Aliud quoque addidi Glossarium, quod videtur esse *Macri* cujusdam, mihi sane ignoti. Dispicies ipse, quid bonae frugis inde possit demeti. Multa sane cum *Papia* habet communia. Mittere tamen volui, ne ulla in parte negligentior viderer. Ubi meliora majorave petieris, & ista mittam, si in manu fuerit nostra. Salutem Illustri parenti, & Nobilissimae sorori plurimam impertias. Amstelodami. Postridie Kal. Majas. Raptim. CIↃIↃXXXVIII.

EPISTOLA V.

NIC. HEINSIUS

Isaac. Vossius.

Amstelodamum.

IN mandatis hodie pater meus mihi dedit, Vossi praestantissime, ut sacrarum hoc Exercitationum exemplar ad Parentem tuum τὸ πάνυ quam primo curarem. Scripturus ipse, nisi Hagam necessariis de caussis evocatus esset. Eam itaque in me curam quamlibentissime recepi. Sed cum nonnulla essent, quae te vellem, tum etiam de librorum quorundam, quos beneficio tuo nactus eram, restitutione cogitarem, ad te ire malui. Nec tantum a pudore meo impetrare poteram, ut tanti viri occupationes interpellarem. Eo praesertim in negotio, quod per te melius curari posse non ignorabam. Si enim tua accesserit commendatio, opus illud acceptius aliquanto parenti tuo futurum confido. Tibi nunc incumbit, ut & nostrae & tuae commendationi pondus aliquot accedat. Ovidii excerpta, de quibus aurem mihi nuper vellit, cum hîc esset, frater tuus, una mittimus. Usui non exiguo videbantur ea mihi futura, nisi a *Puteanis* fratribus eorundem codicum excerpta mihi impetrasset *Fabricius* noster. Utraque prorsus sibi similia sunt, nisi quod alter nonnunquam ea neglexit, quae ab altero notantur. Adjectum erat insuper schedium cum

Digitized by Google

cum longe diverso codice collatum, quo in Italia *Claudius Putaneus*, ejus enim praeferebat manum, usus aliquando videbatur. Tibi interim quidvis pro tam liberali opera debere me profiteor. Novi quoque Testamenti collationes ut vobis remitterem jussit parens meus. Dolet admodum tam sero eas ad se perveniisse, usui alioquin maximo futuras. Secundae interim editioni reservari poterunt: aut illis, quibus id ipsum moliri vacaverit. Glossaria etiam illa vetustissima, nunc tandem tibi reddimus. Omnes jam dudum remissos oportuit; sed nescio quae ista confidentia mea est, ut in te plus licere mihi putem, quam in alios. Quare iis, qui restant, adhuc utar. Quin & novos mihi polliceri audeo. Seneca & Prudentio tuis, utroque MSpto, mihi opus est. Nactus enim comitem sum, qui conferendi laborem mecum subire velit. Claudiani editiones Aldinas si quas habueris praeter illam, quae anno MDXVIII. prodiit, simul expecto. Colinaei & Gryphii editiones hactenus non vidi. Fortasse instructissima Bibliotheca illa vestra nos hîc juvare possit. Ad Cl. *Rompsium* si quando scribes aut excurres, una de fastis illis Ovidianis MSptis velim inquiras. Nulla enim cum viro isto, ne de facie quidem noto, mihi familiaritas intercedit: ut parario hîc mihi opus sit. Vides quam impudenter haec a te flagitem. Sed absolvet me candor tuus, & affectus ille, quo φιλομαθῆς omnes ipse πολυμαθὴς, amplecti soles. Vale, juvenum doctissime, &, me, quod facis, amare porro perge. Lugd. Bat. CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA VI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

PAullo diutius, juvenis doctissime, quam vellem, aut deberem, distuli postulato tuo satisfacere. Sine dubio exspectas, ut meditato sermone socordiam meam ea in parte excusem. Facerem equidem, nisi scirem, amicitiam nostram firmiorem esse, quam ut leviculis ejuscemodi delictis solvi, aut labefactari possit. Si qua in re peccatum sit, id neque negligentiae, neque sinistro effectui, sed soli absentiae viduae *Arlerveniae* imputes velim. At, inquies, hoccine igitur obstitit, quo minus calamum arripere posses, meque ejus rei certiorem facere? Dicam, mi Heinsi: ex eo tempore, quo mihi postremam epistolam tuam tuus attulit cognatus, de die in diem viduae ejus exspectabatur adventus. Ita frustra aliquot elapsae sunt hebdomades, dum quotidie id, quod petebas, praestare me posse confiderem; & ubi praesens dies exspiraret, in proximum plerumque rejicerem. Ecquid praeterea profuissent literae meae sine libro, quem petebas? Prudentium enim petebas, non cassum aliquod epistolium. De numismatis quod scribis, memor ero. Mitto patri tuo viro maximo *Freinshemii* Curtium, nomine *Joachimi Wisefortii*. Post octi-

Digitized by Google

duum, ut spero, te Lugduni videbo, & pluribus compellabo. Vale, Clariss. juvenis a tuo ex animo Isaaco Vossio. xv. Julii CIↃIↃCXL.

EPISTOLA VII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

TUas mihi ante triduum quatriduumve attulit doctiss. juvenis *Vlietius*. Prudentium hodie restituit. Quanquam non erat, cur ita in reddendis meis festinares, cum ipse, qui plura melioraque a te habeo, in iis restituendis tardior hactenus securiorque fuerim. Gratias interim quam maximas ago, & pro literis, & pro restitutione librorum. Codices MSptos *Vickevortii*, quod attinet, illi perpauci admodum sunt, & quos vix aliquid ad gustum tuum facere arbitror. Pomponium Melam exinde habeo, & Censorinum eodem corpore contentos, quos Cl. *Golio* utendos dedi. Siquid tamen inter eos repererim, quod ad rem tuam faciat, enitar ut habeas. Sed vix putem. Martianum Capellam mittam post hebdomadem, aut ante. Hactenus nullum mihi ad conferendum eum cum editis fuit otium. Caetera quoque, quae a te accepi, ubi usus fuero, remittam ilico. Vale, & parentem maximum salutes omnium nostrûm nomine. CIↃIↃCXL. Amstelodami Octob.

EPISTOLA VIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

LIterae tuae, Nicolae Clarissime, non ea in urbe mihi perlatae fuere, ad quam illae a te fuerant destinatae. Siquidem cum tu eas Lutetiam mihi tradendas misisses, ego vero interea temporis in Italiam discesserim, factum est ut Romae demum in manus meas pervenerint, adferente eas mihi *Vincentio Nogbera*, nobili Lusitano. Ubi ubi locorum in eas incidissem, pergratae mihi fuissent. Gratiores tamen fuerunt, quod in tam remotis a patria nostra terris illas perceperim. Scis quid mercibus quibusvis evenire soleat, quae tanto cariores habentur, quanto eae e longinquioribus oris adportentur. Sed quamobrem longe mihi gratissimae fuerint, erat, quod ex iis intelligerem, te ita bona valetudine, ut inquis, redditum esse, & patriae, & urbi ei, cui & tu, & ego natales nostros debemus. Quereris quod non ita laxè tibi patuerit usus librorum in Anglia atque optasses. Justius ego forsan hanc querelam in me

Digitized by Google

me transferrem. Nam cum sint hîc innumerabiles poene Bibliothecae librorum scriptorum, qua in monasteriis, qua in principum & nobilium quorundam aedibus, adeo tamen difficilis est aditus, ut non nisi favore aliquo singulari, uti interpretantur, liceat vidisse. Vidi jam egomet aliquas, sed ita vidi, ut perinde sit, atque si non vidissem. Illi, qui eas possident, quamquam a literis saepe sint alieniſſimi, adeo tamen amant, adeoque custodiunt, ut non putem gryphas ita auro incubare, atque illi custodiae librorum suorum: nam non tantum adtingentibus, sed videntibus etiam invident. Nonnulli itaque non ea cura, & anxietate, uxores suas recludunt, qua Bibliothecas. Etiamsi siquis utroque brachio post terga religato eas ingrediatur, timent etiamnum nequid oculi inde surripiant & exportent. Praeterea ubi semel videris, nulla posthac iterum videndi spes relinquitur. Non defuit tamen mihi favor, etiam praecipuorum in hac aula hominum, qui aditum ad eas mihi parare voluerunt. Sed frustra fuere plerique. Verum neque *Holstenius*, neque quisquam eruditorum, impetrare id sibi unquam hîc Romae potuerunt. Sed haec hactenus. De veritate lectionis Ovidianae in epistola Hypsipyles ad Jasonem, noli dubitare. Quid opus est testibus? Etiam pessimo cuivis libro, eam attestanti, quis fidem detraxerit? De Codd. MSS. ejus autoris hîc in Italia nihil quidquam dicturus sum, cum non satis diligenter in illos hactenus inquisiverim. Maximum interim numerum librorum Ovidianorum vidi ubique, praesertim Neapoli in *Jani Parrhasii*, & Florentiae in Mediceа Bibliothecis. In eadem quoque urbe, in conventu quodam Divo Marco dedicato, exstat integrum Ovidii opus, cum pluribus MSS. ab *Angelo Politiano* collatum. In Claudiano, de quo itidem scribis, videsis an illae collationes, quas penes Cl. *Gronovium* reliqui, in Burgundiam discessurus, aliquid te juvare possint. Discrepantes lectiones in reliquos ejus poëtae libros ipse tibi, ut spero, allaturus sum. Interim salve, mi Heinsi, cum omnibus tuis, a tuo ex animo Js. Vossio. Romae CIↃIↃCXLII. pridie Kal. Quint.

EPISTOLA IX.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

SI dies & hora adventus tui me non latuisset, obvius tibi processissem; aut saltem, si id non licuisset, feciſſent id literae meae. Nunc quoniam occasio illa transierit, non alio, quam eo, quo fieri solet, modo inter sinceriores amicos, testari possum lactitiam, qua me desideratissimus adventus tuus perfudit. Gratulor itaque Magno parenti tuo, cui iterum restitutus es: gratulor tibi, quod & parenti, & tibi ipsi sis redditus: mihi vero gratulor tum ob haec, tum etiam ob illud, quod cum corporis valetudo in melius mutata sit,

de quo multum gaudeo, animus tuus & affectus, ut fidem mihi fecerunt literae tuae, idem erga me permanſerit. Sed tu, Clariſſime juvenis, mavis amicitiae, quam veritati favere, cum putas aliquid aliud in me eſſe, quamobrem amorem tuum promerear, quam id ſolum, quod te amem. Quinimo, ſi me rectius loqui patiaris, ne ob iſtud quidem, quod ita ego erga te affectus ſim, ut tu pari modo erga me adficiaris, auſim expoſtulare: ſponte enim tua id facies, nullo meo ductus merito; neque enim potes naturam tuam, & innatam ei humanitatem non ſequi; te vero cum diligo, nihil niſi debito meo fungor: neque id ſponte tantum facio, ſed etiam ex lege quadam neceſſitatis. Eſto tamen, ut tu me ames, nunquam me ita amabis ut ego te; & ſi in omnibus vincas, hoc uno non vinces: quin potius quantum in reliquis me ſuperaveris, tantumdem ego te in amore ſuperabo. Pro libris, quos remittis, ſummas ago gratias. Tuos quoque remitterem tibi, niſi mallem omnes ſimul reddere. Eſt inter illos unus & alter, quo aliquamdiu etiamnum utar, ſi patiaris. Utinam id, quod promittis, exequaris; nimirum ut per otium huc excurras. Impatienter enim te videre deſidero. Si moraberis huc venire, ipſe Leidam feſtinabo. Si feſtines, ego morabor. Vale CIↃIↃCXLIV. XXIII. Octobris.

EPISTOLA X.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

TU quidem, jucundiſſime Heinſi, ſi doles quod inſalutatis amicis diſceſſeris, felicitatem tuam doles. Ego vero, ſi idcirco dolerem, minus te quam meipſum amarem. Gratulor tibi potius feliciſſimum tuum in Galliam adventum; & ſi quid ſit, quod dolorem adferat, non jam hoc eſt, quod tam longe a nobis abſis; ſed quod diſcedentem te corpore non acque atque animo comitari licuerit. Hoc ſi fuiſſet, jam tecum forſan gauderem inter Regias iſtas & Thuaneas delicias, quarum vel ipſa recordatio ingentis mihi loco eſt poenae. Tu jam illis ad ſatietatem uſque frueris, & quod mihi non licuit, majori oblectamento & fructu. Tuam itaque vicem tantum gaudeo, quantum meam deploro; qui nunc demum, cum tempus & occaſio tranſiere, negligentiam & ſupinitatem meam accuſo. Vellem jam ſcire, in quibus potiſſimum autoribus verſeris: ſcio enim te nunquam otioſum eſſe. De Martiale quod aurem vellas, vix dixerim quam gratum feceris. Diu eſt quod auctorem illum e manibus depoſuerim. Sed ſi tu etiam in eo corrigendo juvare me volueris, aliquid audebo. Ejus autoris paucos codices vidi Pariſiis, & ne illos quidem contuli, niſi ex parte, inter quos eſt Codex Puteaneus, ſcriptus forma quadrata, at parum antiquus, ut videtur. Itaque ſex tantum libros priores abſolvi. Excerpta Martialis, quae exſtant in illo optimo codice Thuaneo, in quo

Digitized by Google

quo & Gratius, & Oppiani Halieuticon, & alia quaedam Epigrammata, satis diligenter examinavi; uti & alterum codicem Epigrammatum satis vetustum (in quo itidem ejus autoris aliquot Epigrammata habebantur) qui exstabat in Bibliotheca *Petavii* Senatoris. In ejusdem quoque Senatoris Bibliotheca vidi alium codicem, illum quidem chartaceum, sed de quo tamen plura mihi promittam, quam de illo antiquo Puteaneo. Plures Martialis codices Lutetiae mihi videre non contigit. Vix tamen dubito, quin & alii in aliis Bibliothecis reperiantur, quas non vidi, uti est illa S. Victoris, & Cardinalis *Richelii*, cujus aditum parare possis per Dominum *Stellam*, si ille sit Parisiis. Sed optimi proculdubio libri exstant in Bibliotheca Memmiana. Utinam in illam penetrare possis. Est in ea inter alia aureus Varronis codex, quem non vidit *Scaliger*. Sed intelligo *Memmium* esse inter eos, qui malint habere libros nondum collatos, quam collatos. Quod si magnus *Valesius* non possit tibi aditum procurare, poterit nemo. Bibliotheca Mazzarinica necdum, puto, Parisios advecta est. Ignatii Epistolae, quibus & Barnabae epistolam addidi, nondum prodierunt, sed non plus quam quinque aut sex folia supersunt. Coepi & ego instruere Bibliotheculam librorum MSS, & jam ad ducentos collegi. Si Aurelias excurras, rogo, ut inquiras de quadam muliere nobili, quae degit x. aut XII. circiter leucis extra urbem, in via, quae Bituriges versus tendit. Habet illa MSS. quamplurimos, quos parvo velit pretio vendere. Aliquot ex iis acceperat Bibliopola quidam, quos mihi vendidit. Cumque reliquos peterem, dixit mihi, matronam illam in luctu versari ob mortem filii, & proinde sibi non licuisse cum illa pacisci. Bibliopola ille habitat in angulo cujusdam plateae, ubi degunt reliqui Bibliopolae Aurelianenses. Ante aliquot dies promisit mihi quidam, sese missurum collationes ex optimo codice Epistolarum Ovidii, qui exstat in Frisia. Ubi eas accepero, faciam te participem. Vale, Clariss. Heinsi, & corculum illud gratiarum, *Menagium* dico, plurimum salutes. Amstelodami CIↃIↃCXLV. XXVI. Nov.

Diu est, quod Cl. *Menagio* miserim epistolium cum pauculis aliquot emendatiunculis in Diogenem; quod nescio an acceperit. Rogo ut me certiorem facias. Sed & hoc rogo ut excuses, si propter absentiam meam, tardius tibi rescribam. Iterum vale.

EPISTOLA XI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Parisios.

Procul dubio exspectas, mi Heinsi, ut multis apud te verbis, silentium, quod mihi objicis, excusem. Facerem certe, si plus apud te valerent excusationes, quam ipsius rei veritas. Sed cum omnis, qui se excusat, crimen agnoscat,

noſcat, parum eſſem ſincerus, ſi non innocentiam meam apud te potius tuerer, quam ſi veniam peterem, etiam cum nullus eſſet errori locus. Et tamen ſi me purgare apud te eſſet animus, non deeſſent rationes: uti ſunt abſentia mea ab hac urbe, & amborum fratrum obitus, & alia, quibus etiam delicatiſſimi faſtidii amicis ſatisfacerem, ſi paulo in ſcribendo fuiſſem ſegnior. Sed quam id non fuerim, agnoſces ſpero, ubi Venetias veneris. Cur autem eo potius literas meas miſerim, quam Lutetiam, in cauſa fuit *Boxhornius* noſter, cui cum eo adeſſem tempore, quo mihi recens literae tuae in manus veniſſent, dixerat mihi te jam in Italiam conceſſiſſe. Quominus ex Parente tuo certiora intelligere licuerit, obfuit quod tum magnus tuus Parens domo abeſſet, ego vero Amſtelodamum properarem. Quo cum veniſſem nullam interpoſui moram, quin me debito exſolverem. Quas itaque exaraveram literas, tradidi *Wickefortio* noſtro, qui eas Venetias ad aedes Reinſtianas mitteret; quod utique, ut quidem arbitror, fecit. Judices jam, mi Heinſi, an tam graviter deliquerim, quam tibi videar. Verum amice, quam tu me fefelliſti, quam ego te non injuria reprehendam, qui tam facile offenderis ob res, quas amici amicis ſoleant condonare, etiam tum, cum de culpae veritate nihil tibi quidquam conſtiterit. Si me reprehendiſſes tanquam negligentem (quamvis neque hoc forſan verum fuit) rem longe feciſſes gratiſſimam: tuis enim monitionibus non ipſe tantum melior reddor, ſed & tibi utilior: quod vero tot annorum amicitiam, tanto deſiderio & tot votis a me expetitam, tot mutuis officiis confirmatam, velis in dubium vocare, & ob unicum negligentiae nondum manifeſtae crimen miſſam facere; res mihi videtur ab exactiſſimo judicio tuo plane aliena. Sed forſan tibi viſus ſum talem promeruiſſe poenam, tu vero, ut rigidus exactor, non potuiſti peccantem non caſtigare. Hoc ſi ita eſſet, jam poenam non deprecarer: imo te condonante, non ceſſarem me ipſum ulciſci. Verum cum aut nihil aut parum deliquerim, non ego hoc ſupplicio dignus, verum tu nimium ſeverus, qui ex ſuſpicione & inaudita cauſa amicum condemnas. Ut ut ſit, rogo, ut de omnibus potius dubites impoſterum, quam de affectu meo: quodcunque potius mincre, quam quod mihi minaris, nunquam te mihi poſthac ſcripturum. Procul dubio jam Pariſios reliquiſti, aut brevi relicturus es: quamvis non ignorem mercatorum res ſaepe in longum trahi. Si *Reinſtium* Venetias uſque velis comitari, ſive per Helvetios ſive per Maſſiliam iter inſtituas, utroque modo Mediolanum videbis. Proculdubio ea in urbe aliquantum morabeberis. Bibliotheca ibi inſtructior, quam ulla in tota Italia, excepta Vaticana. Aditus praeterea facilior, cum ſingulis diebus pateat, viri etiam eruditi ea in urbe, quorum tibi familiaritas & grata, & utilis erit. Ego certe tantum debeo humanitati *Bern. Ferrarii*, Doctoris Collegii Ambroſiani, viri ſcriptis clariſſimi; ut plus cuiquam debere non poſſim. Ille mihi in aegritudine magno fuit ſolatio: uſum praeterea MStorum ejus Bibliothecae procuravit, & in aliis omnibus & conſilio & re ſemper mihi adfuit. Sed & plures ea in urbe ſunt literati, literarumque amantiſſimi; uti Pater *Sfondratus*, Ordinis Theatini, & praeterea Illuſtriſſimus *Joannes Maria Vicecomes*, cujus carmina, ubi vide

deris, non poteris non probare. Sed quoniam carminum incidit mentio, non possum dissimulare, quantum ea videre desidero, quae tu Parisiis edenda curasti. Rogo ut quam primum possim exemplar habere, prout promisisti. Si ego tibi Ignatium meum mitterem, qui jam aliquamdiu lucem vidit, quorsum id fieret? an ut iterum eum in Hollandiam remitteres? Differam itaque in tempus, donec nos mutuo iterum aliquando licebit amplecti; quod nisi votis tuis forsan esset contrarium, ut quam citissime fieret, exoptarem. Interim omnia tibi ex animo eveniant, pacata & jucunda itinera, aditus ad quasvis Bibliothecas facilis, corporis habitudo athletica, & qualem desideras. Semper elige tutiora, mi Heinsi, nullam tentes semitam, cui non & vorsum & retrorsum videris impressa vestigia; aliquando etiam, ubi otium fuerit, memineris ejus, qui semper tui memor est, *Isaaci Vossii*. In Bibliotheca Ambrosiana Mediolani Martialis ter MStus habetur. Unus codex ex iis in charta scriptus, cui varias lectiones & commentarios suos ad oram adscripsit *Perottus*, longe est optimus. Illum tantum aliquot locis inspexi. Alios duos, quamvis & illi sint boni ut arbitror, vix vidi. Pater *Olgiatus* bibliothecarius est Mediolanensis Bibliothecae. De aliis Italiae Bibliothecis & Bibliothecariis scripsi in epistola, quam Venetias misi. Vale, clarissime Heinsi. Amstelodami IV. Aprilis. CIↃIↃCXLVI.

EPISTOLA XII.

ISCAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Romam.

IN postremis, quas ad te dedi, literis, Heinsi clarissime, purgavi me ego apud te, neque dubito quin etiam satisfecerim. Nunc vero etiamsi id quammaxime possim, nollem tamen, non quod verba aut argumenta defutura essent, quibus me excusarem, apud te praesertim tot regionibus diffitum; sed quia cum non omnino culpa me possim eximere, velim tibi non deesse occasiones, quibus labenti subinde amico possis ignoscere. Noli tamen aut negligentiae aut parum sincero affectui tribuere, si quid forte peccaverim. Neque enim proximis duobus mensibus per alios licuit mihi esse otioso. Sed sane fuerim talis, ipsa mea negligentia magni amoris indicium tibi esse potuit. Minus enim si amarem, non cum tanta securitate peccarem. Sed spero non ex sola negligentia patere affectum meum, neque opus esse ut pluribus illum persuadeam. Nam erga te si affectum mentirer, nimium certe mentirer. Ex altero epistolio tuo, quod mihi ante quatriduum in manus venit, intellexi te Romam pergere, quo proculdubio jam veneris. Si Florentia aliquamdiu te detinuerit, diutius id factura est illa orbis metropolis. Bibliothecae ibi longe plures & me-

liores, imo una Vaticana melior omnibus. Verum aditus forsan erit angustior. Tibi tamen spero patebunt, si non omnes, saltem plurimae. Farnesiana proculdubio jam aperta est, quae toto, quo Romae egi, tempore clausa fuit; uti quoque illa Cardinalis de *Altaemps*, quas prae reliquis instructissimas esse arbitror. Jesuiticam vidi, sed vidi tantum. Nihil in ea singulare, quam libri aliquot a *Mureto* collati cum codicibus scriptis, an bona fide nescio. Est inter eos Codex Apicii de re culinaria, vulgatis multo auctior & emendatior, cujus libentissime apographum habuissem, si per patres Collegii licuisset. Sed hoc non magni est momenti ratione eorum, quae ex aliis possis tibi comparare Bibliothecis, quarum notitiam accipies ex Cl. viris *Luca Holstenio* & *Leone Allatio*. Neapolin si excurras, ibi videbis Bibliothecam *Sannazarii* in conventu S. Joannis Carbonarii. Praeest ei, nisi fallor, Pater quidam *Chrysostomus*, ad quem ab *Holstenio* habui commendatitias. Inter eos libros est codex satis vetustus Varronis de re rustica, quem dolet non contuliisse cum editis. Vidi quoque in eadem urbe pauculos aliquot libros Patrum Theatinorum, sed nihil in iis boni, quam Frontinus de aquae ductibus integer, cujus a Cl. *Holstenio* speramus editionem. Multos ibi invenies viros mediocriter eruditos, inter quos tamen recensendi non sunt tres [1] *Camilli*, *Glorioſus*, *Tutinus*, & nescio quis tertius. Si conspexeris [2] *Januarium Grossum*, is plura anagrammata e nomine tuo eruet, quam in eo sint literae. Id ferme studium est Academicorum ea in urbe, qui se Otiosos vocant, & revera sunt. Bibliothecam Proregis non vidi. Non me permisit studiis multum vacare amaenitas ejus urbis, quae omnium, quotquot usquam vidi, longe est pulcherrima. Hoc & ipse forsan non sine studiorum tuorum jactura experieris. Romam cum deseris, Flaminiam proculdubio carpes. Non praeteribis utique Bibliothecam Urbinatem, quae hactenus tamquam intacta est. Senecam Tragicum a te Florentiae denuo collatum intelligo. Neque dubito, quin potiori diligentia id praestiteris, quam non licuerit Cl. *Gronovio* propter nimiam festinationem. Audio quoque Cl. *Bulialdum* multa Astronomica ex ea Bibliotheca depromsisse. Aveo scire an prodierit vita B. Perpetuae; cujus editionem parabat *Holstenius*, item Tiberius Rhetor *Leonis Allatii*; & siquae alia melioris notae Romae excuduntur. Dolet per *Gaddium* non licuisse, quominus Martialem conferres. Spero te non negleturum in alia ejus poetae exemplaria inquirere. In Vaticano proculdubio aliquot invenies. Ego nullum in Italia contuli; quam Florentinum: Mediolanense inspexi tantum. Vellem scire, an codex ille *Notitiae Imperii utriusque*, qui in Vaticana exstat Bibliotheca, sit antiquus, & an multum differat a vulgatis. Quod si verum sit, utinam aliquis vel quocunque pretio conductus ejus con-

1. *Joannes Camillus Glorioſus* Philosophus & Mathematicus, Professor Patavinus, vide *Toppii* Biblioth. Neapol. p. 142. & *Nicodemi* Addit. pag. 118. Alter *Camillus Tutinus* sacerdos saeculoris Neapolitanus, qui propter satyrica scripta contra Hispanos coactus fugere Romam, ibi in miseria obiit. *Toppii*. Bibl. Pag. 55. Tertium puto *Camillum Peregrinum* fuisse, virum doctissimum, de quo idem *Toppius* pag. 55. & *Nicod.* addit pag. 55. & nos nuper in praefatione ad Tom. IX. Thesauri Italici pag. 3.

2. *Januarii Grossi* obiter meminit *Toppius* pag. 105.

Digitized by Google

conferendi laborem velit ſuſcipere. Sed vix mihi perſuadeo id permiſſuros ejus bibliothecae cuſtodes. De Juſtino quod mones, non memini me videre codicem antiquum adeo inter libros Mediceos, & certe ſi vidiſſem, non praetermiſiſſem eum cum editis committere. De Nobiliſſ. *Donio* quod mones, illum non obtinere munus illud, quod credideram, gratias ago pro indicio. Neſcio quis mihi perſuaſerit. Et certe ipſe, dum haec ſcriberem, dubitabam. Utinam in eo non male conjecerim, non meo tantum ſed & publico bono. Legi poëmatia tua magna cum voluptate & deſiderio. Petis ut, quid de iis ſentiamus, perſcribam: verum cum nolis auribus tuis aliquid tribui, imperas nobis ſilentium. Nihil ego auribus tuis darem, ſiquid in iis minus fuiſſet laudabile: nunc vero cum id longe aliter ſeſe habeat, non debet operum tuorum perfectio obeſſe, quominus ſincerus tibi videar eſſe amicus. Sed non nos tantum muſas tuas merito admiramur, verum eas etiam probant delicatiſſimi faſtidii homines, quique non ſolent alia, quam ſua ſolum in pretio habere. Ego poſt Ignatium nihil in lucem dedi, niſi paucula quaedam in hiſtoria Patriae; cujus mihi ſcribendae onus impoſuere Ordines noſtri. Bibliothecam meam multis auxi MS. Emi illos, quos olim poſſidebat Medicus Reginae Bohemicae. Multos quoque accepi ex Germania, & plures exſpecto. Verum de eo coram aliquando, ut ſpero, garriemus. Interim, tu Heinſi Clariſſ. valetudinis tuae rationem habeas quam diligentiſſimam, & ſi re tua fuerit, fac ut te ſpoliis onuſtum Italicis reducem quamprimum videre contingat. Amſtelodami CIↃIↃCXLVI. XIX. Decembris.

EPISTOLA. XIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Romae.

NOn doleo, Heinſi clariſſime, periiſſe literas, quas tibi in Italiam diſcedenti exararam, neque enim quae in iis de Bibliothecis Italicis monueram, talia puto fuere, quin ea vel tua ſponte, vel etiam aliunde melius cognoſcere potueris; verum illud ex animo doleo eas, quoquo modo deperditas, viſas tibi fuiſſe neſcio quid friguſculi amicitiae noſtrae attuliſſe. Nam cum nihil mihi quidquam carius pretioſiuſque ſit amicitia tua, non poſſum non graviſſime ferre jacturam rei licet leviſſimae, & quae tamen tantum apud te potuerit, ut propterea minor tibi videar amicus. Num tabellarii incuria, an obitu *Reinſtii*, an vero alio caſu literae meae amiſſae ſint, neque *Vicquefortius*, neque ego dicere poſſimus: verum illud tibi affirmo, ſi quod literis non perlatis commiſſum eſt, literis poſſe emendari; licet non ſim ſcribaciſſimus, contentus amicos animo potius, quam voce coluiſſe: centenis tamen aliis dammum iſtud apud te libens repararem. Magna vero me adfeciſti voluptate, quod indicaveris te in-

cumbere coëmendis libris rarioribus, ſive editis, ſive etiam manu exaratis. Verum eorum, recte mones, magna Romae eſt penuria. Aliqua forſan erit copia Venetiis & Mediolani. Multum tibi propitiam habeas fortunam neceſſe eſt, ſi quid alibi reperias. Veterum cujuſcunque generis nummorum admodum ſum egenus; ſi quos tamen habeam, libentiſſime illos tibi concedam. Verum nihil me aeque adficit, quam quod inſcriptionum antiquarum ſtudio tenearis. Multum ego illis delector, quoniam major earum mihi uſus videtur, quam nummorum, licet iſtis plus debeant oculi. Pamphylianarum credo tibi apographum comparaveris. Erunt proculdubio inter eas aliquot pulchrae. Clariſſimus *Holſtenius* magnam jam copiam collegerat meliorum inſcriptionum, cum Romae verſarer, nec dubito quin interea temporis plurimum creverint. Innumeras quoque in unum congeſſit *Donius*. Illas mallem potius publico daret, quam vel Pandecten ſuum, vel Muſicam veterum, vel obſervationes de penula, quamvis & illis capiar. Efficias quoque apud Cl. *Holſtenium*, rogo, ut & ille tandem aliquando nobis det paſſionem B. Perpetuae, quam impenſiſſime omnes exſpectamus. Verum nunquid & alia ab eo habebimus? Gaudebo ubi quoque prodierint illa *Leonis Allatii*. Diu eſt, quod neſcio quis (niſi is ſit *Salmaſius*) mihi retulerat de *Bulialdo*, id, quod ad te ſcripſeram. Mirum cur *Junium Moderatum Nyppſum* deſcripſerit, cujus tamen plura exemplaria, vel in ipſa Gallia, habere potuiſſet. Alia certe ex ea Bibliotheca comparare ſibi potuiſſet, quae nuſquam exſtarent. Majori credo delectu utetur in luſtrandis Graeciae Bibliothecis, ſi quae uſquam ſint. Quod Martialem contuleris Vaticanum, ago gratias, mi Heinſi, ago gratias. Si quid ego pro te poſſim, vel nunc, vel poſthac, utere opera mea pro arbitrio tuo. Epiſtolarum heroidum Ovidii, cujus Groningae exſtare ſcriptum codicem indicaram, nondum nactus ſum collationes. Credo amicum illum, a quo illas poſtularam, noluiſſe conferendi laborem ſuſcipere. Poſt menſes duos, niſi fallor, Friſiam adibo, & procurabo ut quoquomodo eas habeas. *Barlaeus* noſter Poëmata *Intemelienſis* Monachi recte accepit. An etiam reſponſurus ſit, neſcio. Verſatur ille in novo orbe, & brevi dabit librum de geſtis Comitis Mauritii in Braſilia, cui magnitudine cedat Livius ingens. *Holſtenio Allatioque* diu eſt quod miſerim exemplaria libri Parentis de vitiis ſermonis; uti etiam Ignatium meum, dubito, an jam ad eorum manus pervenerint. Curam eorum mittendorum ſuſceperat *Petrus Lambecius*, cognatus *Holſtenii*. Prodibit etiam intra aliquot dies liber Parentis de arte Poëtica. Neapolin credo jam videris, aut certe non diu exſpectabis. Commodius illa hoc tempore, quam aeſtate, adiri poteſt, quando reditus eſt periculoſior, propter neſcio quam aëris antipathiam. Pax non ita certa eſt nobis cum Hiſpanis, atque vos iſtic creditis. Longius ab ea forſan receſſimus, quam antehac arbitrati fueramus. Invident nobis Galli iſtam felicitatem. Obiit ante hebdomadem unam alteramque *Beverovicius* Medicus. *Boxhornius*, ut intelligo, mediocriter valet, & totus eſt in originibus Graecis Latiniſque e Friſia accerſendis. De Bibliotheca *Goldaſti*, quam Bremae venalem proſtare indicaſti, necdum aliquid re-

reſcire potui. *Rumſius* junior dixit mihi, te Lucanum MS. ab illo commodato tenere, illud nimirum exemplar, cui Gloſſae antiquae ad oram ſunt adjectae: dubito an recte meminerit. Vellem certior fieri. Apud *Holſtenium* vidi librum nummorum Siculorum *Philippi Parutae*. Vellem illum quoquo pretio comparares vel tibi, vel mihi. Ego tardius ad te ſcribo, quam debueram, quod per hebdomadem unam alteramque febricula laboraverim. Iterum de reditu tuo nihil mones. An inexſpectatus forſan aliquando ſupervenies, ut nos majori gaudio perfundas? Mihi certe, qui ſemper tui ſum memor, nunquam inexſpectatus aderis. Vale, clariſſ. Heinſi, & viros ſummos *Holſtenium*, *Allatiumque* plurimum ſalutes. Amſtelod. CIↃIↃCXLVII. VIII. Martii.

EPISTOLA XIV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Neapolim.

NIſi te ita amarem, Heinſi clariſſime, ut nullus plane ſiniſtro cuidam affectui locus relinqueretur, multum equidem inviderem tibi delicias & oblectamenta, quibus nunc tantum non ad ſatietatem uſque frueris. Refers mihi Pauſilypum. Nempe ut & mihi memoria tam divini loci voluptatem aliquam concilies. Gaudeo tuam ſortem. Ego vero non poſſum ſine dolore meminiſſe tam ſacri nominis. Suavis eſt praeteritorum malorum recordatio: at vero ea, quae nobis jucunda aliquando contigerunt, animo revocare, id nunquam ſine moerore fieri poſſit. Hoc te ne nunc quidem latet, utinam tamen id reipſa etiam quamprimum experiaris; neque id eo, quod aliquid tibi imprecer mali, vel quod gaudia tua velim minui, verum ut ea diuturna ſint magis; imo perpetua. Quid enim ſi diutius moreris in oris iſtis felicibus non ſordebit tibi, huc praeſertim reverſo, ubi de omnium elementorum iniquitate jure conqueri poſſis? Rogo itaque ne iſta Parthenope, nec Mergelline, nec Circe, aut ſi quae aliae Campanae ſint Sirenes, ulterius mentem tuam excantent. Redde te tandem Patriae, Parenti, amicis, imo & tibi ipſi. Nec tamen tua tuorumque deſideria, tantum apud te poſſint velim, ut tempore hoc inopportuno te in viam des. Scio quam periculoſum ſit Neapolin relinquere hoc praeſertim menſe, ardente & coelo & ſolo. Exſpectandi erunt, niſi fallor, dies pluviales. Intermedium tibi interea tempus, ſat ſcio, non peribit. Moram iſtam compenſabit vel ſolus *Aruſianus Meſſus*, & forſan non ſolus. Multum tibi literati omnes debebunt, quod iſtum autorem e tenebris erueris. Meminit ejus alicubi in caſtigationibus ad Virgilium *Pierius Valerianus*. Quod in nummis antiquis conquirendis tam bona utaris fortuna, & hoc quoque tibi gratulor. Magno alioqui opus eſt judicio in diſtinguendis iſtis metallis ve-

ris a fictitiis, quos magno indies numero procudunt verpi isti Romani, idque tanto artificio, ut saepe etiam peritissimos fallant. Multum quoque te amo, quod inscriptionum copiam congesseris. Earum ego usum potiorem duco, quam nummorum; licet illi plus oculos afficiant. Malum mihi adtulisti nuntium literis tuis, quod Passionem B. Perpetuae non ita cito videbimus. Utilissima mihi esset ea hoc tempore, quo mihi quaestio est cum *Blondello* de veritate Epistolarum Ignatii. Ostendi ei in omnibus eum esse mugatum, quae ad fidem earum epistolarum labefactandam in praefatione operis de Episcopis & Presbyteris scripsisset. Ubi iterum responderit, curabo ut scripta ista simul excudantur, quo eruditi de illis judicent. Si meae quidquam preces apud Cl. *Holstenium* possent, rogarem eum maximopere, ne nos ulterius tam pulcri & antiqui monumenti desiderio excruciaret. Romam si revertaris, & Vaticanam iterum adeas, peto a te, ut inquiras, an illic habeantur Homiliae Origenis in Lucam Graecae. Si habeantur, quaeso, ne graveris, inspicere initium Homiliae Sextae, ubi Ignatii facit mentionem, & unicum tantum illum versum describere. Quoniam *Blondellus* propterea, quod istic Ignatius citetur, negat Homilias istas esse Origenis, sed Ruffini, somnia sua Origeni affingentis. Ego contrarium evincam, praesertim vero, si possim verba ea Graece habere. Ex affine Ampliss. *Goesio* intellexi, geminum te exemplar comparasse columnae Trajani; si alterum pro amico emeris; rogo ut tibi ego sim ille. Pretium vel affini tuo, vel cui placuerit, refundam. Patris istius Veneti libellum *Barlaeus* noster se accepisse jam olim mihi dixit, quamvis primo subdubitaret. Ab aliquo tempore in magno versatur periculo, ne in veterem suum incidat morbum. Nimium ad animum creditur revocasse obitum *Hoofdii* dynastae Mudani, cujus amicitiam prae omnibus caram habebat. *Rumsio* non impune erit, quod Lucanum MSptum apud te esse commentus sit. Si Neapoli etiamnum verseris, plurimum meo nomine salvere jubeas *Nicephorum Melissenum*, & *Chrysostomum*, Patres Augustinianos, viros optimos & humanissimos. Si vero Romam reversus fueris, officiosissime a me salutabis *Allatium Holsteniumque*, quibus propediem mittam librum Parentis de arte poëtica, & alia quaedam. Sin vero maritimo itinere Liburnum veneris, ubi Pisas & Florentiam videris, *Donio Gaudentioque* omnia mea officia deferas. Vale, Clariss. Heinsi, & me ames. Amstelod. CIↃIↃCXLVII. XXV. Julii.

EPISTOLA XV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

SI unquam mihi gratae fuere literae tuae, Heinsi Clarissime, certe nunc quam gratissimae fuere. Magna enim eae me sollicitudine liberarunt, cum ex

ex iiste non vivere tantum, sed etiam recte valere intelligerem. Nam quales proh Deum, & quam improbi huc de te rumores sunt allati! quantos moerores & luctus illi mihi dediſſent, niſi prius aliter edoctus omnem plane iis fidem denegaſſem. Ante quippe jam certior eram factus ex literis, ad ſummum Parentem tuum ſcriptis, te Bononiam ſalvum ſoſpitemque perveniſſe. Tantum itaque non exhorrui, cum mihi narrarent etiam tuo ſanguine expiandam fuiſſe nequiſſimorum hominum rebellionem & inſaniam. Scias tamen me talia audientem non leviter fuiſſe commotum, utcunque enim aliter eſſem perſuaſus, talia tamen vel audire ſaltem non poterat non eſſe graviſſimum. Riſeris tu forſan vanam meam credulitatem, verum ſi etiam noveris, quam ſaepe plus poſſit apud amicum ſuſpicio, licet intempeſtiva, quam ratio & veritas, non certe riſeris. Ne itaque mihi tales unquam adferantur nuntii, nec mihi adfectus meus poenae potius fuerit, quam voluptati. Gratulor tibi adventum ad iſtos olim ſtrenuos Mileſios. Eorum urbs ſi exſpectationem tuam fefellerit, meam certe non minus fefellit. In carcere mihi ſomniaſſe videor, quamdiu illic fui. Literatum vel literarum amantem nullum plane inveni, niſi forſan duos vel tres (ſi bene memini) paedagogos famelicos, in quos ſi incideris, vae tibi. Martialem cum Vaticanis codicibus collatum, tibi & mihi periiſſe non doleo, nec ipſe, ſi te ames, dolere debeas. Voluptas, quam ex eo, quod ipſe evaſeris, concepi, non patitur, ut de jactura, quantumlibet magna, ſim ſollicitus. Agnoſco interim beneficium, mi Heinſi, agnoſco. Multum quoque tibi debeo, quod ita me vindices apud iſtos Italos, qui mihi ingrati animi vitium objiciunt. Apud nonnullos fateor vix me poſſim excuſare ſilentii, vellemque ſane aliter factum. Sed neque illi propterea me odiſſe debebant, ſi ego ſola mente animoque erga illos gratus hactenus fuerim. Tu meos noſti mores, etiam cum pudore meo, nec tamen propterea me odiſti. Ego vero ob id impenſius te amare cogor, quia non tantum malis meis moribus veniam des, ſed & aliis, idem ut agant, ſis auctor: garrulis nonnullis ſi non pari ſemper garrulitate reſponderim, non multum curo. Eorum ego amicitiam & inimicitias juxta aeſtimo. Unus item & alter fuere, qui ſi me comiter exceperint, beneque de me fuerint meriti, mox beneficium iſtud perdiderunt nimia loquacitate ſua, cui tamen ego nullam dederam occaſionem. In coëmendis libris Bononiae gaudeo, quod tam bona uſus fueris fortuna. De MSptis laceratis dolet. Sed tamen & inter fragmenta illa aliquid forſan bonae frugis inveneris. Venetiis proculdubio, ſi otium fuerit, invenies aliquid librorum, qui ad guſtum tuum faciant. Sed majora auſim promittere de Mediolano. Eſt ibi aliquis bibliopola *Bidellus* nomine, qui tantam habet librorum copiam, quantam alibi videre non memini. Is ipſe, niſi fallor, eſt, e cujus officina maxima pars Bibliothecae Ambroſianae eſt conflata. MStos tamen paucos, aut potius nullos, apud eum reperi. Sed tu, uti in omnibus, ita etiam hac in parte me felicior eris. Moraberis vero aliquanto diutius ea in urbe; nam & ſingulis diebus patet ingens illa Bibliotheca Ambroſiana, & invenies in ea, quae tibi, ut arbitror, placebunt. Vidi in ea exemplaria duo vel tria Martialis, quibus tamen

men non ſum uſus. Unum aliquot tantum locis inſpexi, doluitque quod non permiſerit tunc valetudo, ut integrum conferrem. Eſt quidem iſtud in charta ſcriptum, ſed tamen egregias ex eo lectiones haurire eſt. *Perottus*, qui bonam commentariorum ſuorum partem orae adſcripſit, etiam varias aliquas lectiones, ex aliis, ut puto, codicibus excerptas, addidit. An etiam bonae notae ſint alii Martialis codices, id dicere non poſſim. Vidi in illa Bibliotheca Quintilianum uncialibus literis deſcriptum. Libros vero Graecos ineditos innumeros vidi. Catalogus codicum, qui exſtant, ab imperito contextus eſt, cum vix tertiam librorum ſcriptorum partem contineat. Eſt etiam illic MStum Rufi Feſti Avieni Periegeſeos, cui additur Ora ejuſdem Maritima, quam noſti, ſenariis conſcripta. Vellem, ut horulam unam collocares huic poſtremo ſcripto conferendo. Licet codex ſit chartaceus, aliquid ſaltem bonae frugis inerit. Eſt in eodem volumine, niſi fallor, Gratius Poëta, & neſcio quae alia. *Holſtenius*, quantum ex literis tuis poſſum colligere, videtur morem ſuum priſtinum ſervare, & mirum in modum amans eſſe quietis & otii. Cognatus ejus & haeres, *Petrus Lambecius*, qui nuper lectiones varias in Gellium dedit, ad Romanam ſeſe recepit Eccleſiam. Nunc altercantur de eo *Sirmondus* & *Mileterius*, quorum iſte prior cupit, ut Jeſuita fiat, alter mavult potius, quam hoc fiat, ut ad priorem revertatur haereſin. Literas tuas ad Clariſſimum *Gronovium* prima, qua potui, occaſione tranſmiſi. Vocatus ille fuerat ad Profeſſionem Hardervicenam, invitatus illuc ſtipendio mille florenorum. Sed poſtquam Daventrienſes tantumdem illi polliciti ſunt, mavult non migrare. Dolet ipſum excidiſſe ſpe edendae Annae Comnenae. Exemplar enim illud MStum, quod tranſmiſerat *Holſtenius* ad *Puteanos* fratres, obtinuit ab illis *Pouſſinus* quidam Jeſuita Toloſas, cum non huic, ſed *Gronovio* noſtro tradere debuiſſent. Panegyricum, quem edidit ad Principem Arauſionenſem, nondum potui vidiſſe. Accepit pro eo munus ſatis liberale. Scire velim quid in Italia judicent de libro *Samuelis Boucharti* de Coloniis Phoenicum & poſteritate Noachi. Tanti fieri audio Pariſiis, ut ipſi illi, qui amiciſſimi ſunt *Salmaſio*, judicent illum unum eſſe librum, cui ipſe debeat invidere. Audio *Petavium* ſcribere contra illum. Cathedram Bononiae tibi oblatam intelligo. Sed illa nimium anguſta fuerit pro meritis tuis. Gratulor itaque, quod recuſaveris. *Boxhornium* noſtrum nemo quiverit revocare ex iſto Scythiae eremo, non ipſe tuus Pater, qui illum mallet potius ἀποσυνθίσαι. Totus eſt in laudibus Barbariſſimae gentis, quaeque nihil hominis habet, praeter figuram. Ait illos non in terris tantum latiſſimum obtinere imperium, ſed & in coelis longe lateque dominaturos: facilius enim eo poſſe penetrare integram legionem Scytharum, quam unum vel Florentinum vel Neapolitanum, quibus totis ſaeculis vix unus naſcatur pius. Venetiis diſceſſurus, non opinor, moraberis in urbibus illis, per quas eſt tranſitus Mediolanum euntibus. Videbis ibi Livii, Pliniorum, Catulli, & iſtius Principis poëtarum natalibus nobiles urbes. Hae manent, illi olim fuere. An ea loca effoeta ſint poſt tantos partus, vel an etiammum ſimilia producant ingenia, de eo aliquando coram. Bibliothecas

me-

Digitized by Google

meliores nullas, ut opinor, in hoc tractu invenies, nisi forsan aliquae lateant apud importuosos homines. Mantuana olim est direpta a Germanis, a quibus mox redemta fuit paucis aliquot musti amphoris per Anglos nonnullos, qui praedam eam secum avexerunt. Sed & Mediolanensem Bibliothecam hoc modo crevisse arbitror. Si tibi tales occurrant praedones, quibus tam care possis vinum vendere, proculdubio oenopola fias. [1] Epistolae isti Scioppianae, de qua scribis, respondebit Pater in secunda parte de vitiis sermonis. Sed modeste, neque enim scorpiacum reponet. Ante aliquot dies prodiit liber parentis mei de arte Poëtica. Mitterem tibi exemplar, si crederem id tibi gratum fore. Sed quorsum id facerem, nisi ut remitteres? Pro literis Clariss. *Donii* ad me missis gratias ago maximas. Rescribam ei proxima occasione, quoniam nunc tempus non patitur, ut ei dem apographum quarumdam notarum ex quodam libro MSto. Boethii de Musica. Tu vero, Vir Clarissime, si quos mei memores invenias, eos plurimum meo nomine salutes, & id quod facis, me amare pergas. CIↃIↃCXLVII. Kal. Nov.

1 Credo intelligi *Scioppii* animadversiones in *Vossii* librum de vitiis sermonis, Ravennae Anno 1647. & Amstel. 1666. editas, inscriptas *Matthaeo Defendio*; *Vossium* respondisse non reperio.

EPISTOLA XVI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

ANte geminas hebdomades misi ad te epistolam bene longam, Heinsi Clarissime, eodem vero tempore etiam altera tua epistola ad manus meas pervenit scripta Patavii XVI. Octobris. Pro illa, quae prius mihi fuit reddita, gratias egi proximis literis: pro altera nunc id ipsum ago. Interea etiam accepi literas *Gronovii* nostri, tibi exaratas, quas cum superiori hebdomade mittere animus esset, intellexi affinem tuum amplss. domo abesse. Veritus itaque ne, si alteri traderem, minus tibi perferrentur, usque in hunc diem distuli eas tibi mittere. De lucernis *Smetii* nihil ad me rescripsit *Gronovius:* sed, credo, ipse in suis ad te literis ea de re agit. Mitto responsum ad Epistolas *Donii* & *Caroli Dati*, quas tuo beneficio acceperam. Spero te non in sequiorem partem interpretaturum, quod eas hoc eodem involucro incluserim, teque rogem, ut siquando ad alterutrum scribas, simul quoque meae perferantur. Si commodam aliquam scribendi Florentiam occasionem perspexissem, gravis tibi & molestus non fuissem. Librum *Donii* de Musica tardius, credo, accipiam, nec tamen ideo minus erit gratus. Aveo videre musas tuas Italicas, Pausilypum dico, & Epicedium in Poëtam illum Florentinum, de quo ad me scribit *Datus*. Verum de his alias, nunc rogo ut excuses brevitatem: & boni consule, quod tam paucula verba tanto pretio redimere cogaris. Amstelodami. CIↃIↃCXLVII. XV. Novembris.

Digitized by Google

EPISTOLA XVII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Venetiis.

MAjori cum affectu quam voluptate legi literas tuas, Heinsi clarissime. Non permiserunt tot ac tanta funera integro me, uti solebam, frui gaudio. Movit me obitus *Servii*, *Nicii Erythraei*, aliorumque, quorum vidi scripta nonnulla: quoniam tamen neque literis, neque aliter, familiaritatem cum iis colui, ideo mihi facilior visa est jactura eorum, quam *Domi* nostri, cujus funus caeterorum omnium instar fuit. Nullum inter Italos novi, in quo tantus candor & doctrina concurrerent; nemo etiam erga me fuit humanior. Non solum benevole & peramanter me in aedibus suis semper excepit, sed & ipse quoque saepius me invisit, & in villam amoenissimam abduxit, & aliquamdiu detinuit. Non possum itaque non ex animo dolere fatum viri optimi & eruditissimi, quique etiam hoc nomine carior mihi est, quod te magni fecisse intellexerim. Utinam ipsi per fata licuisset absolvere opus illud inscriptionum, quod non possim dicere, quanto desiderio videre expetam. Non dubito quin id quamprimum daturus sit praestantissimus *Carolus Datus*, modo Florentiae typographum possit invenire. Quod si minus procedat, saltem in his terris non deerunt, qui talem thesaurum in lucem protrudant. Vix autem ambigo, quin tantum facile valeas apud *Cl. Datum*, ut alterutrum praestet. Vidi etiam aliquot inscriptionum spicilegia apud *Holstenium*, sed ab illo nihil posthac sperandum. Differt ille, credo, omnia sua in adventum Messiae Judaeorum. De *Plempii* obitu miror quis tibi indicarit. Reliquit ille quidem pro tempore suos Lovanienses, sed nondum inter mortales esse desiit. Inde proculdubio natus error, quod aliquis ad te scripserit Lovanio Plempium discessisse. Agit ille, nisi fallor, medicum Monasterii apud Legatos Hispanicos. Verum apud nos *Baxlaeus* ante biduum morte repentina exstinctus est. Vides itaque non in Italia sola mortem grassari inter viros doctos. Sarcinarum tuarum causa, quas Neapoli reliqueras, & ego sollicitus sum: vereor ut illae sint direptae, praesertim si in Romerianis fuerint aedibus. Quamvis ipse *Romerus* ad mercatores nostros scripserit, leviissimum sese perpessum esse damnum, aut potius nullum. De quo tamen multum hîc dubitatur, cum probe norint, quanto in eum odio plebs flagrarit ob conducta vectigalia. Avidissime omnes hîc scire desideramus, quemnam tandem exitum habitura sit tragoedia haec, quae in ista urbium pulcherrima non fictis personis luditur, cujusque tu principiis interfuisti. *Quis* crediderit ex corbe pomaria talem subito potuisse nasci rempublicam? *De Strepio* quod novas iterum simultates quaerat, miror maxime. Uti iste homo vivens timuit semper, ut quem amicum haberet; ita etiam moriens cavere videtur,

detur, ne quis ipsi post mortem sit amicus. Bene vero actum, quod musis tuas Ausonias inscripseris viro egregio & vere generoso, *Cassiano* a *Puteo*. Gaudeo, cum video insignia quaeque opera insignibus dedicari viris. Pati vero vix possum viros quosdam etiam eximios, qui, ut aureos aliquot acquirant, insulsis nescio quibus, & non tantum aeterna, quam tribuunt, fama, sed & vita, qua fruuntur, indignissimis monstris, labores suos inscribunt. Hoc quoque scio, te inter omnes istos personatos moriones, quos tempore hoc quadragesimali visurus es, nc unum quidem *Cassianum* reperturum. Verum quid de Bibliotheca Veneta, concediturne libertas ejus adeundae? Vix arbitror. Non poteris belluam istam expugnare, bibliothecarium ajo, hominem & in literis, & in omni vita plane rudem & barbarum. Tales asinos passim in Italia lyrae admovent, & bibliothecis praeficiunt. Caussam nondum adsecutus sum, credo tamen aliquam subesse: neque enim Principes Italiae, ut sunt acuti, frustra aliquid faciunt. Alexiadis edendae occasionem indignatur quidem *Gronovius* noster sibi praereptam, nescit tamen in quos facinus istud ulciscatur. *Puteanos*, Jesuitas, *Holstenium*, *Lambecium*, omnes suspectos habet. Sepositerat opus hoc ad ultimam aetatem, & decreverat omnibus eruditionis suae flosculis illud quam ornatissimum reddere. Dicit tamen se propterea nolle senescere. Adfuit nobis aliquamdiu, herique demum discessit. Rogabam eum, ut aliquid mihi literarum ad te relinqueret, sed negabat id fieri posse, nisi prius visa epistola tua, quam ego Daventriam miseram, ignarus de discessu ejus. Sed promisit sese quamprimum tibi rescripturum. Epistolas, quas ad *Donium Datumque* scripseram, miseris proculdubio: verum illae priores inutiles erunt magno meo cum dolore. Vellem itaque ut remitterentur, vel saltem gratia folii cujusdam, quod ex libro quodam MSto. excerpseram. *Blondellus* scripto meo pro Ignatio non respondit. Rogavitque me *Sarravius*, ne ulterius virum optimum vexem, cum tamen nihil acre in illum dixerim. Sed haec hactenus. Clarissimum *Rhodium* plurimum meo nomine salvere jubeas. Vale clarissime & eximie vir. Amstelodami CIↃIↃCXLVIII. XXVIII. Jannuarii.

EPISTOLA XVIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

ANtequam prioribus tuis responderem, etiam alterae mihi perlatae sunt a te literae, Heinsi clarissime. Quum enim hebdomadem unam alteramque Lugduni & Hagae abfuerim, facile, ut spero, ignosces, si nunc demum officio meo fungar. Dum ibi moror, legi poëmatia tua in Italia a te scripta & edita, quae mihi summus tuus pater communicavit. Numquam ego aliquid a te non magnum & ingenio tuo dignissimum exspectavi. Lectis vero iis,

omnem fateor ſpem & exſpectationem longe ſuperaſti. Non miror in illis verſuum concinnitatem & euphoniam, non rerum pondera & ſententiarum acumina, non denique ſermonis Latini elegantiam & nitorem, ſed omnia ſimul. Pereant lutulenti iſti urbis lutoſae magiſtri, qui gentis noſtrae carmina cereviſiam olere mentiuntur; cum tua nihil, niſi Veneres, Gratias & venuſtates ſpirent. Ipſi vero ſcribunt carmina luto ſuo lutoſiora, aqua, quam bibunt, frigidiora, & ſcriptoribus ſuis fatua magis & inſipida. Nec tamen omnes urbis iſtius poëtas culpaverim, nec laudaverim omnes noſtros. Habent enim & illi, quos ſuſpiciam, *Menagium* alioſque: habemus & nos *Plantam* & *Boyum*; ſed ut quorundam laus caeteros culpae non eximit, ita nec paucorum crimen omnibus impingendum eſt. Sunto illi quod voluerint: tu vero, mi Heinſi, eſto ſemper & patriae tuae gloria, & malevolorum invidia. Menſe Martio demum te Venetos relicturum fuiſſe, ſatis potuiſſem conjicere, etiam nullo indicante. Operaepretium enim fuerit cum bacchantibus illis ſimul quoque bacchari aliquantiſper. Eodem quoque tempore, niſi fallor, nempe bacchanalibus exactis, & ego Mediolanum olim me contuleram, ſed me gravis morbus in itinere oppreſſit, quem an aeſtus ſolis, quem intenſiſſimum illis diebus perſenſi, abjecta praeſertim umbella; an vero non bene ſervata adtulerit diaeta, ne nunc quidem ſatis dixerim. Illud interim certo ſcio, me in popina neſcio qua Venetiis diu ſatis haeſiſſe inter Germanos quoſdam & Anglos, id eſt inter famem & ſitim, nec alii rei quam ventri & gulae operam dediſſe. Neque hoc eo refero, quod periculum tibi ſit a ſimili conſortio, verum ut exemplo meo monitus, valetudinem tuam ſemper cures, ne tibi ob immoderata ſtudia contingat id, quod mihi ex nimio cibo potuque contigerit mali. Scio enim nunquam te eſſe otioſum, etiam cum maxime videris. Ne mediis quidem Bacchanalibus aliter te quam carmine luſiſſe exiſtimo. Proculdubio autem dedere ea argumentum vel hymno vel Satyrae alicui. Verum nonne etiam elegia aliqua celebraſti jacturam nobilis iſtius capillorum ſtructoris *Campanii*, nuper admodum in finibus Venetorum a Turcis capti, & inter regia Regis Byzantini ſcorta emancipati, ut & officio eſſet Gallus, qui Gallus eſſet natalibus? Tumulum certe & epitaphium merentur partes illae, quibus olim, ut audio, multum valebat. Norunt hoc Principes Galliae matronae, norunt Polonicae; & etiam nunc, poſtquam ipſe non unam ob cauſam factus eſt inteſtabilis, ſi velint, poterunt teſtari. Quod ſarcinas tuas Neapolitanas recuperaturum te ſperes plurimum gaudeo. Utinam & bona aliqua fortuna Martialem tibi mihique reddiderit. Male ſit nequiſſimis furunculis, qui eum tibi ſublegerunt; utilior illis & convenientior reſtis aut laqueus erat futurus. Sed tamen everſo Neapoli Hiſpanorum imperio, & indulta priorum criminum venia, forſan eum poſſis recipere, cum illum tuto poſſit reſtituere, qui abſtulit. De antiquitatibus Veronenſibus quod monueris, gratiſſimum fuit. Vidi olim opus hoc, antequam excuderetur, tabularumque, quae librum exornare debeant, ſatis recordor. Bene vero actum, quod *Datio* auctor fuerit, ut inſcriptiones *Donii* quamprimum in lucem protruderet. Quod ſi poſſis efficere, ut auctaria illa Holſte-

ſteniana una excudantur, multum ſane effeceris. *Pyrrhi Lighorii* nomen mihi notiſſimum eſt, ſcriptaque ejus nonnulla habeo. Tomos illos inſcriptionum, qui in Bibliotheca Farneſiana exſtant, ſaepius apud *Holſtenium* vidi, & ipſum maximam longe partem inſcriptionum ſuarum iis debere, & ego olim animadverti. Verum auctor non ſim, ut tot ſimul opera jungas. Difficulter enim reperietur typographus, cum libri magni non nimium ſint vendibiles. Opus *Donii* vel ſolum ſatis juſtae erit molis, & ſi invenerit typographum, qui id velit excudere, non deerunt, qui auctaria & ſpicilegia velint edere. Scis quam vili olim proſtiterit pretio labor ille *Gruteri*, qui nunc tam care divenditur, cujus rei recens admodum apud typographos eſt memoria. De inſcriptionibus, quas habeat *Sixtinus*, nihil certi potui; ejus enim verbis non multum fido. Noſti hominem, ſi non de facie, ſaltem ex relatione *Gronovii* noſtri. Erit ſane quod gratulentur ſibi eruditi, ubi vir iſte ſupremum clauſerit diem; reviviſcent enim multa egregia ſcripta, quae nunc ſecum ſepulta ſervat. Sed ipſum longaeva manet aetas, quod cum multis inſanis commune habebit. De morte *Boxhornii* non miror adeo conſtantes in Italia fuiſſe rumores. Miraculum multis videtur, quod vivat, cum deſperatiſſimo morbo per integrum annum decubuerit. Fumo, ut ſcis, ſemper ille vixerat, fumo quoque revixit. Ceſſerant medicorum remedia, ceſſabat omnis ſpes, jamque ultima ei hora denuntiata fuerat; & ille hauſtu iſtius herbae novum quaſi ſpiritum concepit, medicos omnes eluſit, omneſque aegritudines, imo ipſam etiam mortem ſolo odore pelli poſſe oſtendit. Correctiones tuas in Martialem probo, multumque etiam propterea te amo. *Holſtenius* quum ſenis tuis literis nullum repoſuerit reſponſum, fecit, quod facere ſolet. *Donio* olim noſtro, aliiſque ipſum hoc contigit. Si velis, ne tale poſthac crimen committat, una id tantum via poſſis efficere, nempe ſi nunquam amplius ſcripſeris. A Venetis ne ultra aliquid exſpectes. Magno credo illi beneficio te adfectum eſſe putant, quod eorum Bibliothecam ſemel videris. Mediolani omnia tibi ex animo fluent, praefecto praeſertim ei Bibliothecae reverendo *Bernardino Ferrario*, viro humaniſſimo, & Italorum omnium longe doctiſſimo. De libris quibuſdam in ea Bibliotheca alias ad te ſcripſi. Sed de his, cum Mediolanum veneris, fuſius. Vale, clariſſime & amiciſſime Heinſi, & *Rhodium* virum clariſſimum, plurimum meo nomine ſalutes. Ejus in cauſa ſi quid poſſim, faciam quam libentiſſime. Amſtelodami CIↃIↃCXLVIII. XII. Martii.

EPISTOLA XIX.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

QUod augur optimus fuerim, nec fruſtra metuerim, vellem ſane aliter factum, Heinſi clariſſime. Malim ego non eſſe augur, quam tibi, tuique ſimili-

milibus amicis (siquos tamen similes habeam) futuri aliquid mali praedicere. Cavebo, ne in posterum idem contingat; fausta omnia & felicia tibi praedicam, quorum vel ipsa expectatio sit jucunda, tumque demum optimum me vatem censeas licet, cum optima & gratissima tibi praenuntiavero. Jam vero antequam literis tuis certior fierem, etiam ampl. adfinis tuus aliquid de morbo tuo indicarat, qui me admodum perculit, quoniam persuasus eram a Parente tuo, bene te valere, dudumque Italiam reliquisse, ac propediem se literas tuas e Gallia exspectare, neque enim resciviſſe eum arbitror, te adversa usum esse valetudine. Male sit istis prandiis Venetis, quae tantum tibi fastidii adtulerint. *Mariotti* nomen pene exciderat. Sed unde isti homini tanta saturitas, qui ante paucos annos aeterna fame tabescebat. Saepius mihi miserationem movit, saepe etiam risum. Aderat ei ut plurimum alius quidam paedagogus brevior, qui Longinum Italice vertit, sed multo politior illo & minus turbulentus, quique tantum mihi profuit in emendis bonis libris, quantum alter ille obfuerit. Sed quid factum de libro, quem *Mariottus* iste scribere coeperat adversus historiam Tridentinam Patris *Pauli?* an tandem resipuit? Vides tamen quid non audeat supercilium paedagogicum. Ambrosiana proculdubio tibi bibliotheca placuit, propter multitudinem librorum & facilitatem accessus. Non soli, credo, Ovidio impenderis bonas istas horas, quas in ea transegeris. Rogassem te, si paulo maturius mihi in mentem venisset id, quod nunc peto, ut mihi procurares verba illa, quae de Joanna Papissa habentur in codice quodam MS [1] Anastasii Bibliothecarii, vel potius Damasi Papae (ut in veteribus libris vocatur) quem in ea bibliotheca olim vidi. Dixeram *Sarravio*, *Blondello* aliisque vitam ejus Papissae haberi etiam in hoc codice Ambrosiano; nunc vero quoniam quaestio illa, fueritque scortum istud nec ne, a multis agitatur, & video fidem meam in dubium vocari, te ex animo rogo, ut paucula illa verba mihi transmittas. Quod si Mediolano discesseris, quod verum esse arbitror, quid obstat, quominus etiam opera alicujus amici ea possis procurare, cum certo sciam, neminem esse Mediolani, qui te norit, ac non libentissime tui ergo id sit facturus. Ego quamobrem non hoc ipse exigam ab amicis Mediolanensibus, causas habeo gravissimas, quas alias explicabo. Spero etiam te contulisse Rufi Festi oram maritimam, quod unice a te postularam, praesertim cum is paucarum sit labor horarum. Literas Clariss. *Gronovii*, quas ante duas fere hebdomades miserat, propter absentiam ab urbe, nunc demum tibi exhibeo. Intra paucos dies in Brabantiam tendo. Tu interim per Galliam reditum tuum maturabis, ita aliquanto invicem erimus propiores. Felicem illum diem, quo alter alterum dextra possit contingere, quod ut quamprimum fiat, hoc votum est tui ex animo Isaaci Vossii. Amstelod. CIↃIↃCXLVIII. III. Kal. Quint.

1 De hoc saepe Sarravius in Epistolis. verba Anastasii ex codice Regio exhibet Epist. CXXXVIII. Vid. & Ep. CLXXVIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

CUm heſterno a nobis die diſcederet *Gronovius* noſter, excidit neſcio quomodo, ut ſcripta illa, quae a te habeo, cum reliquis ejus ſarcinis compingerem, quod & ille permiſiſſet, & ego libentiſſime praeſtitiſſem. Nunc id uno die ſerius ago, gratiaſque ſimul refero quam maximas. Pauca ſunt ea, quae nos habemus ejus generis ſcripta, parva quoque ſunt illa, quae a me proficiſci poſſint, officia, qualiacunque tamen ea ſint, non opus eſſe puto ut tibi offeram, cum abunde tibi conſtare putem, me meaque omnia non tua minus eſſe, quam noſtra. Salutem rogo plurimam magno parenti tuo, & eximio hoſpiti dicito. Vale, vir clariſſ. & me ames. Amſtelod. CIↃIↃCXLVIII. XIX. Nov.

Vellem per unum alterumque diem uti Virgilio, quem cum Mediceo codice contuliſti. Si illum per Cl. *Gronovium*, vel quacunque alia occaſione mihi tranſmiſeris, ſummopere me obſtringes. Iterum vale, vir eximie.

EPISTOLA XXI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

VEnit ad te, Heinſi clariſſime, Magni *Caſauboni* [1] filius natu minor, Principi Walliae a Secretis. Deſiderat is & ſummum parentem tuum, & te quoque videre & ſalutare. Non auſim tantum tibi nomen commendare, tum ne praeſumtuoſus tibi videar, tum etiam quod opus non eſſe putem tibi commendare illum, quem vel ob hoc ſolum commendatiſſimum fore ſcio. Ante biduum remiſi tibi Aruſianum Meſſum, & annotata in Avienum, cum altero illo MSto, quem mihi communicaveras. Spero te eos recepiſſe. Poſtulabam quoque eo in epiſtolio, ut mihi concederes per unum alterumque diem Silium tuum Italicum, quem cum codice MSto. contuliſti. Nunc vero id ipſum etiam atque etiam rogo, & excuſatam habeas peto libertatem meam, quod cum non poſſim de te bene mereri, porro me tamen tibi obſtringere deſiderem. Vale, vir eximie, & ſalve a tuo plurimum Iſaaco Voſſio. Amſtelod. CIↃIↃCXLVIII. XXVIII. Novemb.

1 An ille ſit *Jacobus*, quem Cl. Almelov. in vita Caſauboni ultimam prolem facit, neſcio, neque aliunde quidquam de hoc filio mihi conſtat, neque Almelovenius, praeter natales ejus, quidquam narrat.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NOn opus eſſe arbitror, Heinſi clariſſime, ut multis ſilentii mei rationem tibi reddam, cum comperta mihi ſit humanitas tua, habeámque nunc cauſſas juſtiſſimas, quibus me apud te poſſim purgare. Ab eo enim tempore, quo a te diſceſſi, continuis incubui itineribus, donec in hunc tandem locum, unde nunc ad te ſcribo, perveni. Vix autem hîc depoſueram laſſitudinem, quam ex via contraxeram, cum mihi nuntiatus fuit triſtiſſimus Parentis mei obitus, qui me ita adfecit, ut nihil minus cogitarim, quam de literis ad amicos exarandis, quas ſi ipſe eo tempore ab iis accepiſſem, fuiſſent ſane maximo mihi ſolatio. Sed amicis forſan ad me ſcribendi defuit occaſio, mihi voluntas; non quod non ſemper velim eſſe officioſiſſimus erga illos qua rebus, qua verbis; ſed quia iniquum videbatur, eos, quos impenſiſſime amarem, doloris mei facere participes; ſufficere enim arbitrabar, ut ſolus lugerem. Nunc autem licet recente adhuc luctu, ad veterem redeo ſcribendi conſuetudinem, idque non tantum ſponte mea, ſed & jubente Sereniſſima Regina, quae, ut miro omnium ſtudiorum deſiderio tenetur, ita imprimis poëſi delectatur. Quantum ea in arte valeas, jam ex aliis cognovit; vult tamen etiam ipſa tua videre poëmata, exiſtimatque ſeſe in illis dignum tanto patre filium eſſe reperturum. Mittas ea ergo rogo prima, quae ſeſe offerat, occaſione, & conſequeris gratiam Sereniſſimae Regiae Majeſtatis. Non autem vult, ut carmen aliquod in laudem ſuam mittas, ſed ea poëmata, quae jam olim Pariſiis & Patavii edideris. In quo quidem an parendum ſit Majeſtati ejus, tuo relinquo arbitrio. Id tantum tibi adfirmo, ſi Principem hanc noſſes, habiturum te ampliorem carminibus materiam, quam tibi unquam contigerit vel contingere poſſit; nam neque majus, neque amabilius, neque divinius quidquam toto orbe reperiri poſſe exiſtimo. Vale, vir clariſſime, magnumque Parentem tuum plurimum meo nomine ſalutes. Animus erat etiam ad *Gronovium* noſtrum ſcribere, ſed tempus non patitur, ut id nunc faciam: rogo itaque, ut ei ſignifices, illum commendatiſſimum eſſe Sereniſſimae Reginae, eamque ſummopere exſpectare ejus Senecam. Sed & hoc quoque pene, mi Heinſi, excideràt, deſiderari quoque ab ea editionem Ovidii tui & Claudiani, magis tamen Ovidii, quem unice deperit. Iterum vale. Stockholmiae CIↃIↃCXLIX. ſcripſi celerrime. Kal. Maj. CIↃIↃCXLIX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXIII.

ISAACUS VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

TArde admodum literas & poëmata tua accepi, Heinsi clarissime. Ex quo enim ad te scripseram, tres fere abierunt menses, antequam ea huc perlata sunt. Tradiderat ea affinis tuus *Appelbomio*, is autem commiserat nobili Suedo, ille iterum nautae; ita dum multorum contrectantur manibus, moram non exiguam in itinere passa sunt. Ut vero mihi redditus fuit fasciculus ille, obtuli statim sereniſſimae Reginae carmen, quod mittis, moxque etiam alia tua poëmata. Admodum autem ea placuerunt incomparabili huic heroinae, & quamvis recentium poëtarum carminibus valde mediocriter delectetur: continua enim Graecorum Latinorumque veterum lectio reddunt eam nimium delicatam, tuas tamen Musas non benigniter tantum excepit, sed & legit, & laudibus non vulgaribus extulit. Gratissimum itaque sibi fore significavit, si, quod in literis tuis promittis, facias quoque, praesentemque te aliquando sistas: ipsa vicissim beneficentiam benignitatemque suam pollicetur, facturamque, ne unquam suscepti itineris poenitentiam habeas. Sed quid opus est iter tuum differre in festum coronationis? Integer exspirabit annus, antequam tempus istud adveniat. Adeone tibi breve hoc intervallum videtur? Si nosses divinae illius Principis virtutes, aliter sane faceres, vel hoc ipsum spatium carum te reddere posset. Praevertas itaque tempus istud praestitutum, atque ita existimes, adventum tuum, quanto fuerit celerior, tanto quoque gratiorem fore sereniſſimae Reginae. [1] *Paganinum Gaudentium* in Italia obiisse moleste fero. In multis negotiis utilis mihi esse potuisset imposterum opera illius viri. *Spanhemii* quoque mortem ex animo doleo. Multum in eo perdidit Academia vestra, sed tamen, si verum sit, quod intellexi, *Bouchartum* venturum, non minor debet esse laetitia de tanto successore, quam luctus de fato alterius. Claudianum tuum brevi lucem visurum esse sane gaudeo. Senecae quoque Gronoviani editionem quod urgeas, & hoc quoque gratum est. Non possum dicere, quam auctores illos avide exspectem, uterque enim & ingenio & eruditione vestra jamdudum indigebat. Multum quoque tibi debeo pro officiis praestitis matri meae, & pro luculenta voluntate minuendi dolorem nostrum, quam in literis tuis ostendis. Et tibi quoque, mi Heinsi, si quid unquam injucundum contigerit, ne desint, rogo, qui te tam bene solentur. De gemmis & nummis Cardinalis *Boncompagnii* comparandis serio cogitavit Regina. Sed hoc tempore neminem habet in Italia, qui res suas agat. Italis autem quis tale negotium

1 Vid. Epist. Gronov. CCCLXXIII. de eo legenda Naudaeana pag. 90. & addit. pag. 212.

Digitized by Google

gotium committat? Interim si sine fraude & fallacia possit comparari iste thesaurus, adfirmavit sese emturam. Posset hoc negotium pulcre curari per *Cassianum a Puteo*, cujus viri probitas & generosa indoles etiam hîc est notissima. Bene autem feceris, si istius Musei indicem tibi comparaveris, quem huc transmittas. Si alicubi in Italia Bibliothecae librorum manu scriptorum exstant venales, & hoc quoque explores, rogo. Sed hîc cogor abrumpere, plura itaque alias. Vale, clarissime vir, & maximo parenti tuo omnio mea officia offeras. Holmiae. XIV. Aug. CIↃIↃCXLIX.

EPISTOLA XXIV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Hamburgum.

GAvisus sum plurimum, ita ex animo processisse iter tuum, ut bidui spatio Norcoppingam adtigeris. Spero reliquum, quod superest viae, simili te celeritate & fortuna absoluturum. Et jam forsan, dum haec scribo, non longe a Dania abes. Quod si sit, & sane existimo, nescio an te meae literae in via poterunt offendere. Neque enim diu, ut opinor, aut Hafniae, aut Gottorpii, aut Hamburgi commoraberis. Quod si tamen eae ad manus perveniant, priusquam ad tuos fueris reversus, peto ne obliviscaris sedulo inquirere in libros MStos [1] Bibliothecae Ducis Holsatiae, in qua optimos adservari codices probe nosti. Rogo etiam ut memineris librorum venalium in Cathedrali Ecclesia Hamburgensi, & eorum, quos reliquit *Lindenbrogius*. Amplissimum virum D. *Langermannum* plurimum meo nomine salutes, scribam ad illum proxima occasione. Poteris illo sequestro nancisci codices illos, vel saltem catalogum eorum. Postremae literae, quas ex Hollandia accepi, nuntiarunt nobis mortem *Scriverii*. Significavi hoc serenissimae Reginae. Jussit itaque illa, ut significarem tibi, ut quoquo modo codices ejus manu exaratos emeres. Pecunia, quae ad hoc tibi opus fuerit, quamprimum remittetur. Ubi eos comparaveris, tradas obsignatos *Apelbomio*, cui, quid facto opus sit, indicabitur. Misit jam tertium vel quartum ad Reginam nostram literas ejusdem argumenti [2] *Berlicomius* quidam. Non novi hominem, sed ex literis, quas tibi transmitto, adparet esse paedagogum pinguem & obesum. Excipias eum pro meritis rogo. Litteras *Cassiani a Puteo* exhibui, ut jusseras, Reginae. Retinuit illa

1 Vid. Epist. CCCXCVI. ad Gronovium.

2 Quis ille sit nescio, sed *Andreum* quemdam *Berlicomium* edidisse A. 1656. librum de gravitate naturalium gravitate, pondere & impressu, video ex Biblioth. Lippenii: quia vero ille liber Rotterodami impressus est, & sequenti epistola Rotterdamensis ludi magister dicitur, videtur ille fuisse. Sed an filius fuerit *Balduini Berlicomii*, a *Valerio Andrea* memorati, aut cum aliqua cognatione attigerit, non certo mihi constare fateor.

Digitized by Google

illa sibi epigramma inclusum *Holstenii*, & folium exiguum, continens non catalogum nummorum, sed brevem tantum descriptionem. Vellet Regina ipsum videre catalogum: postulat idcirco, ut eum cures afferri per cursores, nam mari nimium tardum fuerit negotium, praecipue cum sit periculum in mora. Atque haec quidem hactenus, plura ubi in Hollandiam veneris. Vale. Raptissime XVI. Martii. CIↃIↃCL.

EPISTOLA XXV.

ISAAC. VOSSIUS.

Nic. Heinsio.

Leidam.

GAudeo ex animo tam te feliciter emensum esse tractum illum horribilem, ut vocas, quem vix firmissimus quisque tantillo spatio absolvere potuisset, hoc praesertim anni tempore. Miratur quoque Domina nostra potuisse te tam celeriter trahere corpus tam infirmum & imbecille, quod alii vix e lectulo movere potuissent. Non possum vero tibi reticere, mi Heinsi, quam magna cura & sollicitudine liberatus sim, nec tamen omnino. Nondum enim Dominam nostram reliquit febris, quae eam & heri & praeterita nocte exercuit vehementissime. Mitigata vero est plurimum, &, ut spero, nunquam revertetur. Si id tamen certe mihi constaret, jam σωτήρια te poscerem, versus nempe aliquot pro reddita salute & Dominae & nobis, quibus meditandis satis in itinere est otii. Quam autem vellem carminibus tuis illam posses addere vim & efficaciam, quam Homericis inesse versibus olim nonnulli putabant, quibus febres & alia id genus mala facto emplastro tollerentur. Absit tamen imposterum, ut ejus rei experimentum facere cogaris. Prioribus literis prae festinatione omisi includere epistolam Roterodamensis Ludimagistri, & alteras *Cassiani*. Eas nunc hîc habes, uti quoque syngrapham *Meissii*, quam hîc vides. Aliter hoc negotium non potui, quamvis etiam plures allocutus sim, ipsumque etiam *Ludovicum de Geere*. Sed de his sequenti occasione vel etiam coram. Nam post duas hebdomades vestigia tua legam. De libris *Scriverii* cordi tibi erit, quod proxime elapsa scripsi hebdomade. Vale, & me ama. Ego quidem amare te nunquam cessabo. Holmiae XXII. Martii CIↃIↃCL.

Digitized by Google

EPISTOLA XXVI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

REddita mihi eſt epiſtola tua, qua ſalvum ſoſpitemque te Hafniam perveniſſe ſignificas. Fuiſſet mihi illa, uti omnes tuae, jucundiſſima, ſi ullum voluptati locum reliquiſſet adflictiſſima Dominae noſtrae valetudo. Indicavi tibi praeterita hebdomade initium morbi, verum ita interea accrevit hoc malum, ut ne quidem explicare illud ſiccis oculis valeam. Nulli unquam vitam ita gravem fuiſſe exiſtimo, atque mihi tota hac fuerit hebdomade. Omnia ego tormenta perpeti malim, quam ut tales mihi unquam recurrant dies. Nudius demum tertius coepi deponere ſollicitudinem, ſi quidem tum certa futurae ſalutis ſigna apparuerunt. Tunc demum ſpiritum recolligere, & iterum vivere incepi: neque enim aliis illis diebus me vixiſſe exiſtimo, aut ita ſane vixi, ut ipſe neſcierim, nam & amens, & excors, & ſine ſenſu mihi fuiſſe videor, licet infinitos ſuſtinuerim dolores. Quanto tu felicior, mi Heinſi, ad quem tanti mali ſenſus non ante pervenit, quam & ſimul intelligeres, quod te ſolari poſſet. Quamvis autem non omnino abſit febris, cum tertio quoquo die revertatur, intantum tamen mitigata eſt, ut jam omne periculum abſit. Spero me ſequenti hebdomade ſignificaturum, ipſum etiam abeſſe morbum. Jam vero ut ad tuas redeam literas, gratum feceris Sereniſſimae Reginae, ſi libros *Lundii* quoquo modo comparaveris, ſi alicujus tibi eſſe pretii videantur. De libris *Scriverii* id ipſum ſignificavi praeteritis literis. Verum de ſimilibus fuſius tecum coram. Omnino enim in Hollandia te videbo, antequam huc revertaris. Habeo nonnulla, quae te ſcire velim, non quidem illa magni momenti, ſed tamen quae libenter intelliges. Literas *Caſſiani* cum faſciculis adjunctis aperui ut juſſeras. Catalogum nummorum vidit Regina noſtra. Plerique ſunt Romani, & quidem Caeſarum. Conſulares nulli, uti neque Graeci, niſi forſan altera catalogi pars, quam ſequenti promittit hebdomade, eos exhibeat. Syngrapha *Chriſtiani Meyſii* proculdubio ad manus tuas perveniet, alteram ipſe nunc tranſmitto, una cum literis *Puteani*. Hoc ipſo momento, quo haec ſcribo, redditur mihi Seneca, & literae *Gronovii* & *Rottendorfii*. Tempus nunc non ſuppetit, ut illis reſpondeam: faciam hoc ſequenti occaſione. Aliud quod ſcribam jam non ſuccurrit, niſi juſſiſſe Reginam noſtram, ut tibi plurimam nomine ſuo ſalutem adſcriberem. Vale, & mei ſemper memor eſto.

Literarum ad te faſciculum ut juſſeras, aperui, idque in praeſentia Chriſtiani *Meys*. Reperi in eo folium Claudiani, allocutionem maximi parentis tui ad Reginam, & folium complicatum, quod ſtatim judicabam eſſe epiſtolam affi-

mis

nis tui. Itaque mox obsignavi eam, tradidique mercatori huic, tibi remittendam. Allocutionem vero obtuli Reginae. Sed illa jam se eam vidisse, te ostendente, mihi significavit.

EPISTOLA XXVII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

MUltum gaudeo, quod catalogum transmiseris MS. codicum, qui adservantur in bibliotheca Ducis Holsatiae. Videram olim magnam eorum partem, sed propter festinationem ipsa etiam nomina exciderant. Vellem etiam misisses catalogum librorum *Lundii*, quem promittis. Nondum occasio sese obtulit, ut de eo alloquerer Reginam: vix enim est hora, quod mihi tuas literas adtulerit *Meissius* noster. Reliquam partem catalogi nummorum transmisit *Puteanus*. Litteras ejus mitto. Catalogum ipsum vel mecum feram, vel per primum nautam transmittam. Regina nostra adhuc decumbit tertiana, spero tamen eam jam extra periculum versari. Plura ut tibi scribam, tempus non permittit. Sequenti hebdomade pluribus tecum agam. Vale, Dn. Silvercronium plurimum meo nomine salutes.

EPISTOLA. XXVIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Romam.

AD singulas tuas hactenus respondi, Heinsi clarissime. Ad illas tamen, quas priori a te accepi hebdomade aliquanto λακωνικώτερον, quam ad reliquas, si bene memini. Omnes vero tuas ostendi sereniſſimae Reginae, & gratae admodum fuerunt, illae vero gratissimae, quas postremo exarasti, quibus subjunxisti indiculum meliorum codicum Bibliothecae Bremensis. Vides me non falsum fuisse, qui tibi jam olim retulerim armarium illud, quod contineret libros MSptos *Goldasti*, non esse valde magnum, sed tamen optimis libris refertum. Ego certe longe majoris eos facio, quam illos, quos vidisti in Bibliotheca Ducis Holsatiae, licet longe plures sint numero. Quod autem postulas, ut tibi Catalogum transmittam librorum Chymicorum, qui exstant in bibliotheca Dominae nostrae, in eo sane vix possum tibi morem gerere. Quid enim merui, ut me ad metalla damnares? Non te fugit innumerabilem esse librorum talium copiam, quorum vel index magni instar libri sit futurus. Cui & hoc addas, quod Teutonice vel Boëmice sint conscripti, quam ego scripturam non adse-

quor. Praecipuum vero quod te scire velim est illud, quod non sim Germanus. Plane ineptus sum ad talia officia, desunt enim mihi omnes istae virtutes, quae ad πιναξογραφικὴν requiruntur. De libris vero *Scriverii* allocutus sum sereniſſimam noſtram Dominam. Quodcunque optimum esse censueris, id plane tuo relinquit arbitrio. Sed verum est id, quod refers, illam nullo loco habere libros, qui hiſtoriam Belgicam adtinent. Si non possunt seorsim comparari MSpti, optimum Dominae noſtrae videtur, ut exspectes tempus illud, quo publica auctione diſtrahentur: tum enim aequiſſimo poterunt haberi pretio. Quod si diſcesseris, antequam tempus illud advenerit, possis alteri curam relinquere. At de his brevi coram, ut existimo. Regina enim noſtra jam convaleſcere incipit. Si carmen aliquod compoſueris in receptam valetudinem, proculdubio id gratum erit futurum. Vale, clariſſime vir, & magnum parentem tuum plurimum meo nomine ſalutes.

EPISTOLA XXIX.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

ET ex tuis, & ex illis, quas a cognato meo *Junio* accepi, intellexi dediſſe te etiam alias ad me literas, quae priori hebdomade reddi debuerant. Nondum tamen eae ad manus meas pervenerunt, ideo credo, quod eas *Apelbomio* tradiderit *Junius*, ille vero nautae. Nauta vero heri huc adpulit, verum quia navis ejus adhuc in portu Thalerae commoratur, nondum potui literas tuas obtinere. Spero tamen me habiturum eas vel cras, vel perendie. Quod autem iter tuum adtinet, cujus mihi rationem perſcribis, gaudeo id tibi tam feliciter ſucceſſiſſe, ſimulque deum rogo, ut tibi non minus facilem & jucundum largiatur reditum. Incluſas vero ad Reginam reddidi eodem, quo eas accepi, momento. Fuere autem ei gratiſſimae. Verum & quas ad me ſcripſiſti, communicavi ſereniſſimae noſtrae Dominae. Perquam ei placuit, quod ita ſedulam navaveris ubique operam indagandis libris & numiſmatis veteribus. Nondum ad ſingula reſponſum tibi mittere possum. Nam praeterquam quod necdum ſatis firma utatur valetudine Domina noſtra, etiam hoc accedit, quod tot negotiis, tot ſalutationibus quotidie diſtinetur, ut de talibus colloquendi vel cogitandi vix otium aliquod ſuperſit. Dixit tamen ſibi curae fore, ut oblata occaſione libros *Goldaſti* ſuos faciat. Quod autem Holſati ducis codices attinet, res erit aliquanto difficilior, praeſertim cum libris, ut ſcribis, delectetur, eoſque ſaepius eminus adſpiciat. Quod ſi ſucceſſerit permutatio illa cum *Oleario*, quem adfirmas brevi in Hollandiam venturum, jam ego multo te peritiorem cenſebo in chymia, quam illum, licet profeſſione ſit chymicus. Tu enim aurum e re viliſſima conficies, ille vero ex auro plumbum & nugas, imo nihil.

nihil. Aurei enim sunt revera codices quidam bibliothecae illius, sed hoc nemo resciverit non eruditus. At vero alii isti, quos vicissim spondebis, multo magis aurei, & illi, & duci Holsato videbuntur: nam & aurum promittunt, & auro amiciuntur; auratas insuper habent fibulas, auratas etiam imaguncu-las. Quod autem intellexisse te ais, multos exstare codices manu exaratos in bibliotheca principis istius Lunatici, id ipsum etiam aliunde intellexi. Sed & illic, ut opinor, frustra aliquid tentabis. Nam si tanto in pretio habeat ille & postillas & methodos, fieri non potest, quin curissimum ei sit, siquid boni inter libros suos esse cognoverit. Operae pretium tamen fuerit, ut adeas bibliothecam ejus, indicemque rariorum codicum tibi compares, cum non sit opus, ut multum a via declines. In Regis Daniae bibliotheca recte mones nihil reperiri praeter pulverem & sordes. *Zoeldii* Bibliotheca satis est bona, sed non tantum liberali, sed etiam prodigo egot emptore. De libris Anglicis quod nihil sperare me jubeas, id me male adficit. Pereant isti nebulones, qui, quidquid apud eos est boni, carceri emancipant. *Scriverium* revixisse ex animo gaudeo. Ejus enim generis homines merentur, ut quam diutissime posteritati suae intersint. Videris nihilominus, an vendere velit eos, quibus non amplius utitur, libros, cum & oculis orbatus sit, & ardor iste studiorum pristinus discesserit. De libris *Sinicis* & *Latii* alloquetur te cognatus meus *Junius*. Mentitur vero Livonus ille, qui dicit se in mandatis habere a Regina, ut libros illos emat. Non novit illa hominem. Nummos Siculos & Graecos *Wicquefortii* si emeris, credo id gratum fore dominae nostrae, sed de eo, & caeteris proxima te hebdomade certiorem faciam, de singulis enim dominam nostram alloquar, si occasio tulerit. Respondebo quoque illis tuis literis, quae prius tradi debuerant, quas crastino, ut spero, die accipiam. Vale, mi Heinsi, & maximum parentem tuum plurimum meo nomine salvere jubeas. IV. Maj. CIↃIↃCL. Holmiae. Postquam haec scripsissem, jussit Serenissima Regina, ut & parenti & tibi salutem suo nomine adscriberem plurimam.

EPISTOLA XXX.

NIC. HEINSIUS

Isaac. Vossio.

Lutetiam.

IN Bataviam te advenisse salvum, idque illo fere tempore, quo pedem inde moveram, proxime intelleximus. Quae quidem res ut mirae voluptati mihi fuit, cum de itinere tuo minus prospero multa hîc spargerentur, ita doleo & congressu tuo me fraudatum, & maluisse ex aliis, quam te ipso tam laetum a me nuncium intelligi. Ne arbitreris igitur silentium istud tuum laudem apud me promeriturum, loquacitate injuriam hanc vindicare statui: pluribus etiam acturus, nisi persuasum haberem, vix futurum, ut haec epistola in Galliis te de-

deprehenderet, cum conſtans rumor ſit, in eo te totum eſſe, ut brevi nobis adſis. Nudius tertius huc perlata eſt Anthologia Latina cum Appiani Illyricis, quae clementiſſimae Principi noſtrae miſeras. Perlatum etiam Balzacianorum Poëmatum exemplar illud, quod offerri a me voluerat *Menagius*. Libera igitur amicum illum noſtrum omni metu, ſi in illum forſan incideris. Multis tamen diebus tempeſtivius huc perlatum, quod ego ab Elzeviriis redemptum exemplar miſeram. Faſciculum, cujus mittendi ſpem ultimis ſuis *Sarravius* faciebat, negat ſibi viſum Domina. Tu igitur omni cura hoc age, ejus deſideriis ut reſpondeas, operamque des, ut aut faſciculus iſte, quanta fieri poterit feſtinatione, huc mittatur, aut ſi miſſus jam eſt, & in via intercidit, de novo conquiras, quicquid libellorum continebat. In Bataviam ubi reverſus eris e Gallia, memineris velim percunctari harum rerum peritos, quid Regiis ac Ducis Bucquingamii ſtatuis ac marmoribus antiquis ſit futurum, quae venalia proſtare ſunt, qui ferant. Cui hoc petam non ignoras, quo magis confido omnem a te diligentiam fore adhibendam, ut certi aliquid de re tota intelligas, nobiſque proxime impertias. In auctione Sixtinianae Bibliothecae libros aliquot pro me emerat *Junius* noſter, quos apud illum diſcedens reliqui, quod negaret de pretio eorum ſatis certo ſibi conſtare. Petebam igitur, ut expenſas in ſchedulam conjiceret, *Goeſioque* una cum libris traderet, illum ſatisfacturum. Quid factum ſit neſcio, ſcribit tamen *Goeſius*, caeteros a ſe libros nautae poſt diſceſſum meum traditos, illis tamen exceptis, quos *Junius* non miſiſſet. Pariſiis ſi incides in Gutherium de Jure Pontificio, Paſchalium de Coronis, Schioppii ſuſpectas lectiones, Lambecii notas in A. Gellium, tum Triſtani ac Sirmundi exiguam diſſertationem de nummis antiquis a Cramoiſio nuper editam, eos libros ut mihi compares rogo, de pretio nihil perdideris. Catalogum numiſmatum Romanorum ab *Equite Puteano* miſſorum videre vehementer geſtio, quem avexiſſe te intelligo. A *Gevartio* litteras tandem accepi, negat impetrari a *Moreto* typographo poſſe, ut codices ſuos manu exaratos vendat, vides itaque nihil hîc ſperandum. Apud equitem *Wouwium* Hagae vidi paucis, antequam e patria diſcederem, diebus libros aliquot ſcriptos, ſed qui ad Hiſtoriam gentis noſtrae potiſſimum pertinerent. Duo inter illos extabant codices ſatis vetuſti, e Monaſterio Egmundano deprompti, quorum alter ſcholiaſten Lucani antiquum, alter Aululariam Plauti verſibus Elegiacis expreſſam, aliaque quaedam contineret. Eos aliis libris facile permutabis, cum a poſſeſſore non magni fiant. Haec feſtinans, cum comitiis ſpectandis intentus fuerim, quorum hodierno die auſpicium. Vale, & amicos communes ſaluta. Holmiae CIↃIↃCL. v. Julii Juliani.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXXI.

NIC. HEINSIUS

Isaaco Vossio.

Parisios.

QUanquam & tabellioni nuperrime literas ad te ferendas commiserim, & vix occurrat, quod nunc scribam, scribo tamen, mi Vossi, cum certum fixumque mihi sit, eo diligentius crebriusque te compellare, quo tu diligentius taces. Dominae nostrae valetudinem loco non malo esse, hoc primum intellectu gratum ac jucundum tibi fore confido. Distinetur illa nunc quidem gravissimis occupationibus, iisque tam continuis, cum alia ex aliis negotia se ingerant, ut respirandi locus vix detur: spero tamen futurum, ut subreditum tuum intermissis studiis alacrius incumbat. De inauguratione nihil hactenus certi, ut causa deesse videatur, cur in patria aut Gallia deferendis praecipitem te praebeas. Ubi certo tempus solennis festi decretum erit, tempestive te monebo. Allatum huc esse nuncium de marmoribus Regiis ac Bucquingamianis, vaenum brevi exponendis, aut jam expositis, proxime significavi. Omni igitur cura id a te agi velim, ut in rem totam diligenter inquiras, nosque quanta fieri possit festinatione certiores facias, quid hîc sit sperandum. Sarcinae meae proximis diebus in hunc portum advenerunt, doleo iis additos non esse libros, quos in Sixtinianae bibliothecae auctione ut mihi compararet, *Junium* nostrum rogaveram. Nam de navi mox discessura in tempore illum monui, quo magis miror insuper ab eo habitam tam oportunam me demerendi occasionem: nisi quod facturum auguror, id quod factum non est hactenus. Congressu tuo me fraudatum in patria aegerrime tuli: erant enim super quibus compellatum te vehementer cupiebam, quaeque non ignorari tua fortassis interfuisset. Quanquam rumusculos istos hominum malignorum & contemni a te scio, & futurum, si eorum rationem habendam existimas, ut auctores facile per te deprehendantur. *Erpenium* conveni de re, quam nosti. Fassus mihi est à *Ludolforum* fratrum altero, quos *Rosenhanii* contubernales non nescis, accepisse se literas ruri scriptas, quibus indicaret intellectum sibi ex amicis, non deesse inter aulicos, qui male tibi vellent, quod Janitorem Linguarum palam traduceres. Hoc se in familiari colloquio uni mortalium *Boxhornio* narrasse, non nominato tamen auctore, a quo id hausisset, neque unquam arbitratum se futurum, ut ejus rei quicquam propalaretur, cum tui studiosissimum se profiteatur. Reginae autem nullam in iis literis mentionem factam. An suspicatus sit *Boxhornius*, a me id perscriptum, non dixerim, cum ille neget rem ulli a se relatam, meive mentionem factam: si is rumoris auctor, per imprudentiam potius, quam malignitatem peccaverit. Plura ex ipso *Erpenio* intelliges, qui testabitur in meis ad se literis nunquam te nominatum. Vique-

fortianorum nummorum, qui Graeci omnes sunt, numero quadringenti maxima ex parte argentei, catalogum tibi exhibebit *Silvercronius*. Vide, quaeso, an operae pretium futurum sit ut redimantur: magni omnino a possessore fiunt, & meo quidem judicio pluris, quam merentur. Si ante iter Gallicum compellatus a me esses, rogassem, ut quocunque pretio Parisiis comparasses mihi Thesaurum Linguae Latinae Lugduni anno saeculi superioris septuagesimo, ni fallor, tertio editum. Apud nos enim nullo modo haberi potest. Prostat quidem in officina Jansoniana exemplar, sed quod multis locis sit mutilum. Quid sperare nos jubeat *Gevartius* de *Moreti* manuscriptis codicibus proxime perscripsi, idem aurem mihi vellit de Manilii prima editione, quam sibi a te promissam, nec oblatam queritur. Ovidii exemplaria Gottorpiana utinam excutere licuisset! Videbantur enim bonam de se spem concitare. *Sixtini* manu scripta omnia redemeris, ut spero. Habemus hîc *Conringium*, virum sane egregium, & *Christianum Ravium*. *Boeclerus* etiam in hac urbe est, cujus negotium necdum compositum. Quid apud vos aut in Gallia rerum agatur, fac sciam. Imprimis autem operam da, ut valeas. Matri tuae, praestantissimae matronae, cognato *Junio*, caeterisque amicis salutem dico. Holmiae. Anno CIↃIↃCL. Eid Juliis Julianis.

EPISTOLA XXXII.

NIC. HEINSIUS.

Isaaco Vossio.

Parisios.

TErtium nunc ad te scribo, postquam Holmiam adveni, Vossi amicissime, quanquam omnem scriptionis materiam consumpserint priores illae literae, nec occurrat quod iis addam. In statuas Anglicas ut diligenter inquiras rursus moneo. Nimiam esse Dominam in negotiis regni sui tractandis & video jampridem, & aegre fero, praesertim cum valetudine sit, ut apparet, necdum satis confirmata. De inauguratione nihil certi hactenus intelligo. Eam plerosque amplecti opinionem video, diem solenni festo statum non fore decernendum, nisi post adventum Principis Palatini ex Germania, quem brevi expectamus. Legatus Lusitanicus hesterno die huc advenit. Codicesne ullos manu exaratos secum ferat non dixerim: sciam brevi. Meos Reginae obtuli. In Gallia quid tu effeceris desideramus scire. Utinam Petavianam bibliothecam tecum feras, spem enim esse intelligo de successu. Quicquid sit, bonae frugis inanem non adfuturum nobis confido. Vide, mi Vossi, an fieri ullo modo possit, ut Ovidianos Gottorpianae Bibliothecae codices in mensem alterumque obtineas, dum illac transibis. Me quidem mirum in modum istoc beneficio devinxeris. Vale. Holmiae. CIↃIↃCL. xx. Julii Juliani.

Catalogum numismatum Romanorum quod abstulisti tecum, aut ablatum huc non

non remisisti, cum in Gallias proficiscerere, nolim factum. Nam & de nummis quid sentiam velit scire Domina, & responsum eques *Puteanus* urget, ne in alienas manus incidat hic thesaurus. Ego vero neutri possum satisfacere. Praesertim metus est ne id accidat, quod tu ac ego nolimus fieri, quorum interest, ut desideriis Dominae satisfiat.

EPISTOLA XXXIII.

NIC. HEINSIUS

Isaaco Vossio.

Lutetiam.

DE itineris Suecici successu, deque rebus, quas in his oris agam, scripsi jam non semel, mi Vossi: tibi quid evenerit ab eo, quo hinc discessisti, tempore non constat: nisi quod e Galliis jam reversum auguramur. De inauguratione regia nihil adhuc certi. Principem Palatinum ex Germania expectare pergimus; ubi venerit, plerique existimant fore, ut negotio finis imponatur: & certe, cum autumnus sit prae foribus, festinandum, aut solennia haec in aestatem proximam rejicienda: quod persuaderi sibi vix est, ut Regina patiatur. Quapropter hortor te, de reditu in has oras tuo ut cogites. Nam & Dominae rem gratam feceris, & tibi recte consulueris. Cum *Scriverio*, dum in Batavia essem, sedulo egi de vendendis, quos possidet, Reginae libris manu exaratis. Primo congressu exorandus non videbatur, faciliorem postea se praestitit, & nisi iter Suecicum interveniisset, de indice librorum conficiendo se cogitaturum promiserat, qui Dominae exhiberetur. Vide, quid tu apud illum possis efficere. De Ovidianis codicibus, quos Gottorpiae vidi, monui proxime. Gratissimum foret, si usus utriusque in mensem alterumque mihi concederetur. Decrevi enim Ovidio manum ultimam hieme proxima imponere; scis quid Dominae pollicitus sim. Sed haec cum commodo tuo tu videris. Plura quae addam non habeo. Tu hoc age, ut & valeas; & brevi nobis adsis. Holmiae. CIↃIↃCL. III. Kalend. Aug. Julian. Nisi quid a te literarum proximus huc ferat tabellarius, nolo quicquam a me expectes posthac praeter silentium. Nihil enim reliqui jam, de quo nunc scribam.

EPISTOLA XXXIV.

NIC. HEINSIUS

Isaaco Vossio.

Parisios.

PEtavianam a te bibliothecam emptam cum ex Domina nudius tertius intelligerem, mirum quanto gaudio perfusus sum, mi Vossi. Gratulor tibi to-

Digitized by Google

to animo rem tam feliciter confectam: quanquam non tam gratulationes quam querelae, & quidem atrociſſimae, forent expectandae, qui nulla me litterula dignatus ſis hactenus, ex quo hinc diſceſſiſti. Sed crambem non recoquo. Cum *Scriverio* velim agas ante diſceſſum de ſcriptis, quos poſſidet, codicibus Reginae vendendis: non enim videbatur ab hac re animus illi valde alienus paucis ante meum ex Hollandia diſceſſum diebus: propter feſtinationem tamen non licuit finem negotio imponere: fieri hoc a te deſiderat Domina, quo magis rem curae tibi fore confido. De caeteris jam ante ſcripſi. De Polybio Bremenſi memineris rogo, deeſt enim ſolus ferme is auctor mihi ex ſcriptoribus antiquis meliorum temporum. *Salmaſius* hodierno die huc advenit, ut audio. Libros, quos *Junius* noſter in auctione bibliothecae Sixtinianae mihi emerat, magna ex parte accepi. Miror inter illos non comparere, Piecarti Pericula Critica, Dauſquei notas in Q. Calabrum, Ferrarii in Claudianum nunquam mihi viſas, Metamorphoſin Ovidii Aldini, Plinii epiſtolas tam ex editione Caſauboni, quam Claudii Minois, ejuſdemque Minois in Auſonii Idyllia duo aut tria obſervationes. Horum enim pleroſque *Junius* a ſe emptos mihi exhibuerat, ſed ait *Goeſius*, non omnes tum neſcio qua de cauſa ſe accepiſſe. De inaugurationis die adhuc diſputatur. Ego auctor tibi ſim, ut itineri te committas, ne ſecus huc venias. Matri tuae, ampliſſimo *Beuningio*, *Junioque* ac caeteris amicis ut me commendes rogo. Extremum quod te alloquor hoc eſt. Vale. Holmiae. CIↃIↃCL. XVII. Aug. ſtilo Juliano.

EPISTOLA XXXV.

ISCAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NOn poſſim dicere, mi Heinſi, quam injucundus & ingratus mihi contigerit ille, qui paucis poſt diſceſſum tuum de te huc allatus fuit, nuntius, impegiſſe te graviſſime in palum, bis cecidiſſe in aquam, & adſtrictum glacie in tabernam fuiſſe delatum. Addebant quin etiam ſpoliatum & exarmatum fuiſſe te a nequiſſimis quibuſdam ruſticis. Sed tamen cum ſcirem gladium excedenti tibi hac urbe excidiſſe, nec viderem quomodo poſtea exarmari potueris, ſuſpicatus ſum ſtatim, animi gratia haec fingi, vel in majus ſaltem extolli. Suſpicionem meam non parum augebant lepidiſſimae illae, quae de famulo tuo narrabantur, fabellae; quomodo nempe inſcius in nives deciderit, & tamen ſe progredi exiſtimarit, quomodo deinceps, ubi errorem ſuum cognovit, in tam profundos inciderit cachinnos, ut aurigam & comites inclamare fuerit oblitus, & quemadmodum ubi ad ſe rediit, vox ei fuerit congelata: hae inquam atque ſimiles nugae, id tantum efficiebant, ut neque illa, quae de te narrabantur, crederem. Sed tamen cum & ipſe in literis Rhensburgi in Da-

nia

Digitized by Google

nia exaratis, damni alicujus a te perpeſſi facias mentionem, invitus cogor & ipſe credere ea, quae facta eſſe nollem. Spero autem reliquum itineris feliciter, & ex animo tibi proceſſiſſe. Valde itaque primos ex Hollandia nuntios exſpecto, qui me & de tuo, & de *Silvercronii* adventu certiorem faciant. Ego ex ſordibus & pulvere librorum tandem emerſi. Omnia ſiquidem jam in ordinem digeſſi, neque ſupereſt quidquam, quod Bibliothecae addatur, niſi ea tantum, quae ad ornatum pertinent. De libris *Stephanii* agam cum *Stirnhelmio*. Epiſtolium tuum communicavi Sereniſſimae Reginae, uti omnia tua facio. Porro ſi quid ſit, qua in re putes operam meam poſſe tibi eſſe uſui, utere ea pro arbitrio tuo. Vale, & ſummum parentem & ampliſſimum adfinem plurimum meo nomine ſalutes.

Inter literas, quas tibi remiſi, una (niſi me fefellerit manus) erat *Equitis Puteani*, vellem ſcire, nunquid ille aliquid de *Holſtenio* reſcripſerit, miror enim nondum me ab eo aliquid accepiſſe reſponſi. *Silvercronium*, rogo, plurimum meo nomine ſalutes, ſcribam ad eum proxima occaſione. Vale & me amare perge. XV. Martii. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA XXXVI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

ACcepiſſe me priores tuas literas, quas in Holſatia ſcripſiſti, jam ante duos tibi ſignificavi hebdomades. Quamvis autem longe fuerint gratiſſimae, multo tamen gratiores & jucundiores fuere iſtae, quas ante horam demum tradidit mihi *Wullius* noſter. Ex iis ſiquidem certior factus ſum, ſalvum te & ſoſpitem in Bataviam rediiſſe, de quo valde eram ſollicitus, cum propter adverſam tuam valetudinem, tum etiam propter vulnus, quo te in itinere adfectum eſſe intellexeram. Valde quoque amo te, quod tam multa docueris me ad rem literariam pertinentia, quae quantam mihi legenti voluptatem adtulerint, nunquam ſatis poſſim exprimere. Bibliothecam *Stephanii* quod adtinet, de ea nihil certi poſſum reſcribere. Exſpectat Sereniſſima Regina ex Gallia aliquot Bibliothecas ſatis inſtructas libris editis, inter quas etiam erit illa, quam noſti, *Memmii*, quae ubi huc una cum aliis advecta fuerit, tum, ut puto, minime indigebimus illa *Stephanii*. Obſervationes antiquarias *Vlitii* valde avide exſpectabo, neque dubito, quin erunt gratiſſimae Dominae noſtrae. Sed ex quo tempore *Gronovius* noſter Hiſtoriae Eccleſiaſticae animum adpulit? Certe nihil a quoquam unquam minus, quam ab hoc amico noſtro talis argumenti ſcriptum exſpectaſſem; non quod exiſtimem ingenium ejus minus eſſe aptum ad ſacras, quam ad alias materias pertractandas, quid enim de illo credere non poſſimus? ſed quia arbitrabar illum haec ſtud a in ultimam aetatem

sepoſuiſſe, nec ita celeriter tranſire potuiſſe a Caeſare, Livioque ſuo, ad illos ſcabrae eloquentiae & injucundae hiſtoriae compilatores. Admodum itaque me beaveris, ſi tuo beneficio libellum iſtum quamprimum videre poſſim, illudque pro certo habeas me quidem ſcriptum *Vlitii* valde expoſtulare, illud vero *Gronovii* ardenter deſiderare. Manilium ex prima editione quamprimum mare ſit navigabile tibi tranſmittam, ut eum tradas *Gevartio*. De *Scriverii* MSptis vellem aliquid certi nobis reſcriberes. Valde puto gratum fore Dominae noſtrae eorum catalogum, ſi iſtum poſſis nanciſci. De *Boxhornio* miror quod ſcribis. Illius ſane me miſeret, poſt tam longum morbum nondum tamen convaluiſſe. Theocritum jam tranſmiſiſſem *Elzevirio*, ſi per me ſtetiſſet. Sed exemplar illud, quod cum variis codicibus contuleram, cujuſque orae annotata mea commiſeram, in itinere Ubſalienſi perdidit ſereniſſima Regina. Novi hinc nihil poſſim reſcribere; noſti enim ingenium meum, quam id ſit parum rerum novarum cupidum. Si tamen aliquid dignum auribus tuis impoſterum intellexero, faciam te ſemper certiorem. Vale, mi Heinſi, talemque meum erga te animum eſſe ſcias, ut amantior eſſe non poſſit. CIↃIↃCLI. IX. Aprilis ſt. N.

EPISTOLA XXXVII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NOn poſſum dicere, mi Heinſi, quam gratae & jucundae Sereniſſ. Dominae fuerint literae tuae. Significaſſem id jam tibi priori hebdomade, ſed cum mihi paululum tantum ante diſceſſum tabellarii tuae fuerint traditae, coactus ſum in hunc diem id differre officii. Animus autem fuerat facere hoc verbis quam plurimis, ſed cum mihi plures hac ipſa luce exarandae ſint literae, praeter inſtitutum cogor eſſe quam breviſſimus. Scias tamen & vultu & verbis ſignificaſſe optimam Principem, gratiſſimas ſibi fuiſſe literas, gratiſſimas quoque futuras quaſcunque ad eam impoſterum ſcribes literas, & tanto quidem gratiores, quanto crebriores. Verum & illam, quam ad me dediſti, epiſtolam ei legendam exhibui, una cum apographo literarum *Gronovii* noſtri. Addidi quin etiam preces meas, & juſtitiam poſtulati amici noſtri quantum potui commendavi. Libenter illa me audivit, promiſitque ſeſe non tantum in hoc negotiolo velle ſatisfacere *Gronovio*, verum etiam libenter decuplo majora praeſtituram fuiſſe, ſi poſtulaſſet. Verum audi nunc, quare non ulterius progreſſus ſim in hoc negotio. Acceſſit me aliquoties ille, qui huc ab Hamburgenſi Eccleſia eſt miſſus, is me obnixe rogavit, ne pergerem quidquam pro *Gronovio* ſollicitare, neque enim ullum eſſe periculum, ut ipſe canonicatum perdat, ſi caeteri retineant. Quod ſi vero caeteris is adimatur, tum me poſſe pro illo ſollicitare, quod ſi nunc fecero, id nullum ipſi adferet emolumentum, caeteris vero

vero dammo & detrimento erit maximo. Ita quidem ille, verum ego animadverti illum admodum metuere, ne sereniſſima Regina prae affectu, quo *Gronovium* noſtrum proſequitur, plus ipſi, quam caeteris Canonicis conferat ex iſtis bonis Eccleſiaſticis Hamburgenſis Eccleſiae. Vellem certior fieri quid *Gronovio* noſtro animi ſit in hoc negotio, & quid a me fieri deſideret. Iſta autem jactura temporis nihil ei poſſit afferre detrimenti, ſi quid enim ſit, quod vel ipſi, vel matri ejus perierit beneficii, id ei etiam cum lucro compenſabitur. Petat modo quod velit, ſpero eum non fruſtra petiturum. De mea vero ergo ipſum voluntate, ne patiare rogo ut dubitet. Vereor enim ut perpetua mea negligentia in cauſa ſit; ut aliter de affectu meo exiſtimet quam exiſtimare debeat. Liber *Miltoni* heri huc eſt allatus. Exemplar meum petiit a me Regina. Ipſe non niſi curſim dum perluſtravi. Nihil tale ab Anglo exſpectaram. Et certe, niſi me animus fallit, placuit quoque, uno tantum excepto, incomparabili noſtrae Dominae. Dicit tamen *Salmaſius*, ſe perditurum auctorem cum toto Parlamento. Vale, & me ama. raptiſſime XII. April. CIↃIↃCLI.

Vid. Epiſt. *Heinſii* ad *Gronovium* CCXIV.

EPISTOLA XXXVIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

SI non melior eſſet illorum, de quibus ſcribis, ratio, Heinſi praeſtantiſſime, quam ſit tua, qua me negligentiae convincere conaris, valde ego me ab omni culpa immunem eſſe exiſtimarem. Siquidem cum ad omnes tuas reſponderim, nec pauciores reddiderim, quam a te acceperim literas, non video quomodo mihi illud, quod fingis, crimen poſſis objicere. Non diffiteor merito de me conqueri poſſe alios nonnullos, quod toto fere anno vix ſemel eos compellem, quibus tamen me obſtrictiſſimum eſſe & ſcio & agnoſco, ſed uti illi recte me reprehendere poſſunt, ita tu injuſte mecum agis, quod adfectatam neſcio quam negligentiam mihi exprobres. Scias, mi Heinſi, me ne ex bonis quidem operibus (ſi quae a me proficiſci poſſint) aliquam velle captare laudem, ne dum ex iis, quae palam ſunt vitioſa. Quod omnibus non poſſim amicis ſatisfacere, non id meae imputandum voluntati, ſed ſorti & humanitati communi, quae non patitur, ut erga multos ſimus officioſi. Saepius igitur cum mihi plures redduntur epiſtolae, quam ut omnibus reſpondere poſſim, hoc me pacto expedio, ut neque his neque illis quidquam reponam. Huc accedit quod tanto aliquando ſcribendi laborem taedio (licet hoc forſan mireris, cum me quam rariſſime ſcribere exiſtimes) ut vel per integrum diem remos ducere vel piſtrino tradi malim, quam vel pauliſper calamum arripere. Quod ſi

hanc

hanc pigritiam aut negligentiam esse dixeris, habeas hoc tibi responsum, non esse pigrum eum vel negligentem, qui gravissimo malit operi insudare, quam ei, quod levissimum est facillimumque. Ut paucis absolvam, nimis mihi otiosus esse videor, cum literis ad amicos scribendis vaco. Verum ut injucunda haec missa faciamus, habeas tibi persuasum velim quartum me nunc ad te scribere. Prioribus meis literis respondi iis, quas tu Rheinsburgo in Dania ad me misisti. Duabus dein hebdomadibus serius iterum ad te scripsi. Elapsa vero proxime hebdomade respondi duabus tuis, licet raptim & festinanter admodum. Nunc ad postremam tuam venio epistolam. Quamvis in ea non unius criminis reus a te peragar, non dubitavi tamen & illam quoque more meo communicare sereniſſimae Reginae. Gratas autem admodum ei esse pleraſque tuas literas, ex prioribus meis jam intellexeris credo. Quod *Elzevirium* porro monueris, ut pleraque ea, quae in lucem prodeunt, modo alicujus sint momenti, huc transmittat, pro eo gratias ago maximas. *Miltoni* apologiam] pro Parlamento suo priori accepimus hebdomade. Legit istud scriptum incomparabilis noſtra Domina, & nisi fallor, valde ei placuit. Certe & ingenium istius viri & scribendi genus multis praesentibus collaudavit. *Salmasius* jam sese ad respondendum accingit, quamvis necdum a diuturno morbo convaluerit, ira tamen satis ei suppeditabit roboris & armorum. *Menagii* origines statim, ut accepi, obtuli Sereniſſimae Reginae, nec tamen sponte, sed ita ea postulante & volente. Ubi eas recepero, non praetermittam gratias agere auctori, quantas debeo. Verum & *Gronovii* lectiones & observationes Ecclesiasticas etiamnum habet Sereniſſima Regina. Interim valde te amo, etiam hoc nomine, quod mihi tuum transmiseris exemplar. Nam illud, quod ad me misit ipse *Gronovius*, nondum comparuit. *Sirmondi* historiam poenitentiae publicae, & disquisitionem de azymo misit ad me *Sarravius*. Percurri jam ea opuscula, & valde miratus sum libertatem ejus in scribendo. *Scriverium* si videris, rogo meo nomine plurimum salutes. Vellem scire, quid cum suis facturus sit manuscriptis, quibus imposterum, ut puto, non utetur. Vellem eos Sereniſſimae Reginae venderet. Non dubito quin gratiſſimam ei rem praestiteris, si catalogum eorum transmittas. *Gronovio*, *Schelio*, *Rubenio Gevartio*que, plurimam rogo salutem a me denunties. Idem rogarem ut faceres Ampliſſ. *Dubletio*, *Beuningioque*, sed me fere pudet tralatitio eos more salutare, ad quos creberrimas dare debueram epistolas. Brevi, ut spero, omnibus me exsolvam debitis, interim rogo, mi Heinsi, ut noſtri memoriam & amorem & tecum & apud alios, quantum fieri possit, conserves. Vale. CIↃIↃCLI. XIX April.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XL.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

PLacet Sereniſſimae noſtrae Reginae, ut quamprimum te ad iter Italicum accingas, Heinſi clariſſime. Juſſit itaque illa, ut tibi ſignificem, gratiſſimum ſibi fore, ſi pleraque, quae tibi in Batavis agenda ſuperſunt, negotia quam citiſſime expedias, & te viae committas. Mavult autem nunc Domina noſtra, quod & ipſum quoque te malle exiſtimo, ut per Galliam iter inſtituas. Cauſa haec eſt, quod univerſam Cardinalis *Mazarini* librariam ſupellectilem comparare ſibi in animo habeat. Proſtat illa venalis, niſi fallant nos literae Pariſienſes. Quod ſi verum ſit, nullum eſt dubium, quin aequo admodum pretio tam vaſta poterit emi bibliotheca. Hoc ſi bene ſucceſſerit, opus non erit, ut impoſterum Domina noſtra de libris editis ſit ſollicita, cum illic ſit quidquid fere boni malique unquam in lucem prodierit, poſtillas tamen excipio, non enim, ut noſti, nomen merentur librorum. Sumtus vero & ad redemtionem bibliothecae, & ad iter tuum Italicum neceſſarios exhibebit, quem noſti, *Bidalius*, cui id jam in mandatis datum. Virum vero ſummum parentem tuum quod adtinet, ejus, ut opinor, facile impetrabis adſenſum, praeſertim cum norit iter hoc non fore tibi inhonorificum aut damnoſum. Verum & hoc quoque eum movere debet, quod nunquam tibi melius ſit, quam cum peregrinaris. Jam vero quod & ipſum quoque apud eum non parvi fore momenti exiſtimo, hoc eſt, quod incomparabilis noſtra Domina deſideret, ut quamprimum iter tuum abſolvas, ut brevi poſſis & ſe, & parentem reviſere. Atque haec ſunt, quae juſſu ad te Dominae perſcribo, caetera ex Bidalio, & ex literis, quas ſequenti ad te ſcribam hebdomade, intelliges. Vale, vir praeſtantiſſime, & ſummum parentem tuum plurimum meo nomine ſalutes. XXVI. April. CIↃIↃCLI. Stocholmiae.

EPISTOLA XLI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

QUinque a te accepi literas, ipſe vero nunc ſextum ad te ſcribo. Ultimas tuas heri mihi adtulit *Wullius* noſter. Valde illae fuere bilioſae, & vanis plenae ſuſpicionibus. Scriptas a te fuiſſe puto dum febricitares.

Digitized by Google

Quod enim existimas a me & [1] *Mercera* fuisse confictas lepidas istas de itinere tuo fabellas, in eo valde falleris. Scias me cum *Mertera* de te aut negotiis tuis ne verbum quidem permutasse. Amicus ille, quem tibi haec significasse scribis, strenue mentitus est. Literas illi tuas legendas exhibui, ut discat imposterum aut minus esse malignus, aut saltem cautius mentiri. Omnia illa, quae de itinere tuo ad te perscripsi, intellexi in aedibus *Spiringii*. Tota ejus familia hoc testabitur, & libenter fatebitur. Ne itaque *Mercerae* tribuas id, quod amicis, & quidem amicissimis tibi, est imputandum. Jam vero quod me jubeas certiorem facere *Merceram* calamitatis tuae, quaeso, ad hoc alios elige nuntios. Literas illius ad pictoris cujusdam Galli conjugem quod attinet, quibus a me communicatas sibi fuisse ait nescio quas narratiunculas famae suae noxias, ac hoc me nomine laudet, eas sane non moror. Et illius laudes & tuas propterea reprehensiones juxta pono. Quamvis non addideris, quidnam id esset, quod confabulatrici suae perscripserit, satis id tamen possum conjicere. Cum hîc tota urbe spargeretur illud, quod de *Riveti* conjuge & mihi & aliis narrasti, illa me tanquam ejus rumoris auctorem insimulabat. Ego hoc falsum esse respondi. Ad haec illa, igitur *Heinsius* est, qui haec sparserit. Bene, esto, inquam, dummodo ego non sim. Ille enim est inimicus vester, ego vero amicus, itaque ab illo possis merito suspicari hos & similes spargi rumores, non autem a me. Vellem scire, mi Heinsi, quid hîc reprehendas. Valde enim mihi videris indignari, sed an cum ratione aliqua, de eo valde dubito. Esto, ut aliquid ipsi retulerim, quod a te haberem, quod tamen verum non est, quid mali in eo, ipse quippe negas arcanum id fuisse: arcanis enim apud me locum non esse, idque te probe scire. At vero, mi Heinsi, ipse fateris me multa in sinum tuum effudisse, & tanquam arcana tibi commisisse. Vide igitur quanto ego amicior tibi fuerim, quam tu, qui nihil mihi credideris. Ipso itaque te confitente ego te prodere non possim, cum nihil mihi commiseris; tu vero jactas te habere a me, quod prodas. Si itaque velis esse proditor, per me licet, ego tibi istam non invideo gloriam. De imperio in me *Mercerae* quod narras, id non minus lepidum est caeteris tuis nugis. Taedet illis immorari; itaque iis omissis ad ea deveniam, quae ut tibi significarem jussit serenissima Regina. Priori hebdomade indicavi tibi voluntatem & desideria Sereniss. simae Reginae. Non dubito, quin eae tibi literae recte tradentur. Valde autem cupit, ut negotium illud de emenda *Mazarini* Bibliotheca dissimuletur. Quod si illa necdum venalis prostet, gratum erit Dominae nostrae, si rem commiseris *Bidalio*, ipse vero quamprimum in Italiam proficiscaris *Alexandrum* si tecum ducas, & hoc quoque non ingratum erit Sereniss. simae Reginae. De catena aurea trecentorum ducatorum scripsi ad Dominum *Silvercronium*. Neque dubito, quin is tibi communicabit literas illas. Attamen si jam per *Bidalium* Venetiis mavelis conficiendam curare, tuo hoc permittitur arbitrio. Caetera sequenti hebdomade. Vale, III. May. CIↃIↃCLI.

1 Uxore Salmasii.

EPI-

EPISTOLA XLII.

NIC. HEINSIUS

Isaaco Voſſio.

Holmiam.

DOrdraco nudius tertius redux, quo ante dies aliquot profectus eram, ut cognatos ſalutarem, offendi hîc orationem *Ferrarii*, quam vides, panegyricam, incomparabili Reginae inſcriptam, Patavio recens per tabellarios allatam: eam mittendam tibi exiſtimavi, ut, ſi tanti videatur, in Auguſtas manus perveniat. Non defuere forſan alii, qui me praevenerint. Pertinere tamen ad me iſtam curam arbitratus ſum atque id officium, ut ſi per viarum ambages non liceret mihi primo eſſe, diligentiae ſaltem meae ratio tibi conſtaret. Errores, qui irrepſere ſatis multi, per te corriges: quos & ego jam ex parte correxi. Placuit, fateor, non leviter id ſcriptum, bis terque jam à me relectum, typis etiam deſcribendum in hac urbe curaſſem, niſi mitti ad vos conſultius credidiſſem. Nihil in illo reprehendit *Boxhornius* noſter, praeter nimiam antiquitatis aemulationem, quam ego nimiam vix poſſe reprehendi exiſtimo. Editionem ejus novam ſi Janſonianis typis procuraris, recte feceris. Hoc certe officii tui videtur eſſe, ut, cum ipſe nihil hujus argumenti hactenus moliaris, qui & omnium optime id poteras praeſtare, & maxime debebas, alienae ſaltem pietatis laudem ne patiaris obſcurari. Ampliſſimus vir *Johannes Foreſtus*, in ſupremo hujus reipublicae ſenatu conſiliarius, ut noſti, Graecis ac Latinis litteris non perfunctorie tinctus, indicabat nuper, ante menſes tres, & quod excurrit, *Viquefortio* litteras ſe tradidiſſe mihi inſcriptas, quas ille Holmiam ad *Canterſteinium* miſerit: eidem faſciculo epiſtolam & verſus inſertos, quibus Reginam compellaret. Faſciculo iſti quid factum ſit hactenus ignoramus, cum neque *Viquefortio* reſpondeat *Canterſteinius*, nec inſcriptas mihi litteras huc remittat. Exequias Turni idem *Foreſtus* luculento nuper carmine celebravit, quod ille ſupplementi loco, ad exemplum *Maphaei Veggii*, editioni Virgilianae alicui velit attexi. Editionis curam cuidam ex clientibus ſuis, Rectori, credo, Scholae Hornanae mandarat: quam in ſe recepiſſe Janſonium is poſtea teſtatus eſt, ea tamen lege, ut Reginae inſcriberetur. Excuſavit id factum multis apud me verbis *Foreſtus*, negavitque ſine typographi impulſu tale quid auſurum ſe fuiſſe. Libello ipſi quid acciderit, non ſcio; niſi quod exemplar ejus manu nitida deſcriptum Janſonio traditum intelligo, una cum dedicatione & litteris ad Reginam, cujus oculis libellum exhiberi voluerat, antequam in lucem prodiret. Haec me abſente & inconſulto jam pridem acta. Si igitur faſciculus iſte (miſſum enim a Janſonio ad vos arbitror) in Regias manus inciderit, quaeſo, intelligat ex te Domina, mi Voſſi, non eſſe mendicabulum hominis *Foreſtum*, ſed virum in ampliſſima Fortuna conſtitutum, neque egeſtatis aut

avaritiae hunc errorem esse, sed venerationis, qua senex optimus incredibili in virtutes regias exarsit. Non improbante Domina conatum ejus, poëmatium hîc aut Holmiae procudi possit. Legimus id ego ac *Kinschotius* meus ὁ μαχαιρίτης ante biennium, & probavimus. Vigor quidem, qui debebat, non semper adest: sed in sene quis hoc non excuset? Venio nunc ad tuas, quas secundas, postquam e Suecia profectus sum, accepi, ex quibus mira cum voluptate intellexi, Memmianam Bibliothecam Regii juris factam. E Stephaniana potes enotare, quicquid ad gustum tuum fecerit, postquam de tota emenda cogitationem deponis. Creditoribus enim fixum, si deesset, qui integram licitaretur, per partes fore vendendam. Si quid curatum vis ea in re, utere Danielis Elzevirii operâ, qui in Daniam nuper hinc discessit, is abunde tibi hîc gratificabitur. De Memmiana aliisque Gallicis a te emptis vellem paulo fusius ac explicatius egisses. *Vlitium* urgebo, ut observationes antiquarias pertexat. Quaesivit me hîc nuper, cum Dordracum profectus essem. Manilii primam editionem recte feceris, si *Gevartio* mittas. Scripsi illi non ita pridem, sed nihil responsi fero. Succensuisse illum mihi intelligo, quod in Poëmatio Reginae inscripto Austriacos acerbius exceperim. *Scriverius* altero etiam oculo laborare incipit: decumbentem ex podagra nuper offendebam, aderant tum *Gronovius Walliusque*: ita factum, ut de manuscriptorum catalogo aurem illi vellere non potuerim, faciam tamen id brevi. *Silvercronius* aegrotavit aliquamdiu: nunc melius habet, quem a quatuordecim diebus non vidi, nec hoc mense videbo, ut arbitror, cum Amstelodamum ac Trajectum cogitem, ac is quoque suis negotiis promovendis occupetur. Comitem *Torstensonium* e vivis excessisse, non ex te, qui nihil horum soles, sed ex aliis intelligo: comitem etiam *Petrum Biha* gravissimo cum morbo conflictari. De *Mercerae* litteris si quid acerbius mihi nuper excidit, id ex justa indignatione profectum: existimationi enim non tam meae, quam tuae isto facto perperam consuluisti, quo nihil in hac urbe notius, adeo litterae illae paucorum oculos fugerunt. Sed novas turbas excitare nolo. Virulentum *Miltoni* librum jam dudum ad vos perlatum confido. Ejus editiones quinque jam hîc vidimus: Belgicam etiam versionem, Gallicam nunc adornari ferunt. *Bruno* non semel consilium meum imploravit de itinero Suecico: sed ad *Zulichemii* domesticum oraculum a me ablegatus est. Fortunis suis quia negat satis prospectum conditione illa, quam *Junius* tuo nomine obtulit, te ipsum litteris suis ut compellaret auctor fui: eas se missurum promisit, nec mittit tamen. *Meibomius* in Musicis suis lente admodum pergit, quorum tertiam adhuc partem edendam superesse intelligo. *Tollius Cinnami* historiam Constantinopolitanam praelo cum versione sua commisit: cum transiret nuper per hanc civitatem, meque salutaret, de fratre suo mentionem injiciebat, eumque famulum in Italicam peregrinationem ut admitterem, rogabat. Ego amplius deliberandum respondi ob causas, quae te spectant. Jubet me sperare *Gronovius* noster a *Rottendorfio* Ovidianos aliquot & Claudianeos codices, quos avide expecto. Incipit enim molestum mihi esse hoc otium. Roma nihil ab aliquot jam mensibus. Effigiem Reginae, quam a *Beckio* emi, Equiti

Pu-

Digitized by Google

Puteano offerendam apud me ſervo hactenus, quod artis pictoriae periti multa in ea carpant. Oculum alterum altero majorem expreſſum adfirmant, atque alia hujus notae. Miror de exiſtimatione ſua tam ſecurum *Beckium*, tam lucri cupidum, ut, Romam ubi venerit, ludibrio haberi malit ab emunctae naris hominibus, quam aliquo loco eſſe. Habes hîc verboſam epiſtolam, cui ſi pares impoſterum deſideras, ut & tu loqui incipias neceſſe eſt. Vale Lugd. Bat. CIↃIↃCLI. die VIII. Maii. ſtilo novo. *Bouchartum* intra octiduum nobis adfuturum *Morus* modo adfirmabat.

EPISTOLA XLIII.

ISAACUS VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Laidam.

QUinque jam a te accepi epiſtolas, mi Heinſi, ex quo hinc diſceſſiſti. Iſtae vero, quas vides, ſunt octavae. Ita enim impoſterum tecum agere debeo, ne mihi ſemper, quod facis, negligentiam objicias. Mitto tibi nummum, quem una cum catena aurea trades *Ferrario*, ſimul atque Patavium perveneris. Torquem quod adtinet, de eo mentem Sereniſſimae noſtrae Reginae ſatis, ut puto, ex prioribus cognoviſti literis meis. Quod autor fueris *Gronovio*, ut iteratam Livii editionem heroinae noſtrae inſcriberet, id optime a te factum. In *Riveti* Bibliotheca nihil erit, ut puto, quod magnopere cures. Epiſtolam *Puteani* Junioris nec vidi, nec de ea quidquam potui reſcire. De *Silvercronio* varii admodum huc perferuntur nuntii, non niſi unicum ab eo accepi epiſtolium, & tamen jam ter ad eum ſcripſi. Rogo ſalutem ei meo nomine annunties plurimam. Aureum nummum ſtatim mihi ſe allaturum promiſerat *Holmius*, ſed non fecit: ſequenti illum mittam hebdomade. x. Maii. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA XLIV.

NIC. HEINSIUS

Iſaac. Voſſio.

Holmiam.

PAnegyricam *Ferrarii* noſtri orationem miſi tibi proxime, mi Voſſi, addidi & litteras ad Dominam. De oratione quid arbitreris, fac ſciam, quid ipſe ſentiam apud te tum diſſimulavi. [1] Virginis Gallicae eruditae illius quod memi-

1 In Panegyrico ipſo, video mentionem fieri pag. 361. Edit. Patavinae 1668. proluſionum, *Virginis, quae in Belgio ſexum & ſeculum nobilitat.* &c. nullum vero Gallicae virginis. an correxerit monitus ab *Heinſio* errorem neſcio. Forte confudit *Gornaeam* (de qua vide Heinſii ad Gronov. Epiſt. XCI.) cum *Schurmanna.*

Digitized by Google

minit, neſcio quam velit. Niſi *Scburmannam* noſtratem fortaſſis Gallam credidit. De choreis etiam quod addit ſub finem orationis, rem, ut geſta erat, non viſus eſt narrare, ſed hos errores multo verborum nitore abunde compenſavit vir diſertus. Mitto nunc *Rigaltianam* de Fundis populis, ſuper loco quodam Ciceronianae pro Balbo orationis, diſſertatiunculam: quanquam carere ea poteras, malo tamen nimius eſſe hiſce ſuppeditandis, quam videri deſideriis tuis aut defuiſſe, aut mearum non ſategiſſe partium. Accepi eam per tabellarios nuperrime ex Gallia. *Bouchartum* in procinctu eſſe, ut ad vos excurrat, *Puteani* ſcribunt, ſic & *Morus* credi volebat: negant tamen profecturum una cum illo *Valeſium* natu majorem, quanquam abunde illi proſpectum ſit juſſu Reginae de omnibus, quae ad iter tam longum ac moleſtum requiri videantur. *Blondellum* heri ſalutavi. Is in opere vaſto typis edendo nunc verſatur, quod ad Regum Gallicorum auctoritatem ſtabiliendam pertinet. Tomus primus jam fere abſolutus eſt, qui genealogiam Regum continet. Secundus aget de lege Salica, qua foeminae a Gallici imperii regimine capeſſendo arcentur. Tertius de primo loco inter Principes Chriſtianos Regi debito. Adeo haec cura hominem doctiſſimum occupavit, ut de lectionibus publicis cogitare hactenus non poſſit. In *Chiffletium* haec faba cuditur. Inter alios ſermones cum *Bouchartí* noſtri injecta eſſet mentio, negabat expectandum, ut vir ille ſummus ante bimeſtre tempus hac in Sueciam tranſire poſſet. Vides igitur quam incertum hoc ſit negotium. Petavianam bibliothecam jam ad vos perlatam arbitror, ſic certe factum Pariſienſes amici confidunt. De Memmiana nullus praeter te, mentionem facit. Utinam Viennenſes codices aliquo artificio juris regii fiant! De ſucceſſu non videtur deſperandum, ſi operâ Legati, qui Viennam hac aeſtate abiturus, libri iſti cum archetypis Auſtriacorum imaginibus in arce Pragana captis permutentur. Credibile enim eſt, quovis eas theſauro libenter redempturum Caeſarem. Sed tui eſt officii ea de re cogitare. Mazarinianam fore diſtrahendam rumor erat, nunc mutarunt conſilium, qui auctionem maxime urgebant: nihil igitur ſperandum. *Scriverium* bis terve conveni, ſed aut ex adverſa valetudine decumbentem, aut amicorum caterva obſeſſum, ut de re, quam non ſemel mihi commendaſti, agi vix potuerit. Nunc in ſuburbano ſuo vivit, rariuſque in civitatem excurrit. Aderit tamen, ut exiſtimant, brevi; ſin minus, in ipſa mihi villa erit compellandus. *Vlitius* fruſtra me quaeſivit nuper, cum Dordracum profectus eſſem. quod igitur coram monere non potui, per litteras agam, ut feſtinet Obſervationum editionem. Magiſtratus jam eſt reipublicae Bredanae, metuendum itaque, ne publicis occupationibus curae iſtae poſthabeantur. Ex Germania ſcribunt, *Barthium* quidem in vivis adhuc eſſe, ſed oculis laborare. Eam illum ad egeſtatem redactum non ignoras, ut libros, quos & multos & minime vulgares poſſidebat, accedentibus viris doctis venales offerat. Quapropter nihil praeter ordinem feceris, ſi manu exaratos codices, quoſcunque reliquos habet, tibi vindices. *Reineſius* inſcriptiones ineditas luci parat, notis ſuis illuſtrandas. Sperat per *Langermannum* impetrari a te poſſe, quas collegiſti. Habet nunc ſub praelo libelli neſcio quid

eri-

eristici adversus *Andream Rivinum*, Professorem Medicinae Lipsiensem, editorem Κυεγνίδων ex versione Latina, & sermonum quorundam Hildeberti Cenomannensis, si libellos forsan vidisti. Prioribus tuis duabus jampridem respondi. Tertias ante quatriduum hîc inveni, caeteris nihilo prolixiores, cum negotia & occupationes more solito causeris. Si sic pergis, fore pracvideo, ut brevi commercium istud inter nos frigeat. Tribus jam mensibus Holmia absum. Tanto tempore, si horam nullam seponere vacuam litteris ad me scribendis potuisti, quid imposterum sperare debeam facile agnosco. Quam negligentem te praestiteris in itinere Gallico meministi, quamque ego tum de omnibus, quae Holmiae agerentur, certiorem te fecerim assiduus. Servilis obsequii scis esse compellare non respondentes, quod frustra a me exigas Pudor etiam meus non patitur, ut semper loquar, tu aut pauca aut nihil reponas. Argumentum scribendi si deesse tibi queraris, injurius sis in incomparabilem Reginam, cui quotidianus ades, & cujus dicta factaque omnia non epistolis tantum, sed annalibus etiam luculentis satis superque argumenti suppeditare possint. Illa voluit, ut frequenter scriberemus alter alteri; nec ego desum hactenus; plenius etiam id facturus, si inveniam qui meo se exemplo patiatur excitari. Redditas fuisse, quas primas ad Dominam dedi, laetor. Quid ni & acceptas fuisse? Agnosco solitam in divina Principe benignitatem. Ex Miltoniano libro unicum tantum exemplar Holmiam perlatum miror: cum tria uno eodemque tempore fuisse missa sciam. Primum a *Silvercronio* ad Reginam, secundum ad te ab *Elzevirio*, quod & accepisti, tertium ab *Herebortio* Philosophiae Professore ad *Salmasium*. Est is liber in omnium hîc manibus ob argumenti nobilitatem, & jam quatuor, praeter Anglicanam, editiones vidimus: unam in quarta, ut vocant, forma Goudae editam, tres in duodecima, quarum primam *Ludovicus Elzevirius*, secundam *Johannes Janssonius*, tertiam Trajectensis nescio quis edidit: quinta in octava forma editio Hagae sub praelo sudat, ut monet *Elzevirius*. Belgicam versionem video etiam circumferri, Gallicam expectari ferunt. *Miltonus* ille quis sit non satis constat. Vidi qui adfirmarint infimo loco natum, eruditum tamen, & plebeiorum factione ad maximam dignitatem promotum. *Ludovicus Elzevirius* adfirmat, certo sibi constare; hominem esse & nobili loco natum & opulentum, a reipublicae muniis negotiisque omnibus remotum, ac sibi in rure suo viventem. Refutavit Anglico sermone Iconem Basilicam, qui liber inter Parlamentarios maximo est in pretio. Poëmata etiam Latina edidit, sed quae in manus meas hactenus non pervenerunt. Si certiora cognovero, faciam, ut ex me intelligas. *Gronovii* nostri negotium Sereniſſimae Reginae quod commendasti, optimum factum. Monui illum ea de re, ac quid fieri porro vellet percunctatus sum. Questus ille jam olim non semel mihi, cognatos illos suos non bona secum fide agere. Suspecta igitur habeas velim illorum consilia, donec ipse, quid agendum, doceat. Haec Amstelodami exarabam, quo profectus sum, partim ut sororem viderem, partim ut *Moucheronio* ad vos abiturienti valedicerem. Moratur iter ejus uxor valetudinaria, quae nudius tertius abortum fecit. Amicos omnes ut sa-

salutes rogo, *Wullenium* imprimis, *Holmiumque*, ac *Spiringianos* omnes. Vale. A. CIↃIↃCLI. XV. Kal. Junii Gregor.

EPISTOLA XLV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

CIrca finem prioris hebdomadis, mi Heinsi, adpulit huc navis, quae Petavianos, aliosque nobis adtulit codices. Venere una cum illis libri Clarissimi *Gaulmini* Arabici, ut nosti, Hebraicique maxima ex parte: pauci admodum sunt Armenici, Persici, Copticique, Graeci vero nulli omnino. Numerum vero librorum quod adtinet, is longe minor est, atque existimaveramus, si quidem in universum non superant dies unius anni. Id cum ita sit, opus non esse existimo, ut tibi rationem reddam vel temporis vel silentii mei. Verum cum videam, quam sis difficilis & morosus, vereor ne & hoc nomine magnum tibi videar commisisse crimen, quod vel semel officium meum distulerim, licet ad caeteras tuas epistolas extemplo responderim. Ego quidem, mi Heinsi, diligentiam tuam laudo, proque ea gratias ago maximas, mallem tamen minor esset illa, dummodo minus quoque mihi exprobrares negligentiam meam. Neque hoc ideo dico; quod non mihi quam gratissimae sint literae tuae, vel quod breviores a te flagitem, cum quanto prolixiores, tanto quoque mihi sint jucundiores; sed quod continuae illae de silentio & torpore meo querelae, immensum quantum minuant voluptatem, quam tuae mihi adferunt literae. Et sane quaenam est illa mea, quam fingis, negligentia? cum ad omnes tuas, ex quo hinc discessisti, responderim, aliquando brevius, aliquando etiam prolixius. Interim si quempiam hîc habeas, qui majori cura, fide, affectu & sedulitate, & literis & desideriis tuis sit satisfacturus, non ego illum tibi invideam amicum. Quod vero inquis argumentum scribendi mihi neutiquam posse deesse, cum luculentissimum exhibeant dicta omnia factaque Sereniſſimae Reginae, in eo non ego, sed tu potius injurius es Incomparabili Reginae, quum argumentum, quod vel luculentissimis annalibus, ut ais, possit sufficere, quodque non est epistolare, mihi homini, ut ipse fateris, negligentissimo velis committere. Valde ego infelicem existimarem principem nostram, si nostris illa egeret praeconiis. Quod vero dicis, me non significasse tibi mortem *Torstenſonii* & alia id genus, id libenter fateor. Si non ex aliis atque ex me imposterum intelligas ea, quae hîc aut publice aut privatim geruntur, valde imperitus eris rerum Suedicarum. Ego enim & sum, & indies magis magisque reddor hîc peregrinus. Si bis de hebdomade in publicum prodeam, vix unum alloquor. Et hoc quoque negligentiae meae tribuas licet. Sed de his jam satis: nunc ad epistolam tuam venio. Gratum admodum fuit,

Digitized by Google

fuit, quod transmiseris scriptum illud *Rigaltianum* de Fundis populis. Habet illud Serenissima Regina, ego non, nisi obiter, inspexi. Valde mihi jejunus videtur libellus. Amici illi tui, qui negant *Valesium* una cum *Bocharto* venturum, illi non recte sentiunt. Spero utrumque vel jam vobis adesse, vel brevi affuturos. Opus *Blondelli*, de quo scribis, erit laboriosius, quam utilius. Valde optarem, ut vir ille egregius, relictis illis tricis genealogicis, meliori se tandem accingeret operi, criticae nempe Sacrae, de qua aliquoties cum eo egi. *Vlitii* observationes avide exspecto. *Reinesium* moliri editionem inscriptionum ineditarum gaudeo. Libenter ei meas communicarem, si essent ad manus. Sed, ut nosti, magnam scriptorum meorum partem habet *Salmasius*, quae omnia Leidae reliquit, ipse vero hîc pauciſſima habeo; plura enim relicta sunt Amstelodami. Verum & tu quoque non pauca ad hoc opus possis conferre. Quod si feceris, & ipse quoque omnia mea exhibebo. Quod *Gronovio* significaveris ea, quae ad te scripseram, pro eo gratias ago maximas. Valde quoque gratum erit, si porro significaveris, quis & qualis sit iste *Miltonus*. Iconoclastem si habeas, rogo ut transmittas. Allocutus me est[1] *Keckius*, quem nosti. Is opera *Boecleri* excidit gratia patroni sui. Vellet is tibi itinere Italico comes haerere & inservire. Rogavit me itaque, ut hoc tibi significarem. Dixi ego existimare me te jam alium comparasse tibi, cujus in hoc itinere opera sis usurus, libenter tamen tibi significaturum. Interim ipse recta in Hollandiam, & inde Parisios tendet. Promisi me commendaturum illum diviti cuidam mercatori, cum quorum liberis possit peregrinari, si tecum non possit. Vale, mi Heinsi, & salutes plurimum omnes nostros amicos. Inter Codices *Petavii* multa sunt Ovidiana, quae proculdubio videris, verum id quod te vidisse non arbitror, est codex Fastorum, exaratus ante octingentos annos, vel certe non multo minus. IV. Junii CIↃIↃCLI. stilo novo.

1 Vid. Epistol. Heinsii ad Gronovium CCXXI.

EPISTOLA XLVI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NOn conqueror, mi Heinsi, quod tam acriter & prolixe adeo de silentio meo expostules: fieri enim potest, ut id facias amore nostri & desiderio literarum nostrarum; sed cum id tam acerbe & inusitate agas, nescio num & id ipsum quoque tuo erga me adfectui debeam tribuere. Exprobras mihi, tanquam si rem magnam ac me dignam me praestitisse existimem, quod omnibus tuis responderim literis. Atqui tales conjecturae & suspiciones locum habere non debebant in benevolo pectore, praesertim cum probe noris, me non ob aliud hoc tibi scripsisse, quam ut istud, quod mihi intentabas, negligentiae crimen a me repellerem. Jam vero quod audeam tibi affirmare, me non tan-

tum longe abesse a negligentia; sed etiam officium impleviſſe, non debet hoc tibi mirum videri. Ab eo tempore, quo hinc diſceſſiſti, vix ſcio an quatuor aut quinque neglexerim occaſiones, quibus ad te non ſcribſerim. Et non tantum tuis reſpondi, verum etiam nonnunquam ſcripſi, cum nullas a te accepiſſem literas. Quod vero mihi objicis negligentiam, qua uſus ſim erga te in itinere Gallicano, in hoc maxime te miror, cum te non fugiat, nullas me omnino a te literas in toto illo itinere accepiſſe, niſi demum reducem in Hollandiam. Atque illinc, fateberis; abſurdum fuiſſet tibi reſcribere, praeſertim cum ſperarem me citius tibi affore, quam feciſſent meae literae. Noſti omnes iſtas tuas ad manus meas perveniſſe, poſtquam demum eſſem in Suediam reverſus. Egi tum tibi gratias, quantas potui, ſatiſque ſignificavi dolere me, quod iſtum laborem fruſtra ſuſcepiſſes. Et ſane fateor me multum tibi hoc nomine debere, pluſque etiam deberem, niſi ipſe nimia praedicatione beneficiorum tuorum tibi ipſi eſſes injurius. Sed quandonam erit querelarum finis, e quibus magnam partem epiſtolarum tuarum video conſtare? Mutemus ſtylum & argumentum ſcribendi, & habebis me multo ad ſcribendum promtiorem & alacriorem. Injucunda eſt prorſus iſta conteſtatio, & ſane agnoſces me non adeo indiligentem fuiſſe, quam tibi videbar, cum iſta ſcriberes. Atque haec quidem hactenus. Nunc ad literas tuas accedo, licet ſero. Inter libros meos, quos heri demum accepi, ſi quid ſit tuum, moneas me, reſtituam quamprimum. Pro communicatione literarum *Holſtenii* gratias ago maximas. Ipſe viciſſim tibi remitto *Foreſti* literas, quas mihi tibi transmittendas commiſit incomparabilis noſtra Domina. Scripſi hodie ad illum, gratiaſque ei egi nomine Reginae pro inſcriptione operis. Gratum vero erit Sereniſſimae Reginae, ſi id in Batavis potius, quam hic lucem adſpiciat. *Salmaſius* totus eſt in meditione operis contra *Miltonum*. Lepidum eſt, quod de [1] *Graswinkelio* narras: male mulctabitur, ſi *Miltonum* adtigerit De itinere tuo in Galliam reſponſum ſequenti hebdomade exſpecto. Proculdubio enim jamdudum Hollandiam reliqueris, neque enim quidquam accidiſſe arbitror, quod itineri tuo moram injicere potuerit. De Bibliothecis *Petavii*, *Gaulmini*, & aliorum ad te priore ſcripſi hebdomade, uti quoque de codice antiquiſſimo faſtorum Ovidii. Verum & alia reperi Ovidiana inter ſcripta *Gruteri*, quae ab haeredibus *Sixtini* redemi. Faciam te certiorem de omnibus, ſimul atque ea excuſſero. Nondum enim omnia pervolvi, licet toto die heſterno nihil aliud egerim. Ea ipſa eſt cauſa, quod & hodie tardius me ad ſcribendum accinxerim. Talium enim rerum adſpectus non me minus poſſit retinere, quam te nundinarum Leydenſium adſpectus. Vale, mi Heinſi, & me ames. Raptiſſime CIↃIↃCLI. XI. Junii ſtilo novo.

[1] Vid. Epiſt. *Heinſii* ad Gronov. CCXXIII. in fine, ubi interdictum ipſi, ne contra *Miltonum* ſcriberet, narrat. ſed Epiſt. CCXXXII. edidiſſe librum ſuum ſe audiviſſe ſcribit

EPI-

EPISTOLA XLVII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

TErtius jam fluit mensis, mi Heinsi, ex quo nullam, nisi unam, si bene memini, neglexerim occasionem, qua non aliquid ad te dederim literarum. Quamvis autem non aeque omnes fuerint prolixae, tales tamen fuisse existimo, ut ex iis facile conjicere potueris, alienum me esse ab eo crimine, quo me jam toties notasti. Hac hebdomade nullas a te accepi. Credo te Hagam excurrisse, vel saltem non fuisse Amstelodami, ubi te versari intellexeram; arbitror enim, si ibi fuisses, utique non praetermisisses, aliquid reponere responsi ad literas illas, quibus tibi voluntatem Sereniſſimae Reginae, ut in Galliam Italiamque quamprimum proficiscerere, exposui. Quamvis vero non dubitem, quin jamdudum te in viam dederis, misi tamen omnes meas in Hollandiam, ad patrem tuum, qui proculdubio eas ad te perferri curabit. Quas vero imposterum scribam, eas recta in Galliam mittam. Sed vero necessarium erit, ut semper me in tempore certiorem facias, quamdiu in singulis locis commoraberis, ne aut frustra, aut intempestive te meae quaerant literae. Ea quippe tendis in loca, unde alter ab altero, non nisi trimestri demum elapso spatio, responsum possit consequi. Verum de his, ut puto, non eges me monitore; ipse enim modum, quem tenere debeam, praescribes, verum ut id quamprimum facias etiam atque etiam te rogo. *Gronovii* adversam valetudinem aegre admodum fero. At vero plus aegrotat *Graswinkelius*, si cum Anglo isto molosso, *Miltono* dico, sese commiserit. Arbitrabar ego intimam tibi cum illo intercedere familiaritatem, sed sane non videris multum ei favere; id enim si faceres, nec probares, nec permitteres ejus institutum. Rex sane Scotiae, si sapit, quovis pretio silentium ei imponet; Parlamentarii vero laborem ejus luculento etiam proposito praemio debeant juvare. De *Ferrarii* oratione quid sentiam, jam superioribus ad te scripsi literis. *Salmasius* quanti eam faciat, dicere non possim, necdum enim illam vidisse eum existimo. Ipse totus nunc est in confutando scripto *Miltoni*, cui totidem reddet convitia, nec patietur, ut a minori vel hac in parte superetur. Tu vero vicissim velim rescribas, quid judices de oratione *Valesii* nostri. Mitterem tibi exemplar, nisi crederem te jam habere, vel habiturum brevi, nempe simulatque Lutetiam veneris. Ego sane nihil quidquam in eo reperiri existimo, quod vel a fastidiosissimo possit carpi. Rerum novarum nihil ad te possim perscribere: scis enim me nec esse valde curiosum his in terris, nec quenquam nosse, a quo novi aliquid possim cognoscere. Hoc solum habeo, quod tibi significem, *Wullenii* conjugem obiisse & heri tumulo esse traditam, quod & ipsum quoque ignorassem, nisi ante aliquot dies ad funus fu-

iſſem invitatus. Verum & hoc nunc addo, *Freinshemium* & conjugem ejus eſſe in extremis. Ita adfirmavit D. *Chanutus*, qui intra paucos dies Lubecam ſeſe conferet ad tractatus, ut vocant, pacis. Tradidi illi jam olim literas tuas, uti quoque Illuſtriſſimo *Salvio:* a neutro aliquid accepi reſponſi, niſi hoc tantum, ut te reſalutarem. Fruſtra jam a te peterem, ut communes amicos in Batavia nomine meo ſalutes: proculdubio enim jam eos reliqueris. Aliud itaque jam a te peto, nempe ut ſi occurras *Bocharto Valeſioque*, omnia illis mea officia offeras; ubi vero Lutetiam perveneris, ne rogo praetermittas, quoſcunque noſtri memores & amantes inveneris, meo amplecti nomine. Dolet, quod in poſtrema peregrinatiuncula, debitum non potuerim ſingulis exhibere cultum, & obſervantiam: ſcis quam exiguo ibi commoratus ſim tempore, idque totum tamen librariis impenderim. Tu vero in omnibus me ſis fortunatior, & ſi me ames, non tantum tuo ſatisfac officio, ſed & meam, ſi quam contraxerim, diluas culpam. Caeterum ſi mea non adſpernaris vota, omnia tibi fauſta & felicia precor in hoc itinere, valetudinem proſperam, mentem hilarem, & bonam fortunam in comparandis iis, quae te jam gratum incomparabili noſtrae Reginae, longe tamen faciant gratiorem. Me vero ſcias & eſſe & ſemper futurum tui amantiſſimum. Vale. mi Heinſi. Literas *Foreſti* ſuperiori hebdomade apertas; ut vides, a Regina acceperam. Oblitus fui eas tum literis meis includere. Regina omnia tibi fauſta & felicia in itinere precatur. Juſſit ut hoc ſuo tibi nomine ſignificarem. iterum vale. Holmiae CIↃIↃCLI. XVIII. Junii ſtilo novo.

EPISTOLA XLVIII.

NIC. HEINSIUS.

Iſaaco Voſſio.

Holmiam.

MEminiſti, Iſaace Voſſi, vir clariſſime, compellatum me tibi in muſaeo meo Holmiae hyeme proxime elapſâ, cum adeſſet *Silvercronius* noſter, atque ibi inter varios ſermones injectam forte [1] *Mercerae* mentionem, cujus tu ſuperbiam & incredibilem faſtum commemorabas. Gloriari illam frequenter, & mira ſubinde narrare de ſumma familiaritate, quae ſibi cum Reginâ Bohemiae ac Principe Auriacâ matre interceſſiſſet: nota ſe ac penitus explorata habere aulae utriuſque arcana: nihil illic geri, quod ſe lateret, aliaque, quae profuſum nobis tum riſum exprimebant. Hîc tu quaerere, quicquamne mihi conſtaret de hiſce rebus? Negavi me ſcire, quo illa apud Reginam loco eſſet. De Principe non videri vera, quae jactaret. Eſſe enim delicati ac faſtidioſi ingenii faeminam, nec facillimae admiſſionis, & a moribus illius noſtrae immane quantum averſam. Narratum etiam mihi jam olim ab aulico non ignobili, conventam aliquando & ſalutatam ab illa Principem, praeſente D. *Riveti*

1 Uxoris Salmaſii.

veti uxore, quae noſtram, niſi fallor, eo deduxiſſet, cum primus is eſſet aditus: atque iis tum geſticulationibus illic uſam *Merceram*, ut judicarit poſtea morum graviſſimorum, & ineptiarum impatiens Princeps, non eſſe illam inter ſapientiſſimas numerandam, aut bene educatas. Haec fabella quia ad aures *Mercerae* delata eſt, aut a te id factum oportuit, aut a *Silvercronio*. Uter veſtrûm reus ſit mox videbimus: apparet certe mihi valde amicum non fuiſſe; nam hiſtoriam veterem ac obſoletam, mihique ab illo aulico ante annos duodecim & plures narratam, tanquam rem novam & nuperrime geſtam *Mercerae* vendidit, & ad exaggerandam facti invidiam, oſtentatas a me Holmiae palam plurimis hujus argumenti litteras, quas a Gallo quodam recentes Hagâ accepiſſem, mulieri credulae perſuaſit, quod falſiſſimum: cum nullas unquam acceperim, tantum abeſt, ut oſtenderim De *Silvercronio* non poſſum ſuſpicari, cum & bene erga me affectus ſit fueritque ſemper, nec tam plenus rimarum, ut ſoleat perpluere. De te non eſſe novum, ut amicos ſic ſolcas, facile illis perſuadebo, qui mores tuos perſpectos habent. Quanquam in auctorem harum turbarum fruſtra inquiro, quem expreſſis verbis *Mercera* nominat in epiſtolâ. Quid enim aliud ſibi vult hoc exordium? *Jé apprend par un rapport du Sieur Voſſius*. Non ait, ſe ex aliis id intellexiſſe, ſed *Voſſio*: hunc auctorem nominat. ex aliis jam ante aliquid iſtius rei ſi intellexiſſet, cur in te rei totius invidiam derivavit? Ex aliis quidem id antea illi intellectum tu adfirmas, ſed & ſic teneris. Alii enim illi te rumoris ſparſi auctorem nominarant, quare & jure tecum expoſtulavit *Mercera*, ut fateris ipſe. Bis ergo peccaſti, qui & apud alios me prodideris primo, & poſtea apud *Merceram*. Nam ſibi apud quemquam ejus aliquid rei excidiſſe negat *Silvercronius*, & perſuadet. Narratione igitur iſta tua hoc effeciſti, ut meam & caeterorum amicorum de te confirmaris opinionem, qui exiſtimamus, arcanis nullum apud te locum eſſe: deinde viris in hac urbe honeſtis tam firmiter perſuaſum eſt, ut avelli ſuſpicio non poſſit, occultum te mihi hoſtem eſſe. Quod eo illi magis mirantur, cum benigniſſime me ſemper & honorifice de te loquentem adiverint. Exiſtimationem etiam tuam ſciant tam acriter contra plurimos oppugnantes, qui facto quaſi agmine in te irruebant, neſcio qua de cauſa, & ſuperiori, cum e Suecia huc reverſus eſſem, & hoc anno a me defenſam, ut fraternam non magis poſſem. Quo in inſtituto, quia optime ſucceſſit, & plurimum laudis mihi conciliavit hactenus, pergam alacriter impoſterum, teque tuo relinquam ingenio. Dixi quidem illis, nunquam ſilentii fidem a te exactam mihi: ſed vel ſic tuarum arbitrantur partium fuiſſe, abſenti amico non nocere. Garrulitatem iſtam nulli non pudendam eſſe, iis etiam, qui in aula verſantur, pernicioſam. Huc accedit, quod non cum *Mercera* tantum, quod leve, abſentem commiſeris, ſed cum *Riveti* vidua, quam ego mariti ſui nomine (ab illo enim quamquam ignotus, dum viveret, amabar) veneratus ſemper ſum, & quod omnium peſſimum, cum Principe Auriaca: hoc juſtiſſimae indignationi omnem occaſionem dedit. Sed iis turbis tu ac *Mercera* nunquam efficietis, ne verum ego dixerim. Negat unquam a ſe compellatam Principem praeſente *Riveti* uxore. Meminerit, quaeſo, a qua ad Prin-

cipem primo sit deducta. Sin minus, haec jam illius culpa est, a quo id accepi, non mea; quare compellabitur a me, ubi Hagam proxime excurrero, nec negabit sat scio rem gestam. Poterit & nominari, si res sic ferat, & defricandus objici *Mercerae*, ea tamen lege, ut & mihi liceat lege agere in duos illos professores, quos testes laudat de caede in mariti caput a me excogitata; qua de re oportune a te sim admonitus. Vides quantas in molestias te praecipitaris. Quod porro de odio meo Vatiniano queritur in illa epistola, quam ego totam legi, ne dubitare possis, aut febricitare me credas; qui innocentissimum animal fraudisque ac doli inscium, qui miserrimam faeminam, & vix unquam mihi visam, exagitandam sumpserim, miror impudentiam ejus. Illi ergo licebit palam & ubique existimationem meam inter notos ignotosque proscindere, (quod Leidae semper, Holmiaeque nuper fecit promiscue) mihi non licebit illam, quae sic insaniat, pro fatua habere? Nam hinc illae lacrymae, hinc turbae omnes. Neget se de universâ Batavorum gente benignius locutam palam in conviviis circulisque, cum Lutetiae esset, & tum vicerit. Denique eligamus amicos nostros arbitros utrimque, iisque judicandum relinquamus, uter nostrûm, omnibus bonis ac honestis oblatret ac obganniat, uter censuram in mores ac vitam gentium, regum principumque, quorum munificentia alamur, exerceat, uter beneficiis acceptis animum ingratum reponat, si ego is esse arguor, tum triumphet ac exultet *Mercera*, ego vapulem. Venio nunc ad Apologiam tuam, mi Vossi: ac primo quidem suspicionibus ac bili nimis me addictum reprehendis, deinde quereris, quod non aperiam dilucide, quid velim, de turbis a *Mercera* excitatis, quas tamen diluere conaris. De suspicionibus miror, qui turpissime deprehensus sis. Agnosco historiam te praesente narratam, laudat te testis *Mercera:* legi epistolam ab illa scriptam. & tamen suspicionibus indulgeo. Utinam vero tu non indulgeres? Nam quod ego querebar fabellas in Salmasianis aedibus non sine tua ope excogitatas, de iisque ab amico me monitum: tu *Wullenium* interpretatus es amicum; si dixissem e Suecia id ad me perscriptum, de *Wullenio* suspicari poteras, quamquam nec ille solus ad me scribat: ab amico me monitum dixi. An ignorabas igitur, *Gerium* hîc esse cum duobus filiis, esse *Trippium*, esse *Silvercronium*, esse chirurgum Reginae, ejusque fratrem, atque alios, qui aut recentes ex Suecia tum advenissent, aut qui frequentes inde litteras acciperent, ex quibus id haurire potui? Pergis profecto sine causa injurius esse in virum optimum, nec unquam male de te meritum. Sancte enim testor, nullas adhuc ab illo ad me perlatas litteras, cum ista scriberem. Bilem etiam frustra in me reprehendis, qui tot conviciis immerentem premis *Wallenium*. Caeterum quidquam esset, quod ad confabulatricem perscripserit *Mercera*, non addidi accurate, fateor. Quod augurarer conscientiam suam id abunde tibi suggesturam. Nec conjecturae fallus fui, quod obnoxium tanto magis te culpae arguit, cum jam nullo negotio divinare potueris, quid vellem. Non febricitavi igitur, cum ad me perlatum est, functum te officio hominis minime amici, valeo enim, nec quicquam mihi negotii cum febre est, postquam in patriâ aetatem ago. Utinam, mi Vossi, non majori jure febrem istam lentam, & quidem perpe-

petuam, amici uno in te ore reprehenderent! Denique non hoc volui, cum nullum apud te arcanis locum esse exprobravi, nihil a me commissum tibi unquam fuisse, sed magno meo malo me expertum, tuto nihil committi tibi posse testatum volui. Multa sunt, quae nos conjungere arctissimo vinculo debebant, Sereniſſimae imprimis Reginae auctoritas, quae non semel hoc imperavit, & cujus tu mandata religiosius observare debebas. Cum multos mihi ex amicis propensissimos experiar, unus tu tamen inter omnes, cujus affectum precibus lacrymisque tantum non supplex, quod alius frustra speraret, in me derivare contendi: idque frustra. Poteram isto obsequio barbaros quosvis demereri: te non potui. Cum monerem libere multa, ut amicum decebat, indignatus es: cum monenti ego gratias semper egerim. In faciem multa tibi exprobrabam, quae excusabam apud alios. Hoc amici est officium. Pergam mei similis esse, nec committam unquam, ut malignum mihi animum sodalium quisquam possit objicere. Cum *Mercera* si unquam bene tibi conventurum putas, falleris: saepius hoc monui. Vive tamen cum illa concorditer, aut litigare perge, dum modo nexu vestro ego non constringar. Taedet harum nugarum, quas proinde abrumpo. Vale.

EPISTOLA XLIX.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

CRedo, mi Heinsi, jam dudum id te agitare, ut cum scias me omnes tuas Sereniſſimae Reginae legendas exhibere, quod & discedenti tibi promiseram, & postea literis iterum confirmavi, tu tam pulcra utaris occasione, qua omnia mea crimina retegas, & hoc me pacto invisum facias apud omnium optimam benigniſſimamque Principem. Si tam callidum tibi placeat commentum, non video quo pacto possis profiteri illum, quem toties & ad nauseam usque jactas, amorem erga me & benevolentiam. Nam si amicorum honor & fama apud quoscunque etiam tuenda est homines, quanto magis id apud illos fieri convenit, quorum in manibus spes & fortuna eorum sita & collocata est? Gloriaris te existimationem meam apud nescio quos Leidenses tuos acriter defendisse; at vero quisnam iste est perversus affectus, velle meam causam agere apud eos, qui aut parum aut nihil omnino laedere me possunt, eam vero oppugnare & prodere apud illam, in qua non spem tantum & fortunam, verum & honorem, famam, salutem, vitam, omnia denique mea posita esse decrevi. Nisi enim hoc agere volueris, quo pertinent tot crimina, tot exprobrationes, tot siniſtra de me aliorum judicia, a te in unum congesta, cum in superioribus, tum in postremis tuis potissimum literis? Ne tamen existimes

mes gratis te ea vel finxiſſe, vel ab aliis conficta huc tranſmiſiſſe, ad ſingula tibi quam breviſſime reſpondebo. Commemoras primum ſermonem, proxime elapſa hyeme in cubiculo tuo habitum de *Mercera*, liberiorem forſan, quam apud te inſtituere debueram. Quorſum vero iſtud? Promiſeras in ſuperioribus te omnia iſta, tanquam arcana, pectore tuo clauſa velle continere, nunc vero quare ea in literis tuis repetis. Amicitiae & affectui debes, ſi quid ego liberius in ſinum tuum depoſuero. Ex animo angebar, cum te viderem afflictiſſima valetudine oppreſſum, aegerrimeque ferentem injurias & perſecutiones inimici tui, quas nec ipſe diſſimulabas; mene nunc reprehendis, quod ea apud te amoris & libertatis ediderim ſigna? Quid ſi & mihi animus nunc eſſet revocandi tibi in memoriam verba illa, in quae ut erumperes, imbecillitas & extrema te adegerat deſperatio. Quos non ille tuus hoſtis de te triumphos ageret, ſi tale quid reſciret? Quod vero inquis me quaeſiviſſe a te, quo loco in aula Bohemica eſſet *Mercera*, in eo valde te memoria decipit. Certus ſum me nihil tale unquam a te poſtulaſſe. Si de verſu aliquo Ovidiano fuiſſet quaeſtio, quo is loco reperiretur, de eo te potius conſuluiſſem, quam de loco, quo eſſet *Mercera* in aula Palatina. Satis enim noram; te non minus atque ſim ego, eſſe ibi peregrinum. Verum & tum quoque fallit te memoria, cum negas te ulli, niſi *Silvercronio*, & mihi, narraſſe eam hiſtoriolam. Narraſti enim omnibus *Spiringii* filiabus, me quoque praeſente. Hoc & ipſae teſtantur, & inſuper addunt, ſeſe diu, antequam a te fabellam iſtam accepiſſent, eandem quoque ex aliis intellexiſſe. Illae porro narrarunt multis. Et hoc libenter agnoſcunt. In tuum itaque recidit caput garrulitas illa, quam mihi objicis, cum jam ipſe plures tibi retulerim, quibus id narraveris, tu ne unum quidem poſſis adferre, apud quem ego ea de re habuerim ſermonem. Nam quod ad *Mercerae* literas provocas, miror equidem. Inquis te mores foeminae iſtius probe habere perſpectos, videris tamen velle eos nunc ignorare. Tu producis teſtimonium unius mulieris, quam mihi male velle ipſe fateris; ego vero plurium apud te utor teſtimonio, quarum nulla eſt, quae tibi non ex animo faveat. Ais me bis peccaſſe; primo cum aliis, dein cum *Mercerae* hiſtoriolam iſtam narraverim. At vero tu bis nugaris, mi Heinſi, primum cum verborum tuorum es immemor, deinde vero cum maligne & culpam & tuam, & aliorum, immerenti imputas amico. Sed video quid velis, indignaris me tibi eſſe amicum, omnibuſque modis efficere conaris, ut candidiſſimi illi amici tui, inter quos verſari te inquis, qui tibi perſuaſerunt occultum me tibi hoſtem eſſe, vera dixiſſe videantur. Niſi enim id tibi ſit animi, quorſum iſta bella argumentatio, *Silvercronium* non potuiſſe ſermonem tuum aliis communicare, quoniam is tibi ſit amicus, ergo me eſſe, qui illum in vulgus ſparſerim. Pro inimico igitur me habes. Id ſi ita ſit, quomodo de te amice poſſim exiſtimare? Si vero poſtulas, ut amice de te ſentiam, cur me pro inimico habes? Adfirmaſſe hoc tibi inquis candidos iſtos tuos amiculos, quos & honeſtos, & eruditos & eximios vocas. Sed ſane quicunque illi demum fuerint, illos ego & honeſtos, & candidos fuiſſe

nego

Digitized by Google

nego. Imo quidquid in contrarium adtuleris, ego ſcurras & nebulones fuiſſe convincam. Vix duo vel tres ſunt in tota veſtra urbe, cum quibus mihi vel modica unquam interceſſerit familiaritas. Eos autem nimium probos & ingenuos eſſe exiſtimo, quam ut de me, nihil certe mali de ipſis promerito, tam improba tibi ſuggeſſerint mendacia. Si qui aut hoc aut ſuperiori anno, facto, ut inquis, agmine contra exiſtimationem meam conſpiravere, peſſimos ſane eos & nequiſſimos fuiſſe oportet, cum tantum abſit, ut unquam eos laeſerim, ut ne de facie quidem noverim. Et ſane recte feciſti, quod addideris, te neſcire qua ratione certatim in me incurrerint, cum nulla prorſus ſit. Gratis quippe ſunt nebulones. Falleris vero, ſi putas multum me tibi debere, quod apud tales defenderis. Odi approbationem improborum. Indignus eſt amicitia bonorum, quisquis ſcurriles captat applauſus. Ultro itaque te rogo, ut viliſſimos iſtos homines impoſterum moribus & ingenio ſuo vivere permittas. Quanto illi acrius in me debacchantur, tanto illos magis contemnam. Pergis deinceps garrulitatem mihi objicere, & hoc crimine, inquis, me ab aliis quoque notari. Ipſe nimium garris, mi Heinſi, cum talia fingis. Nemo eſt, qui hoc me nomine reprehendit, tuum eſt hoc commentum. Scio quidem, quantopere laboraveris, *Silvercronio* id ipſum perſuadere, ſed fruſtra, ut opinor, fuiſti. Improbe vero & peſſime a te factum, quod *Wullenii* in literis tuis mentionem feceris, cujus cauſam dum agis, ſimul quoque prodis. Nam cum in ſuperioribus tuis literis diſerte ſignifices, illum ſolum eſſe in Suedia, qui ad te ſcribat, in his plane contrarium adfirmas, & te alios quoque habere ais, qui id tibi praeſtent officii. *Silvercronius* vero iſta non tibi ſignificavit. Ex aedibus enim parentis ejus habebam omnia ea, quae tibi reſcripſi. Sed neque caeteri, quos nominas, hoc tibi retulere. Etiamnum in Suedia commorabantur, cum iſta ad te ſcriberem, & ſero admodum in Hollandiam venerunt, chirurgus praeſertim, qui ſolus aedes *Salmaſii* frequentabat. Caeteros ipſos eorum, quae a me aut *Mercera* aguntur, valde ignaros fuiſſe exiſtimo. Verum itaque hoc ſupereſt, ut aut *Wullenius* tibi ſignificarit, aut ipſe finxeris. Elige quod mavis. Quod vero mihi exprobras pergere me male mereri de *Wullenio*, quid hoc ad te pertinet. Res tuas age. Mihi ſemper, ut ſpero, cum *Wullenio* bene conveniet, niſi tu nos commiſeris. Illud vero praeclare a te dictum, poſſe te, ſi velis, vindictam de me ſumere, manifeſtando ea omnia, quae tuae commiſi fidei. Tune de vindicta cogitas, qui primus tot me injuriis & calumniis oneraveris? Fac quod velis, dic omne, quidquid de me dicere poſſis, dic publice & privatim, non renuo. Cognoſcetis & tu, & *Salmaſius*, qualis erga vos fuerim. Interim ſcias, quod res illa non ſine inſigni tua infamia peragetur. Dicis Sereniſſimam Reginam voluiſſe, ut eſſemus amici. Cur ergo ſolvis ſanctum illud amicitiae vinculum, & falſiſſima mihi objicis crimina, vel a te, vel ab aliis non ſine ope tua, excogitata? Mihi objicis febrem, eaque te non amplius laborare ſignificas. At vero gravius illi laborant, qui ſe laborare neſciunt. Exprobras mihi, quod erga alios non ſim officioſus. Tanto minus tu debes conqueri. Aliis iſtas relinque querelas. Illud vero prae caeteris ſatis mi-

rari non possum, quod toties repetis insignia illa tua erga me officia pariter & beneficia. Visne, de eo quid sentiam, breviter tibi exponam. Suspectum mihi est, quidquid nimium ostentatur. Ubicunque fuerim terrarum, in nullum hactenus incidi, vel notum, vel amicum, qui vel praeclaram illam tuam erga me benevolentiam, vel invidiosum aliquod mihi praedicarit testimonium tuum. Sed neque unquam id a te flagitavi; probe enim mihi sum conscius, me nihil tale promereri. At vero cur silentibus caeteris ipse tua jactas beneficia. Ideo proculdubio, quoniam alii tacent. Si id ita sese habeat, laudo acumen tuum, mallem tamen ea ab aliis praedicari. Nihilominus si aliter tibi visum fuerit, per me licet. Sequere ingenium tuum. Nunc vero illud a te unice peto, ut siquid mihi, dum meipsum purgo, acerbius exciderit, id benigne accipias. Deinde & hoc quoque te rogo, ut tu, qui primus odiosae isti scriptioni ansam & originem praebuisti, eidem quoque primus finem imponas. Ut omnium oblivisear, tu facile possis efficere. In me nulla erit mora, ut tales imposterum permutemus epistolas, quales inter amicos decet. Verum & tu, mi Heinsi, fac illud, quod promittis, & ne unquam permittas, ut beneficiis a me vincaris. Minime id tibi difficile; nam neque ea mihi fortuna est, ut magnopere te obstringere possim, & etiamsi possem, nunquam id tamen faterer: puderet enim me meorum apud quemquam meminisse beneficiorum. Sed vero tu innumeris cum me jam, ut inquis, obstrinxeris modis, illud quoque caeteris adde meritis, ut de tuis erga me benefactis moderatius imposterum judices, de meo vero erga te animo benignius. Vale. XIV. Junii CIↃIↃCLI.

EPISTOLA L.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Lsidem.

ARbitror te jam Lutetiae versari. Tamen cum tempus & diem discessus tui non significaveris, consultius visum est, ut & has quoque literas mitterem in Hollandiam, praesertim cum non multo celerius iter suum absolvant cursores illi, qui recta Lutetiam, quam qui per nostras eo tendunt terras. De itinere tuo nihil est quod intellexerim ex Sereniſſima Regina, quod non tibi indicaverim. De Bibliotheca Cardinalis quid futurum sit, ipse videris, ego enim nihil certi de ea possim rescribere. De *Silvercronio* quid fiet, ipse, ut existimo, brevi te poterit certiorem facere, nempe simul ac pater ejus fuerit reversus. Gellium *Gronovii* avide exspecto. Vellem illum per cursores transmisisses, neque enim magnae molis librum esse existimo. Negotium ejus commendatissimum est Sereniſſimae Reginae. De torque aureo recte judicas. Et mihi quoque, cum ad te scriberem, istud consultius videbatur, propter pericula itinerum. Ampliſſimum *Sarravium* obiisse ulcere hepatis ultimis intellexi-

leximus litteris. Mortem ejus ex animo doleo. *Valesium* & *Bochartum* necdum sese itineri commisisse idem adtulit nuntius. Detinet *Bochartum* liber de animalibus & plantis biblicis, *Valesium* vero Bochartus. Uterque aliquot meas ad se scriptas in Hollandia offendet literas. Gratum erit Sereniſſimae Reginae, si omnem tuam contuleris operam, effeceriſque, ut se viae quamprimum committant. Nisi enim quamprimum se itineri huic accingant, vereor ne hyemem causentur. Sane non puto defuturos, qui curam editionis libri *Bochartici* suscipiant, etiamsi ipse absit. Sed de hoc mentem Sereniſſimae Reginae sequenti, ut spero, significabo hebdomade. Uti quoque de libris Eguilloniae, aliisque. De nummis curae mihi erit id, quod postulas. Quamdiu in Parisiis haerebis avide scire desidero. Pro fragmento literarum *Cassiani a Puteo* gratias ago maximas. Domino *Holmio* tradidi literas tuas, longeque ei fuere gratiſſimae. Stephanianam Bibliothecam Sereniſſima Regina pretio suam fecit. Illuſtriſſimus *Salvius* & Dominus *Chanutus* hac hebdomade Lubecam profecti sunt. Aliud, quod tibi significem, nihil habeo. Vale. XXIV. Junii. stilo novo. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA LI.

ISCAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

HEri mihi reddita est epistola tua scripta idibus Jun. Greg. Inquis in ea, te nullas illa hebdomade a me accepisse literas, quod, quî factum sit, divinare non possum. Certus enim sum me ab eo tempore, quo te de itinere Italico certiorem feci, nullam praetermisisse occasionem, qua non aliquid ad te dederim literarum. Aut itaque illae interceptae sunt, aut proxime secuta hebdomade geminas accepisti. Tuas vero more meo legendas exhibui Sereniſſimae Reginae. Negat illa unquam se sermonem habuisse cum *Salmasio* ea de re, cujus in epistola tua mentionem facis. Miror itaque imprudentiam viri, quod ea rescripserit, quae, etiamsi vera fuissent, alto fuissent premenda silentio. Tu vero, mi Heinsi, melius facies, si haec tacite concoxeris & contempseris, quam in vulgus sparseris. Regina procul abesse vult a vestris litibus, nec vult quidquam cum iis habere commercii. Miror te in literis tuis nihil de itinere tuo scribere. Mortem *Sarravii* ex animo doleo. Verum est, *Bochartum* & *Valesium* distuliſse iter suum in mensem Martium anni sequentis. Sed tamen spero illos denuo consilium mutaturos, & praeventuros hyemem. Tuum est urgere eorum discessum, simulatque in Galliam veneris, magnam hoc nomine gratiam Dominae nostrae demerebere. Videntur illi existimare Suediam esse inaccessam & inhabitabilem hyeme. Tuum est eos hoc errore liberare, & commoditatem adeundae Suediae significare. Si Parisiis videris *Thevenotum*, agas cum eo de libris *Pyrrhi Ligorii* vel describendis, vel comparandis.

Transmisit ad me eorum [1] fragmentum de antiquitatibus Tiburtinis. Regina ad matrem contendit Nicopiam, nec nisi post octiduum reversura una cum matre ad exequias *Torstensonii*. In Italiam ubi veneris, habebis commendatitias Sereniſſimae Reginae ad magnum Hetruriae Ducem, & forsan ad alios principes. *Spiringius* cum tota familia ante complures dies jam hinc discessit. Filius ejus quamprimum huc revertetur, ut offerat Sereniſſimae Reginae picturas, caeteraque patris cimelia. Quas ad te scripsi literas de discessu tuo in Italiam, nulli ostendas vel communices rogo. Causam nosti. Neque id mihi tantum, sed & Dominae nostrum gratum fore confido. Plura alias. Nunc enim ideo brevis esse cogor, quod totum fere pomeridianum tempus mihi abstulerit Illustriſſimus D. *Skytt*, vixque ante horam a me discesserit. Petit is aquas Spadanas valetudinis ergo. Vale, & me ama 1 Julii St. N. CIↃIↃCLI.

1 Illud est, credo, de *Villa Hadriana Tiburtina*, quod insertum nunc legitur tomo IX. Thesauri Antiquitatum Italiae; ex Vossiana enim Bibliotheca, quae accessit Leidensi Academicae, est depromptum.

EPISTOLA LII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

HEri in loco tribus milliaribus hinc dissito animi deliquium passa est Sereniſſima nostra Domina, Heinsi praestantissime. Creditur hoc malum sibi conciliasse ex nimio aquae haustu. Nullo siquidem alio hoc tempore utitur potu incomparabilis nostra Domina, quam aqua cruda. Et hoc aequis cogimur indies spectare oculis, nec quisquam est nostrûm, qui tantum nefas vel possit, vel ausit reprehendere. Invitis medicis & omnibus suis pergit in hac prava consuetudine, & nequidem tantillum vini aquis suis permiscere dignatur, ut vel pallorem saltem deponant. Tu qui olim in aquae potores stilum exercuisti, experiare nunc vires tuas. Utinam carminibus tuis id posses efficere, ut divina nostra Domina, tanto laboraret aquae, quanto nunc vini odio. Si teipsum, si nos omnes ames, & quod praecipuum est, si tibi curae sit salus illius, a qua nostra pendet salus, hoc tuum nunc sit officium, si nihil profeceris, nihil certe nocebis. Reversa est autem illa in urbem hanc ante horulam circiter. Tradidi ei tuas legendas, quamvis nunc nihil habeam, quod tibi rescribam nomine illius, quamvis etiam nihil novi resciverim, quod tibi possim significare, tamen quia postulas ut semper vestigia tua legam, & ad omnia accurate respondeam, parebo libentissime. Iter tuum quod adtinet valde miror te etiamnum in Batavis haerere, praesertim cum novem jam effluxerunt hebdomades, ex quo voluntatem Sereniſſimae Reginae tibi significarim. Nescio vero quaenam sint illa mandata regia, quae te exspectare dicis, prius quam te in viam des, neque enim politica sunt ea negotia, quamobrem in Gallam Italiamque tendis, ut multis & prolixis egeas, quas vocant, instruc-

tio-

ctionibus. Satis, ut opinor, mentem ſuam coram ſignificavit tibi Sereniſſima Regina. Quod ſiquid ſit, de quo dubites, abunde tibi eſt temporis, ut de eo quid ſentiat ſereniſſima Regina poſſis explorare. Commendatitias jam dudum ad Bidalium miſit D. *Holmius*. Pro oratione *Ferrarii* puto me jam tibi gratias retuliſſe, quod ſi id non ſatis ſit, nunc iterum gratias tibi ago. Non tradidi illam Sereniſſimae Reginae propterea, quod illa duobus tribuſve hebdomadibus antea aliquot ejus orationis exemplaria eſſet nacta. Hoc itaque quod tranſmittebas, mihi ſervavi. De *Foreſto* jam dudum te certiorem feci. Literas quoque tuas ad *D. Salvium* & *Chanutum* me curaſſe, & hoc quoque diu eſt quod ſignificarim. Ne itaque mihi negligentiam hoc nomine imputes. Literae vero meae quod tam ſero tibi reddantur, ea non mea eſt culpa. Indica aliam mihi occaſionem quamcunque volueris, in me nulla erit mora, quin eam accuratiſſime ſervem. Quod autem dicis poſtulare te id tantum, ut ad ea reſpondeam, quae ex me ſcire deſideras, arbitror me id ſatis diligenter praeſtitiſſe. Nam quod inquis, me ne γρὺ quidem repoſuiſſe iis, quae de oratione *Ferrarii* ſcripſeris, id omnino ita eſe non habet. Non ſemel mentionem ejus orationis in literis meis feci. At in eo non erras, quod inquias me non tibi ſignificaſſe, debereſne *Ferrarium* de torque aureo certiorem facere, nec ne. Quomodo ad hoc reſpondere potuiſſem, cum tu ipſe nullam ejus rei in literis tuis feceris mentionem, uti neque poteras, non enim eras divinus. Opus praeterea non eſſe exiſtimabam, ut de eo quidquam ad te ſcriberem, ſiquidem jam, antequam exemplar tuum ad manus meas perveniſſet, nomine incomparabilis dominae egeram *Ferrario* gratias. Hoc itaque argumento nihil proficis, uti neque ſequenti, quod nimium leve & prorſus te indignum, nempe quod non reſcripſerim me literas tuas Sereniſſimae Reginae ttadidiſſe, cum tibi ſignificarim me tuas accepiſſe literas, poteraſne dubitare de illis ad Sereniſſimam Reginam? De Memmiana, Mazariniana aliiſque bibliothecis, nihil certi tibi poſſim adfirmare. Et ſane perridiculus eſſem, ſi in talibus apud te verboſus eſſem, & e Suedia ad te ſcriberem ea, quae Pariſiis aguntur. Nonne hoc eſſet nuntios cum iiſdem remittere literis? Quae te adtinerent, vel quae eſſe grata Sereniſſimae Reginae vel ſcirem vel crederem, ſignificavi tibi omnia. De libris τῦ μαχαίτα *Sarravii* nihil habeo certi, quod tibi reſcribam. Vix exiſtimo Sereniſſimam Reginam eos velle comparare. Si aeque eſſet inſtructa ejus Bibliotheca, atque ſit Thuanaea vel Puteanea, libenter procul dubio eam aequo ab haeredibus pretio redimeret. Ipſe noſti magis e re eſſe Dominae noſtrae, ut ſemel inſtructiſſimam aliquam comparet ſibi bibliothecam, quam multas imperfectas. Quatuor aut quinque illi MSS. quos habet *Sixius*, illi mei eſſe debuerint. Sed ſane perinde eſt, uter noſtrum eos habeat, cum a multis annis ſimus amiciſſimi. Caeteros omnes ipſe emi, una cum ſcriptis *Gruteri*. Inter ea ſunt triginta libri Suſpicionum ejus inediti. Sunt & alia multa vel illius, vel aliorum eruditorum manu exarata, ſed tam miſere lacerata & conſpurcata ab iſto impuriſſimo homine, ut videantur eſſe Annales *Voluſi*. Relicta ſunt omnia Amſtelodami, exceptis Suſpicionum libris, & aliis nonnullis. Malo e-

Digitized by Google

nim abeſſe, quam ut eorum faetore cubiculum meum inficiatur. Magni tamen mihi conſtant, quod tamen ſoli imputo *Sixio*, qui nunquam permiſit, ut quemcunque librum bono unquam compararim pretio. Adeo mihi damnoſa ſemper ejus fuit familiaritas. Et tamen ſumus amici, & erimus ſemper. De *Miltono* jam certior factus ſum ab avunculo meo *Junio*, qui cum eo familiaritatem colit. Is mihi ſignificavit cum Parlamento eſſe a Secretis in negotiis externis, eſſe multarum linguarum peritum, non quidem nobili, ſed tamen generoſa, ut ipſi loquuntur, ortum ſtirpe, diſcipulum *Patricii Junii*, comem, affabilem, multiſque aliis praeditum virtutibus. De *Keckio* nolim ita accipias, tanquam ſi eum tibi commendarim. Ego tibi ſimpliciter ſignificavi, quid ille deſideraret. Et huic & caeteris longe debes praeferre *Reſandrum*, non quod cum illis eruditione poſſit certare, verum quia diu jam inſervierit Sereniſſimae Reginae, mediocremque habeat cognitionem linguae Graecae, & ſcripturam librorum manu exaratorum ſatis bene adſequatur, ſatiſque bene litteras pingat. Verum apud te rationibus opus non eſt, cum ſolam tibi Dominae noſtrae voluntatem ſufficere exiſtimem. Vale & me amare perge. VIII. Julii ſtilo novo CIↃIↃCLI.

EPISTOLA LIII.

ISAAC. VOSSIUS.

Nic. Heinſio.

Leidam.

TRadidit mihi literas tuas *Wullius* noſter apertas, Heinſi Clariſſime. Addideras tantum ſigillum, quod vocant, ut puto, volatile. Nempe voluiſti D. *Wullium* prius eas legere: ſtatim itaque ut eas accepi legendas, ipſi obtuli, verum ille recuſavit. Sereniſſimae vero Reginae eas tradidi more meo, ſimul atque ſeſe obtulit occaſio. Nondum eas recepi. Non puto autem, niſi me fallit memoria, aliquid eſſe in iis, de quo reſponſum exigis. Diligentius tamen eas perlegam, & ſiquid ſit, de quo poſſim aut debeam reſcribere, non ero negligens. Hîc novi nihil eſt quod ſciam, aut ſiquid ſit, id ex *Wullenio* melius & accuratius poſſis intelligere. Ego nihil aliud habeo quod a te poſtulem, niſi id tantum, ut me porro amare pergas, ſi iſto tibi honore dignus videar. Vale XV. Julii CIↃIↃCLI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LIV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

QUum tam acriter urgeas, ut ea tibi mittantur mandata, quae tibi promiſiſſe ſignificas S. Reginam, heri iterum veſperi eam ſum allocutus, Heinſi clariſſime. Inquiebat illa, ſatis ſeſe coram mentem ſuam tibi expoſuiſſe, & vix poſſe te ea in re peccare: neque enim praeſcire ſe quinam libri & Bibliothecae venales proſtabunt, & proinde imperare ſeſe non poſſe, hoſne an potius iſtos debeas comparare, totum id tuo permitti judicio. Juſſit tamen, ut breviter in cartam conjicerem ea, quae te deſiderare exiſtimarem. Feci id quam libentiſſime, ſtatimque ei obtuli. Cum vero occupatior mihi videretur, & interpellaretur ab aliis, juſſit, ut id negotium in ſequentem differrem hebdomadem. Quod vero in literis meis pollicitus ſim ſequenti me acturum hebdomade de caeteris rebus, iter tuum adtinentibus, in eo non me poſſis reprehendere. Non potui tibi plura ſignificare, quam ex Sereniſſima Regina intelligerem. Quidquam autem ex ea intellexi, id tibi ſignificavi. Nummi vero aurei aliquot ad *Bidalium* ſequenti hebdomade tranſmittentur, a quo tuum accipies. Libros Elzevirii avide exſpecto. *Gronovium* ſe iterum accinxiſſe ad meliorum autorum emendationem ex animo gaudeo. Nam certe *Aldhelmus* iſte, aliique hujuscemodi verſificatores, non merentur, ut in iis tempus terat, quod multo dignius poſſit collocare. Non defuere, qui titulum libelli reprehenderent, quod *Eccleſiaſticas* inſcripſerit *Obſervationes*, cum nihil prorſus in iis occurrat, quod ad Eccleſiaſticam pertineat hiſtoriam, & ſint mera Grammaticalia. His tamen reſpondi, non mihi videri in eo eſſe peccatum, utcunque enim ſcriptum illud nihil haberet Eccleſiaſticum, pertinere tamen ad hiſtoricos Eccleſiaſticos, quorum multa in eo loca illuſtrantur. Porro in hac noſtra Petaviana multa & Aldhelmi, & ſimilium autorum ſcripta exſtant inedita. Sed nondum otium fuit illis pervolvendis, hactenus enim melioribus, ut mihi quidem videtur, vaco. Et ſane nullus tranſit dies, quo non aliquid ſeſe offerat novi. Hoc ipſo die, quo haec ſcribo, incidi in duo folia ſtupendae antiquitatis, quae poſtquam diligentius adſpexi, ſtatim conjeci eſſe fragmenta deperditarum Salluſtii hiſtoriarum. Continent illa bellum Servile Crixi & Spartaci. Non potuiſſet vel tu vel alius in lacrimas me pronior ſiccis ea oculis intueri. Attamen non ideo minus dolui. Et ſane quis non doleat & indignetur tam divini autoris tam laceras videre reliquias? Forſan ante pauca ſecula delirus aliquis bibliopolā, ut miſſalia aliaſve veſtiret ineptias, totum conſumſit opus, paucaque haec nobis reliquit, non tam ſolatio, quam maerori. Poëmatum aliquot novorum quod editionem moliaris, gaudeo. Euſebius, quem

ſub

ſub manibus habere ſcribis Janſonium, opus erit longum & laborioſum, nec intra triennium abſolvendum. Multa ſunt & pulcra, quae addidit iſti editioni *Scaliger*, non tamen pauciora & deteriora erunt ea, quae ipſe, ut ſpero, conferam. Quod tamen ne aut oſtentatione ingenii, aut quadam vanitate dici a me putes, quod ope eorum codicum, quos olim contuli, & quos nunc beneficio Sereniſſimae Reginae nactus ſum, hoc me poſſe praeſtare exiſtimem. In Theocrito, quo editionem Elzeviriorum juvem, nihil habeo hoc tempore ad manum. Exemplar meum, cujus ad oram nonnulla congeſſeram ex veteribus codicibus, perditum eſt neſcio quo caſu in itinere, quod ante aliquot menſes Sereniſſima Regina Ubſaliam inſtituerat. Alterum exemplar una cum aliis ad Theocritum annotatis, quomodo perierit, retulit jam tibi mater mea. *Wicquefortium Silvercroniumque* mirari, me nihil quidquam reſcripſiſſe *Foreſto*, id ipſum valde miror. *Foreſtum* aliquid tranſmiſiſſe Sereniſſimae Reginae, neque ipſi neque alius quiſquam mihi ſignificavit. Et plane ignoravi, antequam tu me certiorem faceres. Mox indicavit idipſum Sereniſſima Regina, juſſitque ut ei reſcriberem. Feci id eodem die. Cinnami hiſtoriam quod nunc demum in lucem protrudat *Tollius*, in eo operam ludet. Ante triennium quadriennniumve donavi, vel ſaltem communicavi ei codicem iſtum, ut ex ejus editione aliquam ſibi compararet gloriolam. Nunc autem praevenietur a Jeſuitis, qui id ipſum longe accuratius praeſtabunt. In titulo tamen ipſe minus peccavit, quam Jeſuitae. Illi namque *Ginnamum* pro *Cinnamo* ſubſtituunt, nulla prorſus ratione aut autoritate. *Cinnamum* eſſe viri nomen conſtat etiam ex Martiale. Monui ea de re jam ante decennium Clariſſ. *Holſtenium*, qui illum autorem Jeſuitis communicavit, is tamen maluit in errore perſtare, quam meis hac in parte obtemperare monitis. Bibliothecam librorum manu exaratorum Archiepiſcopi Tholoſani, Incomparabilis noſtra Domina ſuam faciet. Habeo hîc catalogum, cujus apographum ſequenti hebdomade ad *Bidalium* remittam. Poſtulat pro ea decem ſcutatorum millia. Sed proculdubio multum de ea ſumma remittetur. *Freinshemius* in Germaniam valetudinis ergo proficiſcetur quamprimum, ſequenti reverſurus æſtate. *Salmaſius* abitum meditatur. Vale, & ſalve a tuo ex animo Voſſio. Holmiae CIↃIↃCLI. XII. Julii.

EPISTOLA LV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

Literas ad Sereniſſimam Reginam, quas tuis ad me incluſeras, ſimulatque accepi, obtuli Incomparabili noſtrae Dominae. Jam olim te certiorem feci, quam illae ſemper ſint gratae, nunc tamen non poſſum praetermittere, quin

quin id denuo tibi indicem, cum novis illa & non tralatitiis verbis iterum significarit, valde sibi gratas esse & literas & officia tua. Ipsas quidem quod adtineat literas & genus scribendi, id certe usque adeo laudavit, ut impensius laudare vix potuisset. Testabitur hoc quoque *Wullius* noster, qui & ipse aderat, cum eas offerrem. Cave itaque dubites imposterum, gratane sunt Dominae officia tua, nec ne. Imo id ego tibi adfirmare audeo, tanto te rectius facturum, quanto saepius eam literis tuis compellaveris. Optime vero a te factum, quod itineri te tandem accinxeris. Quanto id promtiore fecisti animo, tanto te rem gratiorem praestitisse scias incomparabili Reginae. Eorum, quae postulas, vel quae tibi ad iter sunt necessaria, nihil omnino defuturum spero. Mandata illa, quae postulas, sequenti transmittam hebdomade. Aliquid enim interceſſit, quamobrem illa expediri nunc non potuerunt. Laborabo ut simul transmittantur nummi promissi. De argenteis, quos petis, certiora sequenti rescribam occasione, simulque de historia plantarum Mexicanarum, quam habet *Wittius*. *Graswinkelio* interdictum esse ne pergat in *Miltono* confutando, aegre fert *Salmasius*. Verum idem ex animo gaudet librum *Miltoni* Lutetiae publice a carnifice esse combustum. Non opus est ut meum de hoc scripto interponam judicium: interim hoc scio, fatum esse bonorum fere librorum, ut hoc modo vel pereant vel periclitentur. Homines plerumque propter scelera & pravitatem manus carnificum subeunt, libri vero virtutis & praestantiae ergo. Soli fatuorum laborcs tales non metuunt casus. Sed sane frustra sunt, qui se hoc modo exstirpare posse existimant *Miltoni* & aliorum scripta, cum potius flammis istis mirum quantum clarescant & illustrentur. Quae autem de *Miltoni* conditione ad me scribis illa convenire puto cum iis, quae tibi ante hebdomades aliquot significavi. De Cardinalis Bibliotheca non debes omnino desperare. Forsan solos possis comparare Manuscriptos. Gellium *Gronovii* nondum accepi. Minus tamen illum nunc desidero, cum nihil quidquam editioni huic accessisse significes. Quod vero rogas, ut diligentem imposterum habeam curam eorum, quae sis postulaturus, de eo nolim te dubitare. Verum quod existimas me maximam habiturum curam eorum, quae ad augmentum pertinent bibliothecae Regiae, & ad propagandos, ut loqueris, imperii mei terminos, in eo omnino falleris. Ita, ut spero, semper inserviam Sereniſſimae & incomparabili nostrae Dominae, ut unusquisque possit cognoscere, me vel parum vel nihil propriis studuisse commodis & utilitatibus, nec alium ob oculos scopum habuisse, quam voluntatem honorem & gloriam incomparabilis Reginae, cui si servitium meum qualecunque non improbetur, jam nihil est quod ultra desiderem. Illi non displicuisse, id omni mihi honore & munere carius semper erit, & quodcunque mihi in vita contigerit, id mihi perinde est, dummodo semper huic inserviam. id enim si licuerit, semper beatus moriar. Atque haec quidem me ex animo proferre ostendet, spero, perpetuus vitae meae tenor. Erras itaque, cum putas me propriis studere commodis, quin potius ita habeas velim, te tibi ipsi comparare, quidquid Incomparabili comparaveris Dominae. Nam certe si & ipse non detrectes curam Bi-

Digitized by Google

bliothecae Regiae, multum ſane gaudebo. Nihil enim eſt quod aeque optem, atque ut hujus tot ſint curatores, quot aliquando literarum amantes & ſtudioſi Dominae noſtrae aderunt, inter quos ſi poſtremum meruero locum, ſatis mecum benigne agetur. Sed haec hactenus: alia alia ad te ſcribam occaſione. Vale, & amare pergas Voſſium tuum. ad v. Aug. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA LVI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NUnquam plura habui, de quibus te certiorem facerem, nunquam tamen magis in arctum fui redactus, quam hoc tempore. Plures mihi epiſtolae hoc die ſcribendae fuere in Hollandiam ad amicos, aliquot etiam nomine Reginae. Magnam praeterea temporis pomeridiani partem abſtulere Luſitani quidam. Una tantum aut altera ſuperfuit horula, quam tuis literis reſpondendis deſtinaram. Attamen cum ſcirem me non tantum, ſed & ipſam Reginam promiſiſſe habiturum te ea mandata, quae toties flagitaſti, contuli me iterum ad illam, petiique mandata. Verum illa diu quaeſivit, attamen fruſtra. Tandem juſſit ut alia ſcriberem. Feci id quam raptiſſime, ut vides. Illicoque illa ſubſcripſit. Verum haec non ſunt tam ampla, quam illa, quae prius exararam, deſuit enim tempus. Verum tamen, ſi quid ſit, quod deſit, certiores nos fac, & curabo, ut voto tuo ſatisfiat. Velim convenias abbatem *Tintum*, qui nunc Pariſiis agit, cumque eo conferas de libris & bibliothecis Italicis. Gratum hoc erit Sereniſſimae Reginae. Tribus tuis epiſtolis non poſſim nunc aliquid reponere: faciam id ſequenti hebdomade. Vale, mi Heinſi CIↃIↃCLI. XII. Auguſt.

EPISTOLA LVII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

PRo apographis literarum, quas tranſmittis, magnas ago gratias, Heinſi clariſſime. De Stylo *Liceti* recte judicas. Indignum eſt tanto viro tam *ineptum* ſcribendi genus. Non ſine indignatione, ne dicam riſu, legere potui *Caucaſos* illos *contemplativos*, & *Caucaſeas majeſtates*. Quis non *Caucaſias* patiatur *hyemes* talia audiens. Et tamen hoc condonandum viris quibuſdam inſignibus ſaeculi noſtri, quod Mercurium non in lingua, ſed in pectore habeant. Quan-

Digitized by Google

Quantum autem diverſus ab illo *Ferrarius* ejus collega, cujus ſtylus, licet magnificus ſit, & multum adſurgat, nihil tamen minus, quam operoſus & intricatus dici meretur, in quod tamen vitium ut plurimum deflectere noſti eos, qui ſublime illud dicendi genus ſequuntur. Hiſtoriam Plantarum Mexicanarum nactus ſum, & prima tranſmittam occaſione. Inter ſcripta, quae in Italia excudi ſignificas, nihil eſt quod aeque videre geſtiam, atque *Camilli Peregrini* Campaniam felicem. Jam diu & hoc ſcriptum & alia quaedam non abſimilis argumenti ſub manibus habuit, quae ut aliquando publici faciat juris ex animo deſidero. *Celſi* Rhetoricam inquiram, & cum altero, quem ſtatim nominavi, libro tranſmittam. Faſciculum vero, in quo Gellius *Gronovii* & alia, necdum accepi. Credo tamen adpuliſſe navem, quae iſta mihi advehet. *Greninius* iſte Zelandus, qui in Gellium notas ſcribit, quis ſit vellem addidiſſes. Intra unum alterum que diem profecturus eſt hinc *Salmaſius*. Caetera malim ex *Wullio* noſtro intelligas, quam ex me. Vale, mi Heinſi, & ſalve a tuo ex animo Voſſio. A. CIↃIↃCLI. XIX. Auguſt.

EPISTOLA LVIII.

ISAACUS VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

SAlvum te ac ſoſpitem Lutetiam perveniſſe ex animo gaudeo, Heinſi clariſſime. Non nego longe mihi majori futurum fuiſſe gaudio, ſi majorem quoque animi quietem & tranquillitatem tecum Pariſios adtuliſſes, attamen cum exiſtimem iſtam perturbationem eſſe fructum inimicitiarum tuarum, quas cum aliis exerceas, minus excrucior, cum ſciam me ab omni culpa abeſſe quam longiſſime. Nam niſi hoc ſit, quod quietem tuam turbet, quid rogo me tam multis, ſed inanibus tamen, oneras criminibus, quae quamvis eſſent veriſſima, tanta non ſunt, ut propterea de affectu meo ſiniſtri aliquid ſuſpicarere, cum talia moroſiſſimi etiam homines facile ſuis ſoleant condonare amicis. Nam quale eſt, quaeſo, illud de *Ferrarii* oratione, quod una forſan alterave hebdomade ſerius gratias tibi retulerim. De nummis vero aureis argenteiſque non video quare me increpes. Etiamſi illorum facta mihi fuiſſet copia, ſcis tamen non ſemper paratas adeſſe occaſiones, quibus poſſimus illos tranſmittere. Olim me non recte feciſſe adfirmabas, quod unicum illum aureum tabellariis Gallis commiſiſſem, nunc vero mirari non debes, quod te monente cautior ſim factus, praeſertim cum plures poſtules, pluſque proinde ſit periculi. Unum tamen, quem hîc vides, aureum *Ferrario* exhibendum ad te mitto. Caeterum enitar ut etiam reliquo tuo deſiderio poſſim ſatisfacere, obſervaboque occaſiones, quibus poſſim efficere, ut etiam aliquot habeas argenteos: quae ſi defuerint, ipſe ad te veniam; faciamque, ſi poſſim, omnium te votorum tuorum

Digitized by Google

compotem. Juſſit enim Domina, ut in Hiſpaniam me quamprimum conferam; cum vero neceſſarium ſit, ut per Galliam iter inſtituam, dabitur, ut ſpero, occaſio, qua te poſſim convenire. Unicum, ut ſpero, diem alterumque tecum Pariſiis in tranſitu eximam, multa enim habeo, de quibus tecum agere velim. Verum non debes propterea committere, quominus quam diligentiſſime ad Sereniſſimam Reginam perſcribas ſingula. Quamdiu etiamnum hîc ſum, ad me mittas literas tuas, ubi vero diſceſſiſſe me compereris, gratiſſimum erit Sereniſſimae Reginae, ut ipſam ſemper compelles. Juſſit vero ut tibi ſignificarem poſtulare ſeſe, ut in ea, quam hactenus praeſtitiſti, diligentia perſtares, nihilque tibi tam exiguum videretur, quod modo alicujus eſſet momenti, de quo ipſam non faceres certiorem. De *Reſandro* iterum allocutus ſum Sereniſſimam Reginam. Illa vero lectis tuis literis dixit ſeſe liberum relinquere tibi, quodcunque de eo viſum fuerit. Catalogum librorum *Richelii* jamdudum tibi tranſmiſiſſem, niſi illum perdidiſſet *Salmaſius*, cui eum communicaram. Bibliothecae Mazarinicae nullam te in literis tuis feciſſe mentionem valde miror. De Memmiana poſſis cum *Bidalio* agere, praeſertim ſi aliquid de pretio remiſerit vidua. Intra biduum triduumve diſcedet hinc *Salmaſius*. Servos, ancillas, ſarcinas, & omnia impedimenta, excepta conjuge, jam praemiſit. Dominus *Holmius* quamprimum tibi reſponſurus eſt. Nunc vero juſſit, ut te peramanter ſuo nomine ſalutarem. Recte feceris, ſi ad eum aliquando literas dederis, omnia enim tui cauſa vult. Vale, mi Heinſi, & amicos communes Pariſienſes meo nomine ſalutes quam plurimum.

EPISTOLA LIX.

NIC. HEINSIUS

Iſaac. Voſſio.

Holmiam.

ADfuit mihi tandem commendatus a te tantopere *Reſander*. Juvenem vidi, ut apparebat, bonum. De morbo ejus melancholico mira mihi alii narrarunt, atque hinc majorem ſibi in hac urbe famam comparavit, quam Graecarum literarum cognitione. Mihi quidem juſtiſſimam exprimit miſerationem: quanquam loco nunc ſatis ſit commodo ejus valetudo. Primo congreſſu multa conqueſtus eſt, & merito, de ſumma, qua cum conflictatur, rerum omnium inopia. Negat ſe vel obolum ex Suecia toto hoc anno accepiſſe, hoc eſt a ſeptem vel octo menſibus. Carceris colonum jam dudum ſe proculdubio fuiſſe, niſi per *Vicquefortium* ſtetiſſet, qui fidem ſuam apud hoſpitem caeteroſque creditores interpoſuerit. Idem & mihi *Vicquefortius* narravit. qui menſam illi ſuam domumque obtulit, quam condîtionem cur amplexus non ſit, vix video, niſi injurium ſe hoc pacto in Dominam fore crediderit. Tu tecum cogita, an bene mihi conſulueris tibique, ac ipſi Dominae, qui Italico itineri hunc hominem deſtina-

naris. Debet in hac urbe, ut *Vicquefortius* adfirmat, ſcutatos minimum ducentos, quos ut ego pro illo refundam, in mandatis non habeo. Ex meo autem aere id ut fiat, non arbitror conſultum. Auctor igitur ſim tibi, ut bonum juvenem angore animi, ac moleſtiis aſſiduis, cum quibus luctatur, liberes, domumque reverti jubeas: aut ſi vis, ut in Italiam me ſequatur, intercedas pro illo apud D. *Holmium*, quo flagitationibus creditorum ſe ſubducat. Id niſi tempeſtive feceris, metuendum eſt, ne clam aufugiat, atque ita & ſuam & popularium exiſtimationem in hac urbe proſtituat, ad extremam deſperationem redactus. Aperte tecum ago, & ſine circuitione, ut vides: neque exiguam ipſe occaſionem dediſſe mihi videris huic melancholiae. Aut enim domo eum ablegaſſe non debebas, aut poſtquam ablegaſti, curam ejus majorem habuiſſe. Mihi ad iter Italicum ſexenti ſcutati adſignati ſunt. Ejus ſummae partem tertiam jam numeravit Bidalius. Centum florenos expendi, dum ex Hollandia in hanc urbem contendo. In hac urbe dies quindecim jam vixi, vivam dies ad minimum totidem. Ubi diſceſſero, praeter famulum, una *Langermannus* ibit. Rationes a te diligenter ſubduci velim. Rem magnam fecero, ſi in menſem Januarium ſuffecerit pecunia haec. Sed ea de re non laboro. Novi enim Venetiis mercatores, quibus commendatus ſum a conſanguineis: illi de pecunia abunde mihi proſpicient. Tantum ideo tecum communico, ut videas quam non poſſim *Reſandro* ſuccurrere. Bonum igitur patrem familias impoſterum age. Et quia efficere gravatus es, quod ſaepe a te contendi, ut aut diurnum aut menſtruum in hoc itinere ſtipendium mihi procurares, quod moris hactenus per totam Europam apud reges Principeſque fuit omnes, id quia gravatus es, inquam, nunc ſaltem ne onera viribus majora mihi imponas rogo. Nec ſtipendium iſtud hoc flagitavi nomine, ut melius mihi eſſet, quam nunc eſt: ſed quod moleſtum fore praevidebam, ſi expenſae omnes minimae maximae in rationes eſſent referendae, id quod nunc mihi faciendum. Volo enim omnino videatis, nihil me lucratum ex hoc itinere. Vale, & tibi uni haec dicta puta. Ego ſtilum & pugillares exercebo.

EPISTOLA LX.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

ANte biduum huc eſt reverſa Sereniſſima noſtra Domina, Heinſi clariſſime. Abfuiſſe enim illam aliquamdiu Nicopiae, matris inviſendae gratia, ex ſuperioribus meis jam intellexiſti, ut opinor. Quamvis autem ex ea ſtatim, ut reverſa eſſet, intelligerem, redditas ſibi fuiſſe Nicopiae duas, quas ad me ſcripſiſſes epiſtolas, adtamen non niſi ante horulam demum eas videre contigit, quod neſcio quibus aliis fuerint permixtae reculis. Si itaque non prolixe ad

ſingula reſpondeam, non id animo, ſed tempori imputabis. Gratias ago, quod nomen mercatoris ſignificaveris, ad quem literas Venetias debeam mittere. Proculdubio vero cum calores jam remiſerint, tempuſque praeſtitutum tranſierit, jam te in viam dederis. Quod ſi ita ſit, precor ut & hoc tibi iter tam feliciter cedat, quam quod feliciſſime. De me vero noli dubitare, mi Heinſi, quin omnia ea, quae poſtulas, ante diſceſſum meum vel perficiam, vel ſaltem perficere coner. De tumultibus Neapolitanis, ipſe videris. Verum & de hoc ipſe ſtatuas licet, utrum Romae, an vero Florentiae inſtantem velis exigere hyemem. Scis optimam & incomparabilem noſtram Dominam liberam in talibus tibi reliquiſſe voluntatem. Recte itaque feceris, ſi eo te conferas, ubi operam tuam maxime utilem & neceſſariam fore exiſtimaveris. De *Langermanno* valde gratum eſt Sereniſſimae Reginae, quod ſcribis. Colloquar cum Domina noſtra uberius de illo, eritque, ut opinor, quod ſibi gratuletur de hoc ſuo conſilio. De catalogo Bibliothecae Richelianae quod ſcribis, non tanti eſt, ut propterea mihi ſuccenſere debeas, ſignificavi tibi ſuperioribus literis *Salmaſium* eſſe in culpa, quod ille perierit. Recte vero facis quod inſtigare non ceſſes *Cunradum* & *Menagium* de edendo eo, quod meditantur, opere. Scriptum, quod tranſmittis, Frontonis nondum vidi, uti neque caetera, quae literis tuis adjunxeras, omnia ea habet Sereniſſima Regina. Quod ideo tibi ſignifico, ne mihi impoſterum ſuccenſeas, quod nihil ad ea reſcripſerim tibi. Liber Marchionis *Montoſerii* gratus erit Sereniſſimae Reginae. Caeſaris Commentariis a Rege tranſlatis poſſit carere Sereniſſima noſtra Domina. Libri illi, quos in aedibus Elzevirii expoſueras, periere, ut exiſtimo, de quo & in ſuperioribus ad te ſcripſi literis. Verum neque Gellius *Gronovii* comparet. Quod vero nummum *Menagio* deſtinatum adtinet, illum jam dudum habuiſſes, ſi per me ſtetiſſet. *Capellani* epigramma necdum vidi. Tactica illa, quae *Reſander* deſcripſit, grata erunt, ut arbitror. Valde doleo periiſſe opus ſatis prolixum ſub nomine Ariſtarchi, quod ipſe a ſe deſcriptum juniori commiſerat *Freinshemio*. Immerito certe hominem illum odit *Bidalius*, cum & optimae ſit indolis, & in Graecis eruditiſſimus, verum & in Latinis multum profecit, ex quo Pariſiis commoratus eſt. Quod autem *Bidalius* objiciat ei melancholiam, quid hoc mirandum? quem non is corripiat morbus, qui cum ſimili colluctetur fortuna? Non cuique datum eſt, eſſe in miſeriis hilarem. Verum de *Reſandro* ſatis jam ſuperioribus ad te perſcripſi literis. Caeterum non praetermittam Dominam noſtram rogare ut diſſolvat id, quod Pariſiis contraxit, aes alienum. Judicium *Valeſii* de oratione *Ferrarii* ſane non miror. Jam pridem cognovi, *Valeſium* non probare id genus dictionis, quod uſque adeo a Cicerone abhorreat, cui ſe totum a multis tradidit annis. Et ſane per me licet ut inter ſeſe diſſentiant viri illi egregii, Dummodo in eo conveniat uterque incomparabilem eſſe, quam laudavere, dominam, & longe facundia ſua ſuperiorem. Pro epigrammatis *Menagii* gratias ago maximas. De bibliothecis autem Italicis quidquid mihi ſuccurrit, diligenter ad te perſcribam. Phoemionis Philoſophi cynoſophion hactenus non vidi. Poſſumus tamen eo facile carere, cum multa praeſtantiora ſcripta ex-

exstent adhuc inedita, quaeque longe nobilius tranctant argumentum. Agathemerus in omnibus passim exstat bibliothecis, ipseque etiam olim in describendo, aliquot perdidi horulas. Catalogum Archiepiscopi Rhemensis jam olim accepimus. Nullos is continet codices manu exaratos. *Possino* nomine Reginae gratias egi, qnod & superiori tibi significavi hebdomade, nisi me fallit memoria. Hactenus literis tuis respondi, nunc ad alia venio. Accepit Domina nostra ante biduum catalogum accuratissimum librorum bibliothecae Althaemsianae. Non possum tibi exprimere quanta cum voluptate illum perlegerim, adeo is multos & rarissimos continet libros. Procuravit hunc Dominae nostrae *Vincentius Noghera*, qui & ipse brevi quoque se transmissurum promittit Catalogum librorum Farnesianorum. *Noghera* autem is est Eques Lusitanus, a multis mihi jam notus annis, vir probus, doctus, & Dominae nostrae studiosissimus. Habitat Romae in aedibus, ut puto, Barberinianis. Caetera ex aliis intelliges. Cupit Serenissima Regina, ut illum convenias, neque enim dubitat, quin plurimum instituto tuo possit prodesse. Scribit ille existimare sese Ducem illum, cujus est bibliotheca, libenter aures praebiturum cupientibus illam emere, cum nihil minus quam libros curet, ut pote cum sit totus deditus venationi. Facile itaque vel totam venditurum, vel etiam aliquam ejus partem, quod sane ego longe praetulerim. Nam multa haec quoque continet bibliotheca, quae vix sit operae pretium transmittere. Jussit itaque Domina, ut Catalogum illum diligentissime perlegerem, & quoscunque excerperem libros, qui modo alicujus mihi esse viderentur pretii. Tempus non permittit, ut id hoc faciam die. Curabo, ut sequenti hebdomade & tu & *Noghera* habeatis excerptum ex hoc catalogo, quod omnes contineat codices, quos emere desiderat Domina nostra. Id ipsum faciam in Farnesiano, aliisque, quos ante discessum meum accepero, catalogis. Venetias ubi veneris curabis, ut spero, describi Didymum de plantis Aegyptiacis. Liber enim is dignissimus est bibliotheca nostra. De libris quibusdam rarioribus ineditis in bibliotheca Laurentiana scribam ad te sequenti hebdomade. Prae caeteris vero memor esto Manethonis Aegyptii apotelesmatum, conscriptorum carmine heroico, item topographiae Christianae Cosmae Indopleustae. De aliis alias. Vale, mi Heinsi, & *Langermannum*, cui quamprimum rescribam, plurimum meo nomine salutes. Postquam haec exarassem, Clarissime Heinsi, jussit Regina ut te plurimum nomine suo salutarem, omniaque tibi fausta & felicia in itinere precarer. Curam quoque *Langermanni* habituram esse sese spopondit. Iterum vale, mi Heinsi, & me tui amantissimum ut vicissim ames, etiam atque etiam rogo. De itinere meo in Hispaniam necdum certus sum. Velim *Langermannus* usuram Ptolemaei sui mihi concederet. Discessit hinc *Salmasius* ante duas hebdomades. Utrumque filium hîc reliquit. Verum haec accuratius ad te *Wullius* noster, ut arbitror. XXIII. Septemb. CIↃIↃCLI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LXI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

NUntio tibi, mi Heinſi, rem non mirandam tantum, ſed & prorſus incredibilem. Aliquid jam forſan ex communibus percepiſti rumoribus, verum an iis credideris id vix arbitror. Sceptrum & coronam ſuam deponere velle videtur Domina noſtra. Cui eam vult tradere, is eſt *Carolus* princeps. Audiſtine unquam aliquid ſimile, Reginam & in flore aetatis, & cui omnia ex voto fluant, tantas unquam opes fortunaſque abdicaſſe? Quod ſi & aliqui alii imperio ſuo unquam valedixerint, certe illorum fuit longe alia ratio: nam aut ignavia, aut vi adacti, aut annis graves, aut denique quod ob aliud quid imperio eſſent impares, id ipſum fecerunt: id vero prodigioſiſſimum, virginem reginam primis juventae annis, tanta circumdatam gloria, quanta nemo alius regum, poſſidentem regnum pacatiſſimum domi foriſque, timentem neminem & ab omnibus amatam, tanto denique praeditam intellectu & ingenio, quod vel imperio orbis poſſit ſufficere, tam divinum audere facinus, quale ne heroica quidem unquam viderunt ſaecula, nec credent futura. Uni huic facto omnia ego Romanorum geſta longe poſthabeo. Libens autem haec ad te ſcribo, mi Heinſi, quoniam jam dudum cognovi te non eſſe unum ex iis, qui Dominam noſtram propter opes colunt, memor quippe ſum verborum, quae te ſaepe repetentem audivi, te multo velle libentius privatae alicui ſervire dominae, tantis praeditae virtutibus, quam cuicunque reginae. Quod ſi ex animo id verbum provenerit, jam voto potieris. Et profecto non fallor, cum exiſtimo vel ob hoc ipſum propoſitum multo te promptiorem paratioremque fore ad quaecunquae ſervitia, quam ante; non quod non hactenus fueris promptiſſimus, ſed quod probis & honeſtis viris jucundiora fiunt officia ſua, quando compenſationis ſpes vel adimitur vel minuitur, tum enim animus & voluntas eorum maxime cognoſcitur. Atque haec quidem pauca de re omnium maxima & miraculoſiſſima dixiſſe, apud te nunc ſufficiat. Literas tuas quod adtinet, eae valde fuere gratae & jucundae. De Bibliotheca *Mazarini*, Archiepiſcopi Tholoſani & aliis emendis, recte judicas. De *Gaulmini* libris vero non recte exiſtimas, ſi eos non gratos fuiſſe putes Sereniſſimae Reginae; fuere enim gratiſſimi, neque dubito quin id ipſum munere etiam teſtabitur Domina noſtra. Quas proxime elapſa hebdomade miſi literas, eas ad mercatorem, cujus mihi ſignificaſti nomen, tranſmiſi. Quod vero rogas, ut cum praefecto tabellariorum agam, quo literae tuae ſecure poſſint ambulare, faciam id quamprimum. Pro Catalogo librorum *Juſtelli* gratias ago maximas. Vidi illum etiam olim, & nihil prorſus continet ſingulare, & immenſum eſt, quod poſtulat pretium. Verum & Gaulminianorum librorum, quod

quod transmiseris catalogum id quoque optime factum. Intra decem vel duodecim dies discedam. Promisit Serenissima Regina sese curaturam, ut ea, quae vobis debetur, pecuniae summa in camera rationum adprobetur, mihique scriptum illud patri tuo ferendum committat. Occupatissimus sum in concinnando catalogo librorum bibliothecae Regiae. Per quinque jam hebdomades nihil aliud ago. Brevi tamen & forsan intra octiduum me inde expediam. Vale, & me amare pergas. VII. Octob. CIↃIↃCLI.

S. Regina dixit sese rescripturam tibi, ubi hinc discessero. Ipsam itaque semper compelles velim.

EPISTOLA LXII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NOn existimaram me plures ante discessum meum ex Suedia ad te scripturum literas, sed video iter meum cum ob alia, tum etiam propter difficultatem viarum, de hebdomade in hebdomadem differri. Tertia jam est hebdomas quod nullas a te acceperim. Unde conjicio te jamdudum in Italia esse, modo non aliquid incommodi in via tibi contigerit, quod utinam deus avertat. De juvenibus aliquot in poesi Italica exercitatis huc transmittendis egi superioribus ad te literis. Valde gratum erit Serenissimae Reginae, si eam certiorem facias de quibusdam eruditis in Philosophia, praesertim quos huc posse evocari existimas. Valde enim illa desiderat excellentem aliquem Philosophum Italum sui facere juris. Significabis itaque nomina & ingenium eorum, qui maxima cum laude & gloria studium id profitentur, & exercent. Mitto ad te literas, quas ad *Vincentium Nogheram* exaravi. Inclusum iis est epistolium Serenissimae Reginae ad eundem. Rogo ut id ei quamprimum Romam transmittas. Ipsum enim te nondum eo venisse existimo. Arbitror maximam hyemis partem aut Mediolani aut Venetiis exacturum te esse. Ut ut sit, rogo verbulo significes: plures meas invenies Venetiis, nonnullas apud illum, cujus mihi primo nomen significasti, alias apud alterum istum Belgam. Literas tuas imposterum ad *Georgium Furstenhausium* Consiliarium Reginae mittas Norimbergam. Is porro huc transmittet. Transmitto literas *Wullii*, quas hîc vides. Sequenti hebdomade fusius ad te scribam. Vale & me ama.

Digitized by Google

EPISTOLA LXIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

Epiſtolium, quod Divione prid. Kal. Octobres exaraſti, reddidit mihi Regina hoc ipſo' fere, quo haec ſcribo, momento. Caſu neſcio quo inter alia id conjecerat ſcripta. Quod in eo denuo ſilentium meum reprehendas, facis in eo quidem pro more tuo, attamen vix puto eam tantam eſſe, quantam tu exiſtimas. Ex animo tamen opto voveoque, ut meliorem diligentioremque in *Bourdelotio* amicum habeas, quam me hactenus habueris. Credo & ſpero quoque libenter, illum ſatisfacturum tibi in omnibus, deſideriaque tua ad meliorem perducturum exitum, quam ipſe hactenus fecerim, verum an tui futurus ſit amantior, de eo admodum dubito. Regina modo promiſit mihi ſe ipſam tibi miſſuram epiſtolam commendatitiam ad magnum Hetruriae ducem. Non ceſſabo flagitare, ut id quam primum faciat. De libris Cardinalis *Altempſi* emendis agas cum Domino *Vincentio Nogbera* domeſtico, ut exiſtimo, Cardinalis Barbarini. Excerpta catalogi tranſmittam, ſimul atque in Hollandiam venero. Deſtinavit *Nogberae* torquem aureum Regina, quem ut quamprimum offerre poſſis curabo, ut ſpero. Nummus jam tranſmiſſus eſt *Bidalio*, quem appendas. Novus jam cuditur aureus nummus, cujus aliquot tibi promiſit exemplaria Domina noſtra. *Wullenius* non diffitetur negligentiam ſuam, ultro & ſponte eam agnoſcit. Si illum culpa liberavit nuper calamitas domeſtica, nunc illum non minus liberare debent novi amores, quibus totus eſt irretitus. Diſtrahunt animum ejus duae viduae, utraque pulcra & opulenta. Illam non novi, alteram vero, in quam pronior videtur, quamque diligentiſſime obſervat, licet id ipſum quoque alii faciant quam plurimi, ſui videtur eſſe facturus juris. Nomen ei eſt *Annae Kock*, maritus ejus olim hîc fuit praefectus rei monetariae. Quod ideo tibi ſignifico, ut ſi forſan animus tibi ſit Epithalamiolo aliquo nuptias ejus cohonestare, ne nominis ignoratione id omittas. Et ſane brevi eae celebrentur, ſi *Moncheronio* & aliis credendum ſit. Ejus gratia jam tabaco valedixit, & liberos in Hollandiam tranſmiſit. Eſt autem nunc vicinus meus in hac arce, proximum ſiquidem meis habet cubiculum, animoque non minus, quam loco vivimus conjuncti. Is & *Moncheronius* jam mihi (coenaturi mecum) adſunt, quae cauſa eſt ut nunc brevior ſim, plura ex Hollandia. Mirari vero non debes, quod literas nullas Lugdunum miſerim, neminem ibi novi. Tres aut quatuor, niſi fallor, miſi Venetias, priores quidem ad *de Wilm* & *Strickerum* mercatores, alteras ad *Lumagam*, quem mihi indicaſti. Vale & me ama.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LXIV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

AQuatuor hebdomadibus vix quatuor a te accepi lineas, mi Heinſi. Jam itaque video verum eſſe id, quod mihi minabare, te quoque poſt hac Λακωνικώτερον fore, niſi ipſe prius mores mutarem. Ego quidem, ut verum de me fatear, licet raras eaſque breves admodum ad te ſaepe dederim literas poſtremo hoc bimeſtri ſpatio, mirari tamen id non debes, praeſertim cum jam ſignificaverim tibi, quantus mihi fuerit exantlandus labor, in tam vaſto librorum numero denuo digerendo, colligendoque. Licet enim amanuenſes mei Catalogum fecerint, eum tamen ipſi conficere non potuiſſent, niſi ipſe prius bonos a malis ſeparaſſem. Nunc demum, mi Heinſi, poſtquam tam vaſto & moleſto defunctus ſum labore, iterum reſpirare incipio, videorque mihi de ſupulchro prodire: nam certe ſi me vidiſſes inſidentem cumulo Germanicarum poſtillarum, cinctumque undique tam inamoenis dapibus; non certe meliorem meam judicaſſes conditionem, quam eorum, qui buſta inhabitant: imo aut ego fallor, aut multo me magis miſerum ipſis mortuis cenſuiſſes, illi ſiquidem quieſcunt, & ſumma fruuntur tranquillitate, ego vero in tam injucundo & inamabili adeo labore utrumque exercui latus, & tantum non contabui, attamen ſemel ea fuit exedenda moleſtia. Hodie ſummam huic labori nondum potui manum imponere, fiet id tamen quam primum. Non itaque debes mihi ſuccenſere, mi Heinſi, quod tam raras tamque breves interea temporis ad te dederim literas, neque id debes imputare etiam negligentiae meae, nam certe multo libentius literis ad te ſcribendis vacaſſem, quam moleſtiſſimo huic labori, qui totum poene meum labefecit corpus. Atque haec quidem de me ſufficiant. Ad tuas autem ut veniam res, ſcias Reginam promiſiſſe, ſeſe quamprimum miſſuram, quas ad magnum ducem promiſit, commendatitias. Hodie a me quaeſivit, ubinam terrarum te nunc agere exiſtimarem, dixi me arbitrari te vel veniſſe, vel brevi venturum Venetias. Neque enim diu te Maſſiliae, aut alibi in Gallia moraturum exiſtimo. Proculdubio te aliquamdiu detinebit Mediolanenſis Bibliotheca. *Wallii* noſtri nuptiae differentur neceſſario in aliquot menſes propter luctum conjugis defunctae. Nomen ſponſae ſuperioribus jam tibi indicavi literis. Vides quam brevi inter hunc & illam convenerit. De voluntate Reginae in deponendo ſceptro quae tibi ante aliquot ſcripſi hebdomades, noli ea credere. Brevi certiora intelliges. Iter meum in Hiſpaniam non ſuccedet. Neſcio an hic commorabor, an vero per aliquot menſes me in Hollandiam conferam, quo jam omnia mea praemiſi. *Spiringium* ſenem credo jam intellexiſti miſſum eſſe a Regina ad parlamentum Anglicanum. Pictori

Becco animus quoque jam est adire Italiam. Jam sese ad iter accinxit. Nescio unde is cognovit ea, quae de ipsius ad me scripsisti picturis. Ipse conjicias, vel forsan id jam tibi significavit *Wullius*. Non bene admodum erga te animatus est hoc nomine. Sed scio te non curare hominem, qui a vilissimis vapulat scurris. Verum de his ipse ad te *Wullius*. Mihi rogo nihil quidquam ad haec postrema rescribas, ob caussam, quam nosti. Vale, mi Heinsi, juvenum maxime & eruditissime, & salve a tuo aeternum. Holmiae 11. Novemb. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA LXV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

NEscio an ultimum sit, quod ex Suedia ad te scribam, hoc tamen scio me non ultra octo vel decem dies hîc commoraturum. Significavi vero tibi jam superioribus literis, me ante non hinc discessurum, quam obtinuero literas Camerae rationum, ut vocant, quibus promittant solutionem summae vobis debitae. Allocutus jam sum *Guldenclavium*, ut ab eo postularem cartam illam, quae continet vestras rationes, verum negat is exstare eam aut apud se, aut in Camera. Forsan folium istud Reginae tradidisti, quod si sit, vereor ut perierit. *Wullius* quoque negat se id habere, alia itaque tenenda via est; de qua cum Regina agam, ut spero. Celsi Rhetoricam, quamvis jam saepius inquisiverim, nondum tamen reperi. Librum de Plantis Mexicanis tradam affini tuo, diu enim est quod eum a *Wittio* obtinuerim, sed occasio saltem defuit, qua eum transmitterem. De *Sanctamantio* idem quod tu ad *Wullium* scribebas, scripsit ad me *Valesius*, cui nomine reginae respondi, eum imprudentissime mentiri, priusque illam cocum suum esse missuram, quam talem gnathonem. Munus, quod ei dedit Regina, non tam amplum est, quam ipse jactat. De honore ei exhibito ipse praesens cum fueris possis judicare. Transmitto tibi epistolam *Thevenoti*, ut videas ecquid ea tibi prodesse possit. Catalogus librorum *Altempsii* Cardinalis nimis est magnus, quam ut per cursorem transmittatur. Excerpta habebis simulatque in Hollandiam venero. Mediolani operae pretium fuerit describere inscriptionem quandam prolixam, ante aliquot annos in Creta repertam, & Venetiis excusam, sed valde vitiose. Ex apographo autem Mediolanensi innumera ejus inscriptionis loca suppleri & emendari possunt. Exstant quoque ibidem Constantini Porphyrogennetae Strategica seu Tactica, quorum principium edidit *Meursius*. Velim quoque cures conferri Catulli quoddam exemplar satis vetustum, nempe illud, in quo Catullus solus continetur. Alterum, quod & ipsum satis est bonum, ipse olim contuli. Innumeris locis auctorem illum emendavi, & ubi otium fuerit, novam ejus dabo

Digitized by Google

bo editionem, haud paulo meliorem ista *Scaligeri*. In Bibliotheca Medicaea Florentiae haec maxime succurrunt, quae digna existimo, ut describantur. Hippocratis Chirurgia, cui accedunt & alia scripta medica Apollonii Theros, Amyntae, Sorani, Oribasii, Heliodori, Archigenis & aliorum. Exstat iste liber in scamno septuagesimo quarto. In scamno autem xxv. exstat liber quantivis pretii, nempe topographia Christiana auctoris incerti, constans libris quindecim, cujus ego particulam tantum descripsi. Inter poëtas Graecos habentur apotelesmata Manethonis Aegyptii, conscripta carmine hexametro, inter philosophos vero, ut puto, Eutecnii Sophistae paraphrasis in Nicandri Alexipharmaca. In capsa vero clausa, quae est in ultimo bibliothecae recessu, existimo haberi Porphirii philosophi libros contra Christianos, & Xenophontis Milesiaca. *Bourdelotium* avide videre & cognoscere desidero. *Wullius* jam est vicinus meus in hac aula. Hac ipsa vespera, qua haec scribo, mecum coenabit cum aliis quibusdam. Jussit ut te nomine suo salutarem plurimum. Si ad me posthac scripseris, recte feceris, si literas tuas Amstelodamum miseris. Vale, mi Heinsi, & ignosce properantiae.

EPISTOLA LXVI.

NIC. HEINSIUS

Isaaco Vossio.

Amstelodamum.

ADhuc in Suedia haereo, mi Heinsi, cum propter alia quaedam, tum vero maxime propter difficultatem viae & profundum lutum. Simulatque nives ceciderunt, viae me committam, brevissimoque spatio tractum illum absolvam, faciamque te & de itinere meo in Hispaniam, & de aliis quibusdam certiorem. Iterum jussit mihi incomparabilis nostra Domina, ut per hunc ipsum cursorem significarem tibi, valde se desiderare, ut in omnes eos, qui arte poëtica aliquam sunt consecuti famam, diligentissime inquiras. Valde enim desiderat illa egregium aliquem poëtam Italum sui facere juris. Qualibus debeat ornatus esse dotibus, qui Dominae nostrae possit placere, non opus esse existimo, ut tibi significem: ipse enim tua sponte satis hoc possis colligere. Interim nosti praestabilius esse, ut is sit juvenis. Praeterea, ut sit gratiosus apud Dominam, oportet ut ipse prius gratiis litarit. Quod siquid aliud sit, quod in eo illa desideret, faciam te certiorem simulac intellexero. Verum ipsa forsan Domina nostra disertius mentem suam in literis suis ad te explicabit. De itinere meo Hispanico adhuc incertus sum. Quod si illud succedat, non praetermittam nomine tuo salutare illos, quorum mihi indicasti nomina. Imposterum literas tuum ad mercatorem illum Venetum mittam, cujus mihi significasti nomen. Has tamen & priores nonnullas ad affinem tuum misi Amstelodamum, quoniam praefectus hac in urbe cursorum negabat, se sine maxi-

mo ſuo incommodo eas poſſe Venetias tranſmittere. Sequenti hebdomade parabo occaſionem, qua poſſis tuto & celeriter non literas tantum omnes, verum & libellos & quoſcunque faſciculos tuto tranſmittere. De *Moraei* Manuſcriptis gratias ago, quod me monueris. Gratum fuit Sereniſſimae Reginae, quod libros illos hactenus ineditos Lugduni emeris. *Wullius* noſter ſecundas, ut videtur, brevi celebrabit nuptias. *Bourdelotius* intra hebdomadem unam & alteram, ut ſpero, aderit. *Salmaſius* Gottorpii in Holſatia decumbit. Quod me reprehendas, quaſi non praeſtiterim quod promiſi, cum ſcias me in culpa non eſſe, quominus illud quam primum tibi exhibeatur, parcius, ut mihi quidem videtur, reprehendere me debebas. Imo aut fallor, aut nihil eſt, in quo mihi peccaſſe videor. Nam quod dicis prudentis non eſſe aliquod promittere, quod praeſtare non poſſit, non tam hoc me tangit, quam ipſam Reginam, cujus nomine haec tibi promiſi, itaque ſi aliquando tardius tibi contingunt ea, quae promittuntur, non hoc mihi imputare debes, qui nunquam ceſſo urgere executionem promiſſorum Sereniſſimae reginae, ut teſtari poſſit D. *Wullius*. Auctor tibi aliquando fui, ut humaniores ad *Holmium* exarares literas, quod ſi feceris, nunquam ſat ſcio te hujus facti poenitebit. Ego in itinere ſaepiſſime ad illum ſcripſi, hocque pacto mirum in modum hominem mihi conciliavi. Scis illum eſſe diſtributorem expenſarum Reginae, ſcis illum regere *Bidalium*. De meo vero affectu utinam non dubitares. Nam certe toto vitae meae tempore oſtendam, ut ſpero, me ne meipſum quidem plus amaſſe, quam te amem. Videbo an ſequenti hebdomade literas Reginae ad te poſſim impetrare. Italum aliquem ſi huc miſeris, multum bene de Regina mereberis. Fac ut decenti ſit facie, fac elegantibus praeditus moribus, & ſi fieri poſſit, aulae non imperitus, verum haec tibi ſoli iterum. Vale, xxv. Novemb. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA LXVII.

ISAAC. VOSSSIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

PEr menſem integrum peregrinatus ſum, mi Heinſi, tantum nempe periit mihi temporis, dum Holmia in patriam tendo. Ejus mihi conſpectus ut ſemper, ita nunc quoque eſt jucundiſſimus; nunc, inquam, poſtquam nulla hîc amplius aula, nulli ſcurrae & externi apparent paraſiti. Itaque non poſſum oculos mentemque conjicere in eam, quin pulchrior pulchriorque mihi ſemper videatur. Et ſane ſi barbaris & feris quoque gentibus amor ineſt patriae, miſerrimae ſaepe & ſteriliſſimae, quî non poſſim amare & deperire noſtram hanc tam florentem, tam jucundam, tam fertilem invita licet natura, tam denique potentem, ut vel quorumcunque regum & tyrannorum minas ſecure poſſit contemnere. Non poſſum itaque tibi ſatis exprimere, vel tam brevis ha-

harum terrarum conſpectus quantum mihi afferat voluptatis. Tua tamen abſentia, mi Heinſi, facit, ut nullum mihi gaudium integrum videatur. Itaque ſaepiſſime illud mecum repeto, utinam adeſſet Heinſius. Huc vero ut veni, quatuor una eademque hebdomade accepi epiſtolas tuas. Una ante quatuordecim circiter dies matri reddita eſt, alteram mox exhibuit adfinis tuus; aliae duae ex Suedia mihi ſunt tranſmiſſae. Magnas vero tibi ago gratias, quod cum ipſe breves admodum & incultas ad te ſcripſerim literas, tu tam prolixas & elegantes ad me mittere non dubitaveris. Libenter agnoſco liberalitatem tuam, mi Heinſi, & fateor, me, ſi quis non animum, ſed exiguitatem officiorum ſpectet, non promeruiſſe, ut me vel ſemel compellares. Attamen quanto id minus promerui, tanto magis devinctum me tibi eſſe ſemper agnoſcam. Multum quoque doleo, quod non omnes meae ad manus tuas pervenerint. Nam quas ad *Stryckerum* miſi, tibi non redditas fuiſſe ex literis tuis cognovi. Mirari autem non debes, quod illum praetulerim *Lumagiis Coloniiſque*, eorum enim nomina ignota mihi fuere, antequam tu ea ſignificares. Literae vero illae exaratae a me fuerunt, antequam tuas acciperem. Et tamen jam ante ſcripſeras, ut recta Venetias mitterem quaſcunque ad te impoſterum deſtinarem. Praeter vero *Strickerum* & *Guilhelmium* nullos alios noram mercatores ea in urbe. Neſcio vero gaudeamne an doleam, quod cum tanta codicum venalium proſtet copia, eorum tamen comparandorum deſit tibi facultas. Jam dudum ante diſceſſum meum ex Suedia affirmavit mihi Regina, ſeſe triginta ſcutatorum millia uſibus tuis deſtinaſſe, utinam tamen illa aut jam comparuiſſent, aut brevi ſaltem compareant. Stephanum autem de urbibus noli quaeſo dimittere, libentiſſime pro eo centenos perſolvam imperiales. Pro Ptolemaeo, quem comparaſti, immenſas tibi refero gratias. Quamvis non admodum bene de te mereri hactenus potuerim, ſcias tamen nihil meum fore, quoad vivam, quod non tuum ſit futurum ubi volueris. De *Langermanno* quod mones optime feciſti. Promiſit Regina ſeſe rationem ejus habituram quam maximam. Exaravi ad illum tria verba raptim, cum Hamburgum tranſirem. Pluribus eum compellabo, ſimulatque reddita mihi fuerit ejus epiſtola, quam ex Suedia exſpecto, eo enim illam tranſmiſit ampliſſimus ejus parens. De *Bourdelotio* ita habeas, illum ante quinque vel ſex hebdomades in Suediam appuliſſe. Gaudet is titulo primarii archiatri, honoribuſque ampliſſimis. Nullus unquam princeps majori exceptus eſt pompa. In *Wullenium* plenam exercet autoritatem, tanquam longe ſe inferiorem, quem tamen *Bourdelotio* minorem non eſſe exiſtimo. Aequo autem haec animo concoquit *Wullenius*. Antequam Lutetia diſcederet, coegit *Bidalium*, ut ſingulis annis quatuor ſcutatorum millia ipſi perſolverentur, idque in ipſa Gallia ſex menſibus antequam tempus ſolutionis exſpiraret. Exegit ab eodem pro impenſis itineris quatuordecim florenorum millia. Obtinet praeterea domicilium ampliſſimum in arce regia, ferculaque accipit innumera ex culina Reginae. Vides quid non poſſit impudentia Gallica. Quis non juret daemonum fieri inſtinctu, quotieſcunque probus aliquis & pudens vir aulam ingreditur? Verum de his liberius aliquando coram garriemus

mus. Nescio vero quis tibi persuaserit, ut literas Hamburgum ad *Mejerum* mitteres, quem tamen nullum esse existimo. *Mullerum* credo voluisti dicere. Curat is negotia Reginae ea in urbe, sub nomine Residentis, estque gener *Salvii: Ciconius* iste an verum tibi retulerit de *Holmio* valde dubito. Fieri tamen aliquando possit, ut in Galliam excurrat. Literas *Macedonis* transmisi Reginae. Jam dudum nempe ante tres menses monui te de mittendis Norimbergam literis tuis ad illum, qui res agit Reginae ea in urbe. Nomen fere excidit, tum tamen tibi significavi. Puto esse *Furstenhause*, estque consiliarius Reginae. Quod si detrectet literas tuas recipere, & porro in Suediam mittere, significes hoc Reginae, vel ipse significabo. Velit, nolit, cogetur id facere, nisi sponte pareat. Verum plura, ubi Hagam venero, eo me jam confero. Vale, mi Heinsi. Velim scire an *Holstenium* aliqua in re offenderim. Aliquoties meipsum consului, & conscientiam meam, nec tamen quidquam in ea reperio, quod eum laedere potuerit. Velim verbulo certiorem me facias. Amstelodami XIII. Martii CIↃIↃCLII.

EPISTOLA LXVIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Romam.

DUas hebdomadas Hagae & Leidae exegi, mi Heinsi. Promiseram me inde ad te scripturum, & nescio quî factum sit, ut inter crebras amicorum salutationes convivationesque, non tui, neque enim hoc unquam fiet, verum mei fuerim oblitus officii. Pridie tamen quam ad te scribendae essent literae, seposueram vesperam aliquam vel noctem potius integram, qua tam prolixas ad te dare literas constitueram, ut earum lectio non tibi tantum, verum patientissimo cuique Stoico taedium adferre potuisset. Verum tam laudabile propositum interrupit heros noster *Silvercronius*, qui ipso coenae tempore me accessit, totamque noctem apud me extraxit. Mihi quidem intempestive visus est me accessisse: effecit enim ut non erga te officiosus esse potuerim: ut tamen verum fatear, valde opportunus negligentiae meae hospes advenit. Mortem vero parentis ejus jam dudum intellexeris, ut arbitror. Ipse cum matre & sororibus universaque familia in Suediam contendit. Ita ut tibi non defuturum sit bonum sodalitium, ubi in Suediam fueris reversus. De *Bourdelotio* jam bis aut ter te monui. Tu quidem confidis in hoc amico; nimis tamen mihi videtur inimici tui partes agere, quam ut vel minimum tua agat gratia. Credo illum vix compellare te audere, adeo is se obsequiis & nutibus Domini sui devovit. *Vincentii Nogherae* captivitatem doleo. De Catullo quod scribis valde te amo, uti quoque de caeteris libris a te vel emptis, vel descriptis. Transmisi Reginae ante biduum Elegiam tuam, quam literis incluseras. Lite-

Digitized by Google

teras illas obſignatas mihi tranſmiſerat *Langermannus*. Certus ſum gratiſſimam fore Reginae elegiam iſtam, atque utinam illa ſaepius tale quid a te habeat. Vellem quoque, ut ſi quid ab Italis in honorem Dominae noſtrae poſſis impetrare, id quam primum tranſmitteres, mirum enim in modum Italorum illa delectatur carminibus, & certo ſcio quam liberaliſſime compenſaturam Dominam tales conatus. *Bochartum* hîc ſingulis diebus exſpecto. In portu Gratiae occaſionem huc transfretandi exſpectat, aut forſan jam inde ſolvit. Is tenerrime te amat, ut ex literis ejus conjicio. Commoraturum hîc aliquandiu ſpero, neque enim ante ſex aut octo hebdomades hinc diſceſſerim libens. *Salmaſius* omnibus modis bellum mihi indicere parat. Ego ſecurus finem fabulae exſpecto. Vale, & Clariſſ. *Langermannum* plurimum meo nomine ſalutes. Si tibi uſura Vaticanae conceditur, vellem vitam Perpetuae deſcribendam curares, quae codici cuidam Cypriani eſt adfixa, ut mihi olim ſignificavit *Holſtenius*. Et illum & *Leonem Allatium*, & ſi quos alios noſtri memores videris, plurimum rogo nomine meo ſalutes. Amſtelodami CIↃIↃCLII. Menſe Aprili.

EPISTOLA LXIX.

ISAAC. VOSSIUS.

Nic. Heinſio.

Leidam.

SI ſubitus tibi nuper viſus ſit meus ex Hollandia diſceſſus, multo magis ſubitus videbitur ad hanc reditus. Helmſtadiam & fines terrae Suedicae jam adtigeram, [1] mi Heinſi, cum mihi nil tale exſpectanti, allatum eſt mandatum horribile, quo juſſus ſum pedem referre, & a *Salmaſio* veniam petere injuriarum, quibus a me ſit affectus. Quaeres fortaſſis, quaenam illae fuerint injuriae, quibus uſque adeo irritarim Sereniſſimae Reginae erga me animum. Rem breviter narrabo. Nuper, ut noſti, ex Suedia in patriam reverſus, coepi a *Salmaſio* exigere mille iſtos & quingentos ſcutatos, quos mihi debet. Ille tergiverſari, atque aes iſtud nihil quidquid ad ſe pertinere contendere; ſimulque exprobrare quam plurima, quae nihil quidquam ad rem faciebant. Inter crimina, quae mihi objiciebat, ſupremum & forſan unicum fuiſſe iſtud, quod tecum arctam, etiam poſtquam ipſe in Suediam veniſſet, coluerim amicitiam, facile, ut opinor, poſſis conjicere. Praecipue vero objicere, patuiſſe tibi etiam aditum ad aedes meas per portam clandeſtinam, ſeque hoc ſedulo obſervaſſe. Ego non negare factum, verum ultro fateri, feciſſe me id, ut imbecillitati ejus conſulerem. Aequum vero eſſe, ut tibi hanc relinqueret querelam, quod non per honoratiorem te admiſerim portam. Statim ut ab eo digreſſus fui, dixit pluribus, me nulla alia de cauſa eum acceſſiſſe, quam ut contumelia adficerem. Meque

1 Confer cum his Heinſianas ad Gronovii Epiſt. CCXLVI, & ſeq.

Digitized by Google

que esse impostorem, & postulasse ab eo magnam pecuniae summam, quam jam Regina persolvisset. Ego ubi haec intellexi, rescripsi falsissimum hoc esse, perque notarium *Sitterum*, quem nosti, ut puto, eum in jus vocavi. Tum ille in furias ignemque adversus me ruere, & ridere quod cognatum habeam, qui notarius, seque nullum in tota urbe Leidensi agnoscere vel forum, vel tribunal, a quo citari possit. Ego ad haec, perinde mihi esse, quorum sese vellet submittere judicio, dummodo solverit, sive Academiae, cujus esset membrum, sive curiae Hollandicae. Rescripsi quoque notarium illum, qui mihi aliqua junctus esset adfinitate, virum esse probum & honestum, & vel illius cognatione dignissimum. Injurias quoque plerasque mihi inflictas in illum retorsi. Has ille literas statim ad Reginam transmisit. Atque haec quidem est causa, quamobrem Serenissima Regina hanc mihi, quam retuli, poenam indixerit. Fuit id quidem mihi molestum, & injucundum, verum multo id molestius accidit Cl. *Bocharto*, a quo, ut dixi, Helmstadiae divulsus sum. Agit is quidem nunc causam meam apud Reginam, verum quo eventu nescio. Adversatur ei in omnibus *Bourdelotius*, qui solus apud Reginam potest, quidquid vult. τάχα τ' ἀύριον ἔσσετ' ἄμεινον. Ego feci quidquid potui, ut *Salmasium* mihi reconciliarem, epistolamque ad eum exaravi humanissimam, qua petii ut praeteritorum omnium oblivisceretur. Verum hanc bellua ista, etiam priusquam legisset, igni tradidit multis praesentibus. Avide scire desidero, an probatura sit tam memorabile facinus Serenissima Regina. Proculdubio aliptes ille δοκησίσοφος aliquod σοφὸν φάρμακον contumeliae huic adhibebit. Nam cum fortunam suam *Salmasio* acceptam ferat, non potest non ejus ergo omnia velle. Urget is valde meum in Hispaniam iter. Fuisset id quidem gratum alias, verum nunc non potest quam maxime illud displicere, tum quia supplicii instar id mihi injungatur, tum etiam quod tuo exemplo sapere incipiam. Non tamen, mi Heinsi, mihi irasci debes, quod nihil eorum, quae tibi promissa fuerant, praestetur. Ab eo tempore, quo a nobis discessisti, non eo apud R. fui loco, quo forsan existimas. Quicquid itaque scribis de numismatis aureis argenteisque, de paternis rationibus adprobatis, de commendatitiis ad magnum Ethruriae ducem & alios Italiae principes, haec non mihi sunt imputanda, sed illis, qui nos perdere satagunt apud optimam Reginam. Eorum enim culpa non haec tantum perficere non potui, verum neque id saltem potui impetrare, ut vel de necessariis ad iter sumtibus tibi prospiceretur. Quod autem attinet auctorem de plantis Mexicanis, illum dedi affini tuo, ut oblata occasione eum ad te transmittat. Dudum eum me quaesivisse testis erit idem ille tuus adfinis, nempe a quatuor aut quinque mensibus, ex quo in Hollandiam reversus sum primo. De *Holmio* quod scribis valde miror. Is in scribendo liberalior erit imposterum, invenit siquidem aliquem, qui ei sit ab epistolis. Utinam is aeque in praestando atque promittendo esset liberalis. Et sane potuisset ille, si voluisset, rebus tuis in tempore prospicere, cum custos sit aerarii privati Dominae nostrae. Sed nosti mores hominis. Aditurum eum Italiam necdum credo. Actum est de ejus fortunis, si eo se conferat. Sed credo haec eum scribere, & tui

&

Digitized by Google

& *Cicconii* gratia. De una alteraque epiſtola, qua de rebus & adventu *Bourdelotii* te certiorem reddideram, quid factum ſit coram narrabo. De faſciculis in Suediam miſſis nihil certi tibi renuntiare poſſim. *Bochartus* quin te plurimum amet, cave dubites. Nihil eſt quod ipſi aeque in Suedia doleat, quam quod neuter noſtrum ipſi adſit. Utinam vero vir iſte & amicus noſter ſummus quantum nos amat, tantundem pro nobis poſſet apud Reginam, id ſi eſſet, frueremur votis utrique. Verum improbus obſtat aliptes, qui artibus aulicis longe eo eſt potentior. Vidi literas ejus Latinas ineptiſſimas: vocat ſe ſemper *Protomedicum*, lepido ſane vocabulo: verum de his coram. Manuſcriptos, quos emiſti, neſcio quomodo ſecure in Suediam, vel huc poſſis tranſmittere, cum bellum Anglicanum omnia maria tanquam tempeſtate praecluſerit. Sed ſpero ſecuritatem brevi redituram, praeſertim ſi nobis victoriam conceſſerit deus, de gente & ſibi & omnibus hominibus inviſa. Et jam forſan, dum haec ſcribo, praelium commiſſum eſt, ultimus ſiquidem nuntius adtulit non longe ab invicem diſtare claſſes. Legati noſtri re nulla peracta domum reverſi ſunt, bellumque jam utrinque declaratum eſt. Duo hinc legati in Suediam ituri ſunt intra duas hebdomades. Nomina eorum necdum cognovi, alterum tamen exiſtimo futurum *Beuningium*, niſi ipſe recuſaverit, quod ego nolim. *Appelbomius Spiringio* ſucceſſit. Is re infecta, ut narratur, ex Anglia huc eſt reverſus. *Spiringius* junior, vel, ut accuratius loquar, *Silvercronius* hîc etiamnum haeret, abiturus & ipſe intra unam alteramve hebdomadem in Suediam. Mater cum caeteris ejus ſororibus jam Holmiam appulit, niſi fallor. Ex beneficio ipſis fruendo poſt mortem *Spiringii*, Regina dimidium abſtulit, quod valde male habet iſtas Dominas. De Ptolemaeo cum manuſcriptis collato magnas tibi ago gratias. Multum quoque debebo *Langermanno*, ſi ſuum codicem Reginae obtulerit. Si me Sereniſſima Regina dignum denique ſuo ſervitio exiſtimarit, potero, ut ſpero, ejus fortunis proſpicere. Utinam inter caetera, quae ſibi ex Bibliotheca Ambroſiana comparavit, etiam eſſent collationes in Hiſtoriam Auguſtam, cujus ibi ſatis bonum exemplar exſtat, ex quo innumera poſſunt reſtitui loca. Id utinam ego olim contuliſſem, ſed nimius erga *Salmaſium* affectus non permittebat, ut quidquam in iſtos auctores poſt illum tentarem. Verum de Stephani Byzantii περὶ πόλεων codice MSS. quid factum eſt? Utinam illum quovis pretio mihi comparaveris. Quidquid dederis libenter refundam, magnoque inſuper beneficio me obſtringes. *Bekkius* pictor hîc eſt: is Italiam cogitat. Verum & hic viaticum a Regina exſpectat. *Cyperum* ejus ſocium, & illum a Reginâ diſceſſiſſe exiſtimo. Quod ſacculum tibi plenum aranearum eſſe conquereris, hoc commune habes cum ea, ad cujus exemplum vivere debemus. *Blondelli* oculos tanta invaſit caligo, ut parum a caecitate abſit. *Miltonum* in Anglia idem invaſit malum. Intra duas treſve hebdomades ſciam, ut arbitror, quid de me futurum ſit. Quod *Holſtenium* mei non diſſimilem eſſe inquias gaudeo, nam ſi in illo excuſatum habeas id vitii, non debes me propterea odiſſe. Vera cauſa, cur non ſaepius ad te ſcripſerim, ea fuit, quod nihil boni pro te apud Reginam efficere potuerim. Quod vero ex Hollandia rarius ſcripſerim, id fieri

aliter non potuit. cum non nisi breviſſimo ſpatio ſubſtiterim, nempe per quatuor vel quinque hebdomades, reliquum temporis periit mihi, dum vaſtum iſtud ſpatium, quod nos ac Suedos interjacet, bis recurro. *Naudaeus* in Suediam eſt venturus, is forſan mihi ſuccedet in Bibliotheca. Incomparabilem parentem tuum non bene valere ex affine tuo intellexeram, nunc vero ex famulo ejus audio illum graviter admodum decumbere. *Salmaſium* mentitum eſſe, cum me male de eo apud Reginam locutum eſſe dixit, vel publice oſtendam, Spero deum redditurum valetudinem tuo parenti, cogniturum que veritatem. *Annae Schurmannae* aliiſque ſimilia perſuaſit, aut ſaltem perſuadere conatus eſt. Sed oſtendam illum eſſe nebulonem. Amſtelod. CIↃIↃCLII. XIX. Julii.

EPISTOLA LXX.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Venetias.

PRolixiores ad te praeterita hebdomade literas dedi, mi Heinſi, quibus quo in ſtatu res meae ſint ſatis, ut opinor, fuſe tibi ſignificavi. Satis quoque ex iis potuiſti cognoſcere, nihil eſſe eorum, quae me adtinent, quae non libenter tibi cupiam aperire. Quoniam autem liberiores fuere literae iſtae, peto, ut quod *Salmaſius* odio mei, id ipſum tu facias mei amore, nempe ut eas Vulcano offeras, ne fraudi mihi ſit aliquando mea apud te libertas. Superiori hebdomade vix audebam indicare tibi adflictiſſimam ſummi Parentis tui valetudinem, jam conclamatum fuiſſe nuntiarat mihi adfinis tui famulus illo ipſo, quo ad te ſcribebam, die, verum gaudeo quod nunc meliora tibi poſſim adferre. Siquidem hodie intellexi ita remiſiſſe morbum, ut ſpes ſit brevi eum priſtinae poſſe reddi ſanitati. Commorabitur tamen affinis & ſoror tua per aliquot etiamnum dies Leidae, quamvis enim omne, ut audio, periculum abſit, nondum tamen diſceſſit morbus. Quod vero in literis tuis ſcribis Parentem tuum intellexiſſe, me non honorifice de te apud Dominam noſtram eſſe locutum, ſcias velim eam eſſe meram *Salmaſii* calumniam. Nunquam vel dixi vel cogitavi aliquid dicere, quod Parentem tuum laedere potuiſſet. Ex eo tempore, quo in Suediam venit *Salmaſius*, (verum etiam ſemper) tanti mihi non eſt viſa amicitia *Salmaſii*, ut eam improbo aliquo facto comparare voluiſſem. Ut me exoſum faceret apud omnes amicos, nihil eſt quod non tentarit. *Blondello*, *Annae Schurmannae*, *Gronovio*, *Bocharto*, *Golio*, pluribuſque aliis perſuadere conatus eſt peſſime me de ipſis apud Reginam eſſe locutum. Verum, ut opinor, erit mihi de illo vindicta. Nihil eſt quod aeque illum urat, quam quod Notarium quendam dixerim eſſe dignum ejus cognatione. Atqui notum eſt cognatam illius *Salmaſiam* diu ancillatam fuiſſe concionatori cuidam Carantonenſi. Nupſiſſe vero non ita pridem inſtitori cuidam ligularum, cui nomen

eſt

est *Eusebio Lehan*, viro probo admodum, & quo merito gloriari possit *Salmasius*. Adeo quippe sincerum esse dicunt, ut in mercibus suis vendendis, emptores nunquam vel uno emunxerit obolo. In reliquam ejus cognationem tu proculdubio inquires. Aequum enim non est, ut tam heroica genealogia ignota in tenebris diutius lateat. Verum neque obliviscì debes quartae, quam vocas, Gratiarum. Avum habuit institorem panni, & inde familiae nomen. Verum haec tu diligentius. Ex animo cuperem habere collationes in Augustam historiam, de quibus proxime ad te egi. Utinam eam conferas: id enim si feceris, habebis, quo *Salmasium* possis vexare. De Anglicanis rebus nihil certi tibi possim rescribere. Classis *Trompii* Dunae portum reliquit, septentrionemque versus contendit, ad persequendum, ut creditur, *Blaeckium*, qui strenue nostrum contemnit, tanquam detrectantem certamen. *Beuningius* intra unam alteramve hebdomadem in Suediam discessurus est legatus. De me ante duas vel tres hebdomades nihil certi possum adfirmare. Vale, mi Heinsi, & me ames. Amstelodami. CIↃIↃCLII. XXVIII. Julii.

EPISTOLA LXXI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Venetiis.

Literas, quas ad me scripsisti in Suediam, inde mihi esse remissas, ex superioribus meis jam intellexisti, mi Heinsi. Dolet quod nihil omnino iis possum reponere. Scis mea non esse factum culpa, quod rebus tuis tam male consulatur, quomodo enim absens tuam potuissem agere causam, cum meipsum expedire nequiverim! Noli itaque mihi imputare, quod cum tam multa promiserim, nihil tamen eorum praestiterim: nosti enim jussum me ista scripsisse. Meminique me hoc saepius tibi significasse. Ex iis praeterea literis, quas ante duas ad te exaravi hebdomades, satis potuisti colligere, quo in statu res fuerint nostrae, ex quo e Suedia discessimus. Si illae tibi redditae sint, peto fac, quod praeterita postulabam hebdomade. Ego etiamnum Amstelodami haereo, incertus quamdiu. Si recte calculum pono, succedet iter Hispanicum, de quo saepius alias. Perstat enim in voluntate Regina, omnibusque modis cupit, ut eo me conferam. *Salmasium* quod adtinet, is quomodo meas tractarit literas, jam intellexisti. Accepi vero modo literas *Bocharti*, quibus rescribit hunc in modum: *J'ay leu a Sa Mte & celles que vous m'escrivès, & la copie de celles que vous escrivès a Mr. de Saumaise. Elle en est demeurée satisfaicte. Et pour moi je ne juge, que vous en deviès faire d'avantage.* Avide scire desidero, quid dictura sit Serenissima Regina, ubi intellexerit eum combussisse meas literas. Ego sane hoc facto gaudeo. Male mihi semper conveniat rogo cum nebulonibus. Olim, ut nosti, non suspexi tantum, sed pene adoravi eruditionem istius hominis, nunc vero,

ex quo majorem coepi cum illo familiaritatem colere, moresque ejus penitius inspicere, cognovi & minus doctum esse, quam existimaram, & minus generosum. Imo pusillum esse ostendam & vilissimi animi hominem. Jactat genus & proavos, cum omnes fuerint ignobiles. Mutuo accipit pecuniam, quam postea vel nolit, vel non possit reddere. Vult heros videri, cum scurrilia committat. Verum & in literis ostendam illum non esse id, quod quidam existimant. Palam fiet aliquando, imperitiam saeculi unicam fuisse felicitatem istius nebulonis. Sed de his alias. De itinere meo in Hispaniam scribam ad te simulatque aliquid certi cognovero. Parentem tuum, virum summum & incomparabilem, convaluisse ex animo gaudeo. Rerum novarum utinam hîc non tantum indies audiremus. Creditur jam Admiralius noster non longe abesse a classe Britannica. Verum de eo nihil tibi certi possim adfirmare, cum rumores sint meri, nulloque nixi testimonio. Velim tecum adferas opus cujusdam poëtae Itali de bellis Granatensibus, quod mire in Gallia commendant, adeoque ipsi *Tasso* praeferunt. Auctoris nomen nunc non succurrit, verum vocat se Mutinensem, & inservire se Mutinensi duci. Plura per sequentem tabellarium, nunc enim Hagam propero. De Stephano Byzantio utinam sis memor. Quicquid habeo tuum erit, si illum mihi procuraveris. Vale, mi Heinsi, & me ames. Amstelodami 11. Aug. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA LXXII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

ANte octiduum accepi e Suedia literas istas tuas, quibus alias ad Reginam incluseras. Statim illas una cum iis, quas ad me scripseras, remisi. Id ideo feci, ut cognosceret Serenissima Regina, unde factum esset, quod earum laesum esset sigillum: ejus siquidem pars aliis tuis adhaeserat. Nihil autem est in illis, quod nolis rescire Dominam nostram. Verum est in his, quod ego eam ignorare vellem. Attamen frustra; nota est enim Reginae negligentia mea, nec tamen propterea me odit. Tu vero, mi Heinsi, cum jam olim cognoveris, naturale mihi id esse vitium, nondum tamen me insectari definis. Parcius rogo imposterum me increpes, sitque tandem aliquis querelarum modus. Si omnes computes hebdomades, quibus hîc, post discessum meum priorem e Suedia, substiterim, plures erunt, quibus ad te scripserim, quam quibus non scripserim. Atque haec quidem ita sese habent, ut autem ad tuas veniam, ex animo dolet, quod nihil habeam, quod illis possim reponere. Scis enim me longe abesse ab aula, diuque in eo fuisse statu, ut neque tuam, neque *Langermanni* causam agere potuerim. Verum omnia, ut spero, brevi mutabuntur. Exspectemus & patiamur etiamnum paululum, & triumphabimus, ut

Digitized by Google

ut ſpero, brevi de hoc noſtro communi inimico. Multum jam ejus criſtas ſubſediſſe exiſtimo, aut ſi nec dum ſubſederint, videbis eum hominem brevi eo redactum inſaniae, ut ſcribat in Reginam. Divinas ad eum literas miſit Regina noſtra, quibus ejus ſuperbiam, inconſtantiam, invidiam, & malignitatem ita graphice depinxit, & retudit, ut mira prorſum res ſit, ſi non in rabiem agatur. Verum haec tibi ſoli dicta ſunto. Ego in Hiſpaniam brevi proficiſcar. *Naudaeus* interea curam habebit Bibliothecae. Tranſiit is hac ante menſem fere, nec tamen me compellavit, inſtigatus, ut credo, a *Salmaſio*. Atqui tamen ego iſtum primus Reginae commendavi, invitavique eum literis in Suediam. Una cum illo vocatus eſt in Suediam Gallus quidam, nomine *du Freſne*, mihi quidem ignotus, Praefecturam is exercebit in picturas & Cymelia regia. Anglicana illa puella, quam vidiſti apud *Salmaſium*, compreſſa eſt a Moro. *Salmaſius* cupit, ut eam in uxorem ducat. Neſcio quid facturus ſit *Morus*, qui affirmavit nonnullis, ſe Anglicanam iſtam iniiſſe tanquam Profeſſorem, non autem velut verbi divini miniſtrum, ideoque non curare monita Eccleſiae. Intellexeris vero jam dudum illum vocatum eſſe huc ad Profeſſionem Graecam. *Blondellus* necdum a caecitate ſua eſt liberatus. *Bochartus* in gratia eſt apud Dominam noſtram. *Beuningius* Legatus diſceſſit in Suediam ante duas circiter hebdomades. *Beckius* hîc per Hollandiam diſcurrit, tectus octo vel decem catenis aureis. *Spiringius* jam per multos menſes meditatur iter in Suediam, nec tamen eo proficiſcitur. Detinent illum neſcio an novi amores, an vero lites cum avunculo. Filiam graphiarii *Muſſi* dicitur ambire. Adfinem tuum brevi ſenatorem fore ſpero. De motibus Anglicanis certiora proculdubio ex illo intelligere poſſis. Ego quippe raro in publicum prodeo, & non me multum immiſceo publicis rumoribus. *Miltonum* caecum eſſe factum jam tibi ſignificavi, addunt alii etiam mortuum. *Patritii Junii* locum obtinet *Duraeus* quidam. Ipſe vero rure alicubi vivit. *Seldenum* haeredem eſſe omnium fere bonorum Comitiſſae Cantii, & hoc quoque indicavi. Dum vivebat nupſerat ei quodammodo, erat enim, ut vulgo loquuntur, maritus conſcientiae. Verum in partem haereditatis venit etiam Maurus quidam, egregie mutoniatus. Ipſi tamen *Seldeno* ceſſit & aula, & reditus quadraginta fere millium florenorum. Aliqui etiam longe majorem eum faciunt. In Suedia febris quoddam genus multos abſtulit. *Wachtmeiſterus* & *Wittenbergius* obierunt. Comes *Magnus*, Princeps *Carolus* aliique innumeri diu decubuere. Mortuus quoque eſt *Sopius* pater. *Tiſſenhauſius* coloſſeus ille, quem noſti, homo, dicitur occiſus eſſe a *Wrangelio* quodam. Aliud quod ſcribam nihil ſuccurrit. Vale, clariſſime Heinſi. Si Romae etiamnum commoreris, peto, ut ab *Holſtenio* poſtules collationes, quas habet in inſcriptionem Herodis Attici, quam edidit *Salmaſius*. Vale, & *Langermannum* plurimum meo nomine ſalutes. Kal. Sept. CIↃIↃCLII.

EPI-

EPISTOLA LXXIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Venetias.

VIx ſignaveram ſuperiores meas ad te literas, cum mihi tuae redderentur, mi Heinſi. Scriptae illae ſunt Florentiae IX. Aug.. Valde mihi ingrata fuit & injucunda earum lectio, quod videam rebus tuis tam male conſuli. Pene maledixerim illis, quorum pravitate haec tibi contingunt, quique non patiuntur, ut ſeſe benignitas Reginae erga te quoque exerat. Verum paululum etiamnum obdura, brevi forſan fabellae iſtius καταστροφὴν videbimus. Quae tibi priore ſcripſi hebdomade veriſſima ſunt, ſed tibi ſoli dicta ſunto. Coram aliquando tibi oſtendam apographum epiſtolae R. cujus ſi me ſciret habere apographum adverſarius, nollet, credo, vivere. Tantum certe illa jam effecit, ut cogitationem de adeunda Suedia omnino abjecerit. Adfirmavit id ipſum nonnullis conjux ejus ante biduum triduumve, cum huc forſan excurriſſet ad mercatum vaſorum Chinenſium. Verum alterum iſtud ſtrenue diſſimulat, ut exiſtumo. De *Capellano* miror jam tum reſciviſſe, quae reſcribis. Attamen fallitur in eo, quod putat *Freſnium* bibliothecarii munus obiturum. Illo ſiquidem durante abſentia mea fungetur *Naudaeus*. Verum erit cuſtos cymeliorum & picturarum. Sua jam, ut audio, cymelia &c. obtruſit Sereniſſimae Reginae pro ſexaginta ſcutatorum millibus. *Cicconus* hiſtrio proculdubio & ipſe magnam abſtulit pecuniam in deducendo grege. Quanto melius & utilius tantam ſummam tuis deſtinaſſent uſibus diſpenſatores aerarii Dominae noſtrae. De Stephano immenſum quantum me obſtringes. Multum tamen me magis obſtringes, ſi per te poſſim conſequi collationes codicis iſtius Ambroſiani Hiſtoriae Auguſtae ſcriptorum. Ducentis imperialibus libenter a te redimam collationes iſtas. Fac, mi Heinſi, ut quoquo modo eas habeam. Videbis quid poſſim contra *Salmaſium*. Utinam autem etiam minutiſſimae quaeque diſcrepantiae codicis iſtius annotentur, cum licet non admodum antiquus, valde tamen ſit bonus. Haec dum ſcribo redduntur mihi etiam alterae tuae literae, ſcriptae XX. Auguſti, eademque in urbe, qua priores. Significas in illis redditas tibi eſſe tandem literas ab iſto Vaſcone, quibus multa promittit & plura minatur, niſi turpiſſimum aliquod commiſeris facinus. Verum, mi Heinſi, ſi me audias, valeant promiſſa & minae talium nebulonum. Si te ſubmitteres homini, qui & te & ſummum Parentem tuum tantis affecit injuriis, nemo eſt, qui te non viliſſimum & abjectiſſimi animi mortalem eſſe exiſtimaret. Sceptra ipſa & coronae hac lege tibi diſplicere debeant. Ita itaque habeas, vana eſſe iſta promiſſa, longe autem vaniores eſſe minas. In me longe diſpar eſt ratio, nam ſi ego quidpiam fecerim, feci id non impulſu Vaſconis alicujus, aut ho-

Digitized by Google

dominis, qui malit videri, quam esse, sed Reginae omnium maximae. Scis praeterea quanta mihi olim cum isto tuo inimico fuerit amicitia. Cave itaque putes me quidquid pudendum commisisse, aut velle committere, quoquo proposito praemio. Rogo tamen in omnibus literis ostendas, tibi nihil aeque gratum esse, quam obsequium Sereniſſimae nostrae, nec vel praesentes miserias tibi esse molestas, si eas ipsius perferas nomine. Certus enim sum, si cognoverit Incomp. Nostra Domina se a te amari (quod sane verum est, cum praesens tuus status id satis testatur) fieri non potest, ut te non vicissim redamet, & non triumphes de omnibus nostris inimicis. Si vehementiores & acriores literas scripseris ad *Holmium*, rogo, ut eas emollias. Ratione enim nobis procedendum est, si velimus de inimicis nostris triumphare. Verum prae omnibus istud ostendas, nihil te praeferre obsequio Dominae nostrae. Plura non possum, jamjam enim discessurus est tabellarius, nisi forsan jam discesserit. VII. Sept. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA LXXIV.

ISAACUS VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Florentiam.

ANte tres circiter hebdomades postremas tuas accepi, mi Heinsi, scriptas Florentiae xx. Aug. Pauca admodum tunc illis reposui, quia Hagam festinabam, ubi allatum esse cognoveram fasciculum literarum ex Suedia, mihi inscriptarum. Continebat autem is cum aliorum, tum etiam *Bocharti* literas, quibus significabat Sereniſſimam Reginam decrevisse, me Constantinopolin mittere ad inquirendos codices Graecos. Vides itaque egregie te falli, cum existimas me tibi succesſurum in itinere Italico. Promittit vero commendatitias ad *Rakoczium*, & Legatum Gallicum, qui est Constantinopoli. Rescripsi me iturum quandocunque Dominae nostrae placuerit. Antequam tamen discedam, petam ut matri meae vel avunculo annumeretur stipendium meum annuum in hac urbe per mercatorem aliquem, idque quamdiu absim. Probabis puto hoc consilium. Reliquos, quos mihi concesserit nummos S. R. itineri impendam. Intra duas vel tres hebdomades responsum exspecto, faciamque te certiorem quamprimum. Si per Germaniam iter instituas, uti olim minabaris, forsan tibi occurram. Constitui enim aliquandiu morari Augustae Vindelicorum. Quod si etiamnum diu tibi Italiam inhabitare statutum sit, facies me, ut spero, certiorem simulatque illuc venero. Peregrinationis meae ratio non permittet, ut tibi ulterius occurram. Cupit enim Regina ut per Viennam Byzantium tendam. Verum de his fusius ad te scribam, simulac ipse certiora cognovero. Valde autem, mi Heinsi, doleo, ita avare compensari diligentiam & operam tuam a ministris incomparabilis nostrae D. Verum rogo,

Digitized by Google

ut pauliſper etiammum obdures. Spero enim Sereniſſimam Reginam & tibi & mihi ſimul proſpecturam. Quod ſi ego prius expediar, ita habeas velim, commune me tecum habiturum quidquid accepero. *Bourdelotii* minas quanti debeas facere ipſe judices. Non ſemper protomedici regnabunt, ut ſpero. *Naudaeus* & ipſe jam in Suediam, ut exiſtimo, appulit. *Freſnius*, qui eum comitatus eſt, erit *Garde du Cabinet des antiques*. In Suedia omnes hi mortui ſunt; Princeps Palatinus pater, Praefectus Stabuli, pater nempe Comitis *Magni*, quorum neuter, ut noſti, immatura periit morte, uti neque *Salvius*, qui & ipſe ſupremum vixit diem. Praeterea obiere, *Joannes Wachtmeiſter*, & *Tiſſenhauſius*, coloſſeus ille, quem & ipſum noſti. Obiere etiam alii complures minus tibi noti. *Bochartus* eſt in flagranti apud Reginam Gratia. Compelles illum rogo literis tuis: nihil non tua facturus gratia. *Beuningius* in Suediam appulit. Appulit quoque Legatus Hiſpanicus, nomine *Pimentellus*. Statim profecturus eſt hinc in Suediam *Silvercronius*, cujus hae ſunt, quas vides, literae. Adeſt nunc ille mihi, nec patitur pluribus tecum agam. Vale, a tuo aeternum Voſſio, ſequenti occaſione plura. XXVII. Sept. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA LXXV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

EXiſtimo te jam Florentia diſceſſiſſe, mi Heinſi, cum neque affinis tuus, neque ego ab aliquot hebdomadibus ullas a te acceperimus literas. Poſtremas tuas ad me ante quinque circiter hebdomades tradidit mihi *Blaeuwius* typographus. Iis jam reſpondi bis aut ter, quamvis breviſſime. Literas vero meas miſi *Georgio Ebertz*, perſolvique Mantuam uſque, prout juſſeras. Rogo ut ſignifices, qua te ſemper via poſſint invenire epiſtolae meae. Nam non ſemper affinis tuus in hac urbe verſatur. Ipſe etiam non minus Hagae habito, quam Amſtelodami. Quamvis autem nihil hoc tempore habeam, de quo operae pretium ſit te monere, ſcribo attamen, ut tuo poſtulato & meo ſatisfaciam officio. Neſcio tamen an alterutri unquam ſatisfacere potero, cum neque tu poſtulandi finem facias, & ego plurima jam debeam: verum obruam te aliquando crebritate literarum, faciamque ut potius loquacitatem, quam ſilentium meum accuſes. Valde ſcire deſidero, quale a *Burdone* protomedico reſponſum referes. Significes rogo, quid ille de me in ſuis ad te ſcripſerit literis, quarum facis mentionem. Mihi ſoli dicta erunt quaecunque ſcripſeris. *Beuninglus* in Suediam adpulit ante tres circiter hebdomades. Bis audientiam, ut vocant, habuit ipſo, quo adpulit, die. Primo allocutus eſt Dominam noſtram Latine, deinde Belgice privatim. Plura de illo necdum intellexi. *Naudaeus* quoque adpulit, & *Freſnius*, terreſtri itinere prior, alter vero mari. De me quid

Digitized by Google

quid futurum sit intra unam alteramque cognoscam hebdomadem. Hispanicum Britannicumque iter jamdudum evanuit. Huic successit Byzantinum. Et illud quoque jam vacillare incipit. Verum forsan erit, quod mihi praedixisti, me successurum tibi. Verum non illud alterum, conclamatam esse fortunam meam in Suedia. Spero enim, imo certus sum, me esse gratum Reginae. Verum constanter opperiar tempus, donec omnes istae tempestates transeant, & majorem nobis reducant tranquillitatem. Vellem & te quoque ita esse animatum. *Silvercronium* in Suediam concessisse jam superioribus monui. *Bochartum* esse optimo apud Dominam nostram loco, & hoc quoque indicavi. In postremis ad me literis scribit sese occupatum fuisse in perlustrando catalogo, quem transmisisti Codicum, qui Florentiae adservantur, excerpsisseque eos, qui maxime merentur describi, verum nondum potuisse sese eos offerre S. R. cum Stregnesiam discesserit ad exequias Principis Palatini. Zelandos Principem Arausionensem Gubernatorem suum declarasse, Wilhelmumque comitem Frisiae Capitaneum, ut vocant, Generalem, aliunde, ut puto, jam intellexisti. Valde id aegre habet Amstelodamenses, alioque, quos vocant Lovensteinianos. Aliud novi nihil omnino habeo. Vale, mi Heinsi, & me ames. Salutes cum alios communes nostros in Italia amicos, tum praecipue *Ferrarium* utrumque, & maxime Mediolanensem. Significes ei, rogo, quam honorifice de illo sentiam, quamque me illi obstrictum esse confitear, quod utinam aliquando ullis possim aut obsequiis aut officiis ostendere. Amstelodami. CIↃIↃCLII. IV. Octob.

EPISTOLA LXXVI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Florentiam.

GEminas tuas epistolas ad me heri vesperi perferri curavit *Blauwius*. Scripta erat postrema XXII. Sept. altera ejusdem mensis Kalendis. Non dubito quin utraque diu apud *Blauwium* jacuerit. Scis eum hominem esse satis lentum, nec nimium erga amicos officiosum, quo citius iis fruar, nec tibi negligentior videar, quam revera sim. Noli vero dubitare, quin tuto mihi tradentur. Ex animo vero gaudeo, mi Heinsi, quod insolentissimis circulatoris istius literis tam animose responderis, & nec ipsam quidem, quam maximi facis, Serenissimae nostrae gratiam, turpi aliquo facinore velis comparare. De Aethiope & Angla lepida sunt & festiva, quae reponis. Sed nunc negant ea vera esse, & sparsa esse ab malevolis quibusdam. Sane constat mihi Anglam istam omnes Aethiopi reddidisse amatorias suas. Inter ipsum & *Salmasium* lis forsan orietur (quaenam enim inter tales possit esse diuturna concordia) propter librum quendam hîc excusum, cui titulus, *Clamor sanguinis regii in coelum*. Scri-

ptus ille videtur a quodam anonymo Anglo, transmissus vero *Salmasio*, divulgatus vero ab Aethiope. Propter sexaginta exemplaria, quae promisit typographus, inter ipsos est contentio. Aethiops ea sibi vult vindicare, decrevitque sex exemplaria inscribere Reginae nostrae, totidem vero Regi Angliae. Alia item sex Galliae Regi, & sic porro, ita ut Regina Bojohemica, & Arausianensis vidua unum etiam alterumque habiturae sint sibi inscriptum. Caeteris exemplaribus ipse typographus suam addidit dedicationem. De studiis *Langermanni* quod scribis gratum est. Quod autem vereatur ne *Salmasius* eum in edenda Anthologia praeveniat, id frustra veretur. Nunquam huic operi manum adhibebit. De Simplicio aliquando coram. Noli vero nimium esse sollicitus in colligendis ejus codicibus aut collationibus, puto me in Suedia habere sex aut quinque minimum codices collatos. Vel unus & alter sufficiebat. Verum longe ardentius a te postulo, ut de Historia Augusta non tantum cogites, verum ut serio & diligenter eam conferas. Optimus est codex, & quamvis non videatur multum antiquus, continet tamen lectiones praestantissimas, & ex quibus facile verum possit exsculpi. Quidvis tibi debeo, si tuo beneficio has nanciscí possim varias, quas dixi, lectiones. Innumeris me jam modis obstrinxisti, unum tamen & summum hoc caeteris precor addas tuis beneficiis. De Stephano Byzantio doleo, sed minus dolebo, si alterum hoc praestiteris. Pro honore habito tibi Florentiae gratulor tibi. Verum plus tu Academiae isti, quam illa tibi possit conferre. *Bochartus* hyemem transiget in Suedia. Possis itaque illum convenire literis tuis, quod proculdubio illi erit gratissimum. Valeat agyrta iste, nec amplius rogo eum compelles. De *Fresnaeo* gratias ago quod monueris. *Naudaeus* vir est bonus, ut credo, sed & ille tamen nihil audebit facere, quod agyrtae displiceat. Ego illum & commendavi, & vocavi literis meis, nec tamen me ausus est hac in urbe compellare. *Bochartum* optime tibi velle cognovi ex literis ad me *Beuningii*. Res meae non optimo sunt in loco. Iterum illa erga me mutata est. Sed haec tibi soli. Vale, & me amare pergas. Graeciam, Hispaniam, Italiam, Germaniam Britanniam, & omnes regiones adire jubeor, & tamen nullam adeo. Nescio quid causae sit. Sed omnia illic plena sunt aranearum. Plura libenter scriberem, sed heri demum vesperi traditae mihi fuere literae tuae, hoc vero mane discedit tabellarius. Plura itaque alias. *Datum*, *Cavalcantem*, plurimum meo nomine salutes. Amstelodami CIↃIↃCLII. XVIII. Oct.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LXXVII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Venetias.

DUabus poſtremis occaſionibus nullas omnino ad te dedi: neque enim quicquam mihi ſuccurrebat, quod operae pretium eſſet tibi ſignificare. Valde praeterea metuo, ut meae non recte curentur, quas tamen ſemper Mantuam ad illum, quem juſſeras, mercatorem tranſmiſi. Verum in ultimis tuis III. Kal. Oct. exaratis, nullam mearum facis mentionem. Traditae mihi ſunt illae aliquanto ſerius, Hagae enim aliquandiu ſubſtitit *Goeſius* noſter. Quod in illis ſcribas revocatum te eſſe in Suediam, literaſque inde humaniſſimas accepiſſe, valde me id recreat & reficit. Tabeſcet *Sagmarius* heros, ubi hoc intelliget: pergit enim jactare neutrum noſtrum ſubducturum eſſe ſubligar poſthac in Suedia. De *Moro* vero quae ſcribis, quam ſunt ea lepida, quam venuſta. Auctor ſane ei ſim, ut nummum det cum hac inſcriptione, SUBACTA BRITANNIA. Verum vide quam ingratus ſit iſte heros erga Aethiopem, cujus tamen clavae iſtam debet victoriam: quoniam is non cupit eam uxorem ducere, acerrime nunc illum perſequitur. Mihi ſane *Aethiops* multo rectius facturus fuiſſe videtur, ſi ex Ovidii tui praecepto a Domina incepiſſet. Minor quidem voluptas iſta fuiſſet, ſed longe majorem iniviſſet gratiam. Divulgata eſt paſſim haec fabella etiam in gazettis publicis Londinenſibus. Addita etiam epigrammata. De *Bordelotio* quae ſcribis, ea mirifice mihi placent. Verum non eſt Vaſco, ut exiſtimaram, morum & ingenii conjectura ductus, ſed eſt popularis *Salmaſii*, nam & ipſe eſt Burgundus. Non itaque mirandum eſt tam bene convenire nebulonibus iſtis. Gallus aliquis non indoctus, olim comes *Bocharti*, nunc vero ex Suedia redux, multa mihi narravit de prodigioſa hominis iſtius inſcitia. Cum aliquando *Bochartus* adfirmaret veteribus ignotum fuiſſe genus illud florum, quod Galli *oeillets*, nos *caryophyllatas* vocamus, aut etiam corruptius *girofles*; ipſe corripiens *Bochartum*, florem dictum inquiebat appellatum fuiſſe *ocellum* a veteribus. En impudentiam. Alio tempore pertendebat, praeſente Sereniſſima Regina, Sidonium Apollinarem Pſalmos ſacros Graeco vertiſſe carmine, non autem Apollinarium. Valde infenſus eſt *Valeſio*, quoniam illi apud nonnullos excidiſſe cognovit, *je ne ſçay comment la Reine ſoit infatuè de cet hableur la.* Itaque ipſe *Valeſium* paedagogum vocat, & qui nihil legerit, aut ſciat praeter Ammianum Marcellinum, & varias lectiones Caſſiodori (nota & hîc inſcitiam) ſe vero noſſe vivere, & ſerere jocos, qui placeant Reginae. Verum de his coram. Sane tantum poteſt iſte homo apud Sereniſſimam noſtram, ut etiam perſuaſerit, legere *Pecqueti* obſervationes medicas, chirurgi, niſi fallor, cujuſdam Pariſienſis, aut anatomici ſaltem. De Hi-

Digitized by Google

ſtoriae Auguſtae Scriptoribus gaudeo quod promittis. Noli vero exiſtimare *Caſaubonum* ejus codicis lectiones vidiſſe. Jam mihi contrarium conſtat. Scribam de his plura proxima forſan occaſione. Mea fortuna in Suedia ſive perierit, ſive non, perinde eſt mihi. Saltem velim; ut Regina veritatem aliquando cognoſcat, nec vel *Sagmariis* vel *Bordelotiis* & ſimilibus ſcurris credat. *Meibomius* in Suedia utitur tua bibliotheca. Prius ambulavit per multorum manus. Nunc non magis eſt tuta. Noſti omnes Germanos, iſte vero pauper eſt & famelicus. Incendium magnam partem Holmiae conſumſit. Centum nempe & quinquaginta domus lapideae combuſtae ſunt. Podragra iterum affligitur *Salmaſius*. Dicitur jam illa coxas, & latera ejus invaſiſſe. Vale, mi Heinſi, & amicos communes ſi quos videris, illos plurimum meo nomine ſalutes. Amſtelodami CIↃIↃCLII. VII. Novemb.

EPISTOLA LXXVIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Venetias.

VAlde futurum verebar id, quod poſtremis tuis ſignificas, mi Heinſi, ut non bene meae ad te curarentur literae. Utinam tamen ſolae iſtae perierint, quibus *Silvercronii* incluſeram epiſtolam, nihil enim in illis ſcripſeramus, quod arcanum eſſe debeat, priuſquam enim obſignaret, ipſe mihi eas praelegerat. Et ſi bene memini, verſabatur maxima ex parte in depingendis amoribus *Mauri*, nymphaeque Britannidis. Verum quas ad te poſtea ſcripſi, eas nullomodo mihi periiſſe velim; non quia eae negligenter fuere ſcriptae, aut quod graviter feram literarum mearum jacturam, verum quod liberius aliquanto de ſtatu aulae noſtrae in illis ſim locutus. Vix autem mihi perſuadeo opera pueri eas periiſſe, utor enim ſemper in curandis literis opera *Chriſtiani*, quem noſti, qui mihi iterum commendatus a *Spiringiis* adeſt. Tuas autem omnes an acceperim neſcio, verum illae, quibus *Puteani* incluſeras epiſtolam, ſalvae ad me pervenere. Habet eas jamdudum *Gronovius*. Quod autem tibi in Italia hibernandum fore ſignificas, valde id mihi eſt moleſtum. Speraveram enim te hanc hyemem nobiſcum eſſe tranſacturum. Attamen ſi haec mora aliquod rebus tuis adſerat aut ſubſidium aut ſolatium, non dolebo. Et ſane non eſt eſt quod exiſtimes res tuas in Suedia eſſe conclamatas, quamdiu illic agat *Bochartus*. Ex illis ipſis, quas ab eo hac, ut ſcribit, hebdomade, accipies literis, ſatis ejus erga te animum poteris cognoſcere. Quo praeterea obtinuerit pacto, ut conterraneus iſte *Salmaſii* cogeretur epiſtolam tuam exhibere, & hoc puto intelliges. De ipſa autem epiſtola tua ita judicat, *la lettre de Mr. Heins eſt bien admirable, pour teſmoigner le peu d'eſtat, quil faict des fumees de la Cour, mais dont la liberte a ſemblè a quelq' uns un peu exceſſive. Je luy en eſcrivay plus au long a la pro-*

prochaine. Gratias tibi maximas habeo, quod argumentum istius epistolae transmiseris, multo me tamen magis obstringes, si integram transmittas. Ex animo peto, ut hoc facias. Quod autem medicus libertatem in ea arguat, peccares, si in eo peccasse te crederes. De insigni istius hominis in literis progressu jam ad te scripsi occasione praeterita. Et tamen si aliquis esse cupias in hac aula, oportet ut huic placeas. Solus enim ibi sapit, & solus omnia potest. *Bochartus* & ipse etiam nunc in aulam migravit. Ad eandem omnes mensam accumbunt & ipse, & *Naudaeus*, & *Fresnius* & *Bourdelotius*. Verum hic postremus est tanquam Jupiter inter minores deos. Vide quanto majus sit videri, quam esse. De *Salmasio* nihil omnino habeo quod tibi significem. Credo eum etiamnum cum solito suo malo conflictari. Retulit tamen nonnemo, eum nunc meliuscule valere. Lis ipsi est cum *Moro*. Cupit enim ut is Anglicanam suam in uxorem ducat, quod alter recusat. Verum isti duo boni amantes, qui nuper tam suaviter & amice oscula jungebant, valde nunc sibi invicem sunt infensi. Ante quatriduum siquidem, cum forte *Maurus* huic nostrae occurreret in vasta ista area, quae aedibus *Salmasii* adjacet, statim illa capillitium ejus invasit, pluribusque adfecit verberibus: neque eo contenta etiam fuste in illum saevire conabatur, nisi bonus ille socius in horreum confugisset super struicem quandam, jactuque se vindicasset caespitum. Huic spectaculo non defuit ingens spectatorum numerus, qui ex vicinia passim eo confluxerant. Vides quam omnes iis in aedibus sint γυναικοκρατούμενοι. Facile hinc possis conjicere falsos fuisse rumores, qui de *subacta Britannica* passim fuere sparsi, cum illa potius *Maurum* subegerit. Vel si verus sit rumor, adparet non satis fuisse subactam. De me vero nihil habeo, quod scribam. Quo enim loco sim apud Reginam ne ipsam quidem Reginam scire existimo. Si *Bochartus* aliquid pro me agat, id statim destruit aliptes. Video me nimium esse Reginae. Missionem petam quamprimum. Valde hoc placebit *Salmasio* & conterraneo illius. Huic postremo praesertim. Attamen, si me ipsum amem, ita mihi faciendum est. Illi enim quamdiu bene sit in Suedia, video mihi bene esse non posse. Habet nescio quas artes circulatorias, quibus pene infatuavit Reginam. Mimum agit praeclare. Cantica novit plurima, eaque non infeliciter profert ad sonum citharae. Odorarius est praeterea, unguentariusque. Rem quoque culinariam probe intelligit. Scripsit duo volumina satis grandia cum hoc titulo, *Les apopthegmes de la Reine de Suede escrites par son Protomedicin*. Nescio an lucem videbunt, puto tamen. *Salmasius* quoque ut & is aliquandiu triumphet per me licet. Ostendam tamen illum esse nebulonem, & alterum scurram, nec mereri nomen medici, sed vespillonis potius, cum tam multos occiderit, inter quos *Tissenhausium* nostrum, aliosque complures, de quibus alias. Excussi jam aliquam partem exercitationum Plinianarum. Portentosos multos deprehendo errores, & quales vel mediocriter eruditus nunquam commisit. Nilum aliquoties vocat μεγάλον ποταμόν & in nominativo. μεγάλος ποταμός. Nonne hoc omnem stuporem superat. Libellum quendam de resurrectione, & alium de virtutibus cardinalibus, qui hactenus sine nomine auctoris prodiit, dicit esse

esse scriptum aevo Cypriani. Atqui est *Bernardi* cujusdam monachi, qui vixit ante annos quingentos. Plura ex his libellis testimonia petit contra *Grotium*. Quod & ipsum mihi perquam videtur lepidum. Aliquot millia similium errorum colligam, & huic nostro heroi, qui se impeccabilem esse existimet, solvenda proponam. Ex correctionibus decem vix unam veram esse ostendam. In botanicis perpetuos committere errores. In Geographia esse asinum, & nihil unquam boni observasse. Prae caeteris suis correctionibus solet saepe jactare illas in Manilium, cujus locos a *Scaligero* pro desperatis relictos se ex ingenio emendasse existimat. Velim, si in codicem aliquem bonum Manilii incidas, ea loca, quae *Scaliger* asteriſco notavit, cum manuscripto committas. Vellem videre specimen aliquod Manethonis, quem descripsisse ais nostrum *Langermannum*, de quo sane multum gaudeo, forsan ex illo potest multum illustrari Manilius. Vellem quoque describeret Topographiam Christianam, Cosmae Indopleustae. Quod si Romam denuo repetas, ut scribis, utinam possis accessum impetrare ad Bibliothecam Altemsianam. Exstant in ea Isidori Characeni Stathmi Parthici, cujus exiguum fragmentum edidit *Hoeschelius*. Exstant quoque ibi plura alia, quae frustra alibi quaeras, uti sunt Antonii Aureliani architectura, Apollodori Athenienſis Grammatica, Censorinus de planetis, Manilius cum veteri Scholiaste. Exstat quoque ibi Spartianus manuscriptus. Verum haec frustra. Vereor enim ut tibi non pateat accessus ad illam. Ubi ubi vero sis peto, ut diligenter inquiras in illorum autorum veteres codices, quos edidit *Salmasius*. Nempe Tertulliani de Pallio, Solini, & historiae Aug. Scriptorum. Utinam quoque conferas caput illud Plinii libro postremo, quo gemmarum nomina ordine alphabetico recensentur. Scis librum postremum in plerisque fere Plinii codicibus abesse. Multas magnasque nugas ad hoc caput congessit *Salmasius*, cum & ipse veteribus hic destitutus fuerit membranis, ex quibus solis aliquando sapit. Postquam haec scripsissem, diu mihi redditae sunt *Bocharti* literae, in quibus ita scribit. *Les lettres de Mr. Heinsius ont fait icy grand bruit. Je ne luy repons point encore, pource que ma response doit estre accompagnee d'une autre, qui n'est pas preste.* Verum haec hactenus, plura per sequentem tabellarium. Vale, mi Heinsi, & me ames. Tuus, quem nosti, totus. Amstelodam. CIↃIↃCLII. XXIV. Novemb.

EPISTOLA LXXIX.

NIC. HEINSIUS

Isaaco Vossio.

Amstelodamum.

1 ULtimas meas duas tresve Amstelodamum ante ad te misi, ut jusseras, mi Vossi, supereſt, ut recte curatas intelligam. Iisdem interim vestigiis insistam

1 Hanc epistolam & alteram n. XXXVI. edidit nuper Halae CIↃIↃCCIX. Henr. Augusti-

nus

ſiſtam porro, ut ſi non perferantur mea, obſequium ſaltem meum agnoſcas. Quas ad te dedi proxime, alias *Gronovio* inſcriptas ſecum trahebant. Spero curae tibi fore ut Daventriam mittantur. Ab amico illo noſtro nullas totis quatuor jam menſibus accepi, quod quid ſibi velit prorſus ignoro; ſuſpicor tamen apud *Goeſium* haerere, qui & ipſe jam pridem nec compellat me, nec reſpondet provocatus. Cum inſultandi finem non faceret, meque ut inprovidum & incautum ſaepius traduceret, quod & cauſſam noſtram communem prodidiſſem in Suecia, & ſtationem creditam deſeruiſſem: mihi praeterea ipſi conſuluiſſem perperam, in hoc itinere regio viatico deſtitutus: reſpondi nonnulla acerbius, quae & puto male illum habent. privatam noſtram cauſſam, cui promovendae iter Suecicum a me deſtinatum erat, ut noſti, regiis commodis poſthabui, fateor, quia luculenta polliceri meus in Italiam excurſus videbatur; nec inſtituti aut obſequii poenitet, etſi fefellerit ſucceſſus. Caetera quod ſpectat, nihil minus quam improvidum me fuiſſe, tu teſtis es, qui nimiam in me ſollicitudinem ac anxiam futurorum curam ſolebas reprehendere. Nihil mihi defuturum promittebatur identidem. Ego autem, etſi parce promiſſis crederem, tamen naturali inhibitus verecundia nihil unquam petii, tum ne viderer meae utilitati iter Italicum dediſſe, tum quod augurarer ultro facturam Dominam pro inſigni ſua clementia, quicquid flagitare in rem meam ipſe poſſem. Expenſarum facilis omnino jactura eſt. Illud aegerrime fero, quod cum male mecum ageretur atque indigne, Alpha tamen grammaticorum *Alaſtor* palam jactet, multa ſcutatorum millia me dilapidaſſe, quorum rationem reddere non poſſim regiis diſpenſatoribus. In aula quoque frigere res meas poſt operam tam fideliter navatam moleſtum eſt. Illud vero longe moleſtiſſimum, quod meis ludibrium debeo. Goeſianus tamen iſte aeſtus deferbeat neceſſe eſt. Tu diſſimula horum quicquam te ſcire, & exige ab illo, ſi quas aut Gronovianas, aut alias mihi inſcriptas acceperit, eaſque tua opera ut nanciſcar, quaeſo. Urit etiam illum, quod duo florenorum millia poſcam, quibus & aes alienum hîc a me conflatum expungam, & laribus paternis ſiſtar. ſed nihil poſco, niſi quod ſit meum. Rebus meis, dum in Suecia eſſes, conſuli ſic ut velles a te non potuiſſe facile credo. Tu in indicando tamen aliquem, ad quem aut Noribergam, aut Hamburgum meas deberem mittere, nimium cunctatus es. Quo fit, ut & rariſſimas nunc ex Suecia accipiam, & ad ſuas reſponſiones pleraſque non perferri a me argutentur aulici. *Holmius* certe quater ad me ſcripſiſſe Dominam adfirmat, cum ego non niſi unicas acceperim, quaeque fidem certam facere videantur, nullas antea ab illa ſcriptas eſſe. Negat quoque, praeter unicas iſtas, alias ad ſe ullas perveniſſe *Furſtenbeuſius*, qui rerum ſuarum ſatagit in omnibus, & valde accuratus eſt, ut video. Jurat tamen per Deos omnes *Holmius* rem ſeſe ita, ut adfirmat, habere. Pariſios cum adveniſſem, tibi non ſemel ſignificavi, ad quem Venetias tuae eſſent mittenten-

nus Groſchupfius in nova librorum rariorum collectione; Faſciculo I. 8. ſed vitiis calami admodum deformatas.

tendae, significavi & *Holmio*. Ille vero negat, aut meas tum ullas se accepisse; aut te discedentem ex Suecia verbo vel uno monuisse, ad quem curare suas deberet, invenisse se ultro tandem viam, qua me compellaret, immenso, quo me prosequatur, amore compulsum, usumque se opera *Fincleri* Hamburgensis, illius scilicet, qui quartas regias perire passus sit. Denique impudentiae in suis me notat, quanquam verbis humanissimis, quod rebus meis discedens melius non prospexerim, tibique potius, quam aliis omnia crediderim. Ego mi Vossi, deprehendi jam olim, post *Alastoris* laetum in aulam introitum, nostra omnia retro illic sublapsa referri, etiam cum tu maxime securus esses. Haec quia mutari jam non possunt, reliquum est, ut tergo luat scabiosus *Alastor*, quicquid in nos fortuna peccabit. Luiturum autem sum pollicitus Protodemico illa epistola, quae tantas turbas excitavit, ut nuntias. Bibliothecam meam [1] homini ingratissimo & pessime de me merito patere indignor. Scripsi hodie ad *Silvercronium*, petiique ut ejus usu illi interdicat, nisi regia auctoritate sit munitus. Illis autem mandatis quod opponam nihil habeo. Nebulo iste non modo conditionem a me oblatam comiter aversatus est de peregrinatione, quam *Langermannus*, longe meliori natus loco, non dubitavit ulnis ambabus amplecti, literasque hujus argumenti petulantissimas scripsit ad *Alastorem*, ut meministi: sed postea etiam, cum intercedente *Doubletio* illi ignovissem, nonnullaque ad Musicos, quos luci parabat, maxime facientia Parisiis submisissem, pluraque missurum me essem pollicitus; nunquam vel verbo unico gratias mihi agere est dignatus. Bibliotheca vero mea, ut in Bataviam mitteretur, tribus quatuorve literis continuis, cum in hanc urbem ante menses adveniissem quinque, a *Wullenio* contendi, quod nec fecit ille, nec meis etiam precibus quicquam reposuit. Multo tamen tempore moratum Nicopingae fuisse narrat *Holmius*, ut excusari quodammodo possit. Venio nunc ad tuas, mi Vossi, die XXIV. mensis proxime elapsi exaratas, quae nudius tertius mihi exhibitae fuerunt. Primo omnium rogatum te volo, ut ambitiosis titulis *Agentis* & *Consiliarii* in posterum abstineas. Neutram enim dignitatem mihi vindico, & si vindicarem maxime, hac in urbe dissimulari tamen praestaret, in qua cum tenuiter satis vivam, aulam, quantum possum, fugio, unicumque a Musarum sacris & Medicea bibliotheca, & paucorum amicorum congressibus capio solatium. Famulum a me jam pridem removi, sic necessitate cogente. Id enim malui, quam *Langermannum* amoliri, juvenem suavissimum meique amantissimum. Apud Italos quoque, quantum possum, dissimulo, etsi dissimulari vix possit, Dominae me inservire, ne illi inceptam de ejus maximo erga litteras adfectu opinionem projiciant. Nescio an narraverim tibi jam ante, agere aetatem in hac civitate, ac ali stipendio magni Hetruriae Ducis *Johannem Pricaeum*. Is cum solitudinis quoqve sit amantissimus pulcre mihi cum illo convenit. Vides quo loco res sint *Agentis* tui? & sane si grammaticis fides habenda, cum *luci* dicantur quod minime luceant, & *Parcae* quod par-

[1] M. Meibomio.

parcant nemini, *Agens* & ego recte dicor, tanquam qui agam nihil. *Langermannus* Romam profectus est, ut *Anthologiam* absolvat. Sed omnia illic invenit difficilia aditu & occlusa, cum novus Vaticanae sit custos datus, altero viro optimo & humaniſſimo nuper e vivis sublato: *Holstenius* denuo repulsam est passus, puto igitur futurum ut *Langermannus* brevi huc revertatur, ne cum inscitissimo isto custode conflictari pergat. Ex tuis, quas ad me dedisti, vix ullas periisse opinor. Omitte curam igitur. De Nympha Caledonia nimis est lepida, quam narras fabula. Herae suae, Furiarum maximae, numine fuisse plenam oportet, quae miserum amantem sic defricuerit. Heu quantum mutatus ab illo Hectore noster graeculus, qui ζωὴ καὶ ψυχὴ modo sub lodice relictis, praeclarum de Britannis subactis triumphum meditabatur. Tales etiam clitellas *Alastori* Ononymo a Clytemnestra sua, Tyndaridarum fortissima, imponi rumor est, ut mirum non sit *defricandi* verbum tantopere in deliciis illi esse. Quod tamen cur ille semper in ore foveat cum nescias, caussam ego te veram aliquando docebo, doctus ipse Parisiis, ubi vacabit ridere: nunc enim paullo sum morosior, & nihil fabella illa festivius. A *Bocharto* nullas accepi hactenus; ubi accepero, faciam ut intelligas. Alteras illas, quas affirmat necdum paratas esse, Protomedici erunt, ut opinor, quem mihi infestissimum puto, nihilque non acturum, ut ab aula excludar. Nec enim supplicavi ne fieret, scio enim preces meas frustra fore. Unum machinationem ejus turbat, quod videat perire me non posse, nisi pereat & *Alastor*. Minatus enim sum, si quid evenerit mihi praeter votum, ut innotescat publice operam me daturum, quid de procerum Suecicorum superbia, de veneno sibi ab illis dato, aliisque rebus in Galliam perscripserit *Alastor*, denique quam petulanter Lutheranis insultet dissertatione de transsubstantiatione, aliaque hujus notae, quae cum non nesciat esse verissima, Protomedicus valde socienni sui rebus illic terrarum timet. Epistolam frustra a me petis, est enim diffusissima. Quid quod in exemplari penes me relicto multa sint omissa, quae inter scribendum illi alteri inserui. Nonnullae enim fabellae de *Alastoris* virtutibus erant narrandae, quarum quasdam addidi alteri epistolae hîc illic, cum earum meminisse in meo exemplari neglexissem. Et doleo sane tam supinum me fuisse. Quae tamen Dominam spectabant satis magna cum cura examinavi antequam chartae committerem. Magnam ubique libertatem prae me tuli, vitae etiam aulicae contemtum. Uno loco forsan aut altero offendi posset Domina, praesertim si consiliis Protomedici utatur: volebat ille, ut non modo *Alastorem* amarem in posterum, sed etiam laudarem publice. Rationes cum alias cur hoc fieri oporteret, tum hanc proferebat: *La Reine l'estime infinement*. Reposui expertum me hoc scire, nec illum, si nobis esset felicior, propterea & meliorem esse. Fuisse apud *Gustavum* olim *magnum* loco non pejori fortassis & Patrem meum & Avunculum, eas esse rerum aulicarum vicissitudines. Heroe illo inmortalitate dignissimo superstite non fuisse metuendum, ut vacua regnaret in aula *Alastor*, & fortunis nostris pro lubitu insultaret. Sed epistolam lituris plenam apud me videbis aliquando. Tui illic mentio honorifica non semel facta. De

litteris in ignem conjectis rem quoque narravi. An impune laturus sim illam epistolam tempus docebit. Non opinor tamen, nisi ut dixi, mihi parcat Protomedicus, ne & noceat *Alastori*. Ego vero, mi Vossi, & protomedicos *Alastorum* admiratores, & protomedicorum sociennos protosycophantas *Alastoras* non morabor. Quorum quidem ut hi vapulabunt, si quid in me viri est, ita illi vapulantibus medicinam faciant licet, sed vespillonicam, & qualem fecerunt hactenus. Apud Clariss. *Bochartum* velim dissimulas de illa epistola tibi quicquam constare. Nos exitum tragoediae brevi videbimus. Multa sunt quae urent Protomedicum, inprimis ne me parasitum esse aulicum crederet, qui bonos malosque amicos uno ordine ducerem, ac promiscue laudarem. Experietur me tamen amicum si velit. Sin *Alastorem* pro Jove suo adorare, ad ejusque nutum se perget componere, nullo apud me loco erit, ejusque nomen inter patellarios & minorum gentium deos referam. *Alastorem* nihil *Miltono* hactenus reponere indignum est profecto augusta viri majestate. Utinam quod tu paras brevi videamus. Μεγάλ@ iste Ποταμ@ risum mihi movit maximum. Scis ut Africam olim omnem, ita Nilum maxime monstrorum proventu fertilem fuisse, dum in illo hippopotamos venantur alii, is miram & hactenus ignotam belluam venatus est, Onopotamum videlicet. Certe μεγαλὸς ὀν@ non pejore jure tibi dici possit *Alastor*, quam ipse Nilum μεγαλὸν dicit ποταμὸν, Prodigiosos errores, quos in Anthologia describenda commisit, aliquando videbis, ubi redierimus ego & *Langermannus*. Certe negligi a te non debet praeclarum ejus furtum, quo Scholiastem Palatinum ovi Simmiae miserrime Cyclopeo more devoravit totum, inque succum & sanguinem convertit. Dissimula tamen, quaeso, *Langermannum* de Anthologia cogitare, ne & ejus fortunis insidietur. Quicquid enim de nobis fiet, e re nostra erit, aliquem in aulam illam irrepere, quo familiariter possimus uti. De historiae Augustae scriptoribus nihil promitto. Scias tamen velim, si res id meae ferrent ullo modo, me Mediolanum excursurum. A patre *Sfrondato* litteras habui, sed *Stephani* non meminit. Quare dubito an is nobis exspectandus. Supplicavi tamen quantum potui. Ego totus sum in *Ovidio*. Si mensem adhuc unum hîc morari mihi continget, ut vix dubito, codices auctoris illius Mediceos omnes absolvam. Sunt quidem recentioris plerique notae, qui tamen antiquis interdum nihil cedent. Diversas lectiones Manilii Veneti a *Gronovio* jam habes. Alterum ejus exemplar veterrimum Urbini exstare monuit *Holstenius*. Vellem *Langermannus* eo excurreret, sed & is jam magnas expensas fecit, nec scio an restituendae illi a Domina sint unquam. Hactenus certe scire non possum, an ejus obsequia sint accepta in aula. Manilium misit; ego quoque *Mediolani* emtum possideo, si recte memini. Haeret is codex cum reliquis Venetiis, sed recens est. De *Altempsiana* bibliotheca negotium commendavi *Langermanno*. Nam *Nogherae* res sunt eodem loco. Quod Stathmos illos integros ibi credis exstare, fugit te ratio, aut si exstant, jam eos descripserit *Holstenius*. Vendidit Ducis hujus pater *Paulo* quadraginta circiter codices ex melioribus, qui in Vaticanam sunt translati, eos tamen describendos ante curarunt. Latina exemplaria Msta ejus

Digitized by Google

jus bibliothecae ſunt notae recentioris pleraque, quae mihi videre contigit: multi enim capſis erant incluſi, ad quos aditus non patuit. Nihil eſt inſcitius ſtolidiuſve Duce. Topographia iſta Chriſtiana cum immenſum ſit volumen, deſcribi non ſine magna moleſtia poterit. Patet enim per horas tantum tres matutinas Medicea, & adeſt tum ſemper aliquis Canonicus. Si praeſtitiſſet promiſſas commendationes ad magnum Ducem Domina, nihil occluſum foret. Petii quidem eas non ſemel, ſed fruſtra. Longe me felicior fuit *Citharoedus ille Italus*, ex infima plebe ortus hîc in Hetruria, qui magno cum ſplendore huc venit, & regias literas magno Duci obtulit. Contemptim tamen eſt habitus, quod hominem noviſſet. Sed hoc inter nos. nam & citharoedus mihi amicus eſt, & caetera virum bonum exiſtimo. Solini exemplar vetuſtiſſimum exſtare hîc apud Franciſcanos monuit *Langermannus*, ego bibliothecam illam necdum vidi; in Leidenſi eſſe codices treſve quatuorve bonos memini. In porphyrium contra Chriſtianos animus erat inquirere, ſed praevenit me juſſus a regina idem Citharoedus, qui cum palam heri jactaret, eum codicem a Regina deſiderari ſummopere, tu jam intelligis, quid ſit ſperandum. Plinii & Tertulliani codices antiquos hactenus vidi nullos. De nave noſtris erepta in Ligurienſi portu ſcripſi proxime. Indigniſſime id factum fert magnus Dux. Architalaſſus Anglicus jam ab illo in carcerem conjectus, navibus etiam mercibuſque anglicis, quae 8. millionibus aureorum aeſtimantur, manus injecit. Quid porro futurum ſit exſpectamus. Navis ipſa noſtris erepta in Iluam inſulam deducta eſt ab Anglis, cum elabi poſſe ſe deſperarent. Illam quoque magnus dux ſui fecit juris, & Hollandis, ut opinor, reſtituet. Vale, mi Voſſi. Salutant *Datus* & *Cavalcantes*. Anni novi exordia tibi tuiſque ſecunda voveo. Florentiae CIↃIↃCLII. XVII. Dec. Ignoſce feſtinationi.

EPISTOLA LXXX.

ISAAC. VOSSIUS.

Nic. Heinſio.

Venetias.

REdditas mihi literas, quas per *Goeſium* curaras, ſatis ex poſtremis meis potuiſti conjicere, mi Heinſi, licet neſciam, an earum in meis meminerim. Faciam vero id quod cupis, & ad *Colonium* omnes meas impoſterum tranſmittam. Huic etiam miſi, quas ad te poſtremo exaravi. Spero ſecuriorem fore illam occaſionem, quam qua hactenus uſi ſumus, ſi enim unquam, certe nunc quam maxime deſidero, ne nobis damnoſa ſit libertas noſtra. De literis Dominae quod ſcribit *Holmius*, in eo ſolitum facit. Placet, niſi fallor, hoc artificium ipſi etiam Reginae. Ubi Hamburgum veneris, ex ipſo *Finclero* contrarium intelliges, ſi tamen tale nomen exſtet in rerum natura. De nummis ex Suedia veriſſima ſunt quae ſcribis: fruſtra hoc tempore aliquid inde ex-

Digitized by Google

ſpectes. Late apud eos regnat paupertas, ſoliſque affluunt mendicis. Nec mihi ex ea terra aliquid hactenus venit. Praeter biennii proventum etiam alia debentur. Mille & quingenti ſcutati, quos in gratiam Salmaſii ſe mihi redditurum eſſe promiſerat Regina, ne illi quidem comparent. Studioſus quidam, quem illic reliqueram, ut res meas curaret, is nihîl obtinuit, & re infecta domum revertitur. Quamvis autem moleſta ſit ſex ſeptemve ſcutatorum millium jactura, longe tamen moleſtior eſt librorum jactura, quos omnes, ut noſti, una cum ſcriptis, penes ſe ſervat Regina, nec tamen utitur, cum jam dudum poene omnem literarum affectum exuerit. Benigne mecum agi exiſtimarem, ſi vel illi ſoli redderentur. Significavi jam proximis meis petiturum me quamprimum dimiſſionem, ut ſi huic noſtri memoria exciderit, mihi ſaltem liceat fortunis meis proſpicere. *Bochartum* quod ſaepe literis tuis compelles, gaudeo. Valet ille multum gratia, illo tamen, ut ſcis, longe gratioſior eſt Jatraliptes. Per hunc omnia nunc in Suedia & aguntur & moventur. Praeſidet ille noviter erectae in aula Academiae, ut vocant, & aſſeſſores habet *Naudaeum* & *Frenium*. Cum primo tamen minus ei nunc bene convenit, quod cum ipſe a jocis & ſalibus liberioribus abſtinere non poſſit, alter ea non poſſit concoquere. Huic Academiae intereſſe etiam cogitur *Bochartus*, ita volente Regina, ſubtriſtis tamen, & ab ineptiis, quae illic pertractantur longe, ut noſti, alienus. Nuper examinata fuere in hoc reverendo conſeſſu Poëmata *Mori* in Reginam, verum ea futilitatis & inſcitiae fuere damnata: cumque *Bochartus* & *Naudaeus* cauſam abſentis tuerentur, exemplo Virgilii & Horatii, interlocutus eſt D. Praeſes, affirmando, ſibi plura quam trecenta vitia in illis autoribus eſſe annotata, ideoque parum tutam eſſe defenſionem *Mori*, ſi talibus niteretur autoribus. Tecum tamen rem habere non cupit Scurra iſte, ut cum ex aliorum, tum praecipue *Beuningii* literis intelligo, is ſiquidem haec poſtremis ad me literis. *D.* Heinſius *ad* Bourdelotium, *qui eum ad deprecandam* Salmaſii iram *hortatus fuerat, ſcripſit magni ingenii atque animi literas, & non modo* Salmaſium *valde depexuit, ſed ipſi* Bourdelotio *deforme ſuum in patronum obſequium, in te injurias & alias malas artes libere exprobravit. Commoviſſe ea res dicitur virum, ſed cum eodem ſtylo reſpondere non poſſit, neque in ea contentione victoriam ſperare audeat, ſtatuit tacere, & injuriae ſenſum ſilentio premere.* Secretarius ille Reginae, qui Venetias adpulit, vocatur *Lagé*. Mihi commendatus fuerat a *Valeſio*, *Thevenoto*, & aliis. Cum primum in Suediam veniſſet, valde in flagranti gratia fuit apud R. Sed ea ſpatio trium quatuorve menſium tota defecit. Enormia crimina commiſiſſe eum non exiſtimo. Verum eſt illum vomuiſſe aliquando ad menſam Comitis de la Guardie. Debet is mihi octoginta vel nonaginta imperiales. Monebo eum ſequenti hebdomade, ut eos tibi annumeret, me enim illos tibi debere. Sed, niſi fallor, aliquam inveniet excuſationem. *Morus* Anglicanam in jus vocavit, mendacii convincere ſtudet. Soluta eſt fere inter illum & *Salmaſium* amicitia. De novellis memor ero. Verum nunc nihil eſt ad manum, & non dubito, quin Ampliſſimus *Gœſius*, qui reverſus eſt in hanc urbem, id abunde ſit facturus. In Angli-

Digitized by Google

gliam ad repetendas naves Suedicas denuo missus est *Bonellus*, quem nosti. De meis rebus plura alias, nunc addam hoc tantum, valde me desiderare, si quae ad Martialem habeas, ea mihi communices. Mille locis me istum auctorem emendatiorem daturum existimo. Vale, mi Heinsi, & *Datum* & alios amicos, si qui sint, salutes plurimum. Amstelodami. CIↃIↃCLII. XII. Decemb.

EPISTOLA LXXXI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

INdignor tam raras meas ad tuas pervenire manus, cum tamen ab octo jam mensibus singulis duabus ad te scripserim hebdomadibus, idque sedulo semper observarim, & non nisi bis aut ad summum ter scriptionem in tertiam distulerim hebdomadem. Sed metuo ne maxima pars earum literarum, quas Mantuam ad *Ebertum* miseram, perierit. Spera meliorem fore fortunam illarum, quas Venetias ad *Abrahamum Colonium* & jam misi, & imposterum sum missurus. De libris MSS. *Salviati* ducis & S. Marci quod scribis, doleret, si nobis in Suedia porro vivere contigisset, & Sereniſſimae Reginae idem fuisset erga literas amor. Sed jam dudum ex illa aula Musae ejectae sunt, admissis illic Mimis, musicis, circulatoribus aliisque id genus scurris. Literae non nisi pro praetextu serviunt. Itaque nec *Bochartus* diutius illic haerebit, ut opinor. Scribit is, se primam captaturum occasionem, qua huc redeat. Mirum ni jam ab illo aliquot acceperis epistolas. In postremis suis ita ad me scribit. *Il est vray aussi, que ce n'est pas icy un petit pechè, que de vous avoir pour ami, & M. Heins. & ancore plus vray, que c'est un pechè, du quel bien loin de me repentir, je my engageray toute ma vie de plus en plus, sçachant ce que vous valez tous deux, & que par mi tous ceux, qui vous cognoissent, ce me sera tousjours de l'honneur d'avoir part a vostre affection.* Promissa ipsi fuerant cubicula in ipsa aula, sed adhuc commoratur in caupona, nescio qua. E contrario *Naudaeus*, *Fresnius*, aliique *Bourdelotii* ministri jam in ipsa habitant aula. Ipse vero *Bourdelotius* ne ipso quidem Jove sese minorem existimat. Solus omnia istic terrarum potest. Mensam habet instructiorem, quam habeat comes *Magnus*, vel alias quisquam magnatum in hoc regno. Is vero Comes longe minori est in gratia, quam nunc sit ἰατρολείπτης iste. Forsan ideo tabescit, nam etiamnum decumbit, ut ajunt, & forsan semper decumbet opera protomedici istius, cujus in re est, ne unquam convalescat. Bonus iste vir non tam clanculum, quin facile omnes animadvertant, docet & profitetur illic atheismum: ait enim nullos esse deos, coelum inane, & mera esse verba virtutem, ut lucum ligna. Haec sunt ejus mysteria, quibus initiatos esse oportet, qui ullam illic captare cupiunt gratiam. *Beuningium* quod adtinet, is non tanta illic est in gratia, quin longe acceptior sit Hispanicus legatus. Cum proxime conaretur

Re-

Digitized by Google

Reginam flectere, ut foedus nobiscum iniret contra istos parricidas, & nunc latrones, moneretque illos ne ab ejus quidem navibus avaras abstinere manus, jamque duas vel tres naves Suedicas auro onustas diripuisse, illa respondit, longe sese prudentiorem fore, quam ut parieti ruinam minanti adniteretur. Si Angli aliquot suas naves auro onustas coepissent, sese alias totidem illis missuram. De *Trompii* successu in his maribus intellixisse te jam existimo. Mutabit hoc proculdubio multorum animos. Egregie sane ultus est filium, atque utinam caetera similiter succedant. Viginti siquidem navibus quadraginta sex adversariorum in fugam egit, captis octo vel novem. Verum de his accuratius adfinis tuus, ut arbitror. Musici, de quibus scribebas, numero septemdecim jam in Suediam adpulerunt. Constitutum est singulis salarium annuum trium millium florenorum. Exceptis nonnullis, qui duplum istius summae merebuntur. Magna sane res fuerit, si vel semel persolvantur. Interim istud hominum genus vides in quanto sit pretio. *Naudaeus* jam illic Bibliothecae habet curam. Subbibliothecarii munere fungitur *Meibomius*. Debet & is mihi aliquam pecuniae summam. Sed manum injiciam ejus Bibliothecae, quam hîc reliquit, nisi quamprimum solvat. Mirum quanta superbia istum homuncionem subito invaserit editione istorum Musicorum, in quibus tamen nihil praeter paedagogicam navavit operam. Inscripsit eas Reginae nostrae. *Morus* in jus vocavit *Salmasium* cum tota sua domo. Exitum litis ubi cognovero significabo. *Salmasio* ego vitam diuturnam precor, ut cognoscat se non frustra me laesisse. Attamen consultius fuerit forsan prodromum majoris operis nunc in lucem dare. Verum de his proxima ad te scribam occasione. Addidi his literis epistolium, quod si videris rogo ut tradas *Lageo*, qui mihi nonaginta debet imperiales. Scribo me istam summulam tibi debere, & rogare propterea, ut istam tibi persolvat. Vale & me ama. Ineunte anno CIↃIↃCLIII. quem tibi felicem opto. Raptim.

EPISTOLA LXXXII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

ANte duas hebdomades vix meas ad tabellarium miseram, cum mihi redditae sunt tuae, mi Heinsi. Inclusae illis erant aliae ad *Gronovium*, quas statim perferendas curavi. Rescripsit vero is, sese per affinem tuum superiori hebdomade literas ad te misisse, denuoque te compellaturum sequenti hebdomade. Simulatque illas mihi, ut promittit, transmiserit, curabo ut quamprimum habeas. Cum adfine tuo, viro optimo, noli quoquomodo contendere verbis. Siquid illi calidius nonnunquam excidat, debes hoc imputare naturae & temperamento ejus. Sedulo dabo operam, ut, si colloquendi ulla sese offe-

Digitized by Google

ferat occasio de his rebus, cognoscat quantum tibi sit injurius. Ante tres hebdomades convivio ab illo fui exceptus. Interea temporis eum non vidi. Leidae enim haesit, nisi fallor, aut Hagae. Hodie aut cras illum accedam, cavebo tamen diligenter ea quae mones. De *Holmio* nescio quid sim dicturus. Mavult, ut videtur, esse asellus clitellarius Protomedici, quam noster amicus. Artificia ejus, quae narras, sunt quidem siniſtra, non tamen subtilia admodum. De *Alastore* non nimium debes esse sollicitus. Quod ille jactet tot te scutatorum millia dilapidasse, non video quare hoc injuriosum tibi esse existimes. Apud Reginam id potius tuum commendat negotium. Quod autem dubitare videris, utrum aliquid in lucem daturus sim contra illustre illud Grammaticorum ἄλφα, brevi faxo ne dubites. Nimis longum esset omnia ejus opera examinare, saltem aliquot folia operis Soliniani percurram, & ostendam aliquos errores ineptissimos, offeramque vel centenos scutatos illi, qui aliquam in toto hoc opere paginam possit ostendere, in quo non sit turpis aliquis error. Caetera ejus opera strenue contemnam, & praesertim, illa omnia, quae in Hollandia scripsit, ut quae mera sint ὑπνωτικὰ φάρμακα. De ovo Simmiae & alis mentionem facerem, si ad manum esset Scholiastes ille [1] *Pediasimus*, ut puto. Sed, ut nosti, omnia mea scripta & libri sunt in Suedia. Foedi tamen aliquot errores etiam in hoc opusculo occurrunt. Quam ineptum est id, quod in limine statim occurrit, cum eundem esse putat Herodem magnum Regem, & Herodem Tetrarcham. Verum & illud, quam ineptum, quod *Coon* & *Ceam* eandem esse putet insulam, & Simonidem semper *Coum* vocet? Multum me tamen obstringet clariss. *Langermannus* noster, si transmiserit scholium illud Pediasimi. Omnia quae ego vel hîc, vel in Suedia habeam, vicissim illi offero. Velim quoque posseimpetrare ab *Holstenio* pauculas illas correctiones in inscriptionem Herodis, quas ille ex collatione ipsius lapidis observavit. Tibi vel *Langermanno*, ut opinor, hoc non negabit. Gratias illi pro communicatione faciam publice. Fugiam enim quantum possim, ne dum alium reprehendo; ipse quoque errorem committam. Verum & alterum est, de quo ut me certiorem facias quamprimum obnixe rogo. Nempe ut significes, quale munus a Venetis pro inscriptione operis Soliniani acceperit *Salmasius*. Verum quia opus nostrum nimis sit futurum prolixum, & interea Heros iste grammaticus aliquid possit humanitus pati, prodromum dabo intra mensem, vel sex ad summum hebdomades, ne porro gloriari pergat, neminem nostrum se vivo aliquid audere. Rogo itaque ut simulac possis de hoc me certiorem facias. Saepius oblitus sum tibi significare exstare [2] *Eutecnii* sophistae Scholia in Nicandrum in Bibli-

1 Exstat ille in Bibliotheca Leidensi, in Vossiano codice pag. 39. qui in Catalogo est MS. Graecor in Octavo n, 8. pag. 399. in quo & multa epigrammata Graeca inedita habentur.

2 *Eutecnii Sophistae* paraphrasis Prosaica in Oppiani Ixeutica edidit ex MSS. & Latine vertit *Erasmus Pauli F. Windingius* Hafniae 1702. duobus se auctor MSS. exemplaribus usum scribit, quorum unum Avi sui *Erasmi Windingii*, alterum *Bartholi Bartholini* manu erat descriptum ex Vaticana Bibliotheca, cui & additae erant emendationes, quas *Lucas Holstenius* margini adscri-

bliotheca Florentina, ea sane merentur, ut describantur. De *Bochart* nescio quid futurum sit. Solus illic potest omnia scurra iste, quem nosti. Autor est *Bochartus* ut missionem petam a Regina, & simul veniam ad breve tempus illic commorandi, quo possim res & libros meos colligere. Nescio quid facere debeam. Vellem hic esses. De *Prideo* gaudeo quod scribis. Valde istum virum amo. Sed metuo ne eum nostra offenderit negligentia. Avunculus *Janus* ante diem unum & alterum Heidelbergam contendit, non nisi post duos vel tres menses rediturus, vel etiam serius. Jussit ille ut plurimam illi per te adscriberem salutem, idem & meo nomine facias rogo. Nunc Hagam propero. Prolixius ad te sequenti scribam occasione. Valde enim multa habeo, de quibus tecum velim agere. Sed tempus effluxit, & ego sum occupatissimus. Vale & me amare pergas XVI. Januarii CIↃIↃCLIII.

scripserat. Habeo hanc paraphrasin mihi Hafnia transmissam a doctissimo, & dum in Belgio versaretur, amicissimo mihi viro, *Matthia Ancherseu*, cujus benignitatem gratus agnosco. Ex adductis post praefationem ex *Lambecii* Biblioth. Caesar. Tom. II. contin. p. 544. & literis Illustris *F. Rostgaardi*, discere lector potest, quibus in Bibliothecis alia *Euremi* in Oppiani reliqua poëmata & Nicandri reperiantur.

EPISTOLA LXXXIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Venetiis.

COnstitueram tibi apographum mittere literarum *Bochart* nostri ad me, quae mihi ante biduum fuere redditae, sed adeo nunc diversis obruor negotiis, literis praesertim in Suediam ad Reginam & alios scribendis, ut nullum omnino tempus iis describendis supersit. Sunt enim prolixissimae, & alteri istud officium non libens commiserim. cognosces forsan, & agnosces iis lectis, nec nos esse tam viles atque existimas Serenissimae Reginae, nec *Alastoram*, ut nominas, tam acceptum. Et profecto aut ego fallor, aut in nostra situm est potestate, ut ille aliquando sit exosissimus. Forsan & Protomedicorum non erit aeternum imperium. Fatuis istis cibis & sermonibus circulatoriis brevi, ut opinor, satiabitur optima nostra Princeps. *Bochartus* causam nostram apud illam egregie sane egit, frendente licet altero, multisque offensas a te acceptas exaggerante. Verum haec fusius ipsae significabunt literae, quas sequenti habebis hebdomade. *Salmasius* totus est in responso ad *Miltonum*. Coeptus est jam excudi ejus liber, qui mole non erit minor priori. *Miltonum* passim Catamitum vocat, aitque eum in Italia vilissimum fuisse scortum, & paucis nummis nates prostituisse. Examinat quoque passim carmina ejus Latina. Dissidium vero, quod exercet cum *Moro*, indies crescit, praesertim postquam in jus vocavit Anglicam. Infensus quoque est alio nomine, nempe

quod

quod *Morus* ipsum cornigerum vocarit. *Morus* autem valde nunc ambire videtur nostram amicitiam. Ante biduum Hagae prandio eum excepi: multa tum mihi perquam sane lepida, & de illo, & de Xantippe, narravit. Valde is desiderat, ut & tu quoque Scazonte tuo illum invadas. Sed de *Alastoris* titulo vide quid faciendum sit, valde enim hoc gloriatur, quoniam & Juppiter aliquis ita olim dictus est. Respondi *Moro*, si & ipse Juppiter aliquis dici & haberi velit, posse eum facile impetrare ut Juppiter Ammon vocetur. Ab aliquo tempore imperium in suam Xantippen coepit exercere, sed quomodo illa novam istam usurpationem sit latura, multi avide admodum scire desiderant. *Hugenius* noster solet illam vocare la *chaudronniere*. Cogites an aliquid possis elegantius reperire. *Salmasium* jam incipere dubitare de gratia erga se Dominae, certis mihi constat experimentis. A tribus aut quatuor mensibus nullas ab ea accepit literas. Ipse in literis ad *Bochartum* & in sermonibus passim jactat, omnes Reges & principes non posse quietem & tranquillitatem suam turbare, nec posse se excidere gratia. Certus sum, si, quod veretur, contingat, scripturum illum in Reginam. Lepidum vero illud, quod de tranquillitate sua jactat, quem etiam musca aliqua possit insanum & furiosum reddere. Vae illi, si haec intelligeret Tanaquil sua. Ut autem ad literas tuas veniam, ita habeas, me heri reducem Haga duas hîc inveniisse. Priores scriptae sunt pridie Kal. Januarias, alterae una hebdomade serius. Epistolium ad sororem tuam statim curavi. In literis posthac mittendis sequar, quod dedisti, consilium. De Plinio noli sollicitus esse; secum illum advehet *Bochartus*. Ante aliquot hebdomades miseram epistolium ad *Lageium* olim Reginae a Secretis, debet is mihi nonaginta imperiales. Si illos tibi reddiderit, utere tanquam tuis. Sed profecto puto & illius sacculos esse plenos aranearum. De rebus porro novis melius aliunde, quam ex me intelliges. Interim vides parietem nostrum non esse tam vicinum ruinae, quam existimabat optima Princeps. Incipit jam & illa de foedere nobiscum incundo cogitare. Vale, & me ama. XXXI. Januarii CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA LXXXIV.

ISAAC. VOSSIUS.

Nic. Heinsio.

Florentiam.

QUod jam priori hebdomade promiseram, id nunc demum praesto. nempe ut mittam apographum eorum verborum ex epistola *Bocharti*, quae nos utrosque attinent. Sunt igitur haec; *En ce jour qui est icy le premier de l'an, apres tant de lettres facheuses, je vous en donneray pour estreine une, qui ne vous deplaira pas. il y a quatre ou cinq jours, qu'estant au cabinet de sa Majeste, je luy parlay d'une longue lettre, & de quelque vers, que Mr. Heins m'avoit envoye de Florence, & de la ayant pris sujet de fort louer ses vers & sa prose; j'adjoustay que*

S. M. pouvoit dire, quelle avoit eu les deux hommes du monde, qui eſcrivent le mieux en Latin, a ſcavoir Mr. Heins & Voſſius. Comment, dit elle, je les ay eu? Pourquoy parles vous ainſi, ne les ay je plus? ne ſont ils pas encore a moy? Ouy bien, luy dy je, Mad. Mais j'entendois que vous les aviez eu pour ornement en voſtre cour, ou ils ne ſont plus, & d'ou ils ſont a preſent ſi fort eloignez, cela, dit elle, ne durera pas tousjours, & M. de Saumaiſe me permettra bien, ſ'il luy plaiſt, de les garder: je les ay eu, & les auray tant que vivray. il eſt vray que Mr. Heins n'a pas eu rayſon d'offenſer B. dans les longes lettres, qu'il luy a eſcrites, & que voudrois pour l'amour de luy, qu'il ne peuſt pas faict. Je luy dis Mad. ce n'eſt pas a M. B. qu'il en a, mais a un autre pour une vieille querelle, qu'il n'a pas commencé. Sur cela le S. B. qui eſtoit preſent, exaggera fort les ſujets des plaintes qu'il pretendoit avoir de ces lettres, ce qui n'empecha pas, que la Reyne ne retournaſt aux louanges des deux, que j'avois nommes. &c. Poſt multa deinceps B. voluiſſe ſuſcipere, inquit, defenſionem *Salmaſii* contra me, Reginam ſilentium illi impoſuiſſe, *par une repartie fort verte, qu'il n'oſa depuis dire aucun mot. Et quelque autre de nouveaux venus ayant dit avoir appris a Leide, que la ſource du mal venoit de ce, que vous aviez declamè devant ſa Majeſtè contre Xantippe; Sa Mte vous juſtifia, diſant que vous n'eſtiez point homme portè a la meſdiſance, ne que luy euſſies jamais faict de mauvais contes de quique ce ſoit. Mais je vous diray, dit elle, qui c'eſt, qui a deſcriè Xantippe, & luy a rendu grez de moy de tres mauvais offices: & comme nous attendions le nom du delateur, elle adjouſta en riant, c'eſt elle meſme. Deux jours apres a la face de toutte la cour en plein ſirquant, qu'on appelle icy, Sa Mte retomba encor ſur vos louanges, & de Mr. Heins, & ſe plaignit de ce que vous ne luy eſcriviez plus.* &c. Verum nimis longa eſt epiſtola, & procul dubio ipſe de his ad te *Bochartus*. Caeterum haec ſufficiunt, ut arbitror, ut cognoſcas quo in praedicamento ſint res noſtrae in Suedia. Ipſe autem *Bochartus* neſcit unde ea mutatio facta ſit, niſi forſan Sereniſſima Regina paulatim magis magiſque fatigetur cibis iſtis inſipidis, & ut ipſe loquitur, cavis ferculis. Hoc eſt, ut ego interpretor, ſermonibus & geſticulationibus circulatoriis. Attamen aliae literae, quas ante biduum ex Suedia habui, longe contrarium affirmant, in quibus eſt *Bourdelotium* etiamnum regnare, & quidem ſolum, & Sereniſſimam Reginam credere vitam & ſalutem ſuam hujus artibus & conſiliis inniti. Nemini patere praeterea aditum, niſi hoc admiſſionali, ut vocant. Imo neque videre, nec ab aliis videri, niſi per illum. Iſte autem *Bourdelotius* nuper promovit ad Centurionatum cohortis praetoriae longurionem iſtum Gallum, quem noſti, nomine *Monceau*, ut puto, altero illo, quem & ipſum noſti, *Echovio* ejecto. Comes *Magnus* neſcio qua melancholia in quartanam incidit. Is multis offenſus, quae iſtic contigerint, dimiſſionem petiit a Regina. Sed illa, ut creditur, eum placavit munere magni Theſaurarii. Frater ejus *Jacobus* duxit *Ebbam Spar*, quam noſti, alter junior *Pontus* nomine hac tranſiit ante menſem, peracto itinere, & ipſe ducturus *Coningsmarcii* filiam. Celebratum eſt nuper convivium deorum in Suedia, ubi *Uleveldius* Jovem egit, Procancellarius Poloniae Bacchum, Hiſpaniae legatus Martem, Comes *Magnus* Apollinem. Valde omnia magnifica & ſumtuoſa fuiſſe inquiunt. Admodum

Digitized by Google

dum hoc probant hîc terrarum, minus vero priores illos rumores de Danis bello inferendo a Suedis, quos tamen hoc tempore non tam pertimeſcendos eſſe arbitrantur. Quoniam vero ſtatim Poloni feci mentionem, operae pretium eſt, ut dicam, quis is ſit. Confugit in Suediam procancellarius Poloniae ob odium ſui regis, juſtum nec ne, id ſane neſcio. Is ſimulatque venit, a Regina benigniſſime eſt exceptus, admittitur indies ad ſecretius colloquium, tantum non in coelum laudibus fertur, nihil jam illo viro majus, nemo huic prudentia aut ſapientia comparandus eſt. Et tamen, qui bene hominem norunt, ajunt illum pene ſtultum eſſe. In tali aula quid nobis eſt ſperandum! Sed de his coram. *Salmaſium* non eſſe nobis valde pertimeſcendum omnino mihi perſuaſi. Regina etiam in praeſentia multorum valde illum contemſit. *Morus* & *Salmaſii* domina publice hîc de Helena altercantur in foro. Necdum exitum rei cognovi. Omnia undique teſtimonia conquiſivit *Saumarius*, ut *Morum* impudicum & ſcortatorem eſſe oſtendat. Dicitur habere teſtimonium unius alteriuſve ancillae, quibus vim inferre *Morus* voluerit. Quid non dares, ut praeſens in curia tam lepidae poſſes intereſſe diſputationi, & coram audire tam bellam Muſicam, quam duo iſta tintinnabula, ubi committuntur, efficiunt. De Anglis non puto multum te eſſe ſollicitum. Procul dubio ex fratre, cum jam dudum huc ſit reverſus, certiora intelliges. Hortabor illum, ut diligentius poſthac ad te ſcribat. In Anglia omnia novis turbis impleri videntur, ſi vera ſunt, quae hîc nuntiantur. Illud ſane conſtat, illos caudam remulcere & utero ſubjicere. De itinere tuo nihil in poſtremis ſcribis. Velim ut in tempore me moneas, ne te fruſtra meae inquirant literae. Partum felicem ſororis tuae jam cognoviſti. *Maeſtertius* Lugduni eſt Magnificus. De *Vorſtio* multa tibi lepida narrabo, ſed coram. Vale, mi Heinſi, & ſalve. Amſtelodami, CIↃIↃCLIII. XIV. Febr.

EPISTOLA LXXXV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Venetias.

JAm te apud Venetos verſari exiſtimo. Quamvis enim tempus profectionis non addideris, attamen & ex illis & ex prioribus tuis ſatis colligere potui, non te diutius Florentiae moraturum, peracto eo, de quo ſcribis, negotio. Utinam tamen contuleris ante diſceſſum exemplar illud Hiſtoriae Auguſtae, quod in conventu quodam exſtare dicis. Licet id recentiſſimum ſit, ut ais, erit tamen non minus bonum, quam illud, quo uſus eſt *Saumarius* heros, neque enim illud magni videtur fuiſſe momenti, aut ſaltem peſſime eo eſt uſus. Quod ſi non integrum, partem ſaltem, ut opinor, contuleris. De literis meis quod ſcribis, nullas ad tuas perveniſſe manus, valde miror. Sancte tibi

adfirmo, me a multis mensibus nunquam, nisi semel, in tertiam hebdomadem distuliſſe scriptionem. De Stephano quod promittit *Sfondratus*, utinam praestet. De metu calculi quod scribis valde me male habet. Cave tamen putes me hoc mirari, imo miror ullum esse malum, quod te non invaserit, imo miror te vivere. Qui enim bene valere possis, cum totos dies in sella sedeas tripede, pronus uni alicui imminens libro? Ego certe, si ita viverem, intra triduum apud inferos epularer. Gaudeo vero, quod nullam hujus tormenti in sequentibus tuis literis, quae mihi superiore hebdomade redditae fuere, facias mentionem. De MStis quod scribis, non possim dicere quantae mihi haec res sit indignationi. Quam vellem ut sumtus illi, qui scurris & histrionibus fuere impensi, tuis fuissent destinati usibus. Attamen si libri isti sine nobis in extremum deportati fuissent septentrionem, jam animum muto, ac malim ut illic, ubi sunt, porro habitent, ac saltem inter homines maneant. Quod scribis, *Bochartum* nullas ad te dedisse literas, id valde mihi suspectum est. Quale id sit, quod suspicer, tu optime nosti, qui scis, ut puto, quam nobis *Bochartus* bene velit. Novi quod tibi significem non multum habeo. Legati nostri ad comitia Lubecensia missi, *Wittius* nempe & van *Wavere*, domum quamprimum revertentur, uti quoque *Chanutus*. Omnes ibi operam luserunt. Novum bellum Germania desiderare videtur. Regina quoque undique copias contrahit. Negotia nostra cum Anglis satis videntur esse tuto in loco, praesertim si classis nostra salva domum revertatur. Videtur plus nobis esse periculi a tempestatibus hybernis, quam ab inimicis. Valde Anglos fefellit concordia nostra, & praeterea foedus cum Rege Daniae. Quantum enim & in hoc postremo sit momenti, vel inde possis colligere, quod nullas posthac classes fabricare aut in mare educere possint, nisi prius fretum illud vi aperiant. Verum nunquam significasti, quidnam Itali de hoc nostro bello sentiant. Atque haec quidem hactenus. Priori hebdomade literas *Bocharti* communicavi affini tuo, itaque jam, ut opinor, ex illo intellexeris, nempe illum scribere, *Bidalio* tandem jussum esse, ut pecunias tibi annumeraret. Sed profecto, priusquam ex te ipso intelligam, non credam. *Bochartum* ipsum quod adtinet, is Phalegi sui specimen dedit in Academia illa nova, quamque ipsa etiam Regina frequentat nonnunquam, illamque ajunt valde in admirationem sui rapuisse. Istam Academiam frequentat quoque *Beuningius* noster, qui valde nobis favet. Utinam in Suediam venias, illo etiamnum illic commorante, certus sum non parum tibi profuturam illius amicitiam; longe enim alio nunc loco est apud Sereniſſimam Reginam, quam antea. Valde autem contemnit *Saumarium*, adeo ut eum vocet omnium fatuorum doctiſſimum. Scias praeterea dissidere jam inter sese *Bourdelotium* & hunc nostrum, de quo loquimur, heroa, atque brevi in apertas inimicitias esse eruptura eorum odia. Praeterea Reginam permittere, ut contra *Salmasium* scribam. Sed haec raptim, & tibi soli. Vale, mi Heinsi, & me, ut facis, ama. Amstelod. CIↃIↃCLIII. XXVIII. Febr. st. N.

EPI-

EPISTOLA LXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Isaac. Voſſio.

Venetias.

VIde quam diſſimilis mei factus ſim, Voſſi amiciſſime, qui unas, duas tribus ſolebam remunerare, nunc tribus tuis reſponſum debeo. Earum primae in Hetruria ſunt mihi redditae, cum jam eſſem in eo totus, ut Florentia Venetias contenderem convaſatis farcinis. Secundae mihi poſt perreptatas Apennini rupes Bononiae occurrerunt. Tertias hodierno die accepi hic a *Colonio*. Haec verboſius, ut agnoſcas mea culpa non eveniſſe, quod praeter ſolitum cunctatus ſim, ac protraxerim aliquamdiu reſponſionem. Etſi enim & plurimas amicorum epiſtolas in hanc civitatem conſecutus ſim adveniens, & ex itinere moleſto valde languecam, noctibus ſine ſomno tribus in via exactis, nihil tamen prius habui, quam confabulationem tecum inſtituere, cum quo garrio libentiſſime. Imprimis autem curae mihi erit, ut tuis ordine reſpondeam. Deinde ſi quid ex hiſce oris habuero nunciandum, id omne proferam in medium, nec tibi invidebo. Res aulicas fluctuare, & nos cum illis, non tam miror, quam doleo. Narravi proxime accepiſſe me ab *Holmio*, quibus promittat non proſpecturam tantum Dominam rebus meis, ſed & jam ſcripturam mihi. Nunc alias ab eodem nactus ſum, quibus denuo teſtetur, datum *Bidalio* in mandatis, ut viaticum mihi curet annumerari; deſiderari valde ab Auguſta meum in aulam reditum, quem eo fore gratiorem, ſi *Langermannum* mecum duxero. Apographum litterarum, ſi per temporis licebit anguſtias, in calcem hujus epiſtolae conjiciam. De *Bidalio* quid ſit futurum neſcio. Poſt dies certe paucos compareat, ſi quid ab illo exſpectandum. Ego illum litteris urgere non deſino, quae ſi aliquid efficiant, ne ſucceſſum rei ignores opera a me dabitur. Pro Gronovianis multum me debere tibi agnoſco. Alias ejus, quas ad *Goeſium* videtur miſiſſe, nullas vidi hactenus. Nec miror frequentius perire litteras, cum noſter ille domo abſit plerumque, quapropter fieri a te velim, quod non ſemel jam rogavi, ut apud Daventrienſem tabellarium inveſtigari cures, ſi quid illic forſan inſcriptarum mihi literarum haereat. Ego totis ſex menſibus vix unam a *Goëſio* habui, aut a Patre epiſtolam. Pater tamen per valetudinem aut ſenectutem cogitur officio deeſſe. *Goeſium* quid excuſare poſſit non video. Sororem ne gravidam quidem ſcivi, tantum abeſt, ut ſcierim peperiſſe. Utrumque nunc primum ex te intelligo. Haec cum me lateant, quid de rebus Anglicis ſcire poſſim hinc licet conjecturam facere. Leidae etiam quid fiat cum ignariſſimis ſcio. *Scottanum* obiiſſe, *Meſſertium* rectoratu fungi academico ex popularibus hodie meis contubernalibuſque nonnullis didici, quorum ingens numerus in hanc civitatem ad bacchanale ſpectaculum confluit. Iidem nar-

narrant, ſex demum naves Anglicas a noſtris interceptas, quae ex Luſitania in patriam contendebant, Londini omnia turbari, *Cromwelli* auctoritatem nutare: de pace inter nos & illos facienda ſpem affulgere magnam, praeſertim cum Arbitram liti componendae ſeſe offerat Auguſta noſtra. Scriptum, quod minaris in *Alaſtorem*, brevi videamus velim. Florentini omnes favent vapulanti plurimum, quibus eſt inviſiſſimus, ut & Italis fere omnibus. Libellum tuum amplecti vehementer deſiderant. Sed cum in ultimis duabus ejus non memineris, non tam cito ac pollicebaris videtur exſpectandus. Scazon meus luce nequaquam fraudabitur, ubi ad vos reverſus ero. Nolo enim exiſtimationem meam gravare pergat Protomedicus aſſiduis accuſationibus, dum abſum, praeſens cauſſam meam Principi clementiſſimae ſatis ſuperque ſum probaturus: ipſius etiam Protomedici epiſtolam diligenter ſervo, ut Domina intelligat, ea inſpecta, non defuiſſe mihi rationes, cur hominem nugaciſſimum verbis pupugerim acrioribus, qua enim, petulantiane dicam, an perfidia, ipſo illo fere tempore, quo litteris omni cumulatis comitate Princeps optima de favore ſuo quaevis magna me jubebat ſperare, auſum Protomedicum minarum plenam exarare epiſtolam, quae praefracte neget fore me in aulam admittendum unquam, niſi cum hoſte redeam in gratiam? Id autem fieri alio modo non poſſe, niſi laudem publice ac privatim numen iſtud litterarum. At promiſit ſemper Domina, quod tu non neſcis, nunquam fore me compellandum ad amandum hominem, cujus odium aperte prae me tuli. Non fruſtra fuerit in me injurius Medicus ille gallica hieme frigidior. Tibi etiam cum volet nocuiſſe, tempus aliquando veniet. Sed de hac re melius aliquando coram diſſeremus. Tu tuas interim litteras huc mitte ad *Colonium:* vix enim fiet, ut ante Kal. Apriles Italiam ſim relicturus, cum & reſponſum a *Bidalio* ſit acceptandum, & operienda ſint magis opportuna itineri faciendo tempora. Eſt enim valetudo mea continuis lucubrationibus non modice adfecta. Etiam cum reliquero Italiam, ut tuae literae me deprehendant in Germania *Colonius* diligenter curabit. Nam & Baſileae & Bernae, ubi Bongarſiana Bibliotheca eſt, & alibi morandum erit nonnihil. Majo tamen menſe ut vobis adſim omni niſu conabor efficere. *Langermannum* Neapoli reducem exſpecto, ubi advenerit, ut Scholium in ovum Simmiae conſequaris, & quae praeterea deſideras, opera dabitur. Habet idem *Langermannus* quae *Holſtenius* ad Herodianum marmor obſervavit, nec illa tibi invidebuntur. Quo munere a Venetis ſit affectus *Alaſtor*, quis me docere poſſit praeter *Nicolaum Craſſum* vix ſcio, cum plerique hujus urbis literati ad plures abierint. *Craſſum* igitur de ea re conveniam diebus proximis. De *Euthymio* Medico ſatis memineram, ſed frigida ſuffuſa eſt iſtis curis, quod viderem tam negligenter ac contemptim agi ab aulicis, & tua me veſtigia deterrerent. Promiſit tamen mihi diſcedenti Princeps *Leopoldus*, nihil eſſe in Medicea, quod non libentiſſime ſit communicaturus cum Auguſta. Ego officio nequaquam defui. Vix enim Florentiam adveneram, cum indicem omnium librorum Dominae miſi, qui inediti exſtant in illa Bibliotheca, ſatis diligenter confectum, petiique ne gravaretur monere, quoſnam ex iis deſideraret maxi-

maxime. Sed nec ad illas, nec ad alias, quibus de Numiſmatis & iſtis MSS. venalibus egi, quicquam reſponſi unquam conparuit. *Pricaeum* tuo & Avunculi tui nomine ſalutavi, quod officium gratum & acceptum valde habuit. *Samuelem Bochartum*, virum clariſſ. quidni parentis loco veneremur, qui innocentiam noſtram contra nefarias Protomedicorum artes ac inſidias tam fervide tueatur? Rarum certe in illo exemplum eſt, ſumma integritas cum ſumma eruditione conjuncta. Nullas ab eo accepi, quamdiu in ſeptentrione haeſit; fortaſſis intercipiuntur a Protomedico, cujus audaciſſimam inſcitiam quae ſatyrae, quis Lucilius expiare ſatis digne poſſint? Sed de reſponſo ad meas magni *Bocharti* minime ſum ſollicitus, dummodo ſic ab illo, ut ſcribis, amari nos conſtet. Gratias illi agam pro adfectu proxime, nunc enim ſum paulo occupatior. *Miltonum* mortuum credideram, ſic certe nunciaras. Sed praeſtat in vivis illum eſſe, ut Sycophantae cum Sycophantis committantur. *Poëmata* ejus mihi oſtendit *Holſtenius*. Nihil illa ad elegantiam apologiae. In proſodiam peccavit frequenter. Magnus igitur Salmaſianae criſi campus hîc apertus. Sed qua fronte alienos iſte verſus notabit, cujus muſis nihil eſt cacatius? Quod ait adverſarium nates Italis vendidiſſe, mera eſt calumnia. Utinam ejus malae tam tutae fuiſſent a pugnis uxoriis, quam poſticum *Miltoni* os a ſicariis Hetruſcis! Imo inviſus eſt Italis Anglus iſte, inter quos multo vixit tempore, ob mores nimis ſeveros, cum & de religione libenter diſputaret, ac multa in Pontificem Romanum acerbe effutiret quavis occaſione. De rixis inter *Morum* (cujus patrem fuiſſe gente Scotum audio) & noſtrum ſycophantam multum triumphabunt Angli. Nobis etiam nocere lites iſtae nihil poſſunt. De *Alaſtoris* nomine noli ſollicitus eſſe: ego unum ex equis Plutoniis reſpexi, qui ſic appellatur. Noſti illa Claudiani: *Ditiſque nota ſignatus Alaſtor*. Jovem *Alaſtorem*, ſive *ultorem* a Graecis fuiſſe cultum ſatis conſtat. Sed quid ille ad hunc noſtrum? An quia Martem illi peperit (*Getica qui nunc bacchatur in arctō*) delicium foeminini ſexus Juno, idque ſine mariti ope, Jovem ſe credi velit? Id ſi accedet, quid ni *Salmaſiolus* quoque Alexandrum magnum ſe jubeat appellari, qui ſi Hammonem patrem non habeat, habet ſaltem vitricum. De iſta foemina cum narrationes facetae nunquam exhauriri poſſint, quarum ingentem acervum cumulavi, unam tamen fabellam non prorſus illepidam, vix a me impetrare nunc poſſum, ut ſilentio ſinam involvi. Eam Sueciae, ubi res geſta eſt, debemus. Scis quam ſordide ſit avarum iſtud myrothecium Gratiarum. Convivas quidem excipit dapſiliter, quia raro: ſed ſola obſonat parciſſime, ut inter ejus prandia & aliorum jejunia nihil aut parum interſit. Deliciarum ſi quid forte gratis conſecuta eſt obvia, ut ſolet, amicorum liberalitate, earum ſolo odore paſcit Jovem ſuum, guſtum ſibi ac Hebae ſuae omnem vindicat. Emerat illa forte nonnullos piſciculos, cum recens in Sueciam adveniſſet, quibus appoſitis neſcio quo fato evenit, ut unus illorum integer ac intactus prandio ſubductus ſit. Hunc cum ſibi deſtinaſſet famulus, ac oculo famelico avidiſſime involaſſet, dum patinam ex menſa tollit (ventrem enim habebat inanitate pleniſſimum, & morbo iſti chronico valde fuerat obnoxius, ex quo in Salma-

fianam irrepserat culinam, quam tutissimum esuritionum asylum nuncupare possis) arrepta, inquam, patina dum gaudet miser, ecce carminis horrendi legem. Intonat voce stentorea Juno, ac piscículum servari sibi in coenam jubet. Indignatus ille, ac herili parcimoniae offensus subducit se in angulum domus remotiorem clanculum, & patina commicta custodiendum ancillae piscículum tradit. Magno sub noctem apparatu in coenam piscículus prodit, novo jusculo conditus. Quid multis? dividunt inter se dapes Ambrosias Juno & Hebe Caledonia, divisisque vescuntur. Famulus ancillae rem jucundam narrat, ancilla Junoni. Nec mora, de natibus rei miserrimi comitia habentur; quo supplicii genere si delectari Junonem non nosti, nihil nosti profecto. Nunquam inter Italos tam praesenti periculo objectus fuit *Miltonus*; hoc mihi credas velim. Annum agebat decimum plus minus octavum puer iste, ut ex amicis Parisiensibus intellexi. Lutetiae enim haerebat, quo profugerat puer, cum & ego in illa civitate essem ante menses duodevicenos. Sed eventum fabulae jam pridem exspectas. Demissa igitur ad talos pueri bracca, & levato magna religione sipario, quo sacra illa castis oculis non inspicienda solent involvi, virga nudatos clunes acriter fricare coepit, & mira constantia Rhamnusias Opis. Jam ad flagra illa venerea incalescebat Attys noster mutoniatus, arrectaeque horrore comae cum voce ad ejulatum compósita, & protenta non manu supplice, sed illa parte, qua viri sumus, utinam, inquit, hera, meae virgae tantum in te liceret, quantum tuae in me licet. Gallice miram hoc habet emphasin, *virgam Sancti Benedicti* vocant. Subrisit illa, & magnum pueri acumen mirabunda suspiciens saevire destitit. Sic servavit vapulantem non Apollo, sed Priapus. Et haec quidem hactenus: alia occasione plura, jam enim charta deficit. Parum abfuit, quin neglexerim te monere nactum me Bononiae Appiani Alexandrini Iberica & Hannibalica Msta. Iberica, si memini, edidit *Hoeschelius*. Hannibalica an lucem viderint non scio. In *Roberti* certe *Stephani* editione, quae ad manum est, frustra ea quaesivi. Si non prodierunt, magnum thesaurum consecutus sum. Vidi in eadem civitate apud *Ovidium Montalbanum* duos codices Graecos, quorum unus continet *Zonarae historiam*, alter *Libanii plurima*. Tertium etiam Latinum ante DC annos scriptum, in quo *Vegetius*, *Solinus*, *Macrobii saturnalia*, *Vitruvius* & *Aethicus* iste nugator, hactenus ineditus. Volebat eos permutare mecum, si sibi emerem theatrum *Bauhini* botanicum. Tria sunt volumina, quem librum in hac urbe si invenero, illi mittam. Gallicam quam dixi, *Holmii* epistolam non vacat totam describere, partem ejus potissimam describam. *J'ay monstré a sa Majesté mesme vos lettres, laquelle m'a temoigné grande affection pour votre pèrsonne, aussi bien que pour Monsr. Langerman; elle souhaite, que vous fussiez deja ici, & est fort aise, que Monsr. Langerman vient avec vous. Il part avec l'extraordinaire un lettre pour Monsr. Bidal a Paris, par la quelle sa Majesté a commandé de vous fournir de l'argent pour vôtre voyage tant que vous en auriez besoin* &c. Has jam descripseram, cum & Florentia magnam chirographiam accepi. Adsunt a parre, adsunt a *Goesio*, quibus uxoris partum imminere adfirmat. Gronovianas tamen nullas mittit. Parisiis *Petavi-*

vium obiisse scribunt. *Langermannus* Romam rediit, multos Neapoli libros nactus bonae notae. Sed de his alibi. *Lagerius* hinc discessit, ut audio in Gallias, cum luculentam nactus sit haereditatem mortuo avunculo, quare literas illi tuas exhibere non potui. Apud *Ducem Salviatum* effeci, ut promiserit, se donaturum Reginae suos codices. Litteras ad Dominam, una cum Hetrusco carmine (pollet autem multum poësi) hîc exspecto. Cum salutarem illum, aderant comes *Ferdinandus del Mestro* & *Andreas Cavalcantes*, uterque mihi amicissimus. Frendebant tamen illi, codices praestantissimos Italiae fore subducendos, quantum ex commissis illorum capitibus murmurationibusque colligebam. Ducis Oeconomo centum aureos promisi, qui negocium promovit. Si pecuniam habuissem illam in promtu, poteram abstulisse libros, nunc vereor, ne meliores surripiantur, antequam mittat huc aliquem Regina, qui libros auferat. Vale, mi Vossi, cum tuis omnibus. Dabam Venetiis An. CIↃIↃCLIII. prid. Kal. Martias.

EPISTOLA LXXXVII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

PRolixas tuas heri accepi, una cum inclusis ad Patrem, affinem & *Gronovium*. Omnes statim curavi perferendas. Nunc cogor Laconice tecum agere, quoniam quod scribam deest. Breviculas enim ex Suedia accepi hac hebdomade literas a *Bocharto*, quibus nihil aliud significabat, quam tradidisse se S. R. epistolam meam, verum nullum ab ea tulisse responsum. De protomedico tamen aliquid addebat, nempe illum brevi illuc accessurum dignitatis, ut omnes, quotquot Suedia indigent, & illo quoque indigeant. Cave itaque hunc talem tantumque virum offendas. Quod existimas me non cogitare de scripto erga communem nostrum adversarium, falleris admodum. Crescit illud indies, & videbis, ut spero, bonam illius partem luce donatam, antequam reversus fueris. Sed a scommatibus plane abstineo; malo enim ut ab his ipse prius incipiat. Quod Ἀντιβαικὰ Appiani te habere MS. inquias, nec ea reperiri in tuo codice, aliud oportet Appiani exemplar habeas, quam quo ego utor. Quod lapillos in renibus concoxeris valde gaudeo. Fabella de *virga S. Benedicti*, quam narras, valde est lepida. Dux *Tremolius*, alias princeps Tarenti, Hagam venit, is operam suam offert in reconciliando *Moro* cum *Salmasio*. Quod adfinis tuus rarius ab aliquo tempore ad te scripserit, mirari id non debes. Vides enim in longe potioribus laborasse eum, quam in scribendis literis. *Gronovius* Statium Papinium jam in lucem protrusit. editus est eadem forma & iisdem characteribus, quibus Ovidius tuus. *Gustum* (ita vocat notas suas) addidit in Statium. Inscripsit vero Reginae. De cambio spero ali-

quando vera dicturum *Holmium*. Valde reditum tuum exſpecto. Sed & *Langermannum* ſpero hac tranſiturum, oſtenſurumque nobis, quantum in Italicis bibliothecis profecerit. Recte vos facturos arbitror, ſi omnia veſtra ſcripta vobiſcum feratis, nec marium vel praedonum periculis permittatis. De proelio inter noſtros & Anglos jam intellexiſti ex ſuperiore nuntio. Saltem id conſtat, ſpe excidiſſe Anglos potiundae tantae praedae, & non minus verum etiam multo magis vapulaſſe, quam noſtros, ſi verus ſit hic, quem tranſmitto, catalogus, de quo tamen valde dubito. Et tamen vix dimidia aut tertia pars navium noſtrarum pugnavit. Nebulones enim aliquot capitanei, Gallis Rupellenſibus & aliis vendiderant pulverem ſuum pyrium, itaque cum ad pugnam eſſet deventum, nihil habuere, quo ſe defenderent. Lotharingos aliquot a noſtris fuiſſe aſſatos jam dudum intellexiſti, ut opinor. Iſtorum nidor reliquos pepuliſſe videtur. Abſtinent enim a noſtris finibus. Vale, & me ama. XIV. Martii CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA LXXXVIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Mediolanum, aut *Baſileam.*

IAm ſtatim Amersfurto domum redux, mi Heinſi, tuas offendi, & longas & jucundiſſimas. Scribis in illis, ut literas impoſterum tradam aut affini tuo, aut ad aedes paternas mittam. Verum id, ut opinor, efficiet, ut cum ſingulis duabus ad te ſcripſerim hebdomadibus, nunc una hebdomade ſerius ad te meae perveniant literae, nam, ut noſti, uno die ſerius, quam huc, literae ex Italia Germaniaque adveniunt, alter hinc diſcedit tabellarius Valde autem gaudeo quod videam te iter tuum maturare, celeremque promittas reditum, qui quamvis celerrimus fuerit, nunquam tamen erit inexſpectatus. Utinam ſi quam ſcribendi negligentia aut raritate apud te contraxerim culpam, eam omnem praeſentibus poſſim conpenſare officiis, hactenus non ingrata nobis & injucunda fuerit mutua iſtaec inter nos benevolentia, multo illa, ut ſpero, erit gratior, ubi iterum praeſentibus officiis & conſuetudine jucundiorem facere poſſumus amicitiam noſtram. De hiſtoria Auguſta ita eſt, ut olim dixi; quamvis codex iſte Mediolanenſis ſit recens, innumera tamen loca ex eo reſtitui poſſunt. Sed opus eſt naſo, quo caruiſſe videntur illi, qui eorum autorum primam dedere editionem. Non recte enim illo libro uſos eſſe (ſi tamen ſint uſi) ſtatim adparebit, ſi quis vel unam conferat pagellam. Vellem cum D. *Ferrario* arctam faceres amicitiam, mirum enim in modum illius impoſterum tibi prodeſſe poſſit familiaritas, in conſequendis melioribus iſtius bibliothecae monumentis. Quod nonnullos tibi rariores comparaveris codices valde gaudeo: velim ut illos tecum terreſtri itinere deferas, ne forſan aut mari aut pi-

Digitized by Google

piratis Anglis ea cedat praeda. Habes hîc literas *Gronovii*. Intra aliquot dies hîc nobis aderit, si stet promissis. Valde capior ejus familiaritate. Sed utinam quoque tu adesses, id si esset, nihil nobis deesset. *Bochartus* quando huc rediturus nescio. Ipse scribit se non posse de reditu cogitare ante tertium mensem elapsum. Si maturaveris iter tuum possis illum in Suedia offendere, uti quoque D. *Beuningium*. Ex Suedia nihil novi. Crescit illic indies paupertas, & sane videretur ea regio brevi futura mendicorum ditissima, nisi deus aliquis prospexerit, ac de Polonis aut aliis inimicis bonam illis praedam concesserit. Ipse ὁ παντοκράτωρ ἀλείπτης aliquid se percepisse negat in Suedia, sed jam de suo expendisse ultra viginti florenorum millia. Quid de *Bocharto*, quid de nobis sperandum in tanta egestate? Sed de his coram. De *van Galio* modo rumor est allatus, illum duas Anglorum naves occupasse, & alias quatuor in fundum egisse, aut consumpsisse flamma. Nos strenue pergimus in Antipliniano nostro. Affinis tuus Leidae est, ut mihi statim narratum. De *Moro* nihil intellexi ab aliquo tempore. Aliud quod scribam nihil jam succurrit. Vale, & matures reditum & me amare pergas. Amstel. IX. April. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA LXXXIX.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Coloniam.

VAlde anxius fui de tuo reditu, quinque siquidem jam transierant hebdomades, ex quo nemo hîc terrarum aliquid de te cognovisset, cum subito laetissimum nobis nuntium adtulit affinis tuus, salvum te venisse Genevam. Heri vero etiam literas adtulit Basilea datas, quibus certam spem facis affuturum te Coloniam intra duodeviginti dies, quos jam praeteriisse existimo. Utinam iter tuum matures, quantum fieri potest. Simul Suediam repetemus, si dis placet, nam & ego nunc revocor. Propempticon nobis scribet *Morus*. Tonsoris rustici filius abiit, evasit, nescio aurone an diris onustior. Valde aestive viaticatus illuc venerat: auferet vero nunc plusquam quinquaginta imperialium millia. Infinitas de illo fabellas coram narrabo. Transiit hac praeterita hebdomade *Bochartus* & *Naudaeus*, in comitatu uterque *Chanuti* Legati. Non nisi per unum diem hîc substiterunt. Ex Suedia ad me scribit *Beuningius* sperare se habiturum te locum *Lagerii*, aut similem, nempe ut sis S. R. ab epistolis Latinis. De *Bidalio* dolet quod scribis. Sed poteris de illo ultionem accipere, si ita tibi visum fuerit. Multa habeo, quae in aurem tibi dicam, quae non audeo literis committere. Spero tibi ea non ingrata fore, quamvis imprudenter facta videbuntur, sed tamen optime exciderunt. *Fraxineus* adhuc in Suedia est: huic soli cum tonsoris *Michonis* filio quomodocunque adhuc convenit. Et ipse tamen quamprimum discedet, nisi fallor. Literas mitto

Gronovii, quas hoc ipso fere momento Haga redux domi meae offendi. Tutius forsan eas hîc servassem, cum nesciam an ad manus tuas sint perventurae: spero enim te prius Colonia discessurum, quam istae perferantur, cum nihil ea in urbe sit, quod te multum moretur. De Catalogo Bibliothecae Bernensis noluissem te solicitum esse. Jam olim eum mihi descripsit cognatus *Junius*. Vale, & reditum festines; peream si quid in mundo sit, quod majori cum impatientia desiderem. Famulus non deerit. *Gronovio* & ipsi haec res cordi est. Vale x. Julii CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA XC.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Helviam.

NOn nisi per unicam horulam licuit versari in Bibliotheca; ob causas, quas coram melius explicabo. Omnia illic sursum & deorsum volutata inveni, itaque tam brevi spatio nihil neque in usus tuos, neque etiam meos potui efficere. Ovidium & Statium MSS. pauculosque alios exposui, uti volebas, habebisque quandocunque placuerit. Transmitto clavem interioris cubiculi, quam tradas rogo *Holmio*, aut Sereniſſimae nostrae, si tempus & occasio tulerit. Inclusas rogo tradas *Holmio* obsignatas. Valde jejune sunt exaratae, sed jam pridem cessat mea erga hominem istum reverentia. Qualem erga me se gerit, talis quoque ero erga illum. Si homo literarum & omnis civilitatis expers nesciat libros, quos seposui, a caeteris distinguere, adjuves illum rogo. Si tibi comparaveris libros, qui in anteriore sunt cubiculo, praedam non contemnendam habebis. Sin id neglexeris, fac tamen rogo, ut & illi convasentur, & cum caeteris transmittantur. Pileum, quem volebas, reliqui adfixum parieti cubiculi mei. Si *Silvercronium* videris, salutes non tantum meo nomine, sed etiam commendes illi arcam, quam reliqui, ne forsan servorum pateat fraudi. Velim itaque quam libentissime, ut illam quam ocyssime auferat Gertrudis, quam nosti, Beuningiana, ut istam una cum heri sui suppellectile reliqua in Hollandiam transmittat. Simulatque in Hollandiam venero pluribus tecum agam, nunc enim raptim haec exaravi, redeunte ad vos famulo meo. Quis futurus sit status aulae Sereniſſimae nostrae Reginae tribus rogo rescribas verbis, quandoquidem id nunc secure licebit, nempe an *Comes a Dona* comes itineris sit futurus, *Silvercronius*, *Marescallus*, quid alii item. Northolmiae nunc versor. Responsum si quod transmiseris, id hac praecipue vice tradas domino *Osse*, ut includat literis suis ad D. *Beuningium*. *Langermanno* rogo omnia mea offeras officia. Mittam illi quae promisi, simulatque eum Hamburgum reversum esse cognovero. Vale & me ames. IV. Junii Gregor. CIↃIↃCLIV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XCI.

ISAAC. VOSSSIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

NAe illi lepidi sunt homines, mi Heinsi, qui tam magnifice sentiunt de munusculo librorum, quod mihi indulsit Domina. Illine, an vero ego debeam indignari, quod cum pulcherrimam in Suediam advexerim bibliothecam, in qua nullus omnino veterum auctorum desiderabatur, quaeque ultra quingentos numerabat manu exaratos codices; nescio quas receperim quisquilias, in qua ne unus quidem bonae notae sit auctor (exceptis paucis aliquot meis) dignus prorsus omnes, qui a cacantibus legantur. Nolim tamen ut apud Suedos nimium de iis contemtim loquaris: e re enim mea esse possit, ut magnifice de his tentiant. Constitui enim Catalogum omnium istorum librorum pluriumque aliorum, quos ad speciem admiscebo, quamprimum in lucem dare. Transmittam illum, simulatque excusus fuerit, ut videas ecquis illic sit emptor. Prorsus enim est digna haec bibliotheca, quae ad locum, unde venit, revertatur. Atque haec quidem de libris. Hamburgensi quod excideris Canonicatu, non est quod doleas. Nimium id pusillum fuisset praemium pro laboribus tantis. Spero successurum id quod scribis, nempe ut ordines te illic utantur oratore. Non erit hoc, ut existimo, inconsultum aut honori tuo, aut utilitati. D. *Beuningius* jam de eo egit apud ordines nostros. Non male feceris, si unam alteramve scripseris epistolam, quam communicare possit illis, qui nunc plurimum possunt. S. Regina adhuc Hamburgi haeret, indiesque hîc exspectatur. Avide illam exspecto etiam ipse, tum ut videam ecquid sperandum sit de solutione stipendii, tum vero magis de repraesentatione summae expositae. Libros, quos petis, habebis omnes. Multum me obstrinxeris, si per famulum tuum inquisiveris in volumina quaedam, quae mihi sunt sublecta in Suedia, ut existimo, a famulis quibusdam, dum transferuntur, vel etiam in ipsis aedibus D. *Beuningii*, praesertim in navigationes quasdam in Indiam, Francofurti editas in folio, quorum figurae coloribus sunt variegatae. Praeterea itinerarium *Rauwolfii*, innumeraque alia scripta, vellem quoquo pretio recuperare. Sed de his alias. Ante duas hebdomades transmisi tibi libellum *Miltoni* contra *Morum*. Vale & me ames xxx. Julii. CIↃIↃCLIV.

EPI-

EPISTOLA XCII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ACcinctus ad iter Antwerpienſe, ut illic S. R. conveniam, haec ſcribo. Itaque non poſſum ad ſingulas literarum tuarum partes reſpondere, hoc ſaltem nunc promitto, me ſedulo omnia curaturum quae poſtulas. Nunc praetermittere non poſſum quin ſignificem, D. *Beuningium* ſtrenue cauſam tuam egiſſe apud Ordines, atque ita de te eſſe locutum, ut non dubitem, quin ſi reſciveris ſive ex me, ſive ex aliis, quomodo ille te laudeſque tuas praedicarit, longe tibi gratiſſima ſit futura ejus erga te viri benevolentia. Itaque jam parum ſupereſt quin omnium nomine electus ſis ad munus illud publicum in Suedia obeundum. De ſalario annuo non ultra quatuor florenorum millia impetrare potuit, quamvis illis neceſſitatem alendi currus famulorumque aliquot ſatis indicarit. Non niſi per biennium illic commoraberis, ut exiſtimat. Ubi reverſus fueris, ſyndicus eris urbis alicujus primariae. Dum interim illic verſaberis pulchre rem tuam facere poteris. Vale, mi Heinſi, ubi Antwerpiam venero, ubi nunc agit Regina, dabo ad te prolixiores. CIↃIↃCLIV. VIII. Aug.

EPISTOLA XCIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ANte biduum Antwerpiam veni. Regina vero abeſt, ſed hodie reverſura eſſe creditur. Bruxellas & praedia nobilium quorundum, circa illam ſita, per aliquot dies inviſit. Manſura vero eſt etiamnum per menſes minimum tres vel quatuor. Verum de his certiora potero reſcribere, ubi ipſam compellavero. De te vero quid ſtatutum ſit apud ordines noſtros ſuperioribus perſcripſi literis. Putabat itaque Heros noſter *Beuningius* brevi te habiturum acta illa, quibus quid tibi faciendum ſit poteris cognoſcere. De Ovidio quod ſcribis memor ero, ſimulatque domum fuero reverſus, quo admodum feſtino, tranſmittam omnia, quae in Bibliotheca mea Ovidiana monumenta invenero. Vellem id ipſum apud *Moretum*, quocum familiaritatem inire ſtatui, mihi liceret. Sed vereor ne is recuſet codices illos ſuos in tam longinquas oras tranſmittere. *Graevius*, qui mihi Amſtelodami adeſt, cujuſque utor opera in concinnandis operibus paternis, deſcribit Ovidianas lectiones *Gruteri*, excerptas ex variis ejus

Digitized by Google

ejus ſcriptis. Velim ſcire quid *Chriſtianus Meys* praeſtiterit pro me apud Doctorem *Ericum*. Reliqueram illi ſchedulam exhibendam huic D. *Erico*, qua, ut reſtitueret libros, quos D. *Manaſſes* in Suediam miſiſſet poſtulabam. Si nondum reſtituerit ciſtam, praedictus D. *Ericus*, velim moneas *Chriſtianum Meys*, ut denuo ab eo repetat. Et ſane nullam cauſam video, quare tamdiu aliena bona penes ſe detineat. De Purchaſio Anglo neſcio an quid futurum ſit. Ipſe hîc habeo poſteriores duos tomos, Illuſtriſſ. vero *Skyttius* quatuor priores. Pro libris iſtis Hebraicis jam ſatisfeci *Manaſſi*. Itaque non ipſi, ſed mihi remittendi ſunt libri iſti, quamdiu nondum iſtam pecuniae ſummam a S. Regina receperim. Si nondum tranſmiſſi ſunt, fac rogo ne illi mihi pereant, ſimulque trecenti ſexaginta imperiales, quos pro illis perſolvi. De capſa illa librorum quod narrat hoſpita, id falſiſſimum eſt, non enim tantum, quod illa fingit, denuo examinavi libros, ſed ne totam quidem capſam aperui; verum per *Fredericum* & alterum, quem habebam, famulum aſſerem unum ab uno tantum latere aperiendum curavi, & ſic per foramen iſtud aliquos minores libellos immiſi. Antverpiae CIↃIↃCLIV. Aug. XX.

EPISTOLA XCIV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ET alia, & praeſertim morbus graviſſimus matris, effecere, ut ſpatio trium quatuorve hebdomadarum nullas omnino ad te literas dederim. Singuli dies extremam illi horam minati ſunt, & tamen dei beneficio illam evaſiſſe ſperamus, licet admodum diminuto calore naturali, ut in tam ſenili ſolet corpore. Nunc ante quatriduum demum Antwerpiam reverſus, tuas illic offendi geminas, quibus reſponſum cogor in ſequentem hebdomadem differre, adeo nunc mihi multa ſunt negotia peragenda. Hoc tantum nunc dico, habere me hîc faſciculum literarum a *Furſtenhauſio* ad te tranſmiſſum, quem Regina aperuit, ſed meras continet novellas Garmanicas de morte Caeſaris & ſimilia. Grandior is eſt, quam ut tranſmittere poſſim, alia itaque id tranſmittam via, praeſertim cum nihil contineat, quod ſcire magnopere velis. *Fraxineus* & *Picquetus* huc adpulere. *Bourdelotio* ſignificavit Regina, ſe non egere medico. *Wullenius* jam hinc in Suediam diſceſſit. *Chanutus* hodie hinc diſceſſit, poſt moram quatridui. Caetera ſequenti hebdomade. Antwerp. CIↃIↃCLIV. II. Octob.

Digitized by Google

EPISTOLA XCV.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

SUperiore hebdomade redux Amſtelodamo paucis te compellavi, vir clariſſime, quoniam aliter ut facerem tempus non patiebatur. Significavi tunc me geminas tuas hîc offendiſſe, nunc vero, id eſt heri, tertiae tuae ad manus pervenere. In omnibus poſtulas, ut tibi tranſmittam Ovidiana quaecunque vel hîc, vel Amſtelodami invenerim. Noli dubitare, quin id facturus ſim intra paucos dies, modo non deſit occaſio, qua codices illos poſſim tranſmittere. Per hunc ipſum tabellarium ſcribam ad avunculum *Junium*, ut id negotii ſuſcipiat. Tria exemplaria Metamorphoſeos hîc habeo, omnia in pergameno, ſed omnia mediae antiquitatis, ut ſolent eſſe pleraque ejus auctoris ſcripta. Addam & alia quae habeo. Miror cur Platonem alioſque, quos habeo a te, libros addi velis. Non potui illos reddere hactenus vel affini vel ſorori tuae, cum hîc in Anglia, altera vero Leidae ſemper fuerit, ex quo huc reverſus ſum. Itaque neque alteram hactenus iſtam ſummulam refundere potui. Sed & pugillares eburneos debeo. Et hos quoque brevi habebis; intra paucos enim dies Lutetiam tendo una cum D. *Silvercronio* & *Fraxineo*. Regina hîc commorabitur, niſi fallor, per totam hyemem. Ipſa tamen non tam diu ſe hîc velle haerere dicit. Sed Princeps Condaeus proculdubio detinebit. Comites itineris futuri ſunt *Silvercronius*, *Piquettus*, *Fraxineus*, & ego, ſi velim. Sed non hinc diſcedam, niſi prius impetrata ſumma illa, quae mihi debetur. *Silvercronius* liberalis admodum eſt in promiſſis. Itaque non mihi tantum, ſed & tibi ſe velle ſatisfacere dicit. Sed ſane factus eſt alter *Holmius*. Suedos autem *Wolfium*, *Wrangelium* & alterum illum, qui piſtillo regio in plebeo conformatus eſt mortario, abdicare velle videtur Regina. Silium, quem petis, deſcribi curabo. Sed profecto haec ſunt minuta, ſi cum iis comparentur, quae aliquando apud me videbis. Spero non diuturnam fore tuam in Suedia moram, ſed te revocaturos intra annum unum aut ſaltem alterum D. ordines ad meliorem, aut ſaltem beatiorem conditionem. Interim & de hac quoque tibi gratulor. Sed profecto nihil minus, quam lucroſa haec tibi erit dignitas. Verum refundent ordines quidquid de tuo expenderis. Ad hoc impetrandum ſufficiet tibi *Beuningius*. Mortem Cancellarii tui maxime ergo doleo. Beneficium confer in ſenes, moriuntur, confer in juvenes, obliviſcuntur. Utroque modo infelix hactenus fuiſti. Tempus eſt, ut illis operam tuam offeras, qui nunquam moriuntur, & apud quos nunquam, ut ſpero, ſeneſcet gratia. Salutavi nomine tuo *Gevartium* & Jeſuitas, illi omnes amanter te reſalutant. Antverpiae XVIII. Octobris CIↃIↃCLIV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XCVI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

QUinque, niſi fallor, hebdomades ſunt, aut aliquanto minus, ex quo Lutetia ad te ſcripſerim, mi Heinſi. Qua potiſſimum de cauſa eam adierim jam cognoviſti, ut opinor, nempe ut ſumma iſta, quae mihi debetur, ex illis perſolveretur rebus, quas *Du Freſnius* ad ſuos tantum uſus in Galliam tranſtulerat. Duae jam effluxerunt hebdomades, ex quo inde reverſus ſum. Sed totum illud tempus impendi convaſandis denuo libris Bibliothecae noſtrae, quae Bruxellas migrabit ad aedes Egmondanas, ſimulatque glacies, quae etiam hîc pleraque invaſit flumina, fuerit ſoluta. Ante biduum demum huc reverſus nihil mihi prius jucundiuſque eſſe potuit, quam ut tibi rationem redderem itineris Gallici, ſimulque eorum, quae a me poſtremis tuis flagitaſſes. Sic itaque habeas, comparaſſe me tibi pleraque quae juſſeras, nempe tomos tres Sanctamantii, Sidonium Sirmondi, aliaque nonnulla. Sed & omnes illos auctores, qui de numiſmatibus antiquitatibuſque Romanis agunt, illic inveni, meique feci juris. Inter illos multi ſunt hactenus tibi inviſi, quos tamen libenter patiar ad tuam tranſire bibliothecam, ſi in ea deſint. Verum de libris coram aliquando videbis. *Pyrrhi Ligorii* opus jamdiu Lutetiam advectum eſt, intra paucos, ut ſpero, dies huc mittetur, nempe ſimulatque Pariſios reverſus fuerit *Bidalius*, qui hoc ipſo die peracta negotiatione ſua ſatis bene contentus hinc diſceſſit. *Menagio* perſuaſi ut huc ſe conferat. Dixit mihi velle ſe Sereniſſimam Reginam comitari in itinere Italico, jamque ſepoſuiſſe ad hoc octo ſcutatorum millia. Hodie illi tranſmiſi literas ſalvi, ut vocant, commeatus. Sed & *Beuningius* heros promittit brevi ſe huc excurſurum. *Fraxineus* Pariſiis haeret, nec forſan huc reverſurus. Eo quoque ſe contulit *Piquettus*. Regina in ſervitium ſuum adſcivit Dominam *Donneau*, & ſororem *Janetoniam*. Harum frater poſt *Antonium* praecipua nunc floret gratia apud Reginam. *Wolfius*, *Wrangelius* & *Lilicronius* ad ſuos quamprimum revertentur. Itaque nos ſupradicti heroes & heroinae vacua dominabimur aula, ſi dîs placet. Hactenus in aula Archiducis vivimus, qui nos ſplendide excipit. Poſt ſeptem, aut octo dies ad domum Egmondanam tranſibimus. Pulchre omnes curamus cuticulam. Muſici, hiſtriones, chorauli & crotaliſtriae ad nauſeam pene nos compellunt. Principem Condaeum quod adtinet, is abrupit commercium cum Sereniſſima Regina; iiſdem, quibus Archidux, honoribus adfici cupiebat, id quod recuſavit Regina, itaque ſoli Hiſpani hîc aulicantur. *Jannetonia* & ipſa jam incipit verba Hiſpana conari. De ſumma, quae tibi debetur, bene ſpero. *Silvercronius* omnia promittit, verum is valde eſt prolixus, & omnino alter eſt *Holmius*. De pecunia tamen deſpero, ſed picturis, libris, gemmis

Digitized by Google

aliis rebus, ut puto, compenſabitur. Ita omnino ego facere propoſui. Brevi de his certiora potero reſcribere, interim non ceſſabo & ipſe negotium tuum urgere, quantum potero. Magnus quidem eſt numerus librorum geminorum, veruntamem illi non ad tantum adſurgunt pretium. Recte feceris, ſi Reginam aliquanto humanius compellaveris, quam in Suedia feceris, ſi non ob aliud, ſaltem ne obſit, quominus tibi ſatisfaciat. Rogavit me jam aliquoties ecquas a te accepiſſem literas. Sed illas non potui exhibere, ut ipſe facile conjicere poſſis. De ſequentibus melius ſpero. Interim ita habeas velim, ſi non aere aut argento, ſaltem aliis rebus Sereniſſimam Reginam compenſaturam eſſe ſummam, quam tibi addixit. Vale, vir eximie, & me ames. Bruxellis II. Januar. CIↃIↃCLV.

EPISTOLA XCVII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

SI pro infrequenti literarum officio, meum etiam erga te ſtudium & affectum aeſtimes, mi Heinſi, longe profecto ego alius videar, quam vel ſim, vel eſſe debeam. Sed certe nimium me amas, quam ut de affectu dubites; negligentiae vero crimen utcunque non detrectem, tanta tamen forſan non eſt, quantam exiſtimas. Nam quod ſcribis tribus integris menſibus nihil te literarum a me accepiſſe, id valde miror, cum nunquam tandiu officium meum intermiſerim, optimeque recorder, me tribus quatuorve circiter hebdomadibus, antequam illas, quarum mentionem facis, ad te exararem, alias ad te dediſſe in procinctu a me ſcriptas. Quas ſi non recte curarit *Bidalius*, nihil in eo praeter morem egit, cum neque tuas illas verboſiſſimas curarit, quarum in literis mentionem facis. Porro quod ſuperiorem tuam epiſtolam adtinet, quam per *Holmium* curaſti, illam ante tres circiter hebdomades accepi. Verum vix lectam per *Janetoniam Reginae* offerendam curavi, quae iſtam ſibi ſervat hactenus. Legerat illa tuam, multumque hac commota fuit, adeo ut diceret, *Heinſius me traicte comme ſi j'eſtois la plus vile creature du monde*. Ego, ut haec mitigarem, dixi te tamen cum ſummo honore & affectu de ipſa loqui in tuis ad me literis. Itaque exhibui. Praecipue aegre ferebat, quod *Pantolabi ſcurrae Nomentanique nepotis* faceres mentionem. Rogavi vero *Janetoniam* & *Silvercronium* (qui valde tibi iraſcebatur, jamque reſponſum nomine Reginae meditabatur) ut aeſtus iſtos componerent potius, quam de vindicta cogitarent. Quamvis autem pulcherrima iſta ſit epiſtola, meritoque illam amare debeas, non tamen tanti facere debes dicta aliquot arguta, ut propterea tot ſcutatorum millia perdere velis. Porro quod cupis, ut moneam Dominam de reſponſo Italis parando, pro illo Poëmatum a te tranſmiſſorum volumine, faciam ubi aliqua

Digitized by Google

qua adfulſerit occaſio. Quamvis cum ipſa literas tuas habeat, & proculdubio legerit, hoc opus non videatur, praeſertim cum ipſa Bruxellis ſit, ego vero Antwerpiae habitem, & quidem occupatiſſimus, dum tuis meiſque commodis omni modo inſervire ſtudeo. Libris ne pretium ſupra aequitatem imponatur curae erit quam maxime. Aliquot centenos & quidem optimae notae jam expoſui, minimeque timeo, ne hac in parte negligens tibi fuiſſe videar. Tranſmittam tibi eorum catalogum intra tres hebdomades, tanto enim minimum tempore indigebo, antequam negotium hoc potero perficere. De picturis aliiſque agam tecum ſequenti occaſione, ſimulatque *Silvercronius* huc advenerit, quem indies exſpecto. Abſque illo enim nihil hac in parte poſſum. Ovidiana omnia, quae petis, jam convaſavi, habebis illa quandocunque volueris. Antwerpiae CIↃIↃCLV. XIIII. Martii.

EPISTOLA XCVIII.

NIC. HEINSIUS

Iſaac. Voſſio.

Bruxellam.

TOtis quatuor aut quinque menſibus non niſi unicam a te accepi epiſtolam, vir Eximie. Cum decies ego ad minimum interca ſcripſerim, teque compellarim. Nimia fieri loquacitate meâ ſuſpicor, ut ne reſpondeas. Quare frenabo poſthac hunc impetum, & pruritui garrulitatis moderabor. De Excerptis tantum Ovidianis verbo vel unico quid ſit factum opto doceri, quae *Puteanus* ad me mittenda *Bidalio* ante annum commiſit. Major eſt theſaurus ille, quam ut negligi a me aut inſuper haberi debeat. Sed & ſcire cupiam, an egeris cum Dominâ de reſponſione Principi Hetruriae *Leopoldo* paranda, deque gratiis illi agendis pro carminum luculento munere, per me Majeſtati ejus oblato. Metuo enim ne Domina, ſi officio diutius deſit, Italorum animos alienos a ſe reddat, quos ſui ſtudioſiſſimos & experta jam erat, & porro erat expertura, ſi grato animo Sereniſſimi Principis munus excepiſſet. *Octavii Ferrarii* Oratio an viſa ſit tibi neſcio, quae CHRISTINA ABDICANS inſcribitur. Ego Parentem optimum nuper amiſi, qui caſus miris modis me adflixit. *Flemingius* menſe Maio ad Dominam hinc proficiſcitur, magnam pecuniae vim vobis allaturus. Mei aliquam haberi rationem velim, antequam hinc diſcedat. Sed ſine mandato ipſius Dominae nihil eſt ſperandum. Utinam *Silvercronium* noſtrum tam officioſum, tamque mei demerendi cupidum experiar, quam *Beuningium* heroem ſum expertus, & quotidie experior. *Holmium* jam adeſſe vobis arbitror. Is me ignaro hinc deſceſſit. Carmen nuper Epithalamium ſcripſi, etſi Muſarum transfuga, ejus ut copia tibi fieret, Ampliſſimum *Beuningium* rogavi. Tu vale, & memento mei. Dabam Holmiae. A. CIↃIↃCLV. ad diem XXVII. Martii Gregor.

Digitized by Google

EPISTOLA XCIX.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Venetias.

PEne tibi iraſcor, quod tam aequo animo feras negligentiam meam, mi Heinſi. Quamquam enim valde gaudeam nonnunquam quod iſtam feras, malo tamen, ut more tuo mihi iraſcaris, quam ut perinde a te habeantur ſtudia & officia mea. Acres omnino & virulentas a te exſpectabam literas, jamque longas excuſationum ambages meditabar, cum ecce prodit poſtrema tua ad me epiſtola, plena amoris & affectus planeque contrarii argumenti atque exſpectabam. Quod ſi illum erga me animum geras, ut vitio huic ignoſcere poſſis, & non tantum me non odiſſe, verum etiam eodem, quo ego te, affectu proſequi; jam te impenſius amo, petoque ut ſic me ſemper amare pergas. Catalogum librorum, quos pro te expoſui, tradidi adfini tuo jam ante ſex ſeptemve dies, puto illum jam hunc ad te tranſmiſiſſe. Implent iſti tres vaſtas ſatis capſas, quas una cum quinque aliis meis tradideram nautae, Hagam deferendas, ſed quid illis factum intelliges ex literis *Gevartii*, quas hîc habes. Interim craſtino mane denuo Antwerpiam repeto, efficiamque, ut libri noſtri intra unam alteramve hebdomadem huc adferantur. Niſi ſperarem brevi te huc adfuturum, longas tibi ſcriberem hiſtorias, quo pacto illas obtinuerim. Noſti enim ille noſter amicus quam ſit longus. Pretium puto non diſplicebit, praeſertim ubi coram aderis libroſque videris; in catalogo enim illud praecipue cavi, ne librorum tituli nimium eſſent ſpecioſi. Simulatque illae Pariſienſes ciſtae, quas abſtulerat *Fraxineus*, Bruxellas allatae fuerint, habebis alios, & quidem aliquanto rarioris generis, ut ſpero. Porro *Fraxincus* dedit mihi *Lazii* Graeciam, tibi tradendam, quoniam iſtam te deſiderare ſignificaram. Ante octiduum Hagam habitatum conceſſimus, itaque jam totus in eo ſum, ut bibliothecam, quae ſatis eſt luculenta, in ordinem digeram. Spero permiſſuram Reginam, ut hîc aeſtatem tranſigam. Attamen prius me Antwerpiam & Bruxellas conferam, ut videam ecquid etiamnum efficere poſſim in communi noſtro negotio. Ubi picturae Pariſienſes a *Bidalio* tranſmiſſae fuerint, bonam exinde portionem obtinebimus uterque. Sed & in illis exhibendis adeo tardus eſt amicus noſter, ut pene ſcribere pudeat. De die in menſem, imo in annum jam differt, licet Sereniſſima Regina jam ſaepius juſſerit, ut nobis ſatisfaceret. Quod ſi illum officii admoneam, ſerio iraſcitur. Verum de his coram, quod utinam quamprimum fiat. *Wullenius* in epiſtola ad *Silvercronium* valde de te conqueritur, quod te in Suedia omnium aſperrimum inimicum experiatur. Ego id verum eſſe negavi, dixique me exiſtimare, magis te eſſe ipſi amicum, quam ipſemet ſit ſibi. Certe ſoror illius, in novis aedibus ſuis, quas Amſtelodami conduxit, valde te impatienter exſpectat, nec ſuum poteſt diſ-

Digitized by Google

dissimulare affectum. Noli itaque cum viro optimo odium exercere, amicitiamque veterem levi de causa dissolvere. Si non hoc ipsi velis praestare, at saltem praestes sorori, quae se totam tuam esse dicit. De Domina nostra coram multum narrabo, verum utinam iter matures. Ita enim habeas rogo, inter omnia mea desideria maximum esse illud, ut te videam: Vale, vir Nobilissime XIII. Maii CIↃIↃCLV. Hagae Comitis.

EPISTOLA C.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Holmiae.

PRiore hebdomade tuas accepi, vir amplissime, quibus nuntias redditas tibi esse literas nostras, mense Majo exaratas, id est ante quinque, & quod excurrit, hebdomadas. Miror affinem tuum simul non transmisisse Catalogum, quem illi tradidi. Existimavit forsan me aliud quoque exemplar tibi transmisisse, sed profecto, nisi fallor, diserte illum rogavi, ut quem unicum haberem, illum quoque ad te mitteret catalogum. An placitura tibi sint librorum nomina valde dubito, verum illud existimo non displiciturum tibi pretium, ubi coram videris, praesertim si cum meis comparaveris. Interim ita habeas, me non paucos libellos rariores, qui bis inter libros Reginae exstarent, mihi adtribuisse, tum quod illi meae deessent bibliothecae, olim enim illos donavi Serenissimae Reginae, tum quod existimarem eos in tuis, vel saltem in paternis exstare libris. Si quid attamen in iis sit, quod tibi magnopere arriserit, non me difficilem experiere, quod enim aliquanto plures mihi adtribuerim vel usurparim, id antiquo dandum est affectui, quo illos potissimum amplector libros, quibus diutissime usus sum, utpote meis, & in quibus magnam memoriae meae partem collocavi. Porro quod de Ovidii codicibus scribis, de eo noli amplius dubitare, non pauca enim in illis tuis capsis invenies hactenus tibi, ut existimo, invisa. Verum & alia illic invenies dudum tibi desiderata, Austriaca Lazii, Familias Ursini, Olai Historiam Gothicam, fratrisque ejus Joannis, Opera Gesneri, Augustini & Hieronymi opera ex editione Plantiniana, Opera Mirandulae, Cuspiniani, multaque alia, quae forsan desunt, ipse suppeditare potero, & praesertim illa, quae in schedula proxime transmissa postulas. Libri Parisienses an ante discessum Reginae sint adfuturi ignoro. Quia enim *Bidalius* necdum obtinuit a Rege confirmationem eorum agrorum, qui ipsi adsignati sunt, ideo recusat reddere, vel differt saltem omnia ea, quae penes ipsum sunt, Reginae bona. Iter Reginae in Italiam incidet in Mensem Septembrem. Comitabantur illam *Pimentellus*, *Dom de la Cueva* cum conjuge, *Comes Montecuculius*, *Silvercronius*, *Lilicroniusque*. De me nihil certi possum promittere, licet enim & me quoque comitem postulet Serenissima Regina, dicere tamen non possum quanto secessus flagrem desiderio

rio. *Jannetonia*, *Donneus* cum conjuge, in Hollandiam revertentur. Verum comitabuntur duo Secretarii *Apelmannus* alter, alter vero *Gilbertus* quidam Gallus, nec non *Apelgrenius*, & praeterea cohors xxv. militum pro custodia corporis. *Rubenium* saepius nomine tuo salutavi, vivit is valetque, ac saepe alter alterum videmus. Adventum tuum in Hollandiam impatientissime speramus omnes, quandocunque venies, nunquam certe inexspectatus aderis. Vale, vir nobilissime & me semper ames. Libri tui una cum meis salvi Hagam sunt allati. Mater capsas nostras alias ab aliis non potuit distinguere. Itaque hoc differendum est in adventum nostrum. Interim tuto adservabuntur. Iterum vale. x. Julii CIↃIↃCLV.

EPISTOLA CI.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

VAlde tibi ipsi es molestus, mi Heinsi. Vide ne dum paucis quibusdam os obstruas, omnibus aperias. Multo hoc salubrius consilium, quam illud, quod mihi dedisti. Inquis, quod honorem *W.* apud *Goesium* & *Wicquefortium* & alios prosciderim. Hoccine de me dicunt illi? non credo. Apud *Wicquefortium* nunquam *W.* mentio incidit, cum ille Hagam eam habitatum venisse significaret. Hoc tibi renuntiavi. Auctorem etiam addidi te petente, neque enim in eo quidquam mali. Verum tu, ut solent qui suspicionibus indulgent, ipsum adiisti, ut videres, num, cum *W.* fieret mentio, alii quoque de ea habiti essent sermones. Promas illos, si qui fuerint. Sed & ista profer, quae adfini tuo dixi, confirmabo libens. Verum alii isti ubinam sunt? nusquam ut opinor. Quae suspicaris, vel potius quae somniasti adfirmas. Illud non probe a te dictum, quod illustrissimo *B.* . . . litem intendi ab illa, & mea culpa obtorto collo in jus rapi scribis, te tamen pro tua pietate illum ex his turbis conari extricare. Facit me profecto ridere ista pietas. Nempe significavi & olim & nuper, *B.* . . . me praesente defendisse honorem *W.* apud *B.* . . . Indicasti hoc dominae tuae, quae nunc lites hoc nomine minatur, cum gratias agere debuisset. Fingis dolere tibi *Beuningii* vicem. Sed istum dolorem & istas lites valde contemnet heros noster. Dicis illam fremere. At vero ego valde illam laetari existimo. Sin minus, subde matellam. Adfirmasti enim nuper valde hoc esse utile remedium ad compescendam choleram. *B.* . . . obiisse dicis. Cur viventem non consuluisti, jam siquidem triennium effluxit, ex quo id facere potueras. *V.* . . . scribis factum, ut a me narratum est, infitiari. Hoc verum esse non potest, quî enim infitiari possit, cum ipsa non interfuerit? Dixeram tibi *V.* . . . proculdubio notum fore, qualiter de tua domina sensserit & locuta sit *B.* . . . His tamen veluti manifestis, jubes ut tonsorem nominem. Ego vero nullius

Digitized by Google

lius tonſoris nomen novi in tota veſtra urbe. Ipſe quaeras, mea enim nihil intereſt, utrum tu privatim, an vero cum aliis puellam tuam poſſederis. Caeterum ut ſignum habeas, quo eum forſan poſſis cognoſcere, is ipſe eſt, qui ſeſe jactabat alteram ejus ſororem a lue Venerea liberaſſe. Pergis dein & dicis non deeſſe mihi inimicos, qui mihi calumniatoris notam inurant. Quinam ſunt illi? Si jam tuo more agere vellem, vel edere iſtorum nomina deberes, vel ipſe pro calumniatore haberi. Ipſiſſimum hoc eſt argumentum tuum. Dicis cautius me facturum fuiſſe, ſi praeterito *Goeſio*, tibi uni credidiſſem. Quomodo tibi uni, cum aliis quoque, ut vel ipſe fateris, & praecipue Dominae tuae, apud quam omnium minime decebat, haec eadem communicaris. Inquis W. . . tuae conſtare quid Hagae ſparſerim, & me natales ejus laceraſſe apud *Goeſium*, cum tamen conſtet illos eſſe nobiliſſimos. Et hoc quoque aliter ſeſe habere ipſe teſtabitur *Goeſius*. Inquiebat is ſeſe ex te intellexiſſe puellam eſſe nobilem. Adhaec ego, nihil me aliud ſcire, quam patrem fuiſſe paſtorem Lutheranum. Cujas ſit mea nihil ſcire intereſt. Quam vero es ridiculus, cum me periiſſe adfirmas, niſi alteram de pudicitia ejus proſciſſa cauſam egero. Utinam tuo capiti non majus immineat malum, quam mihi. Quorſum vero cupis me teſtimonium ferre de caſtitate puellae, quam tu intus & in cute noſti? De *Genegio* quid iterum quaeris, cum olim B . . . nominarim? De fama mea noli eſſe ſollicitus. Tu tuam & exiſtimationem & valetudinem cura diligenter, ſi per Dominam tuam liceat. *Beuningii* literas quod adtinet, ita habeas; nihil in iis eſſe, quod puellam tuam tangat, verum id ſimpliciter, quidquid facturus eſſes, ſperare ſe nihil te indignum commiſſurum judicio & prudentia tua. Hoc idem retuli adfini tuo, ac promiſeram me ipſas tibi oſtenſurum literas, tui enim videndi gratia Amſtelodamum me properare. Facere id ſum oblitus, fiet quandocunque volueris. Interim boni conſulas ingratum hoc ſcriptionis genus, cui tu occaſionem praebuiſti, daturus literas jucundiores de codicibus Ovidianis, quos hîc inveni, aliiſque quae magis faciant ad animum tuum, ubi aliquanto fueris tranquillior. Vale, & ſi potes me ames, ſin minus, ſaltem deſinas me odiſſe illo, quo me amare debeas nomine. Ruraemondae v. Octob. CIↃIↃCLVI.

EPISTOLA CII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

SUperiori hebdomade ſcripſi ad te epiſtolium, quod quando ſit reddendum ignoro, Vir ampliſſime. Miraberis forſan quod in illo commendarim mulierem mihi ita ignotam, ut neſciam an alba an atra ſit, cujuſque negotia nec ad te, nec ad me quidquam pertineant. Sed profecto mos hac in parte gerendus fuit communi noſtro amico, quem iſta paupella aliqua videtur adfini-

Digitized by Google

tate attingere. Siquid itaque possis in hoc negotio, fac rogo: interim noli aliquid facere quod displiceat, scio enim tales commadatiunculas minime esse jucundas. Facile unum & alterum invenies papistam, quem noris, cui ejus negotium verbulo commendes. Ego etiamnum haereo Ruraemondae. Sperabam jamdudum finem negotio nostro, sed praeter opinionem tam diu hîc detineor. Dum itaque indies reditum ad vos paro, factum est ut tam diu responsum distulerim. Attamen, ut verum fatear, etiam alia tam diuturni silentii fuit causa, nempe quod de iis, de quibus mihi controversiam movisti, malim coram, quam per literas tecum decernere. Non quod periculosum esse mihi existimem publice etiam ista testari, quae jam olim tibi indicavi, sed quod famae tuae id consultius esse credam: transigi enim ea res non possit, quin in amicum, vel quod longe majus esse existimas, in amicam crimen aliquod committas. Caeterum jus nullum pertimesco, libens me sistam judicio, dummodo tibi prosim. Facias quodcunque placuerit, nunquam te adeo metuam, quin semper te amabo impensius. Quod autem dixi mea nihil interesse an solus an cum aliis amicam tuam possederis, in eo non video, quare me reprehendis. Si animus esset eam tibi matrimonio jungere, multum sane mea interesset; verum quia hoc deus avertet, non video quid obesse possit, etiamsi millenis quoque aliis cessisset procis; imo aut ego fallor, aut hoc multum tibi prodesset. Amstelodami sane si me hoc nomine postulasses, libenter haesissem, etiam cum magno meo dispendio. Siquid mea praesentia possit efficere, maturabo reditum. De *Beuningii* erga te animo multum tibi mihique gratulor. Is si te amet, non poterit nostrum improbare consilium. De libris, quos hîc mihi comparavi, praesens ipse dijudicabis. Non paucos eosque valde raros hîc, & in vicinis urbibus locisque inveni. Verum de his coram. Vale & me ames. Ruraemondae XXVII. Januar. CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA CIII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Regam.

Licet multum me adflixerint literae, quas de adversa matris valetudine domo accepi, mi Heinsi, dicere tamen non possum, quantum huic dolori laetitiae accesserit ex tuis, quibus simulatorum erga te amorum exitum mihi commemoras. Si nunc tanto in te flagret odio, quanto olim affectu, spero ut olim adfectus, ita quoque odium ejus irritum futurum & vanum. Vellem jam nunc praesens tibi esse, ac nostras operas tuis conjungere, sed tamen nullas noctam moras, simulatque intellexero posse me huic negotio prodesse. Unum me male habet, quod mihi videor ex tuis posse colligere literis, quod nempe huic formosulae videaris te obstrinxisse promisso matrimonii. Nam ni hoc sit, merito illam possis ridere, si in jus, vo-

vocere. Millies licet ipsam inieris, non tua, sed hujus stultitia fuit, quod sese divaricarit. Sed neque promissum absque scripto ullius est pretii. Unice itaque a te peto, ut statum quaestionis paucis perscribas. Non opus est ut nomen adscribas. Tu Cajus, illa vero sit Caia, vel quod placuerit. Omnia quaecunque in tuam potero colligere gratiam, faciam colligamque ex animo; ac si placet, dissimulato nomine, negotium hoc communicabo cum quibusdam amicis meis juris canonici consultissimis, qui hac in parte nostris advocatis longe sunt versutiores. *B*. . . . testimonium & aliorum vel coram exhibebo, vel per literas significabo, si volueris. Sed ante omnia oportet hoc, quod dixi significare, & si quidquam promiseris, etiam illud addere, quando promiseris, & quibus verbis. Ex animo peto, ut quamprimum me de eo facias certiorem. Utinam & in hoc & in aliis nostram erga te diligentiam & affectum possim testari, bene de me ipso mihi mereri videbor, si quoquo modo tibi prodesse possim. Avide itaque literas tuas exspectabo, ac tum quamprimum me in viam dabo; interim vale, & salve ab omnium quotquot vivunt hominum longe tui amantissimo. Ruraemondae raptim. CIↃIↃCLVII. Febr.

EPISTOLA CIV.

ISAAC VOSSIUS

Nic. Heinsio.

Holmium.

QUaeris, vir clarissime, ut pro amicitia nostra, quid de *W*. . . . sentiam sincere & breviter exponam. Faciam id admodum libenter, tum quod honor tuus id exigat, tum quod veritatis ratio semper sit habenda. Licet itaque injucundum & ingratum auribus tuis forsan sit futurum, dicam tamen audacter, non me existimare tantum, sed si qua in rebus humanis sit certitudo, nosse me & pene posse jurejurando adfirmare, istam tuam pulchellam, antiquum & tantum non exsoletum esse prostibulum. Duodecim aut etiam plures jam elapsi sunt anni, quod communi fama scortillum istud cognoverim, ac quamvis haec aliquanto cautius peccaret, quam soror ejus, prostitutissimi pudoris femina, sed quae obtentu matrimonii tutius poterat moechari, iisdem tamen esse moribus omnes adfirmabant, ac in eadem domo cum iisdem misceri. Bene memini in plerisque conventiculis & circulis crebros admodum me audivisse sermones de impudicitia istarum sororum. Reversus ex Italica Gallicaque peregrinatione intellexi eadem quae prius. Quae in Suedia cognovi his simillima sunt. Paulo ante coronationem illuc, nisi fallor, se contulerat *M*. . . Instabat frater medicus apud Reginam, matronas nobiles, & *Holmium*, ut soror ejus ancillarum numero adsciscereturr, eodemque loco haberetur, quo *Tongelia*, & episcopi filia. Convenit me tunc *Holmius*, dixitque valde se mirari, qua fronte aliquis auderet Serenissimae Reginae publicum obtrudere scortum. Idem postea adfirma-

vit ipsa Regina, addiditque valde se mirari visum tibi fuisse, tam lepidum & festivum ad se deducere scortillum, sese tamen ne quidem adspectu suo illud fuisse dignatam. Verum ut scias istam formosulam non tantum belle meritricari, sed & insignem esse conciliatriculam, audi quid ante quadriennium acciderit. Ibamus visitatum Magdalenam *B.* . . Ill. *B.* . . . & ego. Incidit nescio quo casu mentio *M.* . . . . *B.* . . laudabat ingenium, formam aliasque ejus dotes. Tum *B.* mirari se talem a tanto laudari. Non quidem se infitiari ingenium, hoc enim cum multis aliis scortis habere commune, sed mores: eo enim processisse impudentiae, ut non dubitarit sese ad simile vivendi genus invitare, adserendo virtutem esse vanum nomen, bene & sapienter illos facere, qui sensibus obsequuntur, solam in his consistere felicitatem, caetera esse somnia ac mera commenta. Adfirmabat *B.* . . adeo se turbatam fuisse hoc sermone, ut sese proripuerit, alteramque domo in perpetuum excludendam curarit. Inquiebat praeterea qualis esset sermo, talem etiam esse vitam ejus. Irretire quoscunque juvenes, & omnium amoribus patere. Nominabat etiam locum, ubi diu fuisset detenta & alta sumtibus *Genegii* puto cujusdam, hominis mihi ignoti. Negabunt haec, & ille, & caeteri proci. Sed sane si amantium te jusjurandum moveret, dignus esses, qui ab illis deciperere. Parum ab illis subsidii puto habebis in indaganda veritate. Quidquid dixerint perinde erit. Nulli tenentur turpitudinem suam fateri. Si tamen fateantur, perit testimonium, cum proprii criminis agnitione testimonii efficaciam evertant. Hoc posito, jam nullum scortum impudentiae possit convinci. Vide itaque quanto melius sis facturus, si ipse tecum judices, an fieri potuerit, ut mulier juvencula, formosa, sola & ne uno quidem ancillariolo comitata, sponte sua tot maria tot terras pertransierit, pudorem inter tot gentes conservarit, nullis illicebris aut blandimentis allecta, nulla ne armatorum quidem vi coacta, tui demum vultus elegantia victa castitati renuntiarit. Miraculum certe hoc longe maximum fuerit, & non tantum nostro, sed & prisco seculo inauditum. Ego quidem sic censeo, illam toto licet ferme pervagato Septentrione aeque virginem domum rediisse, atque inde digressa fuit. Si aliter existimes, rogo quamprimum rescribas, plura reponam, quae nunc non succurrunt. Vale, mi Heinsi & me ames. Ruremondae CIↃIↃCLVII. . . . Febr.

EPISTOLA CV.

NIC. HEINSIUS

Isaac. Vossio.

Hagam.

QUod tuum de LXX. interpretibus commentarium non es gravatus ad me mittere, grates longe maximas pro illustri munere habeo, vir summe: quan-

quanquam liber ipſe etiamnum in itinere obhaeret, nec ad me perventurus eſt ante vernam tempeſtatem. Navis enim illa, per quam ab Elzevirio mittebatur, neſcio quas ob cauſſas cunctata diutius in via, quam oportuit, Hafniam nunc demum appuliſſe, atque illic hybernatura dicitur, ſummo meo cum dolore, qui oculis avidiſſimis ſcriptum illud devorare geſtiebam. Literularum tuarum nonnihil expecto, idque impatienter: ſcio, quam invitus ſcriptioni te accingas. Sed amicis indulgentiſſimum te ſolebas praeſtare. Accedat igitur hoc beneficium longe plurimis, quae tibi debeo, ut quo loco res tuae ſint, ſubinde intelligam, teque in epiſtolis tuis complectar vel abſentem. In aere tuo etiamnum me eſſe probe recordor. Sed mox ut auguror, ex illo nexu me expediam. Naſonis mei exemplar cura Avunculi tui, viri optimi & eruditiſſimi, ad Equitem *Twiſdenium* in Brittannis perveniſſe ſpero. *Scbefferum* hortari non deſino, ut Urbicium luci committat. Seſtediana bibliotheca, quam, puto, Rinyſtadii olim videras, in arcem Regiam huc tranſlata eſt. Vale, decus noſtrum. Exarabam feſtinus Holmiae Suecorum. A. CIↃIↃCLXII. ad diem VIII. Jan.

EPISTOLA CVI.

NIC. HEINSIUS

Iſaac. Voſſio.

Hagam.

PErlatus eſt nuper admodum ad me commentarius de marino motu tuus, idque te auctore: voluiſti enim munificentiae ac benignitatis tuae teſſeram hoc volumen apud me exſtare, vir ſumme. Librum ipſum majori jam ex parte omnem perlegi. Quid quaeris? omnia illic avita atque erudita: quaeque palam faciant, quam feliciter penetraris in interiora Philoſophiae arcana. Vellem equidem par pari nunc referre; ſed, nec unquam dabitur eniti mihi ad tam optatos ſtudiorum ſucceſſus, nec in promptu nunc eſt, quo animum ſaltem haud omnino ingratum teſtari detur. Erit tamen, ut puto, ante exortum anni proxime ſubſecuturi, niſi Typographi me fruſtrantur. *Martinus Brunnerus*, qui Upſaliae literas Graecas profitetur, ac eruditionis ſuae ſpecimen Palaephati Mythologica publico nuper admodum dedit, cum de Thomae Magiſtri lexico Attico recenſendo cogitet, valde me per literas obſecravit, ut ſi quod in bibliothecis vetuſtis ſcirem latere ejuſdem argumenti ſcriptum, aut ipſius Thomae veteres membranas, quarum opera editio haec ornatior luculentiorque poſſet in lucem proferri, horum uti copiam atque uſum ſibi impetrarem. Scire praeterea ſe cupere, quis fuerit hic Magiſter Thomas, & qua vixerit aetate. Tu ſi expedire nos hîc potes, aut haec ſtudia fovere, plurimum de re literaria mereberis; nec patiemur hoc ab illo diſſimulari beneficium, cum vir ſit bonus omnino, nec culpae animi ingrati obnoxius. Caſtigationes in Ma-

Digitized by Google

ronem noſtrae lentius procedunt, quam vellem. Morantur harum editionem, quae ex Gallia ſperare ſum juſſus. Promiſit & Regina ſuos codices, ſed de iis parum mihi blandior, cum rem eſſe plane incertam haud ignorem. Deeſt & amanuenſis, ad cujus opem poſſem confugere: Nam [1] qui nuper a me diceſſit, manu ſiniſtra in ſcriniis meis pervolvendis non belle utebatur, quamquam & alia graviora peccavit: nam iſtud illi erat fraternum. Memini enim quid geſtum ſit in parentis tui aedibus. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Amicos omnes jubeo ſalvere, atque in hiſce Heroidas quoque noſtras. Exarabam Holmiae ſuecorum A. CIↃIↃCLXIII. ad diem XXVII. Junii Gregor.

1 Vid. Epiſtol. ad Gronov. CCCLXXXVII.

EPISTOLA CVII.

ISAAC. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

QUod magnifice adeo judices de noſtris libellis, id non tam noſtro merito, quam tuo tribuo affectui, Vir ampliſſime. Utinam omnes aeque ac tu benigne de iis ſentirent, verum tantum abeſt, ut hoc ſit, ut nullum noſtrum ſcriptum, quantumvis leve & puſillum, in lucem prodeat, quo non odium magis & invidiam, quam amorem & benevolentiam nobis conciliemus. Ego tamen minime hoc nomine offendor, quin potius quanto inquiora ſint judicia, quantoque plures contra me ſcribant, tanto mihi plus gratulor. Quamvis enim jucundius videatur adprobationem quam reprehenſionem promeruiſſe, ſi tamen propriam ſpectem utilitatem, eſt quod aliter exiſtimem. Quod enim metallis contingit, ut ea demum perfectiſſima in ſuo genere habeantur, quae quancunque flammam integra eluctantur, ipſum quoque hoc & de noſtris & de alienis ſentio laboribus, & ea ſolum probari velim, quae quibuſvis ictibus & cuicunque examini valeant reſiſtere. Si commoditas pateretur & ulla adeſſet occaſio, tranſmitterem ad te reſponſum noſtrum ad objectiones profeſſoris cujuſdam Mathematici Ultrajectini, & alias cujuſdam *Petiti* medici Pariſienſis. Quod ante menſem & aliquanto diutius in lucem prodiit. Scripſere & hîc & in Germania ſex ſeptem contra me Theologi, e quibus licet ne unus quidem ſit reſponſo dignus, ſingulis tamen aliquid dabo reſponſi. De Moſchopulo quod quaeris ita habeas, me geminum hujus ſcriptoris habere exemplar MStum, quorum neutrum Thomae Magiſtri nomen praeferat. Alterum exemplar eſt ἀνέφαλον, aliud vero ſic inſcribitur, Μοσχοπούλου εἰς Ἀττικισμούς. *Eraſmus* olim habuit exemplar hujus ſcripti, quod Theoduli nomen praeferret, ut ipſe teſtatur ad XI. cap. Matthaei. AEtatem quod attinet, de ea nihil certi habeo quod affirmem, hoc tamen certo poſſim affirmare, illum ſex ſeculis recentiorem eſſe. Complura id genus monumenta habeo Graecorum Grammaticorum, longe antiquiora & meliora iſtoc Thoma ma-

magiſtro, digniſſima quae aliquando in lucem prodeant: ſed de eo alias forſan, hoc ipſo enim puncto Hagam Amſtelodamo redux, & pluribus diſtractus vix tantum mihi ſupereſt otii, ut haec pauca expediam. Vale, vir ampliſſime, & me ames. Geoponicis Graecis cum MStis Palatinis collatis ſi uſus fueris, rogo, ut illos remittas. XXII. Julii CIↃIↃCLXIII.

EPISTOLA CVIII.

NIC. HEINSIUS.

Iſaac. Voſſio.

Hagam.

COmmentarios de rebus Philoſophicis tuos invidiam & lites tibi conflare, mi Voſſi, doleo & miror. Tanti tamen eſt qualemcunque exhibere hanc moleſtiam ne gratis conſtet triumphus, ex ſcriptis adverſariorum nil vidi hactenus praeter *Coccei* & *Brunii* nonnulla. Ajunt & *Petitum Gallum* & Bredanum neſcio quem in te inſurrexiſſe. Sed horum lucubrationes me latent. De Germanis antagoniſtis quod addis, id quale ſit, ignoro. Dantiſco tamen ad me ſcribunt eſſe in ea civitate homines ſtudii philoſophici admodum peritos, qui invenerint, quod carpant & reprehendant in poſtremo ſcripto tuo de motu maris. Adverſariis tuis quid reſpondeas avidiſſimus videbo. Nec deeſſe tibi poteſt libelli ad nos mittendi oportunitas, cum ſingulis menſibus ter quaterve naves Amſtelaedamo huc contendant, ut ſi *Elzeviriis* faſciculum commiſeris curandum, ad me cum bono Deo ſalvus ſit perventurus. Neſcio an ſignificarim jam tibi Mauricii Tactica hactenus inedita typis Ubſalienſibus deſcribi, verſionem latinam addit operi *Joh. Schefferus*, & Ariani commentarium exiguum de eodem argumento, quem *Bigatius* illi miſit, a ſe ex membranis vetuſtis deſcriptum. Idem Moerin Atticiſtam *Brunnero*, quem de Thoma magiſtro edendo cogitare monui, pollicetur. Vellem ut tu operam conferres. Certe vetuſta ſive Thomae, ſive Moſchopuli (niſi unus idemque ſcriptor eſt) exemplaria, quae poſſides, *Brunnero* non negari intereſt rei litterariae. Cujus commodo cum totum te des, promitto mihi operam tuam ne hîc quidem nobis defuturam eſſe, ſi pateris te exorari, ut & haec & alia, quae penes te eſſe aſſeveras Atticiſmum illuſtrantia, nobiſcum communices; mature facto opus eſt, ne tempeſtates ſuperveniant hybernae, & propoſitum hoc intervertant. Viam jam indicavi, qua tuto ad me perferri poſſunt. Geoponicos ſcriptores, quos repetis, nec utendos a te habeo, nec habui, quantum recordor umquam. Horum exemplar poſſideo, quod magno redemi ex bibliotheca paterna. Vide ne tuum illud *Goeſio* dederis utendum, quamquam ne id quidem pro re certa auſim adfirmare. Obſervationes in Maronem meas hoc anno abſolvi poſſe ſpes eſt, ejus exemplaria complura hinc inde ad me miſſa ſunt, ſed duo in his perveteſta, quae *Bigotius* a *Jacobo Mentelio* in uſus meos obtinuit. Vale, Celeberrime ac ſumme vir. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIII. ad diem VIII.

VIII. Auguſti. Antagoniſtae tuo Bredano ajunt applaudiſſe *Franciſcum Plantam* protervis & contumelioſis in te verſibus. Si res ſic ſe habet, non abibit inultus homo inſulſus. Paro enim jam nunc novam poëmatum editionem, cui attexi a me poſſunt epigrammata nonnulla in Mauritiadem ejus, jam olim ſcripta, quo poëmate nihil eſt ineptius.

EPISTOLA CIX.

GERARD. VOSSIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime & doctiſſime Heinſi, non ita diu eſt quod Ovidii opera cum MSS. collata nactus ſum. Statim igitur ea obiter pervolvere coepi. Et certe non pauca mihi invenire viſus ſum, quae in iis multo integriora, quam in impreſſis codicibus, legebantur. Ea perſcriberem, niſi talia eſſent, ut te in eo auctore recenſendo adeo ſubacti judicii, facillime ea perſpecturum putarem. Codicem igitur ipſum mitto, e quo ſiquid utilitatis ad te redire poſſit, ad me redibit laetitia quod quomodocunque tibi inſervierim. Ego jam in Cenſorino reſtituendo occupor. Sed quandoquidem MSS. ejus ſumma penuria eſt, editis fere exemplaribus uti compellor. Ac habeo quidem tres editiones, Aldi Majoris, Carrionis & Lindenbrogii. Memini me ante ſeſquiannum circiter in bibliotheca veſtra vidiſſe Cenſorinum Aldi nepotis. Eum ſi aut ipſe tranſmiſeris, aut latori harum *Joanni Chriſtophoro Huiſvedelio*, & doctrina & modeſtia praeſtanti juveni, tradideris; rem mihi feceris acceptiſſimam. Parens adhuc diſtinetur opere de Theologia gentili, & Phyſica Chriſtiana: in quo ut nationum Idololatriam, ſic miranda perſequitur naturae & eorum cauſas. Jam ad finem opus properat. Simulatque prodierit parenti tuo τῷ πάνυ ἀντιδώρου tranſmittet. Si ſciſſet tam diu ceſſaturos typographos, jam diu parenti Clariſſimo per literas gratias egiſſet. Nunc, quia ceſſare coepit, & occupatiſſimus eſt, tribus me verbis perſcribere hoc juſſit. Sed, ut dixi, ſimulatque opus iſthoc lucem videbit, exemplar tranſmittet, & per literas ſimul gratias aget, lubens enim meritoque pro tam illuſtri dono obſtrictum ſe profitetur. Amſtelodami CIↃIↃCXL. III. Id. Feb. Raptim.

JANI

Digitized by Google

JANI VLITII,

ET

NICOLAI HEINSII

EPISTOLAE.

MUTUAE.

EPISTOLA I.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

ALtera, Heinſi Suaviſſime, volvitur Hebdomada, ex quo conſpectu veſtro longe gratiſſimo miſeri caruimus; necdum tamen ad vos regredi ultimus Cognatae noſtrae (addam ſi licet, amatiſſimae) Cognatae inquam P. M. habendus honos ſiverit; dum ſimul parentari Manibus quietiſſimis (quid enim ego iſtos χειμιανομάσιγες moror?) vel non volentibus Muſis conamur. Seceſſeramus nos, ſecure quidem, in Alberti-montium noſtrum, quod jure merito Academiae ſuae praetuliſſet Cicero, niſi ſubitus ille dilectiſſimae Animulae deceſſus eò retraxiſſet, unde ſummo jam cum faſtidio abieramus. Ne tamen interim Voſſianae inveterascerent, (quippe qui poſt funus unius, etiam ſi Diis placet ad nuptias alterius vocor, ne brevi me inde rediturum videam) jam omnino graviter ad vos ſcribere adactus fui. *Vicquefortius* tuus, ne meis negotiis mandata poſtpoſuiſſe tua videar, nihil librorum accepit, ut aſſerebat *Iſaacus:* ipſe tamen paucos poſt dies Martianum Cap. MS. (non etiam impreſſum, quem negat penes ſe eſſe) remittet. Pater *Voſſius* Salmaſianas calumnias ex me avidè expiſcabatur; verum ita moderate, ut quibus adhaereſceret partibus, non facile dinoſceres. Quid igitur ad me, cujus aequior ſit calumniatio? Tibi ut placeam omnimodo inſervire cupio. Modo tu ne nimium mihi inſervias. Scis quid velim. Have.

Triſtia ſectantur miſeri Naſonis amores. &c.

Literas has ad hoſpitium meum ferri cura; ſic ſaluti tuae ex Pegaſo (mirabere aliquando poculi genus) propitiè libabimus. CIↃIↃCXL. Octob.

Digitized by Google

EPISTOLA II.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio

Leidam.

JAm eo provecti ſumus, Animoſe Heros, ut lapidem laverimus, ſi nunc primum de ſubitae profectionis excuſatione ſermo inſtitueretur. Quin potius de ipſo itinere haec habe: Nonis Martiis Norwichum ſecundo flumine ſubvecti equos ſcandimus, & ſex dierum ſpatio primum per paludoſam, hinc per planam, plurimum deinde per aſperam, montanam, & nivalem regionem, plus minus cc. Millia paſſuum confecimus. Summo tum labore aërium jugum continui montis ſupergreſſi in novum (ita vocant) Caſtellum pervenimus. Schoti hîc caſtra poſuerunt a prima belli origine. Milites non magis ſtrenui, quam religioſi. Mira tamen facies in voltu omnibus; niſi magis in habitu. Pileo, qualis *Eraſmo* a pictoribus imponitur, ſed caeruleo omnes galeati. Quidam non braccati, inveſtes clunes brevi togula obumbrant: credas ludibrium ſpectatoribus debere. Nos tamen ulterius eorum luſtra pervagari decrevimus, ſi non frigus nos retorſerit: eſt enim hîc vehemens, tum propter Maenalin vicinam, tum propter montanas nives & continuos e jugo rivos. Meliora omnia ſperamus ſimul ac in Heborenſem tractum redibimus, in quo non pauca monaſteria in tranſitu numeravimus, quae ſubſiſtere nos praeter alia ibi agenda facient. Ibi literas a matre exſpecto redux. Si quid tuarum, Mi Heinſi, addere dignaberis, ut de tuo itinere certus Londinum me tempori conferam, grates gratas agam. Quanta ibi, Deus bone! conjecturarum agmina agemus, ſi nos Imperatores Legiones noſtras coadunato ſubſidio inſtruxerimus? Interim Vale. Novi Caſtelli. XIV. Kal. Apriles Stilo Juliano.

In agro Eborenſi prope Carleton marmor hoc viſebatur:

[1] DEAE SURIAE
SUB CALPURNIO AG
RICOLA LEG. AUG.
PR. PR. A. LICINIUS
CLEMENS PRAEF.
III. A. IOR

in pede Saxi:
TUSCO ET BASSO COS.

Porrigitur ab hac urbe Zephyrum verſus murus antiquiſſimus, quem Pictonibus a Claudio Caeſ. oppoſitum memorant Hiſtoriae. In eo aliquot vidi inſcriptiones, quas per occaſionem deſcribam & tecum communicabo alias. Nunc vale.

1 Eſt mutilum apud Gruter. LXXXVI. 7. vide Caſaub. ad Capitol. Antonin. Phil. 8.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA III.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

POmponium Melam, ſi commodum tibi fuerit, generoſe Heinſi, cras remitti mihi deſidero. Quaedam, quae in eo & Periegete adnotaſſe memini, uſu nunc mihi veniunt, dum ſupremam Gratio operam addico, quem cum comitibus ſuis a manu dimittere in Galliis decrevi; non adeo, quod liberos velim tam cito, quam ne ulterius moleſti mihi ſint. Si quid commendationis frontibus eorum a te, tanquam magno & tam celebri praecone, acceſſerit, poterit praecipitationis meae crimen aliquanto excuſabile videri, ſi quidem ſufficiens auctoramentum acceperint. Et omnino inopportunus fuero in refricando memoriam tibi, ſi non ſolita porro humanitate, unde confidentia ſuboritur audaciae meae, Vlitium tuum mactaveris. Percurrebam oculo jaculo nunc jam Halieuticôn fragmentum, quod Gratio meo ſtilus vindicat, & locutionum quarundum, ut oſtendemus, mira affinitas. Ovidio quod aſſcripſerit Plinius, memoriae lapſus dicendus eſt. Ejus non eſſe, quis dubitet, cum intimus Naſoniani Genii myſtes Heinſiades meus abnegaverit? Si quid tamen in eo obſervaveris, ne me lateat, magni mea intereſt. Item quid ad iſta Maronis:

Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus exit.

Nam ex Manilio Gembl. adducebas aliquid olim, quo, *excit* legi volebas. Iter meum proxima ſeptimana auſpicabor. Sed ſpero te cum *Kinſchotio* hîc interim affore ob occaſiunculam aliquam. Eodum, Nobiliſſime Heinſi, incolumem te ſervet Deus. Vale. nec oblivione omni dignum me judices, velim. Dabam Veneris Die, natali meo. Hagae e Muſaeo CIↃIↃCXLII. XI. April.

EPISTOLA IV.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Aquaſgrani.

Ne ex me novi quicquam exquiras, *Brunonem* ſcito id negotii a me ſuſcepiſſe, eique mandatum, quod bene curatum hac in re volui. Et quanquam non videris a me tale quid ſcriptionis expetere, ego tamen tanti credidi te nolentem compellare vel volentem, ut hoc operae pretio vel ſponſum vel reſponſum a te exigam. Carmen dico, quod Gratius meus meruit, quod fidei tuae erit exolvere, ſi liberatam eam apud me voles. Age, Heinſiade, ſi quid agis, & quid poſſis ultra, quam aquae potores hactenus, praeſta. De re

litteraria noſtra multa nunc tecum ſunt quae velim interim. Et ut mirere pertinaciam, [1] *leporem illaeſum* retracto apud Martialem, ſuppeditante *Brunone* exempla ejuſmodi in jambis licentiae etiam apud eundem. Fulgentium, quem tibi emptum volebas, contuli obiter cum Pariſienſi editione. Talia in eo tantaque deprehendebam, ut admirationi εὐτοχίας meae & fortunae non ſufficerem. Sed poſt alteram chartam collatam omnes conjecturae & emendationes meae in ipſam veritatem coinciderunt. Vidi enim hunc librum me adeptum, quem ſolum fere in editione ſua expreſſit *Hier. Commelinus*, tantopere ut & apices ejus ſequutus ſit, & naevos. Quin poſtea & manum ipſius ὁ δεῖνα deprehendi in margine multis in locis appoſitam. Unde mihi conſtat & antiquiſſimum, & digniſſimum hunc illi codicem viſum, quem ſequeretur. Reliqua, quae accedunt, Macrobii, & Boëtii aetatem non ſapiunt, nec tanti videntur, ut conferam. Tu interim ipſi antiquitatis genio immergeris: nec invideo, modo inviſa etiam nobis poſtea ne velis. *Jardinius* incolumis praeter omnium ſpem rediit. Statuas aliaque digna Urbe Aeterna κειμήλια advexit, nec numero nec pretio contemnenda. Plura hac occaſione occupatiſſimus in Sororibus & [2] generis meis excipiendis non habeo, quae ad aures tuas oggannam. Caeterum, ſi non ingrata haec fuerint, meliore otio verboſius de ſtudiis noſtris tecum agere animus eſt. Vale, Heinſi Nobiliſſime, & quo coepiſti favore vel abſentem fovere ne deſine. ὡς ὤπασας Kalendis Sextilibus, ipſo die CIↃIↃCXLV. Haghae.

1 In notis ad Grat. vs. 204. ita correxerat apud Martial. III. Epig. 47. ſed in curis ſecundis retractavit.

2 *Affinibus* voluit, credo, ſcribere. non enim ea aetate erat *Vlitius*, ut generos poſſet habere. niſi uſus ſit voce *Gener.* pro affini, ut apud Graecos γαμβροὶ poni ſolet: ſeq. Epiſt. *Fratres* vocat.

EPISTOLA V.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Aquaſgrani.

Si bene ephemeridis tuae rationem inii, non tantum hiſce, ſed & aliis, modo tuis intercales ſcriptionis vices, compellare te Aquiſgrani agentem potero. Nec deerit voluntas, quamquam hactenus ille, qui falce omnia in praeceps agit, Deus denegaverit poteſtatem. Fratres & Sorores trihebdomadale tempus abſumpſerunt nec invito, nec citius, quam heſterno die abierunt, exceſſerunt aedibus meis. Nunc itaque poſtliminio ad officium revertor, & id, quod reliquis antepono, te ſcilicet ut reſalutem, Heros εὐγενέστατε. Tum quoque ad abſolvendam Editionem libelli mei, cui, quam ut ſuprema imponatur manus, nihil deeſt, totus redeo. Varias lectiones, Indicem (tacdioſum mihi opus) prologos & Epilogos dico. *Wallius* & *Bruno* unguem ſtrenue arrodunt, quo commendent quod nunquam viderunt. Neſcio an eodem affectu tu item

mea.

Digitized by Google

mea gratia commendationis tuae jacturam periculitari velis. Non facies, si Horatianum sapis, ne

Incutiant aliena tibi peccata pudorem,

Sed quem commendes etiam atque etiam inspicies; quid de Ovidio tuo sentiat, quantum Maroni deferat, & an *laesos lepores* quam versus malit διστάζοντας. Imo quidni, mi Heinsi, siquidem στάζων esse debeat? Nam qui a recto aberrat, sive parum sive longius viam excedat, quid refert? Ἴσα γὰρ τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατορθώματα, inquiunt Stoici. Ita qui claudicat utroque pede, non magis a recte incedenti differt, quam qui uno. Sed

Quem penes arbitrium est, & jus & norma canendi.

aliter usus habet, inquies. Fateor. Si tamen alia exempla sunt, satis apparet non voluisse usu tanquam convento stare Martialem. Omitto jam, cujus maxime ratio habenda tamen est, sententiae & ordinem & veritatem. Quid enim deliciarum habet *laesus canis Gallici dente lepus?* Quid memoratu dignum Gallicus canis habet, si laesum dente leporem refert delicatulo Basso, qui alias illaesum vulgo etiam referre solet? Ita te purumputum Rhenanum illud merum delectet, ita tibi fontes Spadani sapiant, etsi non palato, saltem stomacho prosint, & cordi & saluti sint, ut Basso illaesum leporem ne invideas. Nec ego tibi Symmachum, nec reliquos, quos sectaris codices, ipso domino licet πρεσβυτέρως, invideo, o noster, si modo τὴν κοινότητα τῶν φιλῶν cogitas. Ego sane nunquam committam, ut ejus culpae jure merito reus ab ullo amicorum agi possim. Interim reditum tuum omnes optamus. Cum *Wallio* acris mihi intercessit de thure in sacris ab Idololatris incenso disputatio, illo thuribulum tanquam aras & focos propugnante. Ego gentilibus, quam Christiano dignius esse ostendere laboro. Haud dubie in reditum tuum vices scribendi & rescribendi extrahemus. Leidae vestrae, dum nuper eram, nihil proficitur. *Salmasius* totus adhuc in Papam militat. De reliquis nihil audivi. Vacuna nunquam remissius regnavit, quam hac rerum prolatione. Notae Gronovianae etiam feriantur. Ipse brevi huc transcurret, & ni fallor, feriis Julianis. Vale, Amicorum meorum Ocelle, Vale, Heros Nobilissime, & me, quod facis, amare ne desine. Sic te ad nos incolumes incolumem reducat Deus O. M. Hagae v. Kal. Septemb. A. S. C. CIↃIↃCXLV. *Kinschotios*, an te, citius reduces videbimus, eventu dubium est, nisi tempus praescriptum, & illos occupas. *Jardinius*, cum quo heri Italice pransi, te salutat officiosissime.

EPISTOLA VI.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Parisios.

Quanquam omne ex voto tuo tibi iter cessisse gaudeo, eoque nomine tibi tuisque gratulor, nihil tamen praeter votum meum & augurium id evenisse

nisse literae meae, quas ad te Kalendis hujus mensis dedi directas, evidenter testari possunt. Est itaque & quod mihi de tanta εὐτυχίᾳ & dexterrimo augurio gratuler, & porro quid amicorum divinationi insit considerem. Hoc insuper nomine tibi gratulandum censeo, quod meliore consilio, quam quo hinc instructus abiveras, usus, *Sarravio* te permiseris, & tam moderato sermone *Salmasium* tetigeris, ut non temperaverit huic inexpectatae laetitiae suae ὁ δεῖνα, quin *Rivetum* ejus participem fecerit, & mirum in modum candorem tuum & ingenuitatem depraedicaverit. Addens porro, si ita te apud omnes gesseris, magnum meritis paternis & tuis vel hinc momentum accessurum. Voluit & *Rivetus*, cum Sarravianas mihi praelegeret, ut se autore hoc tibi suaderem: quanquam scio nihil eo opus esse, postquam semel inimicitiam omnem exueris, & animum odio vacuaveris. *Elsevirius* tandem ad te abiit, ita propere ablatus, ut verear ne mandatorum etiam post se memoriam relinquat. Eoque factum ut L. Rhodia penes me manserit, quanquam non magni interfit nunc an postmodo habeas, cum nihil in schedis istis sit, quod non a *Leunclavio* in Jure Graeco-Romano sub finem editum. Si tamen mitti tibi vis, imperata simul exequar, cum Gratium mittent Elsevirii, qui tandem publicum nactus est, & vescitur aura aetheria. Exemplar ejus eadem occasione ad te etiam feratur curabo, vel ipse ab *Elsevirio* pro jure tuo petas. Hulstae obsidio optime (favente autumno) vertit, uno *Spinola* refractante, jam utrinque cincto pluteis, & ferventissima manu quotidie oppugnato. Sunt qui hoc ipso mense, dato pignore, de occupanda urbe certent; ii, qui particulam proximi adjiciunt, modo ne post Idus Novemb. extendatur obsidio, plus mihi sapere videntur: illi vero non modice furere, qui XVIII. M. florenorum pignore Antverpiam hoc eodem anno nobis cessuram asserere ausi sunt. Doleo sane, & porro ne mei id doleant item posteri, summopere vereor, Gallos adeo audacter publice *Gassionis* sui fortunae adscribere, quod CC. non amplius equitum praesidio omnes stationes hostiles perruperit, & hoc suo periculo Imperatori nostro viam ad Transiegianos & Hulstam usque aperuerit, quam ille noster XXX. M. exercitui instructus ne V. quidem mensium spatio tentare ausus fuerat. Si lubet mendacia haec propius inspicere, praecedentis hebdomadis narrationes historicas repete. Sed cave interim ab istis saperdis. Vale, praestantissime Heinsi, & quod ego & *Kinschotius* optamus tibi ex animo, vive tibi, tuisque: is enim scriptioni huic interveniebat, ut Voorburgium ad nundinas me abduceret ἔχοντ' ἀσχόντιγε θύμῳ. Cras Leidam imus. Nusquam adeo libandi aliquid saluti tuae deficit, & nulla, quae dabitur, peribit occasio. ὡς τάχιστα. Hagae nostrae, in pistrino pristino XVI. Kal. Novemb. CIↃIↃCXLV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

DUm decem circiter in caſtris moror dies, praeterierunt vices meae, quas *Kinſchotius* & ego mutuo alternare tecum decrevimus. Eas vero jam non ſine uſura tibi praeſtabo. Primum tamen ut tuis reſpondeam aequum eſt, niſi quatenus *Kinſchotius* noſter partem laboris levavit. Ita is ipſe, dum intervenit ſcriptioni huic, mihi aſſerit magna ex parte tibi ſatisfeciſſe, adeoque non opus eſſe ut in te abſentem, quam in illum & alios cum illo praeſentes, & aegritudini meae ſuccurrentes, officioſior ſim. Ignoſce itaque magnâ praefato & amphoram exorſo, ut currente rota urceum tibi propinem. Hoc eſt, quod agitur. Ego die Veneris caſtris exceſſi, & eopſe die huc appuli. Adeo ego unus ſacculus tibi ſufficiam novarum rerum, quae inibi poſt expugnationem Hulſtae aguntur. Obſidentur Moerſpuya, Moncado, & S. Andreae munimenta: haec minori vi, illud ſumma omnino, & ne ſic quidem ſatis expugnabile, ingruente hyeme & aquarum vi ingenti, quarum illic copia ſuppetit. Urbs expugnata, quam biduo vel triduo inhabitavi, ruinae quam Troja olim ſimilior. Nihil integrum, excepto templo majori. Cordi mihi erat intelligere, quanta copia MSS. librorum ab exercitu noſtro proſtrata, & perdita eſſet in expeditione Flandrica, quos tamen ſummo faſtidio intactos praeterierant plerique. Spero aliquos me brevi nacturum ab Equitum Praefecto adgnato mihi. *Zulechemius* non inelegans Hexaſtichon Gratio meo conſcripſit, & ſimul epiſtolio, benevolentiae ſuae uberrimo teſte, me beavit. Impedior ſermonibus amicorum fritillum quatientium. Vale, Heros Nobiliſſime, & amare tamen me perge. *Kinſchotius* te ſalutat poſtridie natalium ſuorum XIII. Novemb. CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA VIII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

NEgligenter nimis apud te, Heroum genus, praeterita hebdomade ſcribendi officio me functum eſſe memini, cum ipſi ſcriptioni vixdum inchoatae intercederent amici aliquot noſtri, quos ad fritillum convocaveram. Multa etiam promiſiſſe, nihil praeſtitiſſe memini. Quapropter repeto vicem meam, & ſimul alteris tuis XI. Novembris ad me datis reſpondebo. Gratii exemplaria centum & amplius in Gallias miſerunt *Elſevirii*. Ex iis tu, quot vo-

voles, elige. Praeterea, si molestum non erit, sex alios pete, ut quatuor cum literis hisce *Menardo* Andegavum mittas per tabellarium, qui bis singulis septimanis, nisi fallor, eo proficiscitur: reliqua duo *Sarravio* & *Bulialdo* cum multa salute offerri cures. Vel si hic nondum ex Italia rediit, quod innuere videris, *Puteanis* asservandum in reditum illius committe. Mandarem etiam ipsis fratribus aliud dari, nisi jam memoria illorum totus excidissem, qui nunquam illos nisi in transitu, quo per Bibliothecam eorum in Thuaneam itur, salutaverim. Tu tamen, quod aequum videtur, pro arbitrio tuo age, & codicem Gratii, ab illis *Crommonio* in usus meos commodatum, considera. Amplissi. item *Petavio* Consiliario, quod pene oblitus eram, unum saltem depromi jube, & officio meo apud illum fungere. R. P. *Mersenno* Minimorum maximo & subtilissimo ingenio, quem Roma rediisse audio, unum quoque tradesis, si equsque jam excurris. Toto enim milliario illorum coenobium ab hospitio tuo, nisi id mutaveris, abest, non longe Tulliano. Nunquam tamen itineris suscepti poenitebit te scio, ubi semel humanitate optimi senis perusus fueris. Sed tu rerum tuarum satagis magis, quam ut me monitore indigeas. Quae tamen de *Sarravio* scripseram, ab ipso *Riveto* tui studiosissimo, non a me dictata tibi esse puta. Nequam isti, novarum rerum buccino facta atque infecta canenti, vereor ne potior pars id genus hominum consentiat, qui jamdudum voraci oculo opima novalia, & navalia nostra maxime oblimant. Audio illum ab asino ad bovem, & a bove ad asinum jam multoties desultoria quadam lubricitate devolutum, nec, quicquid malarum artium est, intentatum reliquisse quicquam, quo famem sustineat; usque adeo ut ad versificandi rabiem etiam delapsus fuerit. Tandem autorem simul ac typographum novellarum sibi suarum factum. Qui fustuario mulcandum strenue tecum censuerunt, & ipsi item Legato nostro, si id juberet, operam suam polliciti sunt, vidi unum atque alterum, qui proximo trajectu ad suos reduces facti, quos forsitan nosti. *Tulpius* certe ad id praestandum viribus & animo mihi par visus est. De *Zinzibero* quod scribis, mirum magis, quam novum mihi est. Is enim ipse ante triennium, dum Andegavi agerem, ostendit mihi multa, quae contra novas *Salmasii* de mutuo & usuris opiniones moliebatur.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Nisi forte ut uxorem suam, quae mutuo alteri jampridem cessit, alienatam a se doceat? E re itaque magis boni viri erat, ut quamvis mutuatariam factam, non alienatam crederet, si nondum fera bestia modo facta sit, & revertendi animo apud adulterum haereat. Quis credat post duos Belgas, & geminos Germanos, alterum Gallum in eadem arena deplumare difficile negotium Antagonistae nostro fore? Credo actum aget, nec impune: cum infectum volet, quod citius aut omnino non factum oportuit. Jube tamen *Elsevirium* exemplar unum vel alterum, simulac prodierit liber, cum illo, quem comparare mihi discedens promisit, data occasione ad me mittere quamprimum: nisi forsan ipse autor aliquid mihi daturus est, quum sane ipsi Gratium per *Menardum* offerri mandem. Quid novi hic agatur, paucis dicam. *Boyus* dignam se Epigram-

grammatum farraginem Hulſtae devictae illuſit. *Zuylechemius* etiam aliquot utraque lingua compoſuit, quae videre te volo. En & aliud ejuſdem, de quo memini proxime ſcripſiſſe, inter amicorum meorum verſus ſuo loco inſerendum. *Bruno* etiam e multis plurima, cum Leidam mecum nudiotertio iret, recitavit, quae ut ederet, autor fui; ut autoritati meae cederet, nondum obtinui. Spero tamen non detrectaturum, ſimulac Heros ipſius judicio meo ſubſcripſerit, qui craſtino hîc cum Principe aderit, ut dum perendie Vulcanalia celebrentur, laetitiae noſtrae dator ipſe interſit. *Rivetus Grotium* depectere pergit non exiguo nimis libro, ut ipſe ſpondet. Vale, meae & omnium Belgarum Deliciae, Heinſiade Praeſtantiſſime, & amare perge Vlitium tuum ἁπλῶς. Dabam feſtinanter XII. Kal. Decemb. CIↃIↃCXIV. Hagae Comitatenſis. Nota bene me *Volcanalia* dixiſſe, quia viae tum fere *vol canaillje*, & plebecula ſcatent. Ride argutias meas, modo ignoſcas impudentiae, qua tot moleſtias tibi pario. *Kinſchotius* proxime reſpondebit, quia verſificatur Hulſtae, Gallica ode.

EPISTOLA IX.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

HEros praeſtantiſſime. Niſi omni modo vices meas & officium tibi probare meum geſtirem, erat quod in juſtam excuſationem allegare poteram, ſive ſilentii, ſive brevioris, quod aequius videretur, reſponſi. Non fritillum, non veteris codicis inſpectio: ſed convivium biduanum, quo *Kinſchotius* ξυμβατήριον ſuum hilaritatis memoriae conſecrare, & triſtes abitu ſuo amicos laetiore poculo fallere decrevit. Hodie inter conjuges, cras inter juvenes innuptasque puellas ſacra illa, non ſine Cerere aut Baccho, nec forſan abſque Venere, quae ut frigeat metus nullus eſt, ſolemniter peragenda ſunt & pervigilanda cantibus. Nec enim deerunt, Opimianae notae fonte rigati, *Kinſchotius*, *Wallius*, *Crommonius*, &, ni fallor, ille ille, quem nominare ſufficeret, niſi jam ſcires a tali caetu abeſſe non poſſe. Verum ne praepropere eo abripiatur, quo totus geſtit, animus meus, paucis primum multis illis tuis petitionibus & juſſionibus reſpondebo. De gemino exemplari Gratii non eſt quod imputes, nec gratis tibi cedere, ſi bene ſupputas, putes. Apud *Boſwelium* brevi cauſas tuas perorabo; quanquam praeter conſilium meum id nunc acciderit, ut negligentiae tuae potius, quam feſtinationi, quod tibi videtur, patrocinandum ſit. De *Zinzibero* ſententiam non muto; ſed omnino placuit lepidiſſima illa tua, & nihil illi profutura unquam defenſio. Erras vero, ſi quid praeter ſalem & menſam, aut eo animo a me dictum quicquam reris. Amicitiam noſtram & Jovem hoſpitalem teſtor, nunquam me ſciviſſe inter illos ullo gradu quenquam ad te pertinere. Imo etiamnum nihilo certior ſum: niſi *Lu-*

eium illum extra pellem ſuam mihi conſtituere videris, ſub qua ego ſemper *Vinnium* latuiſſe credidi, & a plurimis mihi perſuaſum habui. Noli tamen propterea me incomitiari. Caeterum quod de *Salmaſio* melius, quam iſtis omnibus ſentiam, vehementer nimis decipior, ſi non in eo etiam tu mecum ὁμοψηφίζεις. De Phocnice illa nihil dico; quae non minus omnium judicio, & meo etiam, excellit, quam deplumator ille operam perdidiſſe in deplumatione ejus cenſendus eſt. Quid tamen ad hanc cuculus aliquis, aut id genus alii? Non ita argumentantur cati homines; ut vitulum qui ſuſtulerit, bovem ferat: qui leporem aut ovem vicerit, leone etiam validior exiſtimetur. Melius itaque & tu, ſi ſapis, de amicis tuis opinare. De novatoribus illis, quos dicis, plurimi hic & ibi, inter quos agis, ſunt qui aliter judicant. Non homines, ſed res ipſae conſiderandae. Corrigere itaque antiqua, quae longo abuſu a veritate deflexerunt, omnino licet. Vide ea, quae Tertullianus, Arnobius, Minutius, & alii pro novatione, quae illis objiciebatur, religionis, & quae reformationis nuperae autores & defenſores in pari cauſa calumniatoribus ſuis oppoſuerunt: eadem videbis argumenta in omni dogmatum correctione militare. Sed ſuper eo non eſt, mi Heinſi, quod contendamus. Tranſeat illa qualiſcunque tibi viſa eſt ſuſpicio, & ſerio mecum in gratiam redi, qui totus amore tui ardeo, ſi ſincere vis me loqui. Abſit omnis verborum fucus, quae, ubi deficit aliquid conſummandae amicitiae, in complimentum vulgo invicem obtrudi ſolent. Perge itaque amare, quod facis hactenus, & illibato affectu proſequere tuum ex omni animo Janum Vlitium. De Angliae ſtatu nihil praeter debitum ſollicitus ſum; multo minus nunciorum, qui facta infectaque ad ſatiem nobis cotidie narrant, ſectator. Odi iſtud hominum genus, bilingue, duplex, turbatores univerſorum commerciorum, & rerum publicarum. Quare etiam ut meo exemplo ab illis caveas moneo. Latet anguis. *Gronovius* prole maſcula auctus, ut ſcis, quam ego, ne neſcias, ſuſcepi a baptiſmate, ſalutari te voluit, & in memoriam tibi revocari, quae in Livio Petaviano & Regio inſpicienda mandaverat, ut inſpiceres. Sed, ohe! jam ad patinas. Vale, Deliciae meae, Heinſiade εὐγενέστατε; & hem tibi ter, ter etiam *Liſae* tuae, quicquid eſt: ἄμυσι, nequid fallare.

EPISTOLA X.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

QUod hactenus ad te ſcribere diſtulerimus *Wallius* & ego (quanquam elegantiſſima tua Elegia in venerationem tui toti proclives redditi) ipſe tibi imputa, mi Heinſi, qui Italici itineris ſcrupulum nihil tale ſperantibus injeciſti, quaſi jamjam eo abripereris. Quid namque reſtabat miſeris, niſi ut ſolemnibus votis & precibus pro ſalute tua ſuſceptis (de qua ſolicitos nos reddide-

ras

ras ſummopere, ne coeli ſolique ac ſali mutatione turbaretur) abeuntem potius comitaremur, quam Pariſiis abſentem compellaremus? Jam vero, ut ex *Brunone*, qui Parenti tuo apud *Graſwinckelium* diverſam longe a tua ſententiam pronuncianti affuit nuper, intellexi non ita diis viſum ſuperis, lubens ac laetior aliquanto ad literarium hoc noſtrum colloquium redeo. Et primum de exemplarium diſtributione gratias tibi ago, quam pote, maximas; & quod mandati, quaſi id exceſſiſſes, reus fieri anxie nimis vereri videris, eo nomine ſecurum te eſſe jubeo. Tum quod *Sengibero* ea, quae Andegavenſibus deſtinaveram, commiſeris, perquam opportuna occaſione uſus es, ut & duplici illum damno mactares, & dupliciter mihi ſatisfaceres: quia ſic & opera ſua, & mutuo illo (quod vere alienabitur, ſiquidem ita vult) mihi tenetur. Caeterum rogo, ut iterum, vel, ſi forte ab incommendato tantum negotii obtrudi potuit, jam ſaltem me ei commendes. Nam ſi ob ea, quae nuper tibi ſuper ejus cum *Salmaſio* contentione in aurem dicta volui, me homini iratum, atque adeo id fieri nolle putaſti, nae tu, quae joco dicta ſunt, peſſime interpretatus es. Ampliſſimis *Sarravio* etiam ac *Petavio* iterum atque iterum commenda, & quod tanta expectatione fruſtratus illos ſim, quantum debet ob libelli tenuitatem & inficetias, quem non talem expectaverant, etiam atque etiam excuſa. R. P. *Merſennum* cum accedes, ab eo ſaluta, qui *Beverovicii* literas cum libello ejus de Calculo, ante fere quadriennium ipſi tradidit, tumque aliquoties reviſens modo Bibliothecam inſpexit illo duce, modo Muſicen docentem audivit. Nam a nomine vix puto me cognoſcet: quia id, quod ſcribo, non *Vlitium*, ſed *Ulitium* τετρασύλλαβον pronunciant Galli: quod autem ore profabar, alii *Welit*, vel *Velit*; nonnulli *Hulict* vel *Vulit* ſcribebant. Eodem errore quo *Kinſchotium*, dixere & ſcripſere *Quinxotium*, quaſi cognominem Fabulatoris Hiſpanici, vulgo notiſſimi, cognomento Manicati. Noſter ille Monaſterii ſerio ac ſedulo Pacificis Dominis ſuis, qui hactenus ſalutant tantum & ſalutantur, operam navat, & rerum, quae illic agitantur, ſalutationumque illarum ſeptiduanas nobis Ephemerides concinnat, ac tranſmittit. Quales ſiquidem & tu requiris, ab eo petas malim, quam ut me negligentiae accuſes, quod de morbo Principis, quaſi non ipſa hiems perpetuus illi morbus eſſet, certiorem te non reddiderim, atque ea ſane tam acris nunc eſt, ut nulla hoc ſaeculo, citraque viventium memoriam par fuerit: fortean nec illa, quae in Kalendario annotatur ad annum CIↃIↃXIII. gelu ſuo maris aeſtuaria aliquot occupaſſe. Quod enim nunc eſt frigus, quo omnia Germaniae flumina, ne Danubio quidem excepto, uſque ab fontibus ſuis conſiſtunt, adeo durabilius & vehementius eſt, ut tota maris noſtri ora glacie praetexta ſit: quae in ſpeciem aggeris ita excrevit, ut tanquam obice facto nec appelli nec deduci lembi poſſint, niſi validiſſimis ferramentis & labore maximo diſſipetur. Ita & fori noſtri piſcarii celebritas jacet, & ſalſamentariorum commercia frigent per omnem fere Bataviam. Ceſpitibus & ſtipitibus res ſtrenue agitur: ſed & horum cum inopia caritas in dies creſcit: quam ego quidem non moror

Dum meus aſſiduo luceat igne focus;

Digitized by Google

Sed illi, quibus quotidiana eleemosyna producit vitam ad miseriam, impatientissime ferunt tam diutinum frigus, & duplex dispendium etiam ejus, quod non nisi precario habent. Καὶ ταῦτα δὴ μὲν ταῦτα. Ut eo, unde abii, revertar, quam putas opportunum mihi aut commodum tam frigido coelo auras & rumores hominum captare, ut tibi nihil tale quid sentienti frigida manu & calamo gelato transcribam? *Wallius* vel a tota scriptione excusari jam posse confidit: mihi apud te venia nulla sit, nisi ex lubitu tuo totus obrigeam? Nam quantillum id erat, quod diem & consulem non asscripserim, qui nec mei forsan ad ecstasin usque frigentis tum meminerim? Bona verba, quaeso, mi Heinsi, & expiare me hoc piaculum aliquando sine. Imo vel jam, ne iterum quid committam, ea tibi narrabo, quae foris ad meas aures intra privatos parietes agentis advolarunt. Principem Guilhelmum Gallias cogitasse, praetentu inaugurationis suae, qua Arausionibus initiandus esset, animo revera apud Parisios Bacchanalia, quae instant, libere celebrandi. Quod cum Proceribus inoluisset, quorum arbitrio negotium hoc permiserat Pater Patriae, non tantum institutum improbarunt, sed & Patri idem haud dubie meditanti persuaserunt. Ne itaque totus proposito suo excideret, eo quod ex conjectura mea intellexti, idem hîc absolvere decrevit, omne genus choraularum & saltatorum convocando, qui proximis feriis in tot conciones, quibus e suggestu quotidie in Aulicos furores invehuntur Theologi, splendidissime debacchabuntur. Unus ex illis nostratibus misterii Evangelici ministris non ita diu pro concione agitavit, cum Idololatris pacem non ineundam esse, & Asam ideo Pedibus aegrotasse, ψαλπόμ. lib. I. cap. XVI. Quod non ita Pater Auriacus, quasi ad se pertineret, podagra affectissimum accepit, quam Gallorum residens Legatus apud Ordines questus est, contra conventionem publicam id intentatum. Illi ergo coram adesse jusserunt, reprehensumque dimiserunt arte oratoria male usum Technaeum nostrum. *Gronovio*, quod volebas, significavi. Is proxime VII. viris ad Negotium Pacis Legatis Daventria Monasterium discedentibus περιπλίον prorsa oratione scripsit. *Claudius* noster praeter geminum Militiae opus, quod utraque lingua cuditur, etiam aliud quid ἐφέσιον meditari dicitur. Vereor ne is homo ad ingenium redeat, & vel *Cypriano*, vel *Singiberi* libro, antequam prodeat, anticipatorie respondeat. Item illud Mauritiados opus, quod dudum apud te memini vidisse, in lucem prodit, a Lamaerio cubitum longis literis in foliis integris excusum, tabulisque aeri incisis non paucis nec vulgaribus, quarum archetypa in atrio Mauritii Comitis ostenduntur, splendide ornatum, ne pretium operae desit, aut materiae opus. Ipse φιλαυτώτατος[1] author amplissima, quod ajunt, in forma palliatus frontem operis sui occupat, tanto Elogio mactatus, ut vel Maro ei possit invidere, vel parciori contentus esse, in cujus aemulationem XII. Libros augustissimo numero clausit. Quare mirum videri non debet, tanto Heroi miserum & plagosum Priscianum impune toties vapulare; ut cum primam in *propitius* producit, in *flagitat* corripit, & ultimam in *Iber*, quanquam hoc ego ferre poteram;

1 *Franciscus Plante* qui *Santeus* nomine in saturnalitio Lusu Heinsii est nobilitatus.

Digitized by Google

teram; nisi *Bruno* id inter plura alia annotasset, quem recensioni ille praefecit; postquam sero rescivit, Patrem tuum aliosque viros poëtas, quibus legendum commiserat, veritatis odio obsequium praetulisse. Idem ille ὁ δᾶνα in Lauro Hulstica, non exiguo poëmate, eadem autoritate primam in *detur* bis corripuit, ne qua scilicet mora etiam in re fieret, quia bis dat qui cito dat. Non aliter sane ac ille, qui ut legendo

Venit ad Euphratem subitoque exterritus haesit
Ut cito transiret corripuit fluvium.

Secunda puta in *Euphrate* correpta. Frustra tamen id expectat etiamnum. Et Princeps, quanquam prolixissime de se meritum, parco admodum praemio, verbositatemque ejus compensavit; centum nempe florenis non numeratae sed promissae tantum pecuniae; quantum & *Brunoni* & *Boyo* addictum: *Kinschotio* triens additus: *Thysio*, & ineptissimo omnium declamatori, qui se Regium vatem jactat, alterum tantum: *Barlaeo*, solitum & annuum fere stipendium, trecenti. Sunt & alii, quos non memini, aut non novi, minorum gentium Panegyristae, an Panagyrtae dicam? Feraciissima enim mendicabulorum haec nostra tempestas. Prodiit hauddudum *Valeriani Sigismundi Rozzen*, Theologi & nobilis Poloni (de se si creditur ipsi) *Astra inextincta coeli Batavorum*, horribilis liber, quem potius fuerat δόμον εἰς Ἅιδαο περῆσαι; nisi ventri authoris, cui fame alias pereundum erat, ita unice consultum videbatur. In eo ille multos laude indignissimos eximie laudavit; alios, qui potissimum merebantur, aut parce admodum, aut omnino praeteriit; nec Latine, sed Barbare mihi loqui videtur. Ignatii Epistolae a *Vossio* propediem edentur, εἰς αὐτὸς ἔφα. Ego de Antichristo novam opinionem & diversam fere a reliquis, qui hodie id agunt, procudo, & totus in SS. Patrum lectione sum. Eadem opera Idololatriae tam Gentilis, quam Papalis, originem ac progressum ostendere laboro, nova prorsus methodo. Nimirum illam ex ceremoniis Judaicis autore Diabolo, eodemque Antichristo, propagatam, & a Gentilibus iterum ad Christianos transcriptam. Longa est narratio, longae ambages. Verbum itaque non addam, praeter solemne illud, Vale, Heinsi, decus meum, Praestantissime, & amare me perseverа Tuum ἐξ πάντα Vlitium. Dabam raptim, frigida manu, quanquam solvente se gelu. III. Kal. Febr. CIↃIↃCXLVI. Hagae.

EPISTOLA XI.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Parisios.

ORbis delicium. Nae tu brevi responso literarum mearum odiosae prolixitati abunde respondisti, & paucis plura, quam ego, immanibus verborum periodis, complexus es. Quanquam est iterum quod causari possim, ne scriptione avocer a necessitatibus meis, nolo tamen absque auspiciis nostris & pre-

Digitized by Google

cibus votivis iter illud tam inexpectatum aggrediare, neque votis incomitatus Italiam accedas. Quod itaque felix tibi, fauſtumque tuis; & reipublicae noſtrae ſalutare ſit, maxime literariae illi, quae totam in te uno nunc ſpem fovet, *I ſequere Italiam ventis.* Patavium ubi adveneris, memineris promiſſi, quo mire me deſideriumque noſtrum excitaſti. Bononiam vero poſtquam transiveris, noli S. Salvatoris coenobium vel mea cauſa illuſtratum praeterabire, in quo Nemeſiani liber de Aucupio jam olim reconditus aſſervatur, ſiquid [1] *Geſnero* ita in Bibliotheca ſua tradenti fidei tribuendum. Sin migraverit inde, facili negotio inquirere poteris, quo tranſlatus ſit. Age, nobiliſſime Heinſi, & heic patriam tuam agnoſce, & famam auſpicare, quae inibi patriis remigiis dudum tibi praevelificatur. Euge, optime merito nihil alienae commendationis ad amorem, quiqui illic vigent, bonorum hominum conciliandum opus eſt. Tuo vel nomine vel nominis praevio rumuſculo rigidiſſima Bibliothecarum clauſtra ipſemet reſerabis. Quid vero illam Venerem tuam, quam proſtitutam aliquando tandem gaudemus, ut publici juris non ſcortum, ſed corculum fiat, loquar? Nae tu ſapis, qui Italorum libidini ſic ſerio te applicas. Nos interim Junonem Lucinam invocabimus, ſed domeſticam, quae iterum proſpera nobis fuit, ut parienti parentique ſubveniat. *Brunonem* parum abfuit quin hodie ad officium erga te reduxiſſem: rediturum brevi, non dubito. Ita amneſtiam dolet, poenitetque incogitantiae. *Kinſchotio* etiam hodie ſalutem a te mandabo. Salutat ille & te. Sed illi Pacifici, non pacem, ſed monſtri aliquid alunt. Proximo heptiduo & nos hîc ſtrenue bacchabimur, ut vicem illis reddamus, qui paci publico ludibrio inſultarunt. Scis quid rei actum ſit in natalitiis Dunenſis Comitis. Intervenit ſcribenti *Wallius*, & ut apud te intercederem de negligentia ſua ſalute plurimum dicta voluit, niſi forte citius hinc dimiſſus ſcriptioni veſpertinae (quod tamen myopi ſalubre non fuerit) vacabit. Vale ergo, & plurimum Vale, Heinſi praeſtantiſſime, ac ſpatio illo, quo a nobis porro divideris, metire affectum, quo nunquam vel latum unguem a te abſcedit. Hagae XXVII. Febr. ſive pridie Kal. Martias CIↃIↃCXLVI.

1 Rectius, in Epitome aucta per *Simlerum* & *Friſium* dixiſſet. Fragmentum, ſed ſparſum, edidit Vlitius poſt Nemeſiani Cynegeticon pag. 34. Ridicule vero hunc *Olympium Nemeſianum* in duos Poëtas diviſit *Clericus*, in Arte Critica cap. 2. ubi commendat Eclogas *Olympii* & *Nemeſiani*: quod neſcio cur memoriae vel calami lapſu accidiſſe credat *Cl. Fabricius*, cum ſequentia verba de duobus eum ſerio agere oſtendant, & pag. ſeq. repetat idem ignorantiae ſpecimen, cum *Janum Vlitium* edidiſſe *Gratium cum Olympio & Nemeſiano* ſcribat, quos ego ad eum uſque diem Criticum illum inſpexiſſe numquam puto, ſed ex indice aliquo noviſſe.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

ORbis deliciae politioris. Binis tuis quod ſimul reſpondeam, iter Amſtelodamenſe effecit; cui acceſſit biduum, quod popularibus tuis & penatibus, optimoque Parenti rediens impendi. Deus bone! quam volupe mihi fuit ipſum te quaſi praeſentem recordari, ubi in ore tot illuſtrium animarum, quas cubiculum iſtud habet, apud optimum ſenem de amicitiae noſtrae incunabulis, & aeterno vinculo non ſicco ore teſtari licuit. Aderant affinis *Goeſius*, & comes meus *Richterus*, ſi fando id forte tuas pervenit ad aures amiciſſimi ac ſtudioſiſſimi hominis nomen. Ibi de ſumma republica non deparcus, nec temere divulgandus ſermo. Multa ſuper foedere & conjugio inter Gallicum Puerum & Infantem Hiſpanicam, ſalute noſtra dotandam, ac mira in pernegando conatum ſuum Gallorum pertinacia: multa item de reditu Legatorum, & *Eſtradae* legatione: ſuper te vero ac itinere illo, quod moliris, quamplurima ac ſummo affectu egimus, quaſi de ſalute tua in medium conſulendi. Audivimus etiam ea, quae pudor tuus ex aliis quam ex te audiri maluit: ſcilicet quo honore apud utriuſque ordinis praecipuos viros exceptus ſis. Nihil non lubenter accepimus, quod ſummam exiſtimationem tibi conciliare videbatur. De itinere tamen ſubdubitatum, an aeque proſpera fama te ad Italos ſecutura ſit, & an non melior virtus ſit partam tueri, quam hac deſerta novam quaerere. Viſus eſt (ut pace tua dicam) non ita ex animi ſui ſententia, quam ad deſiderium tuum votis tuis ſubſcripſiſſe amantiſſimus tui Pater, ſubſcripſit tamen. Ergo, quaſi eo indigeres, ac noſtri res arbitrii eſſet, aſſenſimus & nos, & quod felix fauſtumque ſit, more majorum litantes, vovimus unanimiter, atque ita diſceſſimus. Poſtridie ubi domum redeo, ſiniſtro de *Kinſchotii* noſtri deſperata propemodum valetudine rumore primum adveniens percellor, patremque fere conclamantem de unico haerede invenio. Revera aeger erat, & duobus medicis jam commiſſus: ſed acceſſerat rumor jam diem obiiſſe; ipſo tabellario id Monaſterii percrebuiſſe referente. Dum angimur, dum fletur, ſupervenit alter cum ipſius literis ad Patrem, ad *Wallium*, ad *Brunonem* (nam & hic pro me ſcripſerat) ad me, & hiſce, quas vides, ad te mihi commiſſis. Salva res eſt; convaluit, aut ſaltem convaleſcit. Tu tamen tutius ac ſimul timere amico noſtro & tam caro capiti, ſimul gratulari poteris. Sed jam literas tuas repeto. Quae ad *Gronovium* mandaſti, perſcripſi heri. Exemplaria Poëmatum tuorum, quibus ventos ſecundos precamur, cum appulerint, (quamquam deſideria noſtra morantur) ex periculo recitandis nominibus reddi curabo. Etiam *Brunoni*, quia ita ſedet ſententia, quod reliquum erit, puta reſtim & ſegeſtria, ex aſſe relinquam, ne quid incurioſus mandatorum tuorum exe-

executor censear. De Epigrammatis in Papam, gratias habeo. Recitavi heri ea apud Ill. *Boswellium* praesente *Jardinio* meo, absque quo fuisset nihil intellexissemus: sed etiamnum interprete meliore opus est nobis; utque tu is esses, rogatum te voluit ὁ δεῖνα, utque adderes tertium, si vacat. Salutavit te uterque quam humanissime. Quod tamen apud hunc professus sum [1] *Gaulminum* pro authore haberi, id mihi ne succenseas, rogo. Muto dictum puta. Addebat ipse credibile videri, quo idem ante XV, aut amplius, annos versus admodum virulentos & satyricos publicarit, quos editioni Erotici cujusdam Graeco-Barbari autoris adjecerit. Quod de Nemesiani ἱξευτικοῖς & Calpurnio promittis, pergratum feceris. Cogita & de Demetrii Constantinopolitae κυνηγετικοῖς, quae me nondum potuisse videre conquestus sum in Comm. II. pag. 364. sed tandem nactus sum ex Editione Parisiensi. Si terra Italiam petis, aut saltem Tiguro redis, quaere ibi in Bibliotheca publica, quae in pontis limine lacum prospicit, Gratii &c. editionem [2] Tigurinam, & a quo ad quod exemplar procusa sit. Nam Professor ille, ad quem cum *Kinschotio* nuper ea de re scripseram (qui literas tibi Lugdunum curandas commisit, nec neglexisse te confido) nondum respondit. Nomen excidit, sed tu fortasse meministi. Scripseram & ad *Taubmannum*, qui ibi concionator est: neque is respondit. Quam Opinionem de ea Editione in Proleg. ad Gratium habui, vereor ut me deceperit. Vale, φίλτατον κάρη, & diis ducentibus i atque redi. Dabam ὡς ὤνισα, X. Kal. Aprileis, CIↃIↃCXLVI. Hagae.

1 Vide Hensii Epist. ad Gronovium CXXXV.

2 Hanc prodiisse A. MDXXXVII. dicit *Barthius* ad Nemes. Eclog. I. vs. 67. & passim in notis eam laudat, sed suspectam sibi Barthii fidem ostendit Vlitius in Prolegomenis p. 87.

EPISTOLA XIII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

ETiamne in Galliis haeres, Heinsi Suavissime, quem dudum Venetiis compellavi? Ita jusseras. Quamdiu sit, recte nescio. Computo tuo institisse me certe scio. Et jam totum mensem Bredae ago cum universa familia & domo mea. Interim afferuntur tuae Lugduno VIII. Maji in procinctu datae. Poëmata tua an appulerint ignoro. Curabo tamen, absente me, commode per alium distribui. Nondum enim domuitionem cogitat animus noster, qui mire loci hujus genio & ruris vicini deliciis capitur. Accedit totius aulae & ordinum generalium, & quicquid est in patria nostra domi militiaeque majorum gentium, in eundem locum confluxus. Nunquam tanto hominum coetu Breda superbuit, quam hoc ipso tempore. Quicquid agendum erit (de quo per compendium ab iis, qui huc ex omnium ordinum consessu ad hoc delegati sunt, deliberabitur) haec ipsa belli pacisque sedes futura est. De Pace ut melius

melius ſperemus, ſuadent plurima. Nuncii ex Brabantia, & ipſa Hiſpania continui. Brabantinorum praeſidiorum, quae nobis objici ſolebant, evacuatio, & univerſa eorum vis in Gallos converſa. [1] Academiae in hac urbe, ſive Collegii Auriaci (quia Principe autore & inſtitutore) erectio. Profeſſores quinque electi, praeſentes, & brevi inaugurandi.

I. *Remeſſius* Paſt. hujus Eccl. Theol. Prof. & praeſes Coll. Aur. futurus.

II. *Broſterhuſius*, Botanices, & Gr. Linguae Prof.

III. *Kyperus* Med. Prof. & Math.

IV. *Philemon* Hiſtor. & Juris Prof.

V. Ignotus mihi Philoſophus. Inaugurationem, quae proximo menſe fiet, praecedet biduum Supplicationis. Quae omnia retro caderent, aut ſucceſſu felici ſaltem carerent, ſi ipſa urbs porro tanto praeſidio, ut hactenus, occupanda eſſet: puta cohortibus minimum quinquaginta, id eſt, hominum millibus quatuor. Non bene enim conveniunt in eadem ſede armorum & literarum ſtudia. Atque hîc quidem Literariae rei ſtatus, quem neceſſario ſequitur publicae rei reſtitutio, & ſecuritas. Quae, me judice, non procedet, niſi invito Gallo, qui mire ad omnem noſtrorum capitum conjunctionem ringitur, & nodum in ſcirpo quaeri jubet. Quos ego! ſed motos praeſtat componere fluctus. Quamdiu enim in tot bellorum oceano verſamur? Nunc ad ſummam res redacta eſt. Aut nunc ſemel quieſcemus, aut nunquam. Auriacus Pater bene ſe, pro aetate & afflictu corporis, habet. Utitur utroque *Zulichemio* ſecretorum miniſtris. Excitavit nuper omnium indignationem foedum [2] *Philippi* Bohemiae Principis & Venetorum Imp. deſignati facinus, quo *Eſpinoeum* in ipſo foro & mero die propria manu obtruncavit, fugientem & inermem armatus, ſolum auxilio ſociorum ad id aſſumpto & miniſtrorum ſeptus, ſceleris participum; inopinum inſidiator. Advenit huc Patrocinatum reo, Domino ſuo, cui a ſecretis & conſiliis futurus erat in Expeditione Cretenſi, *Petrus Gratius*: ſed fruſtra praeoccupatos abominatione omnium animos tentat. Galli quinquaginta, hauſto in id vino, ſanguinis ſingulorum guttis aliquot mixto, in vindictam quovis loco modoque peragendam conjuraverunt. Non dubito, quin in Angliam transfretaturus ſit reus, infelicis domus infeliciſſimum incrementum an excrementum dicam? Quid agat *Kinſchotius*, ex ipſo malim reſciſcas. Bene valere, proxime ſignificavit in iis, quas XV. Kal. Junias Monaſterio ad me dedit. Galli Cortracum preſſo pede obſident, fruſtra aliquoties obſiſtente Hiſpano. Urbs, quantumvis valida, & bis mille hominum praeſidio munita, non ultra octiduum putatur poſſe defendi. Hinc illis prona via Gandavum erit. Ego eventum conſiliorum hîc praeſtolabor: ut, ſi induciae concedantur, Antverpienſes & Bruxellanos amicos reviſam. Si bellum continuatur, Artverpiae ob-

1 Vide Aitzemae lib. XXVI. principio, ubi & *Tauberus* ſive potius *Dauberus* Juris Profeſſor, *Bernius* & *Rouwſius* Philoſophiae memorantur Profeſſores. Caruit vero ſucceſſu hoc Gymnaſium, & brevi dilapſi, qui ſtudiis operam dabant.

2 Aitzema hanc caedem narrat libro XXVI. ſed tacito *Philippi* Principis nomine.

obsidio intersim, de quo non dubitatur. Exercitus omnis brevi hîc futurus est, ut, quam persuaderi sibi non patiuntur, extorqueamus miseris conditionem. Tu interim quid agis? quo vadis? Romam? non puto. Nec Venetorum turbae te forsan delectant. Paduae vel Bononiae haerebis potius. Tum, quid promiseris mihi, cogita. Literas tuas Hagam optime destinabis, quia certius. Has Antverpia tamen accipies. Sed nescio quamdiu hîc subsistam. Vale, praestantissime Heinsi, & cura salutem maxime. Saluto te osculatim. Quid *Schoppius* agat, fac sciam; Quid Papales copiae, & quibus adjutoribus. Dabam raptim (quia in antiquam illam Abiegnam silvam festinabam) Bredae III. Kal. Quintil. A. S. N. CIƆIƆCXLVI.

EPISTOLA XIV.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Florentiam.

UNicas tuas, postquam Lugduno abiisti, nec uno exaratas tempore, Kal. Novembris, Florentia accepi, Heros ἀκιβδηλέστατε. Non exprobro tibi incuriam; sed mihi gratulor, de restituta valetudine tua citius, quam de morbo, nuncium habuisse. Quanquam semper de instituto isthoc mali aliquid praesagiit animus: idque tibi nondum ad id procincto significare memini. Sed cum patris voluntati tui jam derogatum esset, leve erat meum spernere consilium. *Rheimsius*, quo duce gloriatus saepe es, nae ille malam praeivit semitam. Benerte, quod recta aberrantem deserueris, etsi parum audio absuisse ut sequereris. Non placebat molestus ille per Alpinas regiones transitus, aëris intemperantia, & coeli, aestatisque inclementia: tum periculosa valetudinario profectio, ac istius orae linguaeque imperito incommoda hospitia. Gaudeo tamen, tibique gratulor, vel nobis invitis, id tibi alia via, tui ex animi sententia, optime successisse. Ea gratia hos effudi Phaleucos. Vides quanto affectuum aestu modo huc, modo illuc abreptus fuerim. Parum mihi satisfacere videbar, nisi idem, in quo exprimere me & tibi probare volebam maxime, bis terque more meo repeterem. Multa etiam describenti acciderunt, ut solet, quae prioribus etiamsi nihil meliora essent, tamen ἀκμὴν suam urgent, & momentanea, ut ita dicam, allubentia judicium corrigentis turbant. Ita nata haec tibi Phaleucorum Farrago, corniculae instar Aesopicae aliorum plumis undiquaque adornata. Nec quicquam de ea addo, ne commendare tibi potius, quam excusare, videar. Affectum tu modo boni consule. Nunc ad tuas respondeo. *Gronovius* brevi hîc erit, curarum secundarum in Livium excudendum volumen adferens. *Salmasius*, post librum de Transsubstantiatione, vel militat, vel mutuatur toties recoctam cramben. *Wallius* promiserat suas meis juncturum se, sed vadimonium deseruit, Delphos profectus. *Bruno* proxime meo hortatu ad officium rediturus est: nolit enim munere tuo carendo hanc

hanc otiositatem pensare. Parens tuus nobis exemplaria tua distribuit. Gratias habeo maximas. *Viquefortius* heros negat se ullas ab *Isaaco* literas ad te habuisse: sed hauddubie Fratri traditas existimabat, qui Amstelodami agit. Publica *Kinschotius* docebit, cujus manibus haec tibi mittenda sunt. Vale, mi anime, & hoc sedulo cura, ut angore nos liberes. Si enim me amas, saepius rescribe. Dabam cursim x. die Septembris CIↃIↃCXLVI.

AD NICOLAUM HEINSIUM,

cum, incerta valetudine profectus, Florentiam salvus advenisset,

FARRAGO PHALEUCIA.

Heinsi, Castalidum chori sacerdos,
Sincerae columen Latinitatis,
Proles unica maximi Parentum;
Nunc desiderium dolorque summus
Optimi senis, optimi Parentis,
Ac tot, quotquot habes, aniculorum:
Quis te nam furor abstulit, domosque
Ignotas petere, & procul remotam
Cedentemque retro magis magisque
Jussit Italiam sequi per undas?
Quaenam tanta agitat tuae salutis
Desperatio te, malusque morbus,
Ipso vel Jove non probante, anhelis
Iras spernere ut audeas Leonis,
Vesanique ruens Canis per ora
Fluctus scindere cogites Etruscos?
Nulla te rabies furentis Austri,
Nullus te rabidae furor procellae,
Nec tot naufraga saxo, uberisque
Colles acriter immitentis Afri
Nullus te potuit metus morari?
Atque omnem speciem periculorum
Rides in mediis praetervus undis,
Securusque jaces utramque in aurem?
Ecquod robur & aes triplex chalybsque
Circa pectus erat tibi, caducam
Cum dares pelago ratem minaci?
Infames scopulosque, tot Charybdes,
Nec quovis scopulo minora monstra.
Siccis heu! poteras videre ocellis?
Non te cautibus asperis inhorrens,
Multos parturiente monte in annos,
Caucasus genuit, nec efferato
Hyrcana ubere tigris educavit.
Tantae at molis erat, Beate Mystes,
Ah! longis queties petita votis
Antiquae Hesperiae subire regna.
Tantae molis erat, laboriosum
Tritarum pretiumque semitarum,
Romam, maxima qua fuit jacetque,
Et qua nunc superest, videre Romam.
In fatis erat hoc tuis, ut ULTRA
PLUS *semper sequerere, quo praevit*
Ingens gloria nominis paterni,
Atque illam pede quo pari secuta est
Praecox fama tuae Eruditionis.
Quae natalitios lares relinquens,
Et longe Batavis citata ab oris.
Totum sedula permeavit orbem,
Magnasque ivit & exiit per urbes
Illa & per medios dim Britannos,
Et Calcedonios in usque fines,
Pictos perque Brigantas, atque ferum
Infraenem populum, ultimamque Thulen
Nequaquam tacitis vagata linguis
Illustre hospitium tibi paravit.
Illinc cum propere nimis profectus
Totum te eriperes meis Britannis,

Invitumque reliqueres sodalem,
Extremas eadem magistra rupes,
Vix tantum tua vela non sequentes,
Formosam docuit sonare Lisen,
Lisen Heinsiadae intimam medullam,
Lisen ter referente utrimque ripa.
Hinc tum praevia (dum venire cessas,
Et mavis calidos natare fontes,
Quam vel caeruleum vehi per altum)
Pinna trans freta celsiore vecta,
Et coelo caput inferens, ad almam;
Quae nunc Aonides tuas dicavit
Victurae genio perennitatis,
Optato appulit Universitatem.
Heic quamvis poterat, probante coepta
Summorum quoque calculo virorum,
Aeternum tibi consecrare nomen,
PLUS ULTRA *nihilominus cucurrit,*
Totque emensa soli salique tractus,
Ut vix se tulit arduas per Alpes,
Primis Ausonas attigitque plantis,
Prorsus, pene-tot-insularum ocellum,
Natalem tibi, Quinte, Sirmionem,
Atque istos Salisubsulos Colonos,
Ac magni Patavina tecta Livi
Ala remige praepes ut reliquit,
Detorsit Venetos ad usque cursum;
Hos ut multiplici repleret ore,
Te jam nominis, aestimationis,
Et virtutis imaginem paternae,
Haeredem genitoris universi,
Adventare procul, cui supremos
Transcribant titulos, paremque cultum,
Totque insignia caerimoniarum,
Quot Divus dare posset ipse Marcus.
His dictis Medicaea regna, & altam
Supremi Ducis advolavit arcem,
Certum Castaliis diis asylum,
Certam Romuleis domum Camaenis.
Heic fastigia Famae anhela scandit,
Seque inter Medicaea condit astra.
Tu vero propiore Sole gaudes,
Tot curasque molestiasque laeta
Compensus animo viae peractae
Magni Principis hospitalitate,
Nec durum reminiscaris cadurcum.
Heic tibi Criticen professa Clio
Tot cimelia, totque verminoso
Excussus pluteo schedas revolvit,
Per te luce frui sereniore.
Insignesque notis Opimianis,
Cultores sapientioris aevi,
Toto suppeditat sinu libellos;
Tot volumina, totque codicillos,
Veras delicias tuae ministrans,
Felix Critice, curiositati.
Heic tu mille colos araneorum,
Blattarumque colonias edacum,
Foedorum omne genus pediculorum,
Aevi incommoda, putidosque vermes,
Plenos papilionibusque nidos,
In praeceps ruere & perire cernas:
Ut tandem tuus ille Naso, tandem,
(Qualem noscere, qualem amare possit
Vatem post cineres suum Corinna)
Arcana redivivus arte Naso
Sistatur dominae patrecinanti.
Et quem saepe pari soles favore
Multa fingere lucubratione,
Relicto tibi Claudianus Orco
(Dum surdos Hymaenaeon ante postes,
Et dia sonat inferos Camoena)
Tandem prodeat integer suusque
Dignus hic labor Heinsio, ô Heinsi,
Dignus Heinsius unus hoc labore.
Sic te gloria stabit aeviterna;
Et lauru decorandus atque myrto,
Quod cives Latio suos reduxti,
Binis tempora civicis coronis
Cingeris, Pater ô Latinitatis,
Romani bone Sospitator anni.
Sic te, sic recinent tui clientes
Lisen Heinsiades, uterque, amores,
Lises Heinsiaden suaeque vitam.
Hic Pelusiacum movendo plectrum,
Optatum tibi praecinens triumphum,

Dig-

Dignis grande epos intonabit orsis.
Alterno numeros trahens pede alter,
Non quales Tomos exulantis audiit,
Toto ad plectra gemente saepe Ponto,
Testes ah! nimii sonos doloris
Testes immeriti sonos reatus:
Sed quibus coluit modis Amorem,
Et culti teneras Amoris artes;
Queis fictae potuit placere amicae,
Ac nequicquam inhiante janitore
Nocturnas toties fores fefellit:
His idem celebrabit Heinsianos
Vates imparibus modis amores,
Atque illam Paphia docebit arte
Argutum ut tibi cingulum relaxet,
Lisaeumque lubens sinum repandat.
At tu jam nimium moraris, Heinsi,
Qui Lisen nimis ah! tuam moraris,
Lisen delicias tuas, ô Heinsi!
Quae nunc lacrimulis madens ocellis,
Nulla lumina vincienque somno,
Heu! dulces Elegos fugacis Heinsi,
Solamen viduae unicum puellae,
Tristis lectitat, & modo ore hiulco,
Modo frigidulis premens papillis,
Nunc praesens sibi, nunc videtur absens
Praesentem modo basiare in illis,
Absentem modo te sequi per auras,
Ah! longe nimis ah! relicta Lise!
Saepe illam horrifico metu labantem
Ingens cura rapit periculorum,
Quae spernis temerarius, petisque,
Imperterritus omnium viator.
Saepe & ne Italidas, leves puellas,
Se spreta, levis appetas, inhorret,
Vixque irae moderans imaginosa
Heinsi! vociferatur, at te, at omnes,
Quos jurare nimis mihi solebas,
Te perdant, malefide, dii deaeque!
Ergon' illud agis, tuamque ludis
Ficto nomine literisque Lisen,
Aeneae male dum patrocinaris,
Responsum miserae & refers Elisae?
Sic fic, perfide, me valere jussi,
Sic cum Sidonia perire Dido?
Si non flectere vota lacrimaeque,
Non te sollicitae preces minaeque,
Nec tristes poterant movere Dirae;
At, si cura tuae tibi ulla Lises
Restat, nec sibi vera sensit illa,
Sola te poterit movere Lise.
Ergo flectere, flecte lora, amator,
Seu nunc Euganeum bibis Timavum,
Alpinasque nives: (at absine illis,
Exemplo modo si sapis doceri)
Seu celsam meditaris ire Romam,
I, felix, propero gradu, redique,
Et, quantum pote, duplicato gressus.
Dulcem respice Patriam, senemque
Vultu, respice, quo refers, Parentem;
Qui nunc te, veniente sole, solum,
Solum te que, abeunte luce, clamat.
Nos & te, Nicolae, nos vocamus,
Et te Leida, Sororque te, tuusque,
Heroum genus, invocat, Phylacter.
Te, te nunc toties mei vocarunt,
(Queis nullus modus, inquis, est) Phaleuci:
At te mox, iterumque te vocabunt,
Qualescunque vides, nihilque curas,
Saecli incommoda, pessimi Phaleuci:
Donec incolumis mihi tuisque,
Parenti ante alios, amiculaeque,
Et sodalibus, & piae Sorori
Sistaris, quasi publice citatus,
Quo solet fugitiva turba duci.
Obe! jam satis est, obe! Phaleuci,
Obe! plus satis est. Meis Phaleucis
Ergo hic terminus esto, tu VALETO.

EXCUSATIO.

Cum neque quod nitidis Elegis contendere possem,
Heinsiade, nobis invida Musa daret:

Nec tua non grata venerarer munera mente,
Qua mihi das aliquo nomen habere loco,
Nomen ut aeterno nostrum cum carmine vivat,
Et tecum fato stetque cadatque pari,
Hæc saltem, numeris quia nam certemus inique,
Hæc tibi, sed numero, qualiacunque damus.

ὁ αὐτὸς, αὐτοσχεδιαστί,
de se si creditur ipsi.

EPISTOLA XV.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Florentiam aut Romam.

Quintum nunc ad te scribo, Amicorum Praestantissime, ex quo Italiam attigisti: binas tantum inde a te accepi; quarum prioribus Kal. Augusti datis, x. Septembris, addito etiam Phaleucio carmine, geminum responsum, alterum per Patrem, per *Kinschotium* alterum, dedi; posterioribus XXIII. Septembris scriptis, Kalendis Novembr. acceptis, nunc etiam respondeo. Querelae tuae, quae plus una pagina tibi fecerunt, vanae sunt; jamdiu enim Poëmata tua accepimus, legimus, osculati & admirati sumus; quippe te & Heinsiano nomine digna; non tamen desiderium nostrum exsatiarunt magis; quam irritarunt. Plura scimus potuisse dari, & danda fuisse. Age, mi Heinsi, hoc age! *Vive memor lethi: sed te prius eripe letho; Et meliore tui parte superstes* fac sis. Ovidio tamen & quid debeas, memineris; quid & Claudiano; & pro iis omnium, qui se praestare student, votis. Sed Nasoni maxime omnium tandem, aliquando tandem, justa & vota simul exolve. Audi, exaudi flebile vatis ebur; aspice laceras manus, quas tibi tendit inops. At quantus ille futurus, si semel integer suique, nec tui nihilominus, juris prodierit. Fidem tuam testor, mi Heinsi, geniumque summi Poëtae, nihil me posse & faelicitati & perfectioni & amoenitati perfectissimi operum Metamorphoseos contendere. Fasti etiam me valde capiunt, quia re etiam juvant antiquitatis studiosum. Nec numeri, qui exilii amaritudinem sapiant, ut illi Tristium & de Ponto. Nuper admodum lectionem eorum repetii; tum & Kalendarium, quod in Paterna Edit. item accedit, examinavi. Nihil inconcinnius aut absurdius. Omnia confusa & alienis locis inserta Festorum ordinem, quorum gratia id aggrediebar, restitui: multa superflua recidi: quae deerant, supplevi. Calculum passim emendavi. Summa, novum Kalendarium ex Fastis confeci. Dum textum repetebam, egregie juvabant, quae pridem ex ore tuo excerpsisse memini. Eorum, quae olim partim, partim nunc quoque tentavi, en tibi specilegium Lib. II. vs 326. *Conditaque in pharetra tela minora sua.* Imo, *minore.* Jocus est non insolitus ingeniosissimo vati;

vati; ut ipsam pharetram Omphales minorem dicat telis Herculeis. Lib. III vs. 166. *Quae consumatur partibus, una dies.* Omnino [1] *Consummatur.* Atque ita puto alias Editiones habere. vs. 316. *Arbitrium est in sua tecta Jovi.* Fateor; sed cum de fulmine agatur, cur non, *tela?* Lib. IV. vs. 78. *Phryx prior in silvis facie spectabilis altis.* Scio perpetuum id silvis epitheton esse. Malim tamen, *Attis*, vel *Attys*; ut Metam. X. *Cybeleius Attys.* vs. 479.

Jamque Peloriaden, Lilybeaque, jamque Pachynon
Lustrarat; terrae cornua prima suae.

Prima, potest esse, pro extrema; ut *altus*, pro profundo, & similia. Vide, sed vide, an non potius, *trina?* Ut paulo ante:

Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor.
Trinacris, a positu nomen adepta loci.

vs. 735. *Unda prius spargat, virgaque, verrat humum.*
Unda non spargit, sed spargitur. Lego:

Uda prius spargat, virgaque verrat humum.

Ut modo:

Udaque rorales laurea misit aquas.

Et lib. V. 677.

Uda fit hinc laurus: lauro sparguntur ab uda Omnia. &c.

vs. 944. *Sustulit immenso ter jubar orbe suum.*
Lego, *Emenso t. j. orbe.* Lib. V. vs. 149. Distinguo obiter:

Est moles nativa (loco res nomina facit)

vs. 466. *Uberaque expositis ille ferina dedit.*
Lego, *ulla ferina dedit.* Quae pluribus asserendum esset, si charta & tempus paterentur. Lib. VI. vs. 125. *Nil agis en, dixit: nam te* &c. Sensus postulat: *Nil agis; en, dixi, nam &c.* Praecessit enim ab ipso Poëta, *Nil agis, Stulta*, &c. vs. 140. *horrenda stridere nocte solent.* Non placet, *horrendâ nocte*, construi. An Graecismus? Sed quo illa caesura, quanquam non insolens Nasoni, cum evitari possit scribendo, *horrendum?* vs. 165. *de spina sumitur alba.* Sensus requirit, *subditur*, vel tale quid. vs. 212. *Si titulos quaeris: Sylla probavit opus.* Non probo. Reicitat tanquam ex titulo sive tabella autorem: SYLLA ROGAVIT OPUS. Id est, fieri jussit, curavit, ex solemni formula Rogationum. Alias PARAVIT, vel PEREGIT planum sit; sed mihi neutrum placet. vs. 751. *Tunc cum observatas augur descendit in herbas.* Pro *augur*, omnino rectum est, *anguis.* Caeterum ita quoque conjiciebam. *Cum coacervatus anguis desc. in herbas.* Qua voce in Metam. alicubi ita utitur. Sed haec talia non sunt, ut ideo videar falcem tuae messi immisisse. Miutias hasce forsan non consectaris, aut praeteriisse potes. Forsan & animadvertisti. Quod si intelligam, laetabor de Symphonia nostra. Locum in Metam. audaci conjectura emendatum velim mihi gratuleris, cum & hunc videbis lib. XII. vs. 411. *cornum sine cuspide fixit.* Adeo me ejus non poenituit, ut quod nunc contigit, semper crediderim certissimam esse, & aliquando posse adstrui. Vide,

1 Hoc neglexit & improbavit Heinsius, sed nos adferre conati sumus.

Digitized by Google

Vide, si tanti est, quae super eo ad Gratium p. 145. incertus & quasi haesitabundus adhuc adduxerim. Si commentanti succurrisset, potuissem & tribus locis in eodem opere restituere, *Cinyphios*, pro quo perperam *Cinephius* aut *Cinipheus* legitur. Hunc quoque locum Polyphemi minantis: *Perque tuas spargam (sic se tibi misceat) undas.* Ubi vulgo languet sensus. Quaero adhuc cujus sint illa argumenta Fabulis praefixa: Luctatiine, an recentioris? Item illa, quae Epistolis praemittuntur. Fac per te certior sim. Nam quod quaeso initium illud: *Mittit Hypermnestra* &c? Quid *Mittit?* Multa in ea luxa, mutila, ac transposita. Fortasse ita inceperat:

Mitis Hypermnestre de tot modo fratribus uni,
(Cetera nuptarum crimine turba jacet.)
Clausa domo teneor, &c.

Sed nec ita tamen aptum exordium est. Forsan tale quid praecessit:

Mittit Hypermnestre, quam perdidit ipsa, salutem,
Quem salvum, quam se, maluit esse, viro;
Mitis Hypermnestre &c.

Non possum non manum addere loco corruptissimo, quem ita constituo:

Quam ne caede putes fungi potuisse mariti,
Scribere de facta nunc tibi caede timet.

Sensu aperto, quia alias nullus. Possit tamen retineri: *Quam tu caede putes*, &, *nunc sibi c. timet.* Quid porro illud, *comitum clamore frequentes?* nisi, *frequenti?* & illud: *jacui frigida facta toro?* nisi, *pacta*, ut Vellejus lib. 1. c. 1. de *pacta* Orestis. Tum quis putet hos Nasonis numeros: *externis danda forent generis.* Cum pronum fuisset: *Externis generis quae modo danda forent.* Et quo illa Iûs alienissima fabula? &, quae praeter temporis constitutionem, de bello Ægypti, ejusque victoria. Tu expedi, mi Heinsi, quid sentiendum sit; ac interim haec boni consule. De pace nondum ita plana res, quam audiveras. Haeret adhuc nobis aqua: quam Galli turbare pergunt, ut in turbida piscentur. VI. Provinciae, solis Zelandis dissentientibus & inducias, quam pacem optantibus, unanimiter mandarunt, ut conficeretur negotium. Sed & illi hodie adesse debent, ut rationes exponant dissensionis suae; & nisi probaverint, quod in facili non erit, ut invitis se nobis pacem non invideant, quam Batavi omnimodo poscunt. [1] Vesaliae obsidionem deseruisse Principem, tam extrema aetate, hactenus invictum fere, dedit alto corde dolores omnibus, & externis ludibrium debere scio: Maxime Gallis, qui nimis insultant temerario conatui. In *Anglia* a Scotis deliberatur, Regemne vel ne Regem velint. Certe auro eum tradere & prodere cogitant. Interea, examinum instar,

Qui patriam malunt, trifidasque relinquere ripas,
Sceptraque civili subversa furore, fideles
Regis amore pii, merito quam sanguine dextras
Imbuere ultrices, profugi venere Britanni.

Kin-

1 *Venloae* Heinsius in margine notaverat.

Digitized by Google

Kinſchotius Monaſterii adhuc agit. *Wallius* te ſalutat, &, ſi memini, nuper tibi ſcripſit. Vale, noſtrum decus, & ſi quid mea carmina curas. Sit tibi cura tui, ſit tibi cura, ſalus; Quam plurimam, integerrimamque tibi vovet Tuus, ſed omni pectore tuus, Vlitius. Hagae Com: dabam feriatus aliquantum, Nonis Novembris; in foro boario, porcarioque: aſt apage porcos & boves, Inimica Muſis ora ſecedentibus!

EPISTOLA XVI.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

HEros Maxime. De adventu in eam Urbem, unde merito reliqua deſpicias, ſummopere tibi incolumi gratulor. Nec enim ego neſcire debebam Romam terrarum caput cur haberetur; nec tu illud,

Non cuivis homini contingit viſere Romam.

Me quidem Matris repentina mors jam iter ingreſſum a ſumma illa ſemper votorum meorum revocavit: *Kinſchotium* vero Patris imperium. Qui, cum ipſi literas tuas praelegerem heri, dicebat ſe potuiſſe filio ſuo Italiam viſendi gratiam facere, niſi ipſe illam perluſtraſſet; multoſque cognôſſet, quos, poſtquam Italia exceſſere, Italia tamen non deſeruerit. Triſtiſſimum & pene domeſticum mihi exemplum praebuit *Jardinius* apoſtata, qui ipſe profitetur hujus, ut vocat, converſionis ſuae fundamenta Romae ſibi apud PP. Jeſuitas jacta. Comes ejus per omne iter *Carpentierius* miſere etiam animi turbatur, & fluctuat. Non tamen ideo haec tibi allego, mi Heinſi, quod tam parum de conſtantia tua mihi promittere poſſe videar, ſed quo rationi tuae reſpondeam hac mea. Ut fatear mereri tantum periculi ac laboris & Romam, & Latium, &, quae tota ibi ſupereſt vigetque, antiquitatem, atque omnem denique Italiam; ut fatear quoque memet ipſum ſummis votis illam cogitaſſe ac petiiſſe, ac non niſi ſumma fati vi potuiſſe contineri; at te, Heros optime, (ſi pateris modo ſincero in Parentem tuum ac pene fraterno tecum affectu certari) te, inquam, Patris, ſenis, valetudinarii, vidui, ſorore nuper & altera uxore ſive matrefamilias orbi, & jam poſt omnia filiae quoque dilectiſſimae conſortio in ſumma ſolitudine orbandi, prorſuſque deſolandi, Patris illius, iterum dico, te tui miſereri oportebat; aut, ſi tamen tanti eſt Romam vidiſſe, ut & illud *Lipſii*, ni fallor, videaris cogitaſſe, monentis Italiam in tranſitu modo luſtrandam, ne illecebris ſuis patriae parentumque deſiderium imminuat, jam jam oportet. Deum teſtor, veras mihi jam ſaepe lacrimas expreſſiſſe, non ſine lacrimis vel cogitanti repetendas optimi Senis de longinqua abſentia, & pertinace in fugiendo ſe inſtituto tuo querelas. Quid autem illi futurum cenſes, cum intelliget, quod ipſe legens horrui, Neapolim porro te cogitare? fortaſſe & veriturus, ne, ut ſolent peregrinantes minus ac

Digitized by Google

minus de reditu cogitare, quo ulterius progressi sint, ac ulteriora tantum considerare: & inde Hierosolymam vel Africam videre pari fervore abripiare, quo huc usque avectus es. Interim ego vel commiserationis ergo vicem tuam obeo, ac saepissime penates vestros viso atque reviso, nunquam non accedentem, & quasi memoriam ac imaginem tui novantem, tenerrimo amplexu excipiente optimo illo tuo Parente. Ah! quoties anxie roganti de salute tua, se nunquam te visurum reducem certo opinari, respondit! Utinam vel semel audiisses hos gemitus, ut solet, fundentem! jam adesses credo tanquam conclamatis rebus. Ignosce, mi Heinsi, vera monenti; nec monita, si sapis, nimium sperne. Gaudeo tamen bene & ex merito tecum ab *Holsteinio*, aliisque summis viris jam ante agi. *Bullialdi* ille concursus mirus sane mihi videbatur. Ut laudes tuas, quae ipsae hoc magis merentur, obtrudi mihi patiar, sola in affectu conscientia est: nulla de versibus meis (qui jam φαλινωτάτης nomen mihi fecerunt apud *Brunones* nostros) confidentia est. Etsi ita tamen nunc agam, ut absentibus te *Kinschotioque* etiam Poëtam me jactem vulgo, quem praesentibus cygnis ut graculum obstrepere nefas erat. *Wallius* & ipse hunc pudorem mihi imperare poterat, nisi is adeo raros ingenii sui foetus exhiberet, ut vel solo silentii illius intervallo ad defungendum furore meo mihi frui sufficiat. Is *Wallius* forte cum *Brunone*, nec non *Crommonius* meus, ad Saturnalitiam Symbolam vocati, mihi Genioque Poëtico vacabant, IV Idus Janu. cum suavissimae, & suavitate sua omne desiderium vincentes literae tuae adferrentur. Nihil communi omnium decreto prius habitum, quam ut saluti tuae confestim libaremus, antequam lectionem, cui omnes attentissimi inhiabamus, exordiremur. Eadem ad medium fere perductis pausa, eadem finientibus clausula fuit.

Nec non & Lisae, Magnoque ante omnia Patri,

Qui tuas illas epistolio comiter comitatus erat. Symposii nostri caussa non proletaria, qualis nunc temporis homines congregare solet, sed mira ac inusitata erat. Composueram Epithalamium Serenissimi Electori Brandenburgico, atque in tempore obtuleram. Ea maxime de caussa, quod videbam multos illum in procuratione munerum complecti favore suo, & passim promovere etiam apud Principes Arausionenses. Quo non mihi tantum, cui semper hactenus pependit hamus, sed etiam affinibus meis certa occasione opus erat. Quodque non solum mihi praestitit benevolentissimus Elector, sed insuper, si qua porro in re favore suo uti vellem, nunquam defore promisit. Hac summa ejus munificentia cum abunde & plusquam satis mihi factum esset, quasi parum tamen id illi videretur, discedens insuper in vicem τεκμηρίου torquem aureum cum gemmata pyxide, effigiem ejus continente, donari mihi curavit per Procubitorem suum. Sed is homo tantum sibi apud facillimum Principem licentiae adrogavit, ut detracta pyxide solum torquem mihi miserit, promittens aliam postea daturum. Torquis ipse minimum ec scutatos aureos pendet, quo xci versus, & vel avariissimi lucripetae famen exsolvi ac sedari posse nec tu scio negaveris. Velim ego tibi fortasse jam desideranti tam care

emp-

emptum carmen videre, ipsum id exhibere, nisi typis tam grandibus, ac in tam vasta ac vere regia papyro impressum esset, ut ipsa mole & portorii pretio terreri posses. His enim lenocinium vel fucum oculis Principis feciſſe me jure dicas. *Barlaeus* (quem hoc nomine Archimendicum vocare solet *Bruno*, quod ejusmodi occasiones nunquam negligat) & simia ejus solito epigrammate *Boyus* item, atque *Planta* (quem tu merito Romanis tuis compares, qui, quod loquuntur, non intelligunt) nec non *Bruno* eaſdem quoque nuptias carminibus suis celebrarunt: sed omnes post festum. Et, quantum intelligo, πάντων ἐλπὶς ἀποτάσσεται. *Barlaeum* tamen non puto mercede sua, vel patrocinante *Zulichemio*, ut solet illi semper, carituruum. At viden' mi Heinsi, quam largus rerum mearum praedicator sum? Plura etiam promittere possum, quae reduci tibi exhibeam. Ante omnia, Quinquatruum Bracdanarum libros duos, quos de inauguratione Scholae Illustris Auriacae jussu Principis Matris conscripsi versu Heroico. Mirabere, unde tam vastum opus? Atque ita quidem meorum rationem habe. *Kinschotius* paci jam jam perpetratae, immaniter indignantibus ac ringentibus, & tantum non mugientibus Gallis, extremam adhuc manum accommodat. Quam ob causam hac hebdomade huc appulit *Servientius*, alter ex Plenaepotentiae legatis Gallicis, ut minis & intercedendo ordinum consilia tractationesque cum Hispanicis turbaret ex propinquo. Sed nihil illa curaturos Patres Patratos spero. Nolim tamen eam tibi ulterius progrediendi occasionem nasci; sed potius pacatos Belgas tuos revisendi. *Mollius* ille acris disputator ante triennium vel amplius, quem puto te novisse vel per *Kinschotium*, patrocinante Electore, Senatorum numero a Principe adscriptus est, atque insuper Procurator negotiorum Electoris (Residentem vocant) quae hic agenda, designatus. In Anglia Scoti, qui videbantur Regem velle restituere, accepta, quam in sumptus auxiliorum suorum pacti erant, pecunia Regem deserere velle, atque domum jam cogitare dicuntur. Rex autem vel huc vel in Gallias, vel in Hiberniam, ut verisimile magis, fugam meditatur, seque non invitis custodibus suis Scotis subducere. Est adhuc Neocastelli. Tantum de Publicis: nunc & privata aliqua attexam, ne quid paginae vacet. *Gronovius* mihi edendum commisit Observationum librum singularem, in quo promissa ac praetermissa ad Livium absolvit: nec non & alios authores illustrat. Scripsit nuper ad me, ut considerarem caput aliquod, quod totum in Ovidianis emendationibus est, salvone id jure amicitiae vestrae tibi non praereptum videri, & quasi messe tua exemptum posset. Sed recusavi arbitrium, quod mihi detulit, ne aut invidiae, aut altrinsecus neglecti officii reus agar. Utrique faveo. Delevi tamen locum unum atque alterum, quae jubebat. Tu modo, Heros maxime, tandem nobis fidem tuam libera, &, quod facis, amare nos quamlibet longinquus perge. Vale, diligenterque ut valeas, cura. Dabam, raptim fere, Hagae Com. Pridie Idus Januarias (tertio post allatas tuas, XXIV. die Novembris datas, quas longo intervallo praecesserunt proxime datae Florentiae XIX. Julii) anno a Christo Nato, CIↃ IↃC XLVII, qui faxit Deus tibi felicissimus sit, nobisque incolumem reducat. Iterum vale, mi Anime.

Digitized by Google

EPISTOLA XVII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

HEros Nobliſſime. Quantas injurias contumeliaſque nuperrime perpeſſus ſim, ſi neſcis, gaudeo, mi Heinſi; ſin ſcis, nec calumniae aliquid, ut vulgo factum, miſerrarum mearum cumulo acceſſerit, verae narrationi lubens acquieſco; nec te quoque miſertum mei dubito. Nolo utcunque recens vulnus, & jam pene cicatrice aliqua obliteratum retractare. Hoc tantum gloriari licet, & fortiter impetum furoris me tuliſſe, & ferendo ac cedendo omnem ultionem abſolviſſe. Qui rerum mearum dominium expulſo me aſſeruerant ſibi, etiam literas tuas XIX. Januarii die Roma datas pari licentia involaverant, &, ne quid conjurationis lateret ſcilicet, reſeraverunt. Ac vix tandem precanti reſtituerunt: detentis vero illis ad *Kinſchotium*, quas, cui tu commiſeras, illi credere gravabantur. Ut elegantiſſimas obſervationes tuas inſpicere licuit, multum ſenſi triſtitiae taediique mihi demptum. Tum vero & in adverſis meis laetitiae aliquid ſuboriri coepit, cum, quantopere mihi affectum tuum probares, iterum atque iterum relegendo conſiderarem. Neutri beneficiorum horum ex aequo aut merito reſpondere jam me poſſe, hoc quoque jam etſi ſummo dolore fere ſublevatus doleo, Heinſi amiciſſime. Faciam tamen, ſi quid valeam poſthac, ne, uti eruditionis ac ingenii tui praeſtantia & longe quidem, ita etiam amicitiae officiorumque certamine a te vincar. Enotavi lubens cum ea, quibus aliquot conjecturas meas & tuo & codicum conſenſu aſtruis, tum illa lubentiſſime, quae ſponte tua in Ovidio & Val. Flacco mecum communicaſti. Emendationis illius (*aerata torſit grave cuſpide cornum*) nuſquam me in additis ad Gratium, quod ais, poenituiſſe ſcio: etſi fatear parum mihi ſemper arriſiſſe. Nam locus ex XII. Metam. *Fixit in adverſo cornum ſine cuſpide vultu*, nihil juvat ſententiam meam, qua τὸ *cornum*, ut fructum, pro arbore ipſa accipiebam. Hic enim revera cornus arbor intelligenda eſt pro haſta poni, ut Silius lib. X. *Sic propria miſeri transfixit tempora cornu.* & lib. XIII. *cornumque ſonantem* dixit. At in priore illo Naſonis loco non poteſt ita accipi, ni τὸ *grave* adverbialiter, & *cornum aerata cuſpide*, ita uti, *lato venab. ferro*, ſumas: ac ſequentia quoque in ſequiorem ſexum mutes: *Qua bene librata votique pot. futura:* quod tamen nihilo magis placet. Tu vide, & ſi quid rectius iſtis noris, candidus imperti; ſi non, his utere mecum. Imo, ſi tantum tantilla merentur, utere ut tuis. Nihil mihi ex aurea illa, quam breui expectamus, meſſe tua, nec ſpicilegium quidem depoſco. Age, Heros praeſtantiſſime, & non tantum ſuaviſſimos venae tuae liquores orbi erudito indulge, ſed & originem ejus in omnes, qui poëſin vel amant vel affectant, (exceptis quales ego vel Cluvienus) liberali manu deriva. Ipſum ipſum Naſonem te

poſ-

Digitized by Google

poſcimus, ut quid vera falſis diſtent, tandem agnoſcamus. Imo & illi omnes agnoſcant, qui nihil te operaque tanta dignum in eo reſtare putant, ut hoc, quod negant, vel taciti & pudore victi fateantur. Non pauci ſane ii numero ſunt; de quo jam triumphare potes. De *Gronovio* quod quereris, forte caſu magis, quam dolo aut culpa ejus accidit. Nam mihi ſane & frequenter ſcribit, & ultro ſaepe ceſſantem provocat. Faciam ut ſcias brevi, quanto plus tibi ſe debere fateatur. Jam enim reſponſum meditor conſolatoriae illius, qua non tantum mihi animum cum rebus meis fractum ſolidavit, ſed etiam diligentiſſima quaeque, quae in hoc genere Stoici ſcripſerunt, (quorum Philoſophiae me jam addixi) meo judicio aequavit. Fragmenta L. Rhodiae Ampliſſ. *Goeſio*, affini tuo, cum domi meae rebus adhuc turbatis me viſeret, tradidi. collationes quoque obtuli. *Salmaſii* Militia vacat: quamquam de Pace nihil certi adhuc; imo retro ſublapſa referri in nihilum potius videatur. Altum certe hoc publico juſtitio ſilentium de ea factum. ὁ δέκα librum de anno climacterico ex Epiſtola, ut ſolet illi, natum Elſeviriorum praelo commiſit. Ita tres nuper de cruce reſponſorias *Bartholino* dedit: in quibus & ipſum *Bartholinum* & *Vorſtium* & omnes quidvis aliud ſentientes acriter perſtrinxit. Imo & ipſe ſic adeo vehementer excruciavit, ut ſui quoque, nedum inducirum cum Nobiliſſ. Patre tuo, oblitus ſit. Crucem Chriſti ita depreſſit; ita omnia, quae hactenus communi opinione recepta ſunt, impugnat; ita neſcio quam ſiculneis argumentis ſuam aſtruit. Et quam ob rem vide ſis? ut hyſſopi ſeſquipedali ramuſculo os Chriſti crucifixi ab humi ſtante aliquo attingi potuerit. Ego nec *calamum* pro caule, nec *hyſſopum* pro caule hyſſopi, poni, nec tam valido caule, aut tam obviam ac vulgo ad manum fuiſſe ut credam, hactenus induci poſſum. Hyſſopus nulli alii rei inſervit ibi apud Johannem, Cap. XIX, 29. quam cui alias ſolebat, ſcil. ad refocillandum deficientis ſpiritum. Et quidem ipſi aceto mixtam fuiſſe vult Nonnus, cum ait: ὑσσώπῳ κεκερασμένον ὄξος ὀλέτρῳ. Diverſa itaque a καλάμῳ longe eſt, quâ ſpongia porrigebatur: & ſolent ſaepe Evangeliſtae diverſa diverſi referre. Lego apud Johannem mutato tantum caſu: καὶ ὑσσώπου περιθέντες, *& hyſſopum circumponentes*; nimirum ſpongiae aceto impletae. Quam ſententiam peculiari tractatu aliquando aſſeram, Deo volente. Tu vide, mi Heinſi, an tot magnorum virorum opinionibus contendi poſſit: aut ſaltem novi alicujus inſtar habe, cum nihil aliud ſit, quod addam. Vale, meum & bonorum omnium decus, &, quod facis, ſtrenue ama Nominis familiaeque veſtrae devotiſſimum cultorem Vlitium ὅλως tuum. Hagae Com: pridie Kalendas Apriles, CIↃ DC XLVII. Aliud quoque a te reſponſum jam praeſtolor ad eas, quibus progreſſum in itinere tuo impedire conabar, ante duos fere menſes datas.

Digitized by Google

EPISTOLA XVIII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Romae.

HEros Praeſtantiſſime. En quas a Gronovio tibi promiſi literas, cum III. Kal. April. ad te ſcriberem: quae de turbis rerum familiarium queſtus tum quoque fui, penes te pereant quaeſo, ne paria cum adverſariis feciſſe videar, qui αὐτῆς τῆς ἀμνησθίας, qua mutuo obſtricti ſumus, ἀμνησθήσιν. Addam hîc tantum aliqua, quae heri de pacis negocio comperi. Legi ingens ſcriptum, quo *Servientius* partim de Hiſpanorum fraudulenta commerciorum tractatione, partim de legatis noſtris *Pavio* & *Knuytio*, ut nimium illorum parti addictis, partim illorum quoque de Ordinibus noſtris Hiſpanis magis, quam Gallis auſcultantibus, prolixe querebatur. Quorum omnium cauſam ipſis iſtis Legatis imputat; & maxime *Pavio*, quem ſolum Mediatorem inter ſe ac Gallos ſumpſerunt Hiſpani. Imo vix tantum non repetundarum utrumque inſimulat; falſi non ſemel; doli mali, ubique. *Pavius* (qui ſolus hactenus Monaſterii egit, ideoque collegas omnes ſemoviſſe ibidem accuſatur, ut libera poteſtate ſolus omne cum Hiſpano negotium conficeret) tandem impetravit, ut huc ſe conferre liceat, & calumniis *Servientii* praeſens collato pede reſpondeat. Hac ipſa hebdomade hîc affore creditur. Interim *Servientius* aegrotare ſimulat; donec *Monſr. de la Tuillerie* ex Gallia accedat, & junctis viribus nobis pacem cum Hiſpano diu pactam, peractam, & ab ipſo Rege ratam habitam extorqueant. Ne ſeparatim rem noſtram ageremus, urgent ea, de quibus inter nos ac Gallos quotannis fere convenit; neutros ſcilicet invita altera parte foederi renunciaturos, nec non niſi conjunctim cum Hiſpano quicquam pacturos. Perfidos, & foedifragos nos fore, ſi ſeparatim & invitis Gallis pacem cum Hiſpano ineamus: potiſſimum pacem quoque illis petentibus, ſi modo honeſtae conditiones haberi queant. Nihil autem honeſti illis videtur, niſi quod tantae, quanta Hiſpanorum unquam fuit, ambitioni illorum conſentaneum ſit. Quas illi conditiones non accipere, ſed armata manu imponere malint. Ita aperte loquitur *Servientius*. Heic terminus haeret. Nam quod ſociorum reſtitutiones & conſervationem praetendant, ſcimus cui ſerviat iſte praetextus. Quid his querelis reſponſuri ſint Ordines, incertum. Ambigue hactenus reſponſum. Nondum enim inter noſtrates ſatis convenit, veterine foederi cum Gallo, an novae cum Hiſpano ſtipulatae pactioni ſtandum potius ſit. Diverſi diverſa volunt. Imo & ipſos Bataviae noſtrae Ordines contrariae factiones diſtinent. Populares tui bellum quam pacem malle feruntur: metuentes potiſſimum, ne Walonibus domum recedentibus, panni commercia & civium frequentia magnopere imminuantur. Ita & alii ex privatis commodis publica negotia tractant. Plurimi tamen pacem poſcunt. Militis ac nautarum univerſa gens in turbido piſcari ma-

Digitized by Google

malint. Hispanorum Legati petierunt simul cum *Servientio* admitti, ut audita altera parte quid credendum sit appareat. Sed hactenus Gallorum ope salvus conductus illis negatur. *Brunio* potissimum, in quem immodice invehitur *Servientius*. Interim Phillippus Regius pro Rege suo Philippo tanquam privatus rem publicam agit, & Gallorum machinationes subinde evertit. Hoc anno tres Galli, prior solus duodecenni puellae, alteri duo virgini sponsae publica via intra primum ab urbe hac lapidem vim intulerunt: & indignantur etiamnum populares illorum supplicio afficiendos publicae securitatis turbatores. Non puto tamen impune illis fore, ne bene cuiquam cedentis nequitiae exempla foveat Batavia nostra. Haec obiter & vix Latine tibi narrare lubuit, mi Heinsi, ne vacuae chartae includerentur hae ab *Grotenio* literae. Ignosce & festinationi; & turbatae adhuc menti, quae non nisi extra hos coetus, & rure potissimum, refici potest: qua gratia in Brabantiam migrare decrevi, ac Bredae forsitan sedem figemus.

Tu Tityre lentus in Urbe
Formosam resonare doces tibi Tibrida Lisen;
Nec patriam, nec forte senem reminiscere Patrem:
Ni reducem melior faciat Deus

Redi, dum vales: & vale, ut redeas. Salutat te *Wallius*. Etiam *Bruno* salutari te vellet, si non jam memoria tua excidisse meritum suum agnosceret: vel postquam *Zulechemiis* laribus exire, imo efferri, proximus est. Jam enim Epitaphium sibi genioque suo scripsit. Iterum vale, φίλτατον κάρα, & perge amare, cujus sortem odisse potes. Dabam raptim, Hage-Com. XI. Aprilis die, natali heu! mihi; quia scilicet annis Debuerat nostris imposuisse modum. A. S. N. M DC XLVII.

EPISTOLA XIX.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Mediolanum.

Nihil profecto me felicius, mi Heinsi, qui post exantlatas tot aerumnas, ut me denique in portum tranquillitatis recepi, resque meas in pristinum statum restituere coepi, simul quoque amicitias veteres recuperavi, novasque non pauciores acquisivi hominum non illiteratorum. Ante omnes autem longe tua illa, Praestantissime heros, excellit, quae etiam in medio illo calamitatum incendio efferbuit. Quod etsi tuis minus, aliorum tamen literis, qui ex te intellexerant, mihique non semel significarunt, quam sedulus in officio perstiteris, abunde mihi testatum fuit. Sed damnum hoc, quo non parum tactus fui, reliquis imputare calamitatibus & computare non gravamur, cum & ipsa viarum fortuna, ultimas illas incolumes nobis praestando crimen suum quodammodo excusaverit: quae quidem post illas, quas Româ initio praecedentis anni dede-

Digitized by Google

dederas, quibusque responderam, unicae ad nos pervenerunt. Bene existimationi tuae prospexti, Heinsi Nobilissime, quod & Italis memoriam tuam publica commendaveris gratitudine. Quale id sit, cum a te profectum, etsi praeauguramur, videre tamen etiam desideramus: imo vel te ipso citius, quem potius nihilominus expetimus. Si commode rebus meis prospicere alicubi potes, amice & benefice feceris. Gratium cum MS. aliquo recentioris notae & mediam plus partem mutilo collatum *Is. Vossius* nuper mihi dono dedit. Et, ni fallor, id ipsum est exemplar, quod tibi innuit. Initio legitur ibi, *Dona como*, pro *cano*. & secunda pag. *de valle subudae*, pro, *Sibyllae*, quae vox ultima est, quam notaverat *Vossius*. Vide, quaeso, an nihil ulterius compareat. Si & ad Nemesianum varias nanciscì potes, gratum mihi operaeque pretium feceris. Quae caetera ex *Kinschotio* cognoscere me voluisti, cum ille neglexerit, nescio qualia sint. Ex te ergo, si tanti, malim rescire, quam nescire. Quid in *Bojum Plantamque* cusum sit, deque illius Viennam destinato itinere ex ipso intelliges latius. Quid in Patria tua agatur, raro huc nunciatur. Schola Illustris Bredana, etsi *Rivetum*, *Dauberum* JC. eruditissimum, aliosque Professionis suae peritissimos habeat, successu suo nondum fruitur. In causa est Principis ad alia quaevis major, quam ad honesta inclinatio. Venatur ille conjugis immemor, sed Veneres suas: in silvis quoque immodicus: in circo (quem litus maris facit) cursor quotidianus; inter aleatores Gallosque adulatores assiduus. Scenam quoque publica auctoritate proscriptam, privatis instruere dicitur sumptibus. Heu quantum à patre avoque degener! Sed nolo foris domesticam infamiam evulgare, nec fastidium patriae nostrae tibi parere. Redux cognosces, quantum Gallica societate profecerimus in eorum imitationem. Tu interim, Heinsi praestantissime, perge patrissare (ut ita loquar) & ex patris optimi monitu memento, ἄνευ ἀριστεύειν. Ante omnia cura ut valeas, & incolumis nos quamprimum reditu tuo bees, quod summum nunc votorum nostrorum est. Vale, meum decus, & quantum facis, amare nos perge. Dabam ruri, ubi nunc totum fere annum degimus (sed pace promulgata urbe mutare *est* animus, quae hinc vix II. M. *distat*) prope *Bredam*. XIV. Kal. April. CIↃ DC IIL.

CL. NOBILIQVE VIRO

NICOLAO HEINSIO D. F.

incolumem ad patrios lares reditum ex animo gratulatur

JANUS VLITIUS

Leidam.

Nunc libet exclamare, Estis io! Superi, qui Heinsiadem nobis post tot Ulyssaeos errores, & tanta pericula viarum atque undarum salvum, sospitem-

temque reſtituiſtis. Nunc votis rite perfectis tremula fere facta ſociales imbuat aras, agna, & laeto demus pinguia thura foco. Ergo nec inania ſuſcepimus vota, quorum ſumma, & felix fauſtusque finis, *Heinſius Redux*. Fateor citius gratulandum tibi fuiſſe, ſi putaſſem in tanta laetitia prorſus verbis defungi me poſſe. Carminis aliquid parabam tibi, Heinſi Nobiliſſime, & jam exhiberem, niſi maligna nobis vena prae tua iſta ubertate exaruiſſet, & noſter Phoebus tuo illo longe ſplendidiore hebetatus fuiſſet. Patere ergo ſinceris rectisque non verſis verbis tibi me dicere, exoptatus ades. Utinam per te licuiſſet de adventu tuo certiorem fieri? Nam quantumvis fidis amicis vix credere potui, quod cogitatione noſtra multis ſaepe praeambulis nunciis fruſtratâ majus videbantur. Sed ecce miraculi inſtar! dum ita mecum expoſtulo, ecce, inquam, tuas geminas literas a *Kinſchotio* excipio. Cumulaſti me nimio propemodum gaudio, cum non tantum reducem mihi te ſiſtis, ſed & uſque mei memorem. Ut ad literarum, quas ad me dediſſe credenti aſſeris, multitudinem reſpondeam, certo tibi affirmo omnes, quas recepi unquam, inter cimelia diligenter aſſervaſſe, nec plures ex Italia habuiſſe, quam Florentia tres, Roma totidem, quarum ultimae XIX. Januarii datae toto menſe calamitates noſtras praecedebant, atque exinde unicam Patavio eodem primoque menſe hujus anni; nullas praeterea: exceptis binis illis ultimis. Non parvi ſane tantam facio jacturam; ſed dolorem meum ſolatur affectus tuus nequaquam interruptus, & integer adhuc. Ego (ut hoc etiam ſcias) multò plures, imo vel bis totidem ad te in Italiam ſcripſi. Caeterum quod me, quaſi parum ingenuum ex amici officio in verſus tuos Italicos cenſorem egerim, amicis tamen verbis accuſas, paribus excuſandum puto. Teſtor itaque amicitiam noſtram fidemque, quam nondum mihi negaveris, ſcio, nihil unquam carpendi animo in iis vel penes me animadvertiſſe, multo minus ut apud alios te eo nomine notaverim, unde iſte, quem ais, rumor evaſerit. Scio ego quis ſim, & quae domi mea vineta caedenda reſtent. Nec errorum meorum adeo oblitus ſum, ut in tuos tam inunctis oculis inquirere praeſumpſerim. Imo quos, inquam, tuos errores, quos in tam culto poëmate naevos vel cogitatione aſſequi potuiſſem? Pereat omnis mihi apud te fides, mi Heinſi, ſi tale quid in mentem mihi unquam venit; quapropter (ſi me amas) animo tuo iſtam exime atque eradica ſuſpicionem. Vel, ſi diligentius inquirendum putas, amicis iſtis (quos ego neſcio quam amici mihi in tali delatione fuerint) teſtimonium defer, jurati dicant, vel literas meas (nam abſens qui alio modo potuiſſem?) in medium proferant. Atqui leve hoc & praetereundum cenſeo ego graviſſimum crimen, amici famam meritosque honores ſugillare. Majora profers, ſed ejuſdem generis, ac culpae: te de popularibus tuis parum honeſte ſenſiſſe, cum caneres [1] *Patria da veniam, ruſtica terra tua eſt*; idque me authore in vulgus ſparſum. Iterum antiquam fidem teſtor, nihil tale quid me divulgaſſe; niſi pro divulgatione habeas (nec enim fateri turpe puto, in quo

1 Haec leguntur lib. 1. Eleg. IV. Italicorum, & magnam Heinſio invidiam apud noſtrates fecerunt.

quo nullius mihi culpae conſcius ſum) quod *Kinſchotio* & quidem ſoli (niſi me memoria fallit, &, forſitan, idem *Wallio* noſtro ſcripſerim, ſed puto tamen, ſoli *Kinſchotio*) aliquando per luſum & jocum ſcripſerim, vindicias pöeticas in Heinſiaden decernendas, quod ruſticam indigitaverit terram patriam. Ad quae en ipſa verba quae reſpondit *ὁ δεῖνα*. *Oblitus fere eram probare tuam in Nicolaum noſtrum cenſuram. Certe data occaſione poenas dabit, quod tam male de patria noſtra locutus ſit.* Indignum te & amicitia noſtra eſſe exiſtimo, malignitatis eo nomine vel me vel *Kinſchotium* arceſſere. Bona verba, ô noſter? Quae joco dicta ſunt, ut inter poëtas (quibus nullo meo merito vos me accenſere ſoletis Viri Poëtae) eane tu ſerio reprehendere praeſumis? Si bene te novi, mi Heinſi, haec a candore tuo aliena ſunt, nec tamen puto, peregrinos adeo mores a peregrinatione tua te traxiſſe, ut iſtius ſpectatiſſimae in te ingenuitatis quicquam mutaveris. Sed tamen vindicandam cenſuit hanc contumeliam patriae a te illatam. Non a vulgo ſane, ſed ab amicis: non vulgari vindicta, id eſt, ſiniſtro rumore, malisque conviciis, ſed amice & ſcazonte aliquo, vel mordace jambo. Non a quovis, ſed a *Kinſchotio*. Imo, ſi pateris, & ego te ruſticum dixero, quì te in ruſtica terra natum fateris, & quidem cum pudore. Qui enim in Italia naſci maluiſſes, nunquid te patriae tuae te pudere profiteris? Atque ita continuo ſubdis, patriam tuam ruſticam terram eſſe; id eſt, locum, ubi natus es. Non enim e terra terrae quaſi filius natus es, ſed in terra iſta ruſtica, cujus te pudet, ita ut malis in Italia natus eſſe: & quidem, non ob laurum, platanos, myrtos, cypreſſos, & reliquas arborum delicias, quarum ſummum decus ruri eſt, atque adeo ruſticae deliciae merito vocentur, ſed ob praecedentia, ubi ingenium iſti orae peculiare attribuis, quaſi, qui eam nunquam adierint, nullum habeant, & tuum quoque ibi primulum vernaverit, & incaluerit: qui quodammodo antea, ut in ruſtica terra natus, nullum habuiſſes. Ergo non ego ruſticitatis arguendus, ſed tute ipſe es. Ego ruſticam terram patriam nego, nec fero ita vocari: tu aſſeris ruſticam eſſe prae Campania molli iſta & infami olim regione. Sed terram intelligere te dicis, & quidem reſpectu arborum iſtarum. Nec in hoc vinces, mi Heinſi, patriam tuam magis ruſticam eſſe, quam ullam ſilvis omnigenis veſtitiſſimam. Utroque enim ruſticari licet, & ruſticos invenire, id eſt (ut Cicero vocat) imperitos morum & agreſtes. Ergo ruſticus ſilveſtri non poteſt opponi, ſed urbano & bene morato: ut Ciceroni frequens. Quinimo Virgilius Muſam ſuam modo *ſilveſtrem*, modo *ruſticam* vocat, eodem ſenſu. *Silveſtrem* Ecl. 1. *Ruſticam*, ubi ait, *Pollio amat noſtram, quamvis ſit ruſtica, Muſam.* Ego, cum rure hîc agerem, arboribus omne genus veſtitiſſimo, ruſticatum, & ruſticum me egiſſe fateor, quia non in urbe degerem. Sed patria tua ruri non eſt, ſed in urbe Leida, ſed in urbe arboribus veſtita ſatis, nec illarum quoque, quas callide te reſpexiſſe ſubjicis, inope & egena, quanquam non abundante. Liquet hinc te ruſticam oppoſuiſſe ingenioſae, & ingeniorum ſcilicet foecundae ac nutrici Campaniae. Nihil te Aſcraeus juvat Heſiodus, nihil Ovidius, Heſiodi illud in patriam convitium citans. Hic certe patriam nimis laudat, quam ut tibi patriam dedignanti opi-

opituletur: de illo quid ſenſerint Aſcraei, ſerum eſt diſputare: nec ideo ad univerſos Graecos pertinet, ſed ad ſolos Boeotos, quorum convicium videris patriae tuae velle applicare, cum hoc Heſiodi allegas opprobrium. Non ita habemus aurem Batavam, ut neſciamus quid auris Batava apud vicinas gentes audiat. At quid ego pro Batavis velitationem hanc ſubeo cum Batavo, qui Batavus non ſum? Viderint Batavi, an bene cum illis egeris, ego Batavus non ſum, ſed forſan majora de iis & merito magis conquerenda habeo. Ignoſce ergo, Heinſi Praeſtantiſſime, iſthaec prout calamo incurrunt, effutienti. Pluris mihi amicitia tua eſt quam ruſticitatis Batavae quaeſtio. Nec puto aliquid ſcripſiſſe vel poſuiſſe hîc, quod praeter ſalem & menſam ſit. Tu vero quid de *Barthio* reſcieris, ſcire aveo. Non quod verear, quin idem ipſe ſit *Barthius*, ſed nec aream iſtain ſtantibus Saturnalibus ridendi materia. De ITALIA Elegiarum tuarum libro modeſtia tua, nec tenuitas mea & rudis, quo nunc utor, ſtilus patiuntur, ut digna loquar. Quod in ea nomini meo quoque fulgorem dederis, grates habeo meritiſſimas: ſed minimum hoc eſt, cur tanti, quanti par eſt, faciam divinum illud tuum Opus. Ignoſce ergo iterum, quod nullo operis tui, nec nominis mei honore induci potuerim a te, quin merito etſi amicus ſed amice apud amicum carpendus mihi viſus fueris, & in eo hactenus perſeverem, donec Patriae tuae palinodiam occinueris, vel ſenſum verborum meorum melius interpretatus fueris, quam mea mihi dictat ratio, & ſequentia quoque evincunt, cum canis: *Ah nullo patriae genio loquor, &c.* Vale, Muſarum noſtrumque decus, & quantum facis, ſepoſitis nugis iſtis, amare me ne deſinas. Dabam, die ſolis, qui unicus mihi a munere meo feriatus. Properatiſſime. Bredae, XIII. Decembris CIↃ IↃC IIL. Illuſtriſſ. Parenti S. D. devotiſſimam, cum delatione debiti officii. In fato iſto tuo, nihil eſt quod me ſpectat, qui & praeſenti & abſenti idem ſemper atque aeque amicus fui, eroque dum vivam. Sed meum illud in hoc iterum agnoſco, quo ſiniſtrae famae reus agor, & pro tali traducor ab iis, qui hoc agunt ipſi, quod in me culpant. Vale iterum, Heinſi praeſtantiſſime, & ſi unquam mihi fidem praeſtitiſti, in hoc ſaltem ne negaveris.

EPISTOLA XXI.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

Heros Praeſtantiſſime. Agnoſco mehercule antiquum illum totieſque in te exploratum candorem. Quapropter non modo de te reduce, ſed eodem tibique ſimili mihi reddito gratulor. En dextra, fideſque, qua vetus illud amoris pignus accipio ac repromitto. Ad literarum quoque commercium non invitum revocas. Nec incommodum erit miniſterio nautarum, qui ſingulis hebdomadibus Leidam Bredamque eunt redeuntque, ad hoc uti. Sed unde haſce

ordiri congruum atque tempestivum fuisset, ne prorsus obliviscar, Auspiciis felix totus ut hic annus eat tibi tuisque, votum solemne facio. Nunc ad id redeo, quod lubens praeteriissem; nisi quaedam replicasses, quae nova expurgatione indigent. Pro solito candore mecum agis, mi Heinsi, quod censuram nostram, etsi indignam, non defugis. Hoc tantum culpare videris, quod eam aliis, quam tibi, proposuerim. At quî potui, sodes, cum ex eo tempore, quo Italiam tuam accepi, tuque jam eam egressus esses, nunquam certior reddi potuerim, quo loco degeres? Testis sit idem, quem nuper citavi, *Kinschotius* noster. Is in eadem epistola, ex qua illa pro me nuper addixi, subdit: *Incertus sum ubi nunc degat; puto Genevae.* Nam id scire ab eo postulaveram. Ad quem tamen, cum ad te non possem, censuram meam (quae vix talis vocari potest, cum joco magis quam serio proposita sit) destinavi? nunquid ad aliquem e vulgo σπερμολόγον, qui istud dispalaret? nunquid ad inimicum? nunquid ad multos, unde facilius divulgaretur? Nihil minus. Sed ad tibi proximum, fidelem, amicissimum, imo te alterum, & quidem unicum (quod asserere non vereor) *Kinschotium*. Quo etiam animo id fecerim, testentur literae meae; nimirum, ut de eo sive crimine sive errore ad Senatum Virosque poëtas relatio fieret: querebar nempe, non ferendum tale facinus Viris Poëtis Batavis; quos duorum numero, *Wallii* & *Kinschotii* scilicet, includebam. Allegabam illud Epigramma, nescio *Kinschotiine* an meum vel utriusque, quod in *Fabricium* te praesente & probante censuram, in tuo Musaeo cudebamus.

Stipitibus Batavos similes quicunque profatur,
Stipitibus Batavis excipiendus erit.

Immerito ergo me sinistri istius rumoris reum agis; qui unde ad *Schelium*, (quem tamen ne nomine quidem novi hactenus) atque per eum ad *Gronovium* pervenerit, cum ignarissimis plane nescio. *Gronovii* de loco illo controverso judicio nihil detrecto, imo lubens subscribo, meoque calculo etiam te ingrati in patriam animi absolvo; nam etsi mihi verborum alia videbatur esse sententia, non ita continuo ipsa re te convici. Unusquisque verborum suorum interpres est. Quoniam itaque negas bona fide nihil minus te cogitasse, quam patriae tuae contumeliam ullam afficere, cum isthaec caneres, interpretationi & menti tuae tam sincerae nullus adversor, sed acquiescam posthac. Atque ita aeterno silentio controversiolam hanc mando, ea conditione, ut quemadmodum nec tu in Patriam, quod videri poterat, ita nec ego sic arbitrando in te famamque tuam (quae si vindice indigeret, me quoque pro vindice haberet) nec *Kinschotius* quoque, injurii fuisse censeamur. Quod Italorum hospitalitatem tantopere extollas, patior facile; nec tibi invideo, Heinsi Praestantissime, qui vel majora mereris, sed mihi experiri eam non licuisse, postliminio doleo. Certe in paucis Anglis etiam ego majorem comitatem expertum me fuisse testor, quam in cunctis Batavis. De *Barthio* quae nuncias, nescio an contemnere, quam risu digno aliquando excipere praestiterit. Notus jam mihi iste Thraso. Et miror quid in Claudianum addere velit, nisi nugis nugas tegere satagat,

ne

ne perpluant. Non est cur ejus gratia desideratissimam omnibus Editionem tuam differas. Sed Ovidium postpositum hactenus, nonnemo mirabitur; ego saltem diutius differri aegre fero; fidemque tuam de eo liberari publice opto. Columnae Trajani exemplaris oblationem gratissimam habeo, & tanti apud te me esse, ut in hoc *Vossio* praeferar, summo honori duco. Quia tamen libris Practicis coêmendis plusculum hoc anno praeter solitum insumpsi, quorum cotidianus mihi usus est, occasione tam hactenus optata & beneficio tuo gaudere non possum. De *Gronovio* Leidam evocato in locum *Boxhornii*, qui Maximi Parentis tui emeriti vice fungatur, successuro, nescio quid rumoris huc advolavit, cujus certior fieri velim, antequam optimo amico nostro gratuler. Tu, nostrum Musarumque aeternum decus, Heinsi Nobilissime, vale, &, ut facis, amare perge. Dabam raptim *Bredae* VII. Idus Januar. CIↃ IↃC IL. in vico macelli, vulgò dicto. Quas inserui, tuis ad *Gronovium* ut jungas, commendo.

EPISTOLA XXII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

UT diutius silentio indulgeam, non patitur tua illa tot benefactis probata mihi humanitas; quam oblivisci, imo vel inlaudatam praeterire, οὐ θέμις οὐχ' ὅσιον. Quid enim ab ullo affinium pro necessitudinis vinculo desiderare potuissem, quod tu, cum in urbe vestra nuper morarer, non praestiteris? Multûm certe in aere tuo sum, nec sine foenere exsolvendo: non tamen alio, quam Trapezitico. Utinam ipsa sorte aliquando, imo quantocyus, sponsore *Kinschotio*, exonerare debitorem tuum velles! praesertim hoc tempore, quo Regi Principibusque feriamur. Tu vero quid agis, Idalione, an alio cales numine? Cytheraeo an Cyrrhaeo? an utroque? ut vester mos est, viri Poëtae. Quomodo se habet orta mari Cytheraea ista, quam Nereinen dicitis? Facilem tibi promitto victoriam *Kinschotio* ultra Alpes remoto, & jam jam cantaturo,

Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra
Formosam resonare doces Nereida nymphas,
Vicinoque fretum claudentes obice colles.

Vel tale quid aliud μουσικώτερον, & se dignum. Audisti puto τὸ δεῖνα Ausoniam cogitare. Sed non invitis neque dissuasuris illustribus Vatibus *Boyo* atque *Plana*; ut saltem proxima Saturnalia immunes celebrent, & suas interim populo cantillent naenias. Dic ingenue, mi Heinsi, si unquam lepidiora habuisti Saturnalia. Doleo me celari, cui autori tam argutum ac salsum debeatur ferculum. *Kinschotius* tantum non irascitur mihi, quia sibi adscripserim. Si illi obtrudi non potest, ad te ibitur. Nam ad alios, praeter vos, & *Wallium* (si hic tamen addi debet) frustra ea laus deferatur; me judice. Si me amas, dubitatione hac me

libera. Quod ut ne gratis facias, en tibi pro Minervali conjecturam, quae inter legendum tuum Naſonem mihi, fungorum ritu, nata eſt, liberaliter dono: Libro de Arte amandi ſecundo (quem te nocturna diurnaque verſare manu hac tempeſtate opinor) prope medio, legitur:

Afferat aut uvas, aut quas Amarillis amabat,
At nunc caſtaneas, nunc amat illa nuces.

Naſute quidem Virgilii illud tangit Naſo tuus,

Caſtaneaſque nuces mea quas Amaryllis amabat.

Jocus in eo eſt, ut innuat, non opus fuiſſe *nuces* addere, cum *Caſtaneas* ſimpliciter ponere ſuffeciſſet. Qui ut eluceſceret magis, legebam, *non amat illa nuces:* utpote ſuperflue appoſitas. Hiſce vale, & ſiquid noviſti rectius iſtis Candidus imperti, ſi non, his utere mecum. Salvebit a me Illuſtris Parens tuus: Etiam, ſi videbitur, *Elſevirii*; quibus dolium Bredani decocti plenum mitto, non indigni ſpero palato tuo, ſi lubuerit per otium. Iterum vale, Heros ἡρωικώτατε. Dabam Bredae x. Kalendas Quintiles CIↃ IↃ IL. Addo carmen, quod rogatu Ill. Boſwellii imprimi curavi. Autorem neſcio; ſed Epiſcopum aliquem Anglum eſſe reor.

EPISTOLA XXIII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

EX quo amplexu noſtro & in Sueciam te ſubduxiſti, Amiciſſime Rerum, te plurimum noctu diuque in oculis ferimus, animoque fovemus ſuaviſſimam illam tui memoriam. Cum itaque jam te apud Reginam tuam appuliſſe rear, & augurer, gratulandum tibi eo nomine cenſui, ſalvo incolumique. Sed infelicem me, qui vix trium horarum ſpatio ab ultimis tuis amplexibus excluſus fui. Eodem enim mane, quo tu Amſtelodamum petebas navem conſcenſurus (ſi bene memini) ego Leydam appuli, & continuo ex *Elſcviriis* te profectum intellexi. Quid mihi tunc animi putas fuiſſe, cum ea ſpe, ut vota mea repeterem pro incolumitate tua ante hac ſuſcepta, & quidem praeſenti nuncuparem, ſtatim poſt adventum meum hinc me Leydam contuliſſem? Ne Patrem quidem tuum, & religioſe ſemper mihi cultos Penates tuos jam magna familiae parte carentes adire aut intrare ſuſtinui. Hagam itaque reverſus ſum, & ibi moerorem meum auxit iubita mors Soceri mei, & infinitae in erciſcunda familia, moleſtiae, ac rixae quibus etiammum inhaeremus. *Voſſium* interim Pariſios tranſcurrentem vix tribus ſalutavi verbis. *Wallius* & *Crommonius* ante octo dies huc advecti primum mihi obtigere ſolatium. *Wallius* e Brabantia attulit effigiem τῦ μακαρίτυ noſtri *Kinſchotii* cura & impenſis ſuis ab *Hollaro* inſigniter, non tamen ſatis ad vivum expreſſam; quam puto ab illo brevi habebis, & miraberis aenigmatis appoſiti inventum. Non dubito, quin videris *Barthii* illum

tam

tam diu expectatum in Claudianum tuum commentarium, vastum, operosum, &, ut verbo absolvam, autore suo dignum. Miror minas illas in me jam pridem jactatas, & quarum rumorem per te, perque alios toties exceperam, in ventos abiisse; nihil enim invenio, quod me tangat; & si saepe Gratium & comites ejus ad partes vocet; & quidem multis locis a me emendatis aut retractatis post illum *Gronovius* interim non semel vapulat, & audit nuperus Criticus, & nescio quid non? Sed frustra & temere. Tu autem magno malo mactaris, tam vastum librum percurrere coactus; si modo tanti videbitur. Nunc quid in publico actum sit, apponam. Heri cum finis expectaretur tot contentionum & conventuum ad missionem militum temperandam convocatorum, Princeps, cum votis suis excidisset, militibus suis Palatinis sub specie exercitandi convocatis aulam undique stipari, aditusque servari curavit; & sub meridiem *Wittium*, Dordracenum Exconsulem & Ablegatum, *Ruylium*, Harlemensium Syndicum, eorumdemque magistratum *Waelium*, cum gratioso & interrito illo Medemblicensium Oratore *Stellingbwervio*, alteroque Hornensium Syndico (dubito an plures alios) ad se evocatos in aula sua separatis locis detineri jussit. Quo facto duae centuriae militum Delfis, aliaeque deinceps Roterodamo ad hoc accitae Hagam jam tumultu civium repletam aulamque intravere. Plures etiam aliunde cum Equitum turmis expectantur. En quo discordia cives Perduxit miseros! Quid Amstelodami agatur, ubi LX. centurias a Comite Guilelmo Frisio introductas rumor est, inde certius tibi nunciabitur. Ego de successu tanti conatus sine exemplo, nisi forsan *Barneveldium* spectes, nihil habeo quod judicem: exitus acta probet. Tu interim otio tuo fruens, & particulam ejus aliquam etiam nobis indulge, promissi carminis memor, Scazontis dico. Nec non de *Salmasii* appulsu, & reliquis rebus Reginae Vestrae, aliquid significa. Vale, Musarum nostrumque decus, Heinsiade, & nos amare perge. Dabam tubis turbisque immixtus, Hagae, pridie Kal. Sextil. CIↃIↃCL.

EPISTOLA XXIV.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

Tandem ergo Claudianum tuum videre mihi licuit, mi Heinsi! tandem euge, postquam ineunte aestate a nobis discessisti, salvum incolumemque te apulisse adulta jam hyeme intelligere contigit. Quid miraris? literas tuas Idib. Augustis Holmia datas, & has quidem unicas post discessum tuum, cum Claudiani exemplare, per Clariss. *Goesium*, cui probe illas commendaveras, ante paucos demum dies accepi. Ego tamen jam statim & vix elapso post abitum tuum mense ad te scripseram; & jam iterum scripsissem, iterumque te compellassem obtestatusque fuissem amicitiam nostram, ne ejus immemor

mor esses, aut nunc denique te poeniteret, nisi inopinanter & vel invitus in Magistratuum hujusce urbis primarium ordinem ab Optimo (heu quondam!) Heroe nostro adlectus fuissem proxime elapso mense; ex quo publicorum negotiorum mole tantum non obrutus fui. Arridebat quidem primulùm inexpectata haec conditio, quia non tantum par, sed superior quoque tot meis publicaeque quietis hostibus evaseram. Nam quorum tirannidem incusasse summum in me crimen fuit, eorum curules non vacuas tantum vidi; sed & successor occupavi. Verum, ut ingenue fatear, uti bellum, ita & imperium hoc qualecunque, dulce inexpertis; grave autem jam gerenti est. Quapropter non alienus jam videbar a Professione Eloquentiae et utriusque linguae suscipienda, quam idem noster ὁ μακάρτης Heros mihi destinaverat. Cujus tam inexpectata, & non sine horrore accepta mors,

Venturo nunquam satis excusabilis aevo,

omnia nunc in incerto reliquit: & parum abfuit, quin & respublica universa clades hanc secuta fuisset, nisi divina manus, eademque, quae tantum vulnus fecerat, pari festinatione fomentum aliquod applicuisset. Ego interim inter sacra & saxum haereo, & in publico tanquam privatus vivo: dulcesque ante omnia Musas (quicum in gratiam redire non tantum in votis, sed & in spe erat) subcisivis horis non remisse colo. Unde intelliges, mi Heinsi, (ut ad te & munus tuum redeam) quam opportuno tempore elegantissimus, &, quod per te nunc dicere licet, tersus ille tuus huc appulerit Claudianus. Pro munere nunc quidem grates ago, quas possum, maximas. Sed quam gratus fuerit, & judicium meum, ut tu quidem vis, vel potius applausum & album ad omnia calculum meum, ut ego censeo, proxime intelliges. Jam enim admirari elegantias tuas vix satis licet; praecipue tam recenter & vix primoribus labris degustatas. Vix quidem unam atque alteram Panegyrin percurrrre potui. Et hoc quoque aliud agendo. Non possum verbis eloqui, quam gestiat animus. Ennam illam tot novis floscülis a te ditatam & praeter consuetum nitentiorem, involare, & tot mellea prata depascere: quibus maxime Sylvas meas, quas in mortem *Kinschotii* & *Brosterhusii* meditabar, exornare decrevi. Nam ut publico luctui solaminis aliquid afferam,

absumptae vires, & copia fandi
Nulla mihi; dignumque nihil mens fulmine tanto
Repperit, inferior vox omnis, & omnia sordent
Plectra;

Tuo tantum excepto, mi Heinsi. Quare, nisi me ἐγκοδιώλην aspernaris, hoc nunc age, & paternum illud exemplum in Manibus Arausiacis deflendis redde; & Patriae nostrae, quae a te hoc officii exigit, justa sua persolve. Jam enim puto satisfecto Divaeque tuae dedisti: jam, si bene auguror, transiit illa Dies, qua nullam sacratiorem aut desideratiorem vidit ab axe propinquo Invida quantumvis Helice. Sed manum de tabula; praesertim pleno jam margine chartae. *Guarinum*, cujus nomine malum nomen apud te audio, ante tres menses per Elsevirium ad Paternas aedes deferri curavi. Si me amas, quamprimum Panegyrico

Digitized by Google

rico tuo nos bea, & festinationi, quam semper in scribendo causaris, plus etiam indulge; ut prolixitati quoque ignoscamus. De *Salmasio* saltem quae digna vel indigna sunt, omnia perscribe. *Rivetus Borniusque* (qui nuper Orci faucibus ereptus est) te salutant. *Wallius* quid aut ubi agat, & quando *Kinscotium* nobis redivivum dabit (nisi quod imaginem ejus curaverit exprimi) plane ignoro. Quaeso & illum, ut hoc agat, pro autoritate tua qua polles, serio exhortare. Cl. *Vossium* salutâ quam pote officiosissime. Vale, saeculi & orbis nostri decus, & nos amare perge, qui te in oculis ferimus, & Claudianum tuum quotidianum comitem adscivimus. Iterum atque iterum Vale Mellitissime Heinsi. Dabam ὡς τάχιστα, Bredae III Kal. Xbres. Gregor. st. anno. S. N. CIↃIↃCL. Per *Goesium*. CL. missas.

Nescio, an tanti videbitur, liceatque examini tuo submittere hoc quicquid est Epigrammatis sive Eidyllii Italico rythmo compositum.

„ Ter eere van het Vreughde-vier by de Wet en Gemeente der Stadt
„ Breda ontsteken over de Geboorte, van de Naboortigen Sone
„ ende eenigh Na-saet van H. L. M. S. Hooch. &c. Baron van Breda.

Uw' frissche STAM, Breda, in't bloeyen van sijn leven
In wien gy al uw' roem en hope hadt gestelt,
Wiert door de Doot (helaes!) ontyd'lyck neergevelt,
En 't scheen dat met sijn val de moet was opgegeven.
Maer neen; God leeft, en doet de Goddelosen 1 *beeven.*
En maakt te schand' hun vreught in't vallen van den Helt.
God heeft een jonge SPRUYT (in spyt van Doots gewelt)
Van d'afgehouwen stronk op uwen stoel verheven.
De naare duysternis, die op u neder quam,
Is door dit nieuwe licht, en onverwachte stralen
Van God's erbermend' oogh, van u weer afgeweeken.
Juycht dan, tot Godes Eer, en laet dees vreugde-vlam
Verlichten uwe rouw, en treurigh hert ophaelen;
Doch in uw' Ziele meest een geestlyck vier ontsteeken.

Post nubila Phoebus V.V.

1 Tales hic plurimi, qui defuncti mortem laetissime exceperant, foti ea spe, ut comes Johannes Nassovius ex testamento Philippi successisset. Vlitius.

EPISTOLA XXV.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

Quas ad me Eidibus Novembr. Gregor. anni superioris Holmia misisti, eas demum pridie Kalendas Februar. hujus anni (quem tibi Musisque tuis propitium felicemque precor) accepi, secundas, postquam a nobis discessisti.

Munus autem, quo me beasti, vixdum hac hora, qua hasce ad te depropero, per *Wallium*, qui & literas tuas praemiserat, huc allatum videre contigit. Sed bene tamen nobis, quos immodico desiderio nostro frustrari noluisti! Judicium nostrum, vel potius præjudicium, si postulas, dicam quantum potero ex ungue Leonem aestimare: vix enim primam perlegi paginam, nec tamen, ut fatear, lepidissimum illud in ἰσχατολλίῳ *in Olum* Epigramma non potui prurienti oculo temperare, quin citius inspicerem. Verbo absolvam, ne frustra meritum carminis laude condigna aequare coner, verè nobis Augustam dedisti. Sed cave ab *Olo*, si monentem non indignaris. Ut metuas, nihil metuo quidem; sed tamen, ut cautè vindicem agas. Ad mellitissimas literas tuas redeo. Cl. *Vossio* curam Regiae Bibliothecae demandatam, eamque undique accersitis incrementis jam in immensum auctam, lubens intellexi. Quod de *Brunone*, etsi sui pene, non nostri tantum, oblito, sollicitus sis, pro candore tuo agis. Faciam quamprimùm injuriam suam erga te, tuamque simul benevolentiam, intelligat, si quis humanus in illo sensus restat. Claudiani tui geminum exemplar, a *Goesio* unum, alterum per *Elsevirium*, nisi fallor, probè accepi, & hoc quidem puto me tibi nuperis meis ante tres fere menses datis non sine gratiis significasse, ut & alia de rerum nostrarum quà publico, quà privato statu. Interea notas tuas a capite ad calcem percurri, & cum textu alios contuli. Deus bone, quam insignes easque infinitas in tam brevi opusculo nobis emendationes dedisti! Ita ut una fidelia non unum parietem unaque opera non Claudianum modo jam vere tuum, sed tot innumeros autores demeruerit. Ut Silium, ut Statium, Val. Flaccum, aliosque, quorum nomina & singula loca mihi descripsi, omittam, sane tot palmariae in Ovidio tuo correctiones non potuerunt non salivam nobis movere, & ad pleniores in illo dapes nobis a te debitas praegustationem, ut ita loquar, acuere. Non meum tibi judicium hîc depromam, ne adulari tibi existimes, sed aliorum & quidem Antverpiensium *Heinschenii*, *Bolani*, *Gevartii*, denique & *Moreti*, quos cum *Bornio* ante triduum inviſimus. Omnes uno ore civicam tibi decrevere: nos &, si pateris, triumphum de omnibus, qui Claudiano hactenus manum admovere, quos inter non *Barthium* & id genus alios nugatores, sed vel *Scaligeros*, *Raphelengios*, & caeteros ἀνιβδηλεσατους heroas accenseo. *Holstenii* sententiam ex ipsius, quas ab *Heinschenio* accepi, ad Jll. Parentem intelliges. Poëmation ejus, si occasio feret ut commode mitti poterit, simul videbis. Sed ad Claudianum tuum redeam, si pace tua liceat liberè unum atque alterum locum tangere, non notandi gratia, sed ut vel hinc colligas, me serio illum notasque tuas evolvisse. In Cons. Prob. & Olybrii v. 202. in tua legitur,

taceat Nereida nuptam
Pelion, duplici foecundam Consule Matrem, &c.

In aliis, *Pelione*, *duplici*, &c. Neutrum placet; & forsan in tua operae errarunt. Nec enim aut metrum aut sensus constat. Ego ex corrupta vet. lect. reſcribo:

taceat

[1] Legitur inter Heinsii Poëmata lib. 1. silvar in fine pag. 148.

taceat Nereida nuptam
Pelion. O! dupl. faec. Conſ. matrem,
Felicemque uterum, qui nomina parturit annis!

Nam & in fine hac diſtinctione caret tua. Quod in Calpurnio meo, *gentilia poma*, pro *genitalia*, reſcribas, ſi modo autoribus, quos laudas, libris, probo ſane. Nam & *Genitalia*, quod Romana & omnes Pythaeanam ſecutae tenent, ſaeculi iſtius genium ſapit, idemque valet ut ex Ammiano notavi ad Nemeſiani Cyneget. pag. 411. qua eadem pag. videbis etiam me *Mazacas* contra *Salmaſium*, *Mazaces* praeferentem, aſſeruiſſe, ex iiſdem, quos tu pag. 142. citaſt autoribus, ſed memoria te puto fallebat, cum Gratium, pro Nemeſiano, appellares, quod leve eſt. Item Raptus Proſerpinae lib. II. video te repoſuiſſe, *Parthenium canibus ſectatur odorem*, pro *odoris*, quod quidem ſatis docte aſſeris, ſed (pace dixerim tua) nondum probas. Nam quae adducis exempla, de canibus, quos odor tangit, loquuntur; at hic de Diana ſcrutante agitur, vel, ſi id parum eſt, opponam vel unum Maronem, apud quem *odora canum vis*: Ut Laevii *odoriſequos canes* omittam, quae nota eſt ſagacium. *Parthenium* autem, quod Cherſoneſi promontorium eſt, eodem modo indigetat Val. Flaccus V. Non tamen hoc tanti eſt, ut tecum ideo, multo minus cum libb. Vett. autoritate, contendam. Poſtquam iſthaec in chartam conjeciſſem, non potui non Auguſtam tuam in manus repetere, ubi continuo textum illud tam graphice a te detextum in oculos occurrebat. Nihil potuit auguſtius, nihil tanta Auguſtâ dignius, aut tali feſto convenientius, pingi fingive. Quam egregie autem invidiam Fati, quam alii accuſaſſent, excuſaſti! cum dicis,

Solus ſibi vindicat aether
Invidiam hanc, & prona neci Diiſque aemula virtus.

Quàm vere divinum hoc poſterius! Tum illud quam numeroſum, *Peſque pedi, manibuſque manus, oſque ore premuntur.* Nec illud minus ingenioſum,

Et ventis debentem inimicis nomen Adonin;

Quod vereor ut quis digne legat, qui Ovidianam tuam Emendationem ignorat, Et *perdunt iidem, qui praeſtant nomina, venti.* Diras vero illas in Regicidas Britannos (hactenus enim continuata mihi unico ſpiritu lectio) quis non tibi invideat? Sed infinitum eſſet, ſingula iterum iterumque legi digna enotare, cum nihil non te dignum, imo vel majus, ſiquidem & te ipſum in hoc poëmate ſuperaveris, & ipſam (pace ejus mihi dicere liceat) Auguſtam aequaveris, ubique occurrat. Veniam precor, mi Heinſi, ſi amore, imo ardore reliqua legendi abreptum ſcriptionis hujus jam taedeat. Sed heus, o bone; quamnam ego a te poenam merui, quod ad Augiae ſtabulum, *Barthii* Commentarium dico, me ableges? Egone ut inventis glandes jam praeferam ariſtis? Plus eruditionis ſpero ex unica tuarum pagina, quam ex toto illo volumine. *Rivetum* poſtridie Non. Jan. obiiſſe puto intellexeris. Sed levis haec nobis jactura, qui hominem iſtum jam probe novimus. Obiit ſane Chriſtianus; niſi quatenus nihil ſordidiſſimae avaritiae ad extremum uſque remiſerit, cum & publicis impenſis ſepeliri voluerit. Haec inter nos. *Wallium*, ut *Kinſchotium* nobis reddat,

seriò, & non sine exprobratione aliqua tam supinae procrastinationis, monui. Ego, etsi in curia totus, aliquid tamen libelli Augustae tuae inscribendum paro; & jam absolvissem, nisi deesset typorum commoditas. Exercitationes antiquariae erunt. Tu videris, an liceat & mihi Regiam intrare, Vale, Musarum nostrumque decus, & nos amare perge, *Vossiumque* meo saluta nomine. Dabam ὡς ὤκιστα, Bredae Idib. Februar. CIƆIƆCLI. *Bornius* te salutat, & Claudianum tuum, quem a me habet, diligenter legit.

EPISTOLA XXVI.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

ETsi quidem, si unquam, nunc maxime in hoc civitatis nostrae gemino justitio (nam & *Arsenium* Praefectum fatis functum, & causam Dominae nostrae retractari novo appellationis judicio ignorare non potes) summis districtus negotiis, suavissimis tuis literis, nedum tam prolixo geminoque affectui, condigne respondere nequeam, nolui tamen diutius supersedere, quin saltem binas illas tuas cum Regio numismate postliminio accepisse significarem. Grata laetaque omnia fuisse, parum est, imo & supervacuum, ut addam, qui quanto unquam affectu tua excepi, legi, aestimavi; tanta nunc religione sacrosanctum hoc amicitiae nostrae mihi semper futurum pignus, non modo expansis manibus, sed intimo quoque corde recepi: nec minimae gloriae duco, praeter tot tua munera & beneficia, quibus me pridem devinxisti, nunc Reginarum illam Reginam parariam accessisse. Si non vani sunt vates illi, qui olim Principum imaginibus arcani divinique quiddam affinxerunt; jure equidem affirmare possum, Regio isti nummo secretam quandam vim vel ab ipsa auctore vel a te inspiratam, qua in perpetuam devotionem abreptus sum. Et sancte jam promitto, me simulac impar illud humeris meis & vere iniquum onus, magistratum inquam, deposuero, vel saltem mutavero meliore mihique convenientiore conditione (quorum alterutrum propediem fore, certum habeo) totum inquam me accincturum, ut illam, quam profiteor, devotionem aliquo saltem effectu ipsi Dominae, (quid ni enim ejus potestati me quoque subjiciam, qui plusquam aere paratus sum?) testatam faciam. In quo non dubito, quin & votis meis aspires, & propitius mihi futurus sis, Heinsi Amantissime. Verum de hac re, ut & de reliquis, spero me intra paucos dies praesenti tibi (nisi iter meum, quod civitatis nomine ad Principem Regiam suscipiendum molior, praevertere mavelis) expositurum; nec in hoc malum nomen a me auditurum (etsi non a me sed ab aliorum suffragiis pendeat, ut ego potius quam alius mittatur) confido. Tum simul & alterum illud, quod in te Dordraci quaerendo indiligentior fuerim, expuncturum me, puto. Interim miserum illum Regum patronum κλαιεῖν τε καὶ ἄλγεα πάσχειν, teque gaudere & bene rem gerere jubeo.

Vale,

Digitized by Google

Vale, ſaeculi noſtri aeviternum decus, Heinſi Nobiliſſime, & me, vel, ſi minus, meas prolixiores propediem expecta. Illuſtrem Parentem valere & ſalvere velim. Dabam feſtinanter Bredae III. Idus Junias S. N. A. CIↃ IↃC LI. De *Gronovio* dudum nihil intellexi, ut nec de *Brunone*, & quo loco res ejus ſint. *Thibautii* caſum perincommode fero, *Crommonii* mei cauſa, qui ejus ope, patris ad Rempublicam curandam promoti loco ſufficiendus videbatur. Sed utinam modo non gravioribus malis; quae tamen proſpicio, Principis noſtri interitum deploremus. Iterum vale, meum decus. *Bornius*, quem tenerrima familiaritate complexus ſum, & vel eo magis, quod te tuaque debito honore proſequatur, te ſalutat. Quaeſo apud Bibliopolas veſtrates inquire, an ullibi *Bernardini Rutilii* de veterum JCtorum vitis liber, quem *Geſnerus* in Bibliotheca ſua paſſim citat, haberi poſſit, quovis etiam pretio: vel alias commodato.

EPISTOLA XXVII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

SImulac ſuaviſſimas illas tuas acceperam VII. Id. quas ex Elſevíriorum taberna Hagae a. d. IV. Idus Quintiles ad me dediſti, Amicorum Praeſtantiſſime, jam totis velis vel illuc, vel ſaltem Dordracum, in amplexus tuos ruiturus, contendebam. Quid enim gratius, quid ſuavius mihi evenire poſſet, quam vel una hora tecum eſſe; & tenerrimum illum amorem meum, quo te ſincere (ſi modo non praeter reverentiam loquor) diligo, jucundiſſimo viſu tuo tantiſper exſatiare? praecipue hoc tempore, dum animus mihi, abitus illo tui nuntio graviter perculſus, neſcio quid inominati praeſagit, ita ut, niſi ſtato tempore utar, vix toto triennio te viſurus ſim. Sed vide quam moleſtus hic mihi ſit magiſtratus, cum alias, tum praecipue hiſce XIV. diebus, quibus vices meae inciderunt, ut cauſſis diſceptationibuſque forenſibus pro tribunali & quidem gemino, decidendis vacare cogor; nec non (ut ne tantulum quidem otii ſupersit) quotidianis levioribus rixis ex arbitrio, poſt meridiem, componendis praeeſſe. Id ſcilicet cauſae erat, cur ille, quem dicis, e magiſtratibus noſtris, vicinus & affectu pater meus, vir optimus atque integerrimus, *Drabba* nomine, negaverit me pedem hinc poſſe movere. Cur vero ante hoſce dies atros non venerim, proximis, quas negligenter ad te pridie, niſi fallor, nonas Quintil. dedi, ſignificavi. Quapropter, ne fidem meam ludere videar, polliceri quidquam non audeo: Sperare tantum dicam, me octavo abhinc die hinc in Batavos & ad te, ô Bataviae decus unicum, iter moliturum. Iterum dico, non addicere me; ſed ſperare ut, rebus prolatis, excurrere poſſim. Interim, de *Brunone* noſtro, & *Gronovio*, quae ſignificas, grata fuerunt: quae de *Freinſhemio Holſtenioque* grates habeo. De *Sarravii* obitu, jam antea, & ni fallor, ex te,

intellexeram. Quid vis dicam? omnes una manet via leti. Ad te, mi Heinſi, ſpectat, quod dignum laude virum Muſa vetet mori. Hac occaſione non poſſum quin te exhorter, ut qui jam Galliis, Italiae, & Sueciae ſingula monumenta ingenii tui dederis, jam & Patriae aliquid maturae meſſis relinquas. Scio enim pro crudis te habere (non ego) quae ante x. & quod excurrit annos concinnaſti. Ad *Gronovium* quod attinet, obſervationes ejus tuo munere acceptas, nondum, niſi oculo jaculo, videre aut legere contigit. Mirus eſt caſus. Bibliopola, cui ſarciendas commiſeram, hactenus amiſſas vel alieno domino traditas aſſeruit. Pauci ſunt dies, ex quo iterum inveniſſe ſignificavit: nondum tamen compactas dedit. Haec cauſa, cur nondum lectis ejus obſervationibus, reſpondere ſuperſederim. Sed beneficio tuo utar, ut ſaltem a te admonitus officio non deſim. Imo jam hîc teſtes habes literas meas; quas, ſi venia dignum me putas, commendatione tua ut augeas, rogo. Ulterius etiam tendo, & obſecro, perque communia Muſarum Sacra oro, ut *Bernardini Rutilii* & *Ant. Auguſtini* libros de vitis vett. JCtorum neceſſario uſui meo ex inſtructiſſima Illuſtris Parentis Bibliotheca, tanquam pararius, ſuppedites: fidemque meam obſtringo, brevi reſtitutum iri. Ne quid enim neſcias, erit & obſervationum mearum pars illis deſtinata, dum juriſprudentiae incunabula quaero, progreſſum & maturitatem indico, abuſum & declinationem (ut ita loquar) demonſtro. Tum quoque, ut JCtos ſuae quemque aetati, quam Lampridius in Severo, ſi modo probi ſunt codices, mire confudit, aſſignem; & an idem ſit Tertullianus, cujus opera extant, & cujus in pandectis centunculos habemus, diſquiram. Denuo itaque rogo, mi Heinſi, ut pro conſueta benivolentia illos mihi vel per nautam, vel potius per Elſevirium quantocius mittas; ſimulque itineris tui, qua via quoque die ineundi, certiorem reddas; ne aut fruſtra, te profecto, adcurram, aut unius horae negligentia fructum itineris mei perdam. Arras promiſſionis, vel potius ſpei meae, habe ſacrae imaginis exemplum, quod (ſi modo non indignaris) emplaſtro formari curavi, quo plures & in hac Muſarum colonia Dominae tuae cultores facerem. *Aurea donanti ſic aerea reddimus arma.* De reliquis, volente & favente Deo, coram. Interim vale, fideliſſimum pectus, Heinſi Nobiliſſime, & nos, quantum facis, amare conſtanter perſevera. Illuſtrem Parentem, *Boxhornium*, etiam Σκυθίζοντα, *Wallium*, reliquosque amicorum ſalvere jubeo. Dabam feſtinans in curſum piſtrinum. A. D. V. (vide enim an bene calculum poſueris, qui tuas a. d. IV. dederis) v. inquam, Idus Quintil. CIↃ IↃC LI. Bredae. *Bornius*, qui finienti ſupervenit, te & τὰ δῶια Parentem officioſe ſalutat.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXVIII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

* *Pariſios.*

Etſi equidem hactenus ignorem, ubi nunc terrarum agas, nolui tamen diutius in aere tuo eſſe, quin aliquid ſaltem reponam ingenti tuo erga nos amori, quem noviſſimis tuis literis, quaſi ſupremis tabulis (abſit verbo omen) tanto cum ſtudio mihi teſtatus es, Heinſi, politiorum quicquid eſt mortalium decus. Nec poſſum ſane dijudicare, utrum illae plus gaudii an moeroris mihi attulerint. Quid enim gratius, quam affectus tui quaſi in extrema tegula perſeverantiam; quid triſtius, quam unius aut alterius dieculae diſpendio amplexu illo tuo deſideratiſſimo excluſum me, intelligere? Quanquam poſtmodum ex *Elſevirio Joanne* noſtro hîc acceperim, te multis diebus poſt illas a. d. XVIII. July ad me datas, in procinctu ſtetiſſe, & Leydae manſiſſe. Infelicem me, qui tam cito deſperaverim! Sed quandoquidem ſic fuit in fatis, age ſequor te animo per Terraſque tractuſque maris coelumque profundum; & quocunque loco te ſubſiſtere intellexero, mutui amoris teſtes interpreteſque ad te mittam, literas meas. Tu modo, amabo, fac intelligam, quo tempore quoque uſque loco iter tuum proſequuturus ſis. Interim, ut abſentem quoque amplectar, audeam, videamque, (quod de amante Didone Maro) Chriſtinam tuam, non argenteam, ſed vere auream illam dico gremio teneo, genitoris, id eſt, autoris imagine captus. Saepe jam illam repetii, ſed nunquam ſine novis deliciis, quae non niſi attente legenti apparent. Tantum ineſt reconditae eruditionis. Sed ne merita ejus deteram, cum inferiora ſint omnia, quae dicere queam, tacita mente potius illam adorare pergam. Licetne tamen ut modeſte interrogem, cur non *Talaonion Adraſtum* malueris, quam *Thlaonium*, caeſura periculo evitato? Etſi ſciam, *Actaeo Aracyntho*, infinita talia extare, quae & ego avide imitor; ſed inum deſinentia deſidero. Tum & *transformia corpora* quaero adhuc: tibi exemplum ſuppetere non dubito. Poſtmodum Faſt I. *transformis adulterat arte* Calepino citatum video, pro quo tamen a. Ed. & parentis tui, *transformat & alterat*. Et hoc me expediri velim, utra genuina MSS. lectio ſit. Deus bone! quid de miſera Britannia, legumque pudore nunc diceres, ſi iterum inſtantem Regi cladem, forſan & caedem, videres? Quanquam primum tam laeta omnia, ut jam Soli reſtitutum publicum novum fuerit. Nec jam Galliae ſincera quiete, ut vides, fruuntur. Nos ſaltem hactenus poſt publicam gratiarum actionem. Me quod attinet, vereor ut magiſtratus hic meus mihi vel invito conglaciet. Dum enim reſidua litis inter Principes comperendinantur ex conſueto, vereor ut comitia noſtra, quibus x. Octobris dies praeſtitutus, haberi poſſint. Quod ſi ſit, miſerùm me, qui voti mei vix compos fieri queam. Conabor tamen omni modo ſolicitudine & moleſtis hiſce me ſubducere, & vitae

vitae me reddere priori. Vale, Heinsi suavissime, &, si me amas, cura valetudinem tuam. *Augustini* & *Rutilii* vitas, quibus *gratia* & favore tuo perusus sum, Opt. Parenti ipse intra xv. dies restituturum me polliceor, recipio. Iterum atque iterum, Vale, Cor meum. Dabam tolutim, ut nautae abeunti has traderem. Bredae, XIV. Kal. Octobres, CIↃ IↃ CLI. *Bornius* te salutat.

EPISTOLA XXIX.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Florentiam aut Romam.

Iamdudum, quo loco viveres, ab omnibus, in quos incidebam, tuis scilicet, quaerebam, jamque id incommodum mihi erat, nihil certi de te intelligere, cum tu ipse primus Parisiis te salvum incolumemque esse significasti. Et jam hoc saltem gaudeo, nihil periculi in tam diutino silentio fuisse. Sed, ut primum commercii nostri ratio inter nos constet, scito me & novissimas, quas cum in procinctu stares, ad me dabas, & hasce nunc unicas post discessum, IX Septembris datas mense fere altero post, accepisse, Interim me circa idem fere tempus ad te scribsisse, easque Ill. Parenti tuo commendasse. Et paulo post Rutilium & Ant. Augustinum per *Elsevirios* restituisse, quorum nomine & tibi nunc ut parario grates habeo maximas. Multum enim me juvit Rutilius, exactissimus autor. Tametsi instituto meo ingentem moram injecit publica, quae mihi cum nonnullis perditissimis collegis, omnis aequi bonique hostibus, aliquamdiu fuit contentio, quae nondum deferbuit; nec spes mihi est, ut unquam cesset, nisi cum illorum ejectione, vel mea saltem migratione in alia castra. Quod & ipsum fieri non potest nisi controversia Principali decisa primum fuerit. Ego, quamvis non sine magna spe glorioſae victoriae publicam salutem defendam, tamen admodum moleste fero, tantisper musaco meo excludi, & quodammodo a Musis libriſque exulare. Nihil enim magis ex votis mihi est, quam ut Deus nobis haec otia reddat; quibus tu interim, mi Heinsi, tam abunde frueris. Non possum tibi verbis exprimere, quantum animus mihi pruriverit, cum tuas observationes vidissem. Nec potui, quin continuò Gratium in manus sumpserim, ut conferrem. Varias lectiones Codicis istius Thuanaei jampridem beneficio *Crommonii* mei (qui nuper Senatui Principali a Regiâ adscriptus est) nactus fui, & libello meo inserui. Quod *profecto* rescribas loco *profecti*, cum in V. C. sit *profectu*, pace tua dixerim, non persuades, saltem hactenus; utitur enim autor perpetua metaphora, a viatoribus petita, qui compendia itineris quaerunt. Sic venatores illos *propiore via profectos* dicit, qui Rationem *comitem* (quae etiam metaphorae ejusdem vox est) assumsere, ut ea duce uterentur. Praeterea tu videris, an satis poëtica vox sit *profectò*. Paulo post pro *cecidit violentia retro*, quod *cessit* reponas, edidit ita sua autoritate *Barthius*: quod & ego rectum censeo, si libri addicant. Alias *retro cadere*, ut

retro

Digitized by Google

retro ſublabi, apud Maronem AEn. 1. *retro ſublapſa referri Spes Danaûm.* Et ibid. *Sic cunctus pelagi cecidit fragor.* Quod denique, *& non ſine carmine niſus* (ſic ſaepe Cicero, *praeſidio alicujus niti*;)loco *luſus*, reſtituas, ut ego quidem ex conjectura edidi, gaudeo ſane ὁμόψηφον te mihi, etiam inopinanter, factum. Quae de Phaemonis Editione monuiſti, libens intellexi, gratiaſque habeo. De Alexiade edita *Gronovium* monebo, niſi jam audivit, nimia expectatione ſua ſe operam tam periculoſam luſiſſe, aliumque fructus praecepiſſe. Poëmata tua edi nondum audiveram. Gaudeo vehementer. Miror tamen *Grotium*, *Ruſium*-que, quîcum nuper Hagae ſaluti tuae non ſemel libavimus, nihil ea de re mihi ſignificaſſe: nec adeo *Elſevirios*. *Salmaſium* veniam a Regina tua, citius faciliuſque forſan, quam voluiſſet impetraſſe, ex Anglia dudum nuntiatum, & novis ordinariis (gazettas vocant) additum fuit. Poſtea Holmia, vel Upſalia potius, a Matheſeos quodam Profeſſore (Ex *Bornio*, quicum haſce relegebam tuaeque libabam ſaluti, poſtmodum intelligo, *Ravium* eſſe Hebraeae linguae Profeſſorem, cujus literas vidi.) perſcriptum, eum de eventu proelii Regis Scoti conſilium ſuum vel huc vel in Gallias migrandi ſuſpendiſſe: quod ſi ſit, jam vos quoque Gallia junget. Sed quid ego tam late, qui quo haſce mittam, vel ubi te conveniam, & quando iſto regno exceſſurus ſis, nihil ſcio. Utinam hoſpitia vel locum aliquem, Venetiis vel Florentiae, & ubicunque moraturus ſis, deſignaſſes, quo meas deſtinarem: jam ſaepius ſine metu perdendae operae ad te ſcripſiſſem. Nam Leydam retro dimittere, cum citius vel Lutetiam perferri poſſent, ſane admodum incommodum eſt, tam vicinâ Antverpiâ. Quare iterum rogo (ſi haſce tamen brevi antequam Alpes tranſcenderis, accipias) hoſpitia tua vel argentarios tuos, quibus uteris, mihi deſcribe Iterum Vale, Decus meum, & ſi me amas, ſaepiuſcule mecum age per literas. Dabam raptim, Bredae pridie Kal. Novembres. CIↃ IↃ CLI.

EPISTOLA XXX.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

In Italiam.

TErtium jam ad te ſcribo, mi Heinſi, ex quo abes. Quarum ſecundis reſpondi tuis Lutetia datis. Ego cum diu molitus ſim trajectum in Angliam ad fundos remque familiarem curandam, hactenus difficultate bellorum & partium detentus fui. Nunc Legati tres eo proficiſcuntur, & princeps eorum *Catſius*. Is, cum comitem me illi obtuliſſem, curavit ut non otioſus vector adſciſcerer: Legationi enim a ſecretis futurus ſum. Conditio & commoditas praecipue haud ſpernenda mihi & omnibus amicis viſa eſt. Facilis itaque conſenſus fuit: etſi intelligo non facile negotium fore. Hujus rei neſcium te eſſe nolui, ut ſi commode meis reſpondere poſſis, Londinum tuas curares; ſin minus, ne inſalutato te neglectoque amicitiae officio profectus viderer. Novi

hic parum est, nisi quod omnis cura Patrum, omniumque consideratio in illam legationem feratur. Hinc summam reip. pendere etiam vulgus animadvertit. Audisti puto Edictum ab Anglis emanasse, quo exteris navicularis omnia commercia interdicuntur. Ei dies praefinitus Kalendae decembres. Hunc praevenire omni ope nituntur Ordines; adeoque quantocyus nos solvere jubent. Jam nonae sunt, & primulum tempestates sedere, Eurusque flare incipit. Ita fit ut undique obruar, &, dum scribo haec, interpellet. Vale itaque, decus meum, & si me amas, etiam Londini fac pignus amoris tui excipiam aliquod. Iterum atque iterum vale, & valetudinem tuam cura. Dabam in procinctu, Nonis decembr. CIↃ IↃC LI.

Poëmatum tuorum desiderio nimis maceror, & vereor ut ullum exemplar ante abitum videam. Lentulus ille *Kinschotii* Editor *Wallius*, puto, iterum nescio quid morae injicit. Praefatio illa plus taedii nobis affert, quam officii tibi. De *Salmasio* altum silentium est. Ego *Miltoni* familiaritatem jam praecepi, Parariis viris doctis, qui mecum eunt. *Seldenum* quoque & *Junium* (si in vivis adhuc est) adibo frequens. Hinc quoque commoda itineris mei, etsi

Hiberno molimur sidere classem,
Et mediis certum est aquilonibus ire per altum,

metiri mecum potes. Postremum & jam vale:

EPISTOLA XXXI.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Florentiam.

EX quo in Angliam trajecimus, nihil mihi suavius fuit, quam tuas videre. Quas enim Bredam ad me, Scabinum scilicet, destinaveras, mi Heinsi, eas hic, dum Legationis secreta curo, XXV. die, postquam Venetiis datae sunt, feliciter accepi. Itineris profectionisque hujus meae, antequam e Patria discederem, certiorem te feci. Nos inde satis commode prospereque tranquillissimo mari navigavimus, quod biduo emensi, ad Mariae portum XXIV. die Septembris stetimus, & postridie Gravesandam prope anchoram jecimus; unde publicis phaselis Londinum pervecti, ibique XXVII. magnifice excepti legati; quibus Lautia sane lautissima per V. dies praebita. Atque ita ipsis Kal. Januariis, quas propitias tibi ominor, in aulam nostram peculiarem migravimus, quae est in via Reginae (Queene-street) non longe a Drury-lane, ubi *Joachimus*, & tu olim divertebamini. Aedes illae memoriam tui mihi subinde referunt. Ex XX. Nobilibus, qui nobiscum venerunt, solo *Lud. Hugenio* familiariter utor, dignissimo Patre suo filio. *Seldenum*, dum exequiis defunctae Comitis Cantii intensus est, cujus ingenti haereditate auctus est, hactenus videre supersedeo: ut & *Miltonum*, quem adire decrevi. De *Salmasio* ne γρῦ quidem auditur. Nec magis & *Patricio Junio*, qui Oxoniae, est, *Duraeo* in praefectura-

ram

ram Bibliothecae D. Jacobi ſuffecto. Nihil hactenus publice actum poſt primum acceſſum, Orationemque a Domino meo *Catſio* in Senatu habitam. En tibi epigrammation extemporaneum. Quamquam vereor ut haſce per Galliam miſſas recte accipias. Dudum eſt, quod ſcire expoſtulem, ad quem literas meas deſtinare poſſim. Nam ad Parentem, nunc praecipue, incommodum videbatur. Partem ſextam Poëmatum tuorum; quae Chriſtinae plaeraque habet, paucos ante dies accepi: in qua expreſſum video iterum illud, *aut Talaenium Adraſtum*; Quid ſi *Talaenion* ſcripſiſſes? Sed tuum id eſt diſpicere. Interim vale, Decus meum, & ſi me amas, ſcribe aliquando ubi & quando hîc vel ibi futurus ſis. Dabam raptiſſime & occupatiſſimus, eadem, qua tuas accepi, nocte, XII. die Januarii CIↃ IↃC LII. Londini. Obſeratis reſeratiſque literis addere viſum fuit (cum poſt admiſſionem Legatorum in Conſilio, quod vocant, ſtatus aliquantulum ocii ſuperſit) hodie Dominis noſtris oblatum Poëmatum volumen ſatis prolixum in honorem *Cromwellii* rerumque ab eo geſtarum, auctore milite quodam *Fisbero*, quem *Petrejus* (noſti puto hunc Miniſtrum) ejecto Marone, utpote obſoleto & fabuloſo, in Scholas inducere ſuadet; & tantum non perſuadet. Carmina ſunt heroica non ita inepta. Sed manum de tabula. Lupus eſt in fabula? Vale iterum atque iterum vale, rerum dulciſſime, & cura valetudinem.

EPISTOLA XXXII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Romae.

Tertias a te, dum hac in gente moramur, recepi heri, mi Heinſi, pridie Kal. Apriles Româ datas. Secundis tuis Florentia miſſis Martio menſe, eodem reſpondi; meaſque, ut & haſce, Calcto, curâ noſtratis *De Glargii*, Romam curavi: ignarus qua via tuas habeam: certus autem hanc compendioſam maxime, dum per Gallicas turbas licet impune noſtris ire redire literis. Quod jam ante ex urbe ad me ſcripſiſſe, geminiſque meis reſpondiſſe addas, puto te errore loci lapſum, ut pace tua dicam. Florentiae enim id factum: nec praeterea ullas ex Urbe a te habui interim. Sic conſtat nobis ſcriptionis mutuae ratio. Nunc ad tuas illas venio, quibus nihil mihi ſuavius gratiuſve inter moleſta haec negotia obvenire potuit. Quapropter & ſtilum publico ſubtraxi, ut tibi quantocyus reſponderem. Valetudinem tuam te curare, gaudeo imprimis: utque ante omnia cures, moneo, memor iſtius,

Οὐκ ἔστ' ὑγείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ.

Pejuſcule tamen te habere, non placet. Quantum a fructibus cavendum ſit, doctum non docebo. Non minus id tibi uſu venit forte, quam nobis a bubulae ovillaeque eſu hic abſtinendum; aut ſaltem moderandum. In quo multi noſtratium gulae ſuae poenas dederunt. Meminiſti peculiarem carnivorae gen-

tis hujus morbum esse. Sed quid ego nunc aliena ago? Quod Vaticanae & amoenissimo isti literarum studio totum te des, non culpo: imo cuivis, quam tibi, invidere hanc felicitatem possem. At enim

Non cuivis homini contingit
Romae nutriri atque doceri.
Nobis non licet esse tam beatis.

Utinam aliquando Ovidium tuum tandem non diutius promittas, sed praestes. Quid de poematibus tuis factum sit, dudum non audivi; *Petro* nostro *Vincentio* mortuo. Christina ultimam paginam facit, quam ὁ μακαείτης mihi misit. Eam multis hic ostendi. *Seldeno* non licuit; quia omnibus advenis, praecipue nostratibus (ut credo me nuper significasse) Musaeo & congressu suo interdixit. Oxoniae nondum fui. Non patiuntur enim pro arbitrio excurrere concatenati, quibus hic implexus sum, labores; tota fere Legatione (absit invidia verbo) mihi incumbente quodammodo. Praeterito tamen mense commeatum a Dominis impetravi, Eboracum usque eundi, ad res privatas curandas. Hoc itinere Lincolniam, Nottingamiam, Northamptoniam, caeteraque, quae se offerebant, oppida perlustratus sum, vidique militum (an belli?) maximas clades, templa vastissima, arces praecipuas atque palatia Regia passim dejecta, nonnulla & solo aequata non sine indignatione vidi. Eadem & Bibliothecas passim involvit calamitas, Cantabrigiam fere desertam inveni. Populum ubique sortem suam regnique deplorantem, & jugum indignantem. In pago quodam exiguo Lincolniensis agri, cui a parva arce, quae ibi a Romanis quondam extructa fuit, Littleburgh nomen mansit, numismata aliquot aerea bonae notae forte fortuna nactus sum; Rustici incolae fiillam pecuniam ibi vocant, quippe plerunque a suibus erutam. Spero me plura, etiam argentea, inde accepturum. De Bello inter hanc & nostram Remp. nec verus, nec vero nimis absimilis nuntius ad vos pervenit. Domini mei tamen, ut pacem habeamus, omni opera adnituntur. Hoc opus, hic labor est. Quod nisi (favente Deo) perficimus, ego quoque operam meam lusero. Ne de Hispano caeterisque inimicis nostris in sinu gavisuris jam loquar. Gravelingam arcta obsidione premi, & quid in Galliis turbarum sit, aliunde citius certiusque intellexeris. Salutat te Dominus meus *Catsius*, gratissimamque habuit, quam illi a te identidem dixi, salutem; eoque magis, quia Roma missam. Vale, Musarum Literarumque Assertor atque Vindex, & nos amare perge. Licet tuas huc mittas. Non enim jam propinqua nobis domuitio promittitur. Vereor ut saltem in Patria hibernare liceat. Spero tamen meliora, & post tot moras expeditiora negotia. Iterum atque iterum Vale, Heinsi dulcissime. Dabam Chelsiae secundo a Westmonasterienst Palatio lapide in villa amaenissima, quae *Buckingamii* nuper Ducis fuit. Postridie Nonas Majas CIↃ IↃCLII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXXIII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

Pertinax ſanè nimis indignumque amicitia noſtra ſilentium illud fuit, m Heinſi; cujus quod tuis Kal. Sept. Florentia datis repagulum amoveris, habeo gratias. Ego enim, ex quo Laeſtrygonum machinas evaſi, patriacque incolumis ab ingruente in claſſem tempeſtate redditus fui, nihil prius quaeſivi, quam ut reditus noſtri te certiorem redderem. Sed dum rationes & diaria Legationis abſolvo, quae ſubita profectione infecta reliqueram, multum temporis inopinanti elapſum. Nec interim quemquam obvium habui, ex quo quid ageres, & quibus in oris degeres, intelligere potuerim; donec tandem Ampliſ. *Goeſius* veſter caſu quodam ſe mihi obtulit hîc Hagae, ubi non mea ſponte toto jam menſe partim publicis, partim privatis incommodis atque negotiis detineor. Obiit enim hîc ante triduum, ex morbillis, quibus vehementer aliquamdiu laboraverat, filiola mea natu maxima, qua ingenioſiorem mihique ſuaviorem nullam expecto. Nam & calamo & gypſo egregie pingebat, & Gallicè eleganter docta erat me uno magiſtro, ſeptennis. Jamque arithmeticae & muſicae diſcendis totam ſe dabat; & in omnibus multum ſupra vulgaria ingenia praeſtabat; nemine non mirante. Sed hui mihi! quo me abripit paternus affectus, cui tamen quin apud te quoque, mi Heinſi, venia ſua ſit, non eſt cur metuam. Nam & te optimus Parens tuo merito aeſtimat; & tu ejuſmodi ingeniola aſpernari non ſoles. Secure itaque, nunc in viam redeo. Dum ego ita aegrotanti, ipſe etiam articulari morbo aeger accumbo, tuas illas exeunte jam Octobri Bredâ (nam eo jam perlatae fuerant) tandem recepi; & de valetudine tua caeteriſque rebus tuis, ac imprimis de affectu tuo ergo nos, quae ſemper optavi, commode intellexi. Quod etiam Academiae veſtrae me intereſſe cupias, ego in hoc optimam voluntatem tuam magis agnoſco, quam ut votis tuis aeque atque meis (quibus Italiam aliquando videre necdum deſpero) reſpondere impraeſentiarum poſſim. Nunc enim, ut ſcias, totus iterum ζῶον πολιτικόν factus ſum, & non poenitendos honores propitiae mihi Regiae Principis gratia pollicetur, ſimulac lis illa Principalis, quae Hydrae ad inſtar in nova indies capita regerminat, ſemel aliquando deciſa fuerit. Quod tum demum erit, ubi litem lite dirimere deſinent Judices. Omne autem, quod nunc reſtat certamen Bredam noſtram petit; cujus imperium Regia, impatiens conſortis, ſoli ſibi ex *jure* dotali vindicat: altera commune cupit. *Nec quenquam jam ferre poteſt aut illa priorem aut iſta parem.* Sed (quanquam equidem haud noſtrum eſt tantas componere lites) omne pro Regia jus eſt; pro hac nimius militat favor. Quo loco reſp. ſit, haud aeque dijudico. Hactenus certe procerum ducumque navalium diſcordiam multae ſecutae ſunt calami-

tates. Et quanquam a *Wittio* nuper ſtrenue pugnatum feratur. (vix enim certi quidquam nuntiatur, diſſidentibus partium ſtudiis, & ſibi tantum faventibus) viribus & numero ſaltem victus ceſſit. Jam vero ad *Trompium*, cui res primum male geſtae imputabantur, ſpes & vota rediere. Is cum C. navium redintegrata claſſe propediem mare remetietur uſque Gades, onerarias huc illuc ducturus & reducturus. Quid *Galius* noſter in Mediterraneo agat ex propinquo audis: nos audire indies expectamus. Nunc de privatis. De *Salmaſio* ne γϱύ quidem. Prodiit nuper liber, cui tit. CLAMOR REGII ſanguinis ad coelum. Angli *Morum* pro autore habentes, nupero novorum ſchedio eum vehementer perſtrinxere, inter alia facinora objicientes adulterium cum Salmaſiana pediſſequa (dame ſuivante) quam hoc epigr. notarunt:

Galli e concubitu gravidam te, Bontia, Mori,
Quis bene moratam morigeramque neget?

P. Grotius Rhyniam ſuam, invitis matre & neceſſariis, quippe procuratoris filiam, caeterum praedivitem, bellam lepidamque puellam, nec nimis catholicam, tandem duxit, votiſque ſuis fruitur beatus. Non diu eſt, quod is *Voſſium*, *Gronovium*, & me habuerit convivas, tui non immemores. Ut & Bredae cum *Bornio* vivitur. Sed is nunc Leidam vocatus abit, ſupra numerum, non extra ordinem tamen, Philoſophiam ſuam profeſſurus. Ita ſpes omnis Scholae Illuſtris cum illo moritur. Mortuo nuper *Philemone*, & *Pellio* in Angliâ ſubſiſtente *Elſevirium* utrumque ſenem obiiſſe, intellexti puto. *Thyſium* in ordinem tandem redactum fama eſt. *Catſius* ab Itinere Anglico & tempeſtate illa nondum firme convaluit; & jam ſe tranquille in Curaefugio ſuo, ubi habitat, ad aeterna totus componit: SEPULCRUMQUE ſuum, poſtumum opus futurum, indies abſolvit. *Boyus* Muſſii manes vehementer vexat. Vidi nuper apud *Grotium* Epigramma Reginae tuae (verè dico tuae) imagini appoſitum ab ipſo heroë; ex quo uta ſaltem memini; ſi recte memini

Quisquis Hyperborei cernis miracula regni
Tantaque totque una in virgine dona ſtupes.
Quid mirare ſuas moderantem Palladа terras?
Haec etiam Arctoo nata Tonante fuit.

Placet, ſi tibi non diſplicet. Ego jam ad aemulationem rapior. Vale, Suaviſſime Heinſi; & amore tuo me porro complectere. Dabam ex grabato, Hagae, VI. Id. Nov. CIↃ IↃ CLII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXXIV.

JANUS VLITIUS
NICOLAO HEINSIO S. P.

fauſtumque ad ſuos reditum ex animo precatur.

Florentiam.

JAM alteras ſubſicive ad te parabam, Heinſi Praeſtantiſſime, cum ecce tuae peropportune afferuntur, Florentiae datae VII. Kal. Januarias, & Kalendis ipſis Februariis huc demum perlatae. Hoc ſcilicet compendii facimus, dum tuae Antverpia, quo omnes ex Italia Germaniaque epiſtolarum faſciculi perferuntur, non recta Bredam, ſed prius Leidam mittuntur, atque inde iterum ad nos. Idemque puta factum de illis, quas ad te dedi. Sed utcunque tandem tuas accepi, nihil mihi gratius deſideratiuſve accidere potuit, quam longinqua iſta conſolatio; & amoris tui viva expreſſio. Quanquam ſane parva illa videri jactura poterat, unâ de tribus amiſſâ, cum paucis poſt diebus Bredam reverſi utramque ſuperſtitem etiam amiſerimus, eadem morbillorum ſive Exanthematum (ut vocant medicorum filii) peſtilentiſſima lue abreptas. Ita ut ſoli nunc domo moereamus vacua. Suſtinui tamen damna univerſa brevi epigrammate ſive cenotaphio complecti;

Qui modo tres habui, cariſſima pignora, natas,
Juraque tergeminae prolis adeptus eram;
Mox orbus totidem moeſtiſſima funera duxi,
Intra bis denos praecipitata dies.
Abſtulit idem omnes morbus, menſisque November,
Deliciasque ſimul, diſcipulaſque meas.
Hei! mihi, quod nullo procedant ordine fata,
Cogar ut haec natis reddere juſta pater?
Hoc ergo meritis poſui pro marmore carmen;
Debuerant ipſae quod poſuiſſe mihi.

Quin addidi & epitaphium monumenti vice, quod, quia longiuſculum, hîc omittam; ne ferali hoc menſe ferales literas ſuperaddam. Sat naeniis lacrimisque datum. Et dolorem abrupit novum gaudium, quod hiſce diebus percepimus ex ſententia pridie Kal. a Senatu Hollandico ſecundum Regiam Principem, Dominam noſtram, latam. Quanquam nullus dubitem ad Supremum Senatum provocatum jam iri ab Avia, quae nihil intentatum reliquit, quo Illi adverſaretur. Nec parum laetitiae publicae acceſſit, quod Regina tua, quam arma in nos ſpirare, & piratis Britannis plus aequo favere acceperamus, pacata & in mutuum foedus propenſa certo feratur. Hoſtibus noſtris illius ira, nobis omnino propitia Pallas illa maneat. In quem finem non inglorium tibi fuerit, mi Heinſi, tam ſalutarem Patriae tuae operam navare; & vel

car-

Digitized by Google

carminibus tuis delinire ſubiraſcentis Dominae mentem. Encomia Etruſca ſimulac abſoluta fuerint, vehementer videre geſtio. Jam enim iſta lingua maxime capior & delector. Saepenumero etiam aliquid in illa molior; quale nuper hoc Epigramma, quod Sobrinae meae Arſeniae, puellae nobiliſſimae, & linguae etiam iſtius ſtudioſiſſimae me & Bornio (is nunc domuitionem parat; imo mutationem dicere volebam. Leidam enim vocatus eſt ad Profeſſionem Philoſophicam, ſupernumerariam, non tamen extra ordinem. Tametſi adhuc fluctuare videatur, dum dimiſſionem differt Domina. ἢ ταῦτα μέν ὄπιθεν ἐν παρόδῳ) auctoribus & inſtitutoribus dicavi, aliud agenti excidit.

SONETTO.

Alla virtuoſa Signora, la Signora ISABELLA ARSENIA.

De la beltà, ch 'il ciel donna vi diede
Il men ſi ſcuopre, il piu dentro s' aſconda;
Begli occhi, bianco ſen, & chioma bionda
Ogn' uno amante adora, non che vede
Ma la virtù che l' anima poſſiede
Et l' arte delle lingue in te ch' abonda
Nel cuor mio un piu ſchietto amor diffonda
Et d' eſſer fra gl' amanti tuoi concede.
Non tu pero ch' adorna la natura
Sopr' al conſueto, Arſenia corteſe,
Col pettine ti dar faſtidio ò vetro
Ma queſta ſempre ſia tua prima cura
Di far tuo nome ubombar adietro
In Roma, Francia, Olanda & terra Ingleſe.

Has enim quatuor linguas callet. Sed quid ego aliud, quam noctuas Athenas, qui rude hoc tirocinium tibi in Etruriam, & quidem inter ipſos Academicos verſanti mittam. Ignoſce, mi Heinſi, & ſtudio imputa, ſi quid peccavi. Vel ſi ulciſci temeritatem meam animus eſt, aliquam ex tuis illis Elegiis in Britannos piratas vibratis appone. Jam enim dudum eſt, quod expectatione Poëmatum tuorum diſcruciamur. Et altrinſecus fruſtratur nos quam foediſſime cunctator *Wallius*, qui Kinſcotiana etiam prorſus ſupprimit. Tu cave ne tali executori tua aliquando committas, mi Heinſi. Sed jam manum de tabula. Vocor enim in Senatulum noſtrum, cui totum me jam mancipavi, donec liberius poſtmodum licebit πολιτεύεσθαι, ſimulac Dominae gratiâ deſtinatum aliud munus obtinuero. Tu interim, Heinſi Amiciſſime, vale, & nos amare perge, qui te tuaque ſtudia in oculis ferimus. Dabam Bredae, ante focum, quia frigus erat, v. Februar. CIↃ IↃC LIII.

De Alaſtore tuo (niſi is jam piſcis factus, qui graculo quovis antea loquacior fuit) ſaeculum eſt, quod nihil audiverim. Nec quidem de *Gronovio* amplius quicquam habeo, ex quo Hagae una fuimus. *Grotius* heros optima ſpe ob-

Digitized by Google

obtinendi muneris Graphiarii (quod vocant) peſſime excidit; idque unius opera *Wevelinchovii* veſtratis, qui unus, cum reliqui patres conſcripti aſſenſiſſent, paterna ſupplicia, & religionem objiciebat, non ſine acri exprobatione anteactorum. Patienter tamen ille repulſam fert, & conjugis in gremio ſe ſolatur, imagine captus. Iterum Vale.

EPISTOLA XXXV.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

QUam jucunda mihi ſit dieculae iſtius tecum noviſſime ac tam ſuaviter actae recordatio, etiam poſtquam in piſtrinum meum redii, nullis equidem verbis exprimere tibi poſſum, mi Heinſi. O utinam alteram atque alteram licuiſſet adjicere. Utinam & tu viciſſim nos hic in amoeniſſimo pineto inviſas. Sed jam vereor reorque te in Sueciam properare, turbatamque relinquere velle patriam? Deus bone, quo loco vivimus! Ubi iſta, qua res noſtrae creverunt, concordia? En quo diſcordia cives perduxit miſeros! Videant nunc ſaltem obſeſſi & perplexi Ordines, quanta fati vis ſit, quae ab Arauſionenſi gente pendet. Agnoſcant vel cum pueris proavi merita in pronepote. Sed ego tamen rebellionem iſtam, quae veluti arcana febris totum reip. corpus inſedit, minime probo. Et maluiſſem ipſam cauſam quoque procul abfuiſſe. Interim Hannibal ad portas, ad portus inquam. Nec deſunt vires, nec animus. Quare te felicem praedico, mi Heinſi, qui in tantae Reginae ſinu patriae labantis caſum ſolari potes. Memineris, quaeſo, mei, ſi (quod avertat deus) terra mutanda, aliaeque ſedes quaerendae ſunt. Jam, puto, concinnata habes, quae mandaveram, exemplaria. Sin minus, Elſeviriis meo nomine commenda, ut recte curentur. Parnaſſi mei alterum exemplar tibi tradidit reor Typotheta Nicolaus. Fac intelligam quando diſceſſurus ſis: & ſi quid voles, liberaliter impera. Ego pro virili annitar, ne indignum hactenus tam amice habueris: neve poenitendi aut deſinendi cauſam ullam habeas. Suaviſſimos *Elſevirios*, ac reliquos amicos, ſi qui mei memores ibi vivunt, ſalvere plurimum jubeo. Vale, Saeculi & Muſarum decus, & mei memor vive. Deum veneror, ut propitio pede ad Reginam redeas pergaſque. Iterum iterumque vale. Dabam Bredae, e Diaeta mea IV. Idus Sextiles, A. CIↃ IↃC LIII. Xenia, quae addo, boni conſule.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXVI.

JANUS VLITIUS
NICOLAO HEINSIO

Omnia ex voto propitia, ventosque in vela secundos, animitus vovet.

Leidem.

QUa quidem prece Epistolii hujus meliorem absolverim partem, quandoquidem incertus sim an naviganti, vel navigaturo saltem, tradetur. Non potui tamen pro affectu, quin novissimis tuis nil nisi merum amorem spirantibus aliquid reponam, quod hactenus vel invitus differre coactus fui; ut facile ex iis, quas *Rufius* heros & ego tumultuarie nuper ad te dedimus, colligere potuisti. Rediit interim ὁ περιπατητικὸς ex itinere *Bornius*, retulitque attonitus domi vestrae totum νοσοκομεῖον factum; unde, non sine dolore, percipiebamus manum fatalem properanti injectam. Imo forsan in proximum annum iter differendum. Quid enim facias, mi Heinsi, obluctantibus fatis; ac ingruente jam hyeme. Si me non audis, at Dido tuae saltem auscultа, momenti ac precanti:

Ne mediis properes Aquilonibus ire per altum
Crudelis. Quid? si non arva aliena, domosque
Ignotas peteres?

Caetera abominor. Auscultа potius Nasoni etiam tuo; *Quo ruis, obstat hyems;* & quae longo ordine apud eum sequuntur. Quae satis feliciter expressit in Suasoria sua Elegia *Rufius ὁ δεῖνα*, quam nuper demum mihi dedit, cujus initium:

Per mare turbatum petis impia litora, Vliti?

(media enim hyeme post maximas tempestates in Britanniam solvebamus) pergitque.

Quo ruis? obstat hyems, & vetat ire Deus.
Quo ruis? obscaenis vento prohiberis ab oris.
Justior, atque animo mitior ille tuo est.
Debuit hoc coelo tellus Tamesina relinqui,
Et per naufragium terra paterna peti.

Sed plura non addo, quae tu novisti rectius ipse. Tantum Nasonianum addo illud, vere ac tempestivum consilium:

Grande morae pretium; tuta futura via est.

Nec omittere possum, non me capere, cur tenebris te Suecicis damnare, quam patria luce ulterius frui, malis. Audio enim hyeme Apollinem tuum (qui te non respexit inertem) obliquo admodum lumine plagam illam vix per quatuor horas illustrare. Ignavi domum & penetralia Somni, tuus dixisset Ovidius, mu-

mutamque illic habitare Quietem. Quid si tenebrionem atque lucifugam te aliquis dicat? Quin itaque patriis laribus hyemem hanc indulges; & proximo vere Amphitruonaeas, vel potius Herculeas dies illas expecta. Nos enim congressu tuo vel hîc, vel quocunque jusseris loco lubenter fruemur. Subscribunt precibus meis *Rufius* (qui lepide nos indies excipit, visitque viciſſim) & *Bornius*, tui, ante aliquot lustra, aeque amantissimi. Utinam votis nostris te nulla fatalis necessitas obstringat! Sin pergis,

Y. pete CHRISTINAM, felix, ventisque secundis.

Scio te non immemorem nostri navigaturum, mi Heinsi, quod ut crebrioribus tuis subinde intelligam, & quando solves, & cum appuleris, rogo, atque obsecro. Deum veneror, ut omnis calamitatis expertem te navigantem vel potius proficiscentem prosequatur, aegrosque vestros pristinae restituat sanitati. Vale, Nobilissime Varum; meque, quod facis, amare perseverа. Dabam Bredae postridie Nonas Septembres, CIↃ DCLIII. *Rufius* P. S. Sal. tuam *Renano* addidit. CHRISTINAE luce forsan omnes tenebras, quae instant, dissipatum iri dicas. Carmen illud, in quo *rei* correptum recte notasti, (nam *reii* scribendum fuit, ex Lucretio) cum caeteris libris, quos illic reliqui, ut mittant *Elsevirii*, quaeso illos, S. P. dicta, moneas. Exemplaria REGINAE destinata bene curata, ex *Bornio* intellexi, habeoque gratiam. Si conveniens censueris, literas ad Ipsam AUGUSTAM addam. Tametsi ego quidem plus Suadae tuae, quam stilo meo confidam. Iterum semperque vale.

EPISTOLA XXXVII.

NOBILISS. HEROI

NICOLAO HEINSIO

JANUS VLITIUS S. P.

Ventosque in vela secundos, animitus vovet.

Leidam.

Cimbrica te Tethys hiemalibus aspera nimbis
Jactat? an Arctoi naufraga spuma freti?
Di maris & veli faveant modo; Di modo damnent
Plurima quae dixi solvere vota tibi.
Phoebe, tuum serves, servent pia numina, vatem.

Sed quo abripitur stilus, epistolam non carmen exorsus; Praestat itaque desistere, quam male finire. Vides, mi Heinsi, quo me lectio poëmatum tuorum, quae altera manu haec scribens tenebam, externatum abstulerit. Quî enim possem mihi a furore poëtico temperare, qui plenus adhuc caloris tui sum? Adeo igne illo tuo, qui plurimus ubique in tuis spirat, me afflatum sen-

Digitized by Google

tio. Jam nihil nisi otium deposco, ut tester tibi, quantum lectione entheorum versuum tuorum profecerim. Multum enim profeciſſe mihi videor. Quanquam non parum laboris mihi restat, in indagandis Heroicis illis, quibus luxurias & indulges, patronymicis. Nec desinam, donec omnia excussero. Sunt enim divina prorsus, ac veluti emblemata operis materiam exornantia. Trompiacos Manes *Rufius* & ego grato excepimus animo, legimus ac relegimus. Jamque praelo descripsissem, nisi scrupulus obstaret, quo super te consulere prius, decrevimus. Videmus, enim te miramurque ultimam in *juventus*; ut & in Eleg. I. Italicorum lib. II. in *servitus* corripuisse. Incerti prorsus quo authore, quave ratione id a te factum. Si exemplis te tueri potes, quaeso, quantocyus nos dubio hoc expedi, & ignorantiae nostrae ignosce. Sin minus, candori nostro fave, & remedium adhibe. Scimus enim quantum festinatio tua veniae apud aequos judices mereatur: & quam facilis ipse amicorum censor semper fueris. Quare omnino aequum censemus

Peccatis veniam poscentes reddere rursus.

Si tamen error erat: nec nos peccavimus ipsi. Quo loco res publica sit, dicere non possumus. Videmus enim omnia paucorum factiosorum arbitrio res domi bellique hactenus agi, pacemque cum Laestrygonis vel iniquissimis conditionibus prope emendicari; quos sub Regiis auspiciis contundi satius ac facilius esset. Sed manum ego de tabula. *Bornius* ante XIV. dies Lugdunum transmigravit: quem Propemtico hoc prosecutus sum; si tamen haec χάλκεα χρυσείοις admittis. Quod res ac literas meas tanto cum affectu in te suscipias, mi Heinsi, gratias habeo maximas, quas publice etiam testari brevi conabor; modo conanti tuus adsit Apollo. *Rufius* hîc hiberna agere sperat; eôque cohortem suam huc transferri parentis fratrisque opera curat. Rumor est, eum Arseniae, sobrinae meae, amore teneri, cui ipse causam praebuit. Quotidie enim accedit. Sed de amore ejus mihi tamen nihil omnino verisimile est. *Boxhornium* in fata concessisse, haud tu omnium ignoras, aut mirari potes, qui jam moribundum abiens reliqueris. Nos unice desideramus de adventu tuo in Sueciam quantocyus certiores fieri: eaque gratia Deum Opt. Max. ferventissimis veneramur precibus. Vale, Musarum saeclique decus; & nos amare perge. Dabam Bredae VI. Kalend. Novembris. CIↃ IↃC LIII.

Quod [1] *Maji* nomen aeternitati sacraveris, nollem factum. Fuit enim in Regem perfidissimus, scripsitque annales jussu parricidarum, quo nomine monumentum publicum, quod Monasterii descripsi, ab illis meruit; auditque ibi, si Diis placet, Historicorum ac Poëtarum sui temporis facile princeps, ut caetera mendacia omittam. Miror item maximopere, quod Trompiacos Manes tibi obfuturos metuas, postquam tam largas publicato nomine vindicias a Regicidis sumseris. *Langermanno* Clariss. S. P. D. nec non Clariss. *Vossio*; si nostri memor agit.

[1] Edidit *Thomas Majus* supplementum Pharsaliae Lucani, quod carmine laudavit *N. Heinsius* inter Juvenilia libr. II. p. 274. edito.

ODE

ODE προπεμπτικὴ

ad Cl. V. HENRICUM BORNIUM.

Breda, victoris monumentum Arausi
Quamque Hyantaeis nova regna divis
Diximus nuper, Claria revincti
Tempora lauru.
At tuus jam nunc ubi ubi ille restat,
Notus Eois Libycisque terris,
Splendor, & nitentis in astra praecox
Fama Lyaei?
Occidit plenus Fredericus aevi,
Occidit primis Gulielmus annis,
Patriae heu! quondam decus unicum, nunc
Flebile nomen!
Ilicet raptis ducibus profundo
Aream belli Veneris maritus
Fixit, ingenti meditatus umbrae
Solvere justa.
Pallas inversam quatiens olivam,
Et faces post terga rotans supinas
Funus Heroum comitata terras
Moesta reliquit.
Nec sequi divam placido moraris,
Integer morum, pede, Brosterhusi,
Tuque supremum regimen Minervae,
Docte Philaemon.
Caeteras quid jam cumulare clades?
Quid juvat sero sapuisse Troas
Hectore amisso? Sophiae ille verae
Publica cura,
Una collapsis mora spesque rebus,
Bornius, scenae satur otiosae,
Jam lares vertit, vitreoque Rhenum
Praetulit Adae.
Hoccine, o Borni, fuit? hoccine illud
Ultimum cladis miserae quod addi
Restitit Bredae? siluasque & urbem
Linquis amatas?
Hei mihi! quid jam vasuo Lycaeo?
Quid putas mutae fieri cathedrae?
Jamque feralis Sophiae dicata
Atria circum
Horror obsedit: pariesque & ipse
Fidus auditor tuus, ut profectum
Sensit, ubertim maduisse fletu
Fertur amaro.
Vidimus summa trepidare ripa
Vortices Mariae; lachrimosque multo
Imbre crescentes sibi miscuisse
Vidimus Adam.
Pinea Nymphas ululasse silva,
Foederis nostri memores, & hujus
Carminis testes tibi quod vovebam,
Credere fas est.
At mihi si quid faciles Camoenae
In tuas olim peperere laudes,
Ne queri hoc ipsum, te abeunte, possem,
Cuncta negarunt.
Nam quid haec surdis rapienda ventis
Vela qui longe tua propulere
Fundo nequiquam? Batavum momordit
Anchora litus.
Sospitem jam te Zephyri tulerunt,
Qua caput ponto vetitum reclinat
Rhenus & flexi mediam instar arcus
Circinat urbem.
Jam reor notum ac veterem clientem
Pallas excepit, Sophiaeque in aede
Entheo circumradians honore
Rite sacravit.
Fallor, an laetam video juventam
Ad novi mystae properare dextram.
Fallor? an crebros resonare tectis
Audio plausus?
Instat exultim numerosa pubes,
Gestit & plenis pluteis doceri:
Et Batavorum stupuit loquentem
Purpura Patrum.

Digitized by Google

Euge! sic veri dubiam Stagyren
Assere, & serae vigiles lucernas
Dedica famae, ratione certa
Singula firmans.
Euge! sic dia Sapientiae arte
Imbue attentas docilesque mentes:
Quam secuturis meliore saeclis
Fonte nepotes
Hauriant. Sic, sic Sophia magistra
Itur in coelum: & penitus reclusa
Sensibus natura patet, stupore
Libera ab omni.

EPISTOLA XXXVIII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

Quas Hamburgo ad me candoris affectusque plenissimas dedisti, iis obiter quidem, sed non ex merito, respondi, Heinsi dulcissime. Quapropter continuo me ad lectionem Poëmatum tuorum totum accinxi; utque diligentiae meae specimen tibi mihique constaret, plurima hinc inde, (instar florilegae mellificantis apis) delibavi, unde peculiarem favum conderem, quem nunc primigenio autori suo, tibi, inquam, Mellitissime Heinsi, gratiarum ergo, oblatum eo, volo. Duplicem tamen veniam in praeambulo mihi posco; Primam, quod nonnunquam liberius te imitatus sim. Non id plagiariè factum puta: sed quod cum tua tam lubenti animo hauserim, altius memoriae sensibusque infixa insederint. Ita postmodum mihi item evenit, ut Elegiam alteram, quam *Catsio* meditabar, exorsus fuerim; *Carmina quae tenero juvenilia lusimus aevo*; cum postea vidi, te Epigramma tuum praeliminare hoc ipso inchoasse versu. Appositum ad hoc memini Anglorum diverbium; *Good wits jumpe together*. Tametsi de caetero minimè diffitear, me data opera ac studio pluscula ex tuis adumbrasse, nec id vituperio, sed laudi potius duco. Alterum quod excuses, est, quod primum hunc meum in Elegiaco genere conatum, tibi, ὥσπερ γλαῦκας Ἀθηνᾶζε praesumserim inscribere. Quanquam facilem mihi in utroque veniam a candore tuo spondeam. Major adhuc animo inhaeret scrupulus, an commode navigaveris, & an, *Holmiacos teneat salva carina sinus*. Cujus omnino certior fieri desidero; tum item, an quas VI. Kal. Novembres ad te dedi, acceperis; & quid in dubitato illo in Manibus Trompianis versu reponi cupias. Nos enim nullam adhuc autoritatem, quae isti loco patrocinetur, invenimus; & omnes Grammatici clamant τά in US tertiae ultimam producere. Nisi tu illis hic crucem figere voluisti. *Rusius*, qui mecum haec sentit, adhuc in urbe nostra haeret, amore Arseniae Sobrinae meae, ut videri aliquomodo vult, detentus. Et jam vulgo dudum prosponso declamatus. Ego quid sentiam, haud dum dijudico. *Bornius*, ut scis, Leidae jam est: sed magno cum detrimento stipendii, quod cum altero divisum habere fertur. Si ita est, praestitisset integrum hîc etiam in otiosa scenâ servare. Haec quidem domi. Mil tiae autem novas iterum turbas exhibet incur-

Digitized by Google

cursus Lotharingiorum in ditionem Gemerensem, quae dubitatur & disputatur, an Silvaeducensi subsit, an sibi relicta. Legati ex Anglia reduces re infecta expectantur, a Cromwellio non semel jam elusi. Vale Nobilissime atque amicissime Heinsi, &, quandoquidem me amas, perge studia mea apud AUGUSTAM tueri. Dabam festinanter, Kalendis Decembribus. CIↃ IↃ CLIII. Memineris, [1] Propemticon meum ita impressum, ut possit nuperae Gratii Editioni, post Epistolam meam ad te datam, commode inseri. Cujus misi exemplaria aliquot, quae, si videretur, & tuis insererentur Exemplaribus. Si typis interfuissem, nonnulla mutassem. Puta illud

Rufus haec mecum calama non ludit agresti,
Dodonis Elysium qua legit umbra nemus.

Et, *Mox Agrippeae propter Sibethides urnam.*

Et alia, quae festinatio eripuit. Initio autem errore impressum fuit: *Postulat hos*, pro *hoc*; tametsi semel ita emendaram.

[1] Legitur illud libro II. Adoptivorum Carminum ad Heinsium p. 63.

EPISTOLA XXXIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Jano Vlitio.

Bredam.

Minus diligentem me expertus es jampridem in scribendis literis, Vliti suavissime, quod valetudo non procedat optime, & vires langueant. De adventu tamen in Sueciam meo certiorem te feci, deque Gratio tuo serenissimae Reginae oblato. Excepit illa munus praestantissimum solita benignitate, & pergratum sibi esse verbis amplis est professa. Quare si liberaliter tecum non est actura praeter ordinem, id temporibus potius adscribe, quam ipsi Dominae: quae pretium praeclaris ingeniis scit ponere. AErarium ejus attritum esse valde nuper significabam, si pax inter Anglos & nostros sancitur, melius procedent omnia. Rarius illam accedo, tum quod Hyberno coelo non libenter me exponam, corpore haud satis firmo, tum quod ipsa tota sit in publicis, credo, ut privata tanto diligentius posthac curet. Conscriptus est Senatus huius Regni de rebus arduis, quantum apparet, acturus. Negotium totum brevi intelliges. Ego interim Principem optimam conciliare tibi haud negligam, ubi occasio sese offeret non longa quaesita. Venio nunc ad tuas, quarum alterae VI. Kal. Novembribus, alterae Decembribus ipsis Kalendis anni proxime elapsi exaratae erant. Posteriorem Elegiam elegantissimam habebant additam, quam profectioni in Sueciam meae dedisti. Totum te esse in lectione poematum meorum quod prioribus testareris, versus expectabam, si non malos, at ne bonos quidem, ut ingenue nunc proferam quod sentiebam tunc temporis. Jam vero, cum nihil contagii contraxeris ex tam pestilenti & lutulento libello, facile agnosco venam perennem tibi esse, & prorsus defaecatam. Si primi conatus

natus in elegiaco carmine tam feliciter succedunt, quid a te promitti non potest post exercitatum in hac palaestra usu continuo ingenium? Perge igitur, ut caepisti, & gentis nostrae gloriam arte poeticâ quaesitam latius propaga, ac extende. Primo intuitu offendebant nonnihil oculos Τὸ *Dodonis* secunda correpta, & *sebethidos* pro *Sebethi*, *& Anienis* pro *Anienius* aut *Anio:* sed priora duo a te praeoccupata mox vidi & laetatus sum; quanquam ipsa sunt ejusmodi, ut eruditos etiam lectores possint fallere. Carmen istud hodie aut cras ipsi Dominae exhibebo, si aditus mihi ad illam patebit. Si quid interim in eo mutari vis, secundae poëmatum meorum editioni para, quam libro adoptivo auctam atque ornatam dabo. Trompianos manes nimio impetu effuderam, ut mirari non debeas, si quae occurrant in illo carmine non satis ad limam exacta. Revocavi ad curam paulo post omnia, & non nulla addidi; praesertim in digressione illâ invectivâ, qua Anglos defricabam. Placeo enim mihi, ne quid dissimulem, in exagitandis feroculis istis belluis. Legatus Pelopidarum hic palam jactat, a suis hoc bello captas naves Batavicas Mcccc: idque pro re certissima & Dominae & cancellario, & aliis proceribus juratus per Cromwellum (quem τὸν Δία τῶν Κρητῶν nosti, cuius sepulchrum utinam brevi ostentent, ut nunc ostentant cunas) adfirmavit. Plures ejus facetias proferre nunc possem, si id ageretur. *En fin, om dat hy souw teonen dat hy een Engelsman is, soo liecht hy leugens met steerten.* Sed ad Trompianos manes ut revertar, versum illum, qui te merito offendit, cum aliis multis iam secundis mutaram curis, hoc nimirum modo, *Gloria par proavis nostra juventa suis.* Si otium nunc esset, carmen integrum describerem, sed tanti vix est. To *servitus* recte etiam carpis in alterâ elegia, quanquam enim non nesciam & posteriorem in [1] *Palus* ab Horatio correptam contra leges Grammaticorum, & hujus notae plura corradi ac proferri posse ex aliis optimae notae poëtis, culpam tamen & supinitatem ingenue profiteri malo, quam aliena licentia me tueri. Hujus farinae multa ne exciderint metuo incogitanti. Sed hanc labem feras necesse est in homine, tot jam annos vitam vere scythicam barbaramque in equis & plaustris assidue agenti, & a bonis auctoribus non minus exulanti, quam a patriâ. Utinam cum Musis ac Bibliothecâ meâ aliquando redeam in gratiam, ut emendare possim quicquid peccavi, & vineta mea caedere. Eo certe curas omnes jam converto, & spero votis meis Dominam non obnisuram ultra. Interest enim mea, ut tandem Ovidius post tanta promissa & tantos hiatus lucem aliquando videat notis necessariis illustratus. Coeperam ei jam manus admovere, sed quid possim, inter turbas aulicas? Otio opus est, ut a contemptu conatus istos vindicem. Omnia mensium quinque aut sex spatio absolvi possent. Videbis coniecturas plurimas non contemnendas, plures locorum restitutiones ex libris manuscriptis depromtas: versus etiam ducentos & plures adulterinos hinc inde ejectos, qui aut adversantur poëtae menti, aut inepti sunt, & pulcherrimum corpus deformant. Quod miror tot eruditos interpretes non vidisse: praesertim cum a melioribus membranis nonnulli illorum absint. Ode Propemptica ad *Bornium* scripta valde mihi

1 Vide quae de his commentatus sum in Ovidii Metam. lib. 1. vers 121.

Digitized by Google

hi placuit, ut tua ſolent. *Mayum* laudaram iam ante decennium, cum praeſagire non poſſem Regi infeſtum fore. Editum etiam carmen illud jam ante ſeptem fuit annos Pariſiis, ut ſero nunc ſit futurum, ſi id premam. Cum *Bornio* agi non bene quis miretur? Cum ita curetur res Academiae poſt evocatum ex Galliis *Alaſiorem*, ut bonis male, malis ſit bene. *Boxhornio* ſucceſſor datus neſcio quis, rejecto *Gronovio*, qui ſolus ex noſtris hoc munus merebatur. Sed relinquendi ſunt ſuo ingenio, aut Curatores dandi Curatoribus. Ipſi vident & fatentur annis proximis homines aliquot putidiſſimos in Academiam vocatos, & tamen non diſcunt ſapere. *Ruſium* noſtrum in oculis fero aſſidue. Is quaeſo ſalveat. Vale, vir ampliſſime, cum tota familia, & ſubinde literis tuis me bea. Upſaliae x. Kal. Martias. CIↃ IↃCLIV.

EPISTOLA XL.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

EX quo in Sueciam appuliſti, unicas tantum a te habui? Heinſi amiciſſime, x. Kal. Mart. Upſalia datas: alteras, quarum in iſtis meminiſti, non accepi. Iamque dudum iis reſpondiſſem, niſi te cum Regina huc adventurum exinde certo credidiſſem: vel ſaltem brevi ſubſecuturum. Dum vero ſpe iſta oblector inani, aliquot elapſi ſunt menſes, antequam officio meo me defuiſſe agnovi. Quod uti ingenue fateor, ita facilem mihi a te veniam promittere audeo, mi Heinſi. Quanquam alias & alias cauſſari poſſim occupationes, qua publicas qua privatas. Reip. enim atque hiſtoriae Bredanae ſerio ſimul me accinxi. Pleraque ex media barbarie indaganda. Quo factum, ut vix Latine ſcribere poſſim. Conatus tamen fui, ſecundum exhortationem tuam, aliquid in laudem Reginae tuae proferre. An tanti ſit, tuo relinquo judicio. Statueram ipſi offerre. Sed dum ſub praelo Moretiano erat, illa Bruxellas excurrerat: & antequam inde redierat, ego domum vocabar. Ita factum, ut ipſam viderim quidem, non autem allocutus ſim: Oden autem meam cum *Voſſio* reliqueram, qui poſtmodo ſcripſit ſe illam Reginae tradidiſſe. Nec deinde quidquam aut de Reginae approbatione, aut quid de ea actum ſit intellexi. Varii tamen in vulgus ſparſi rumores, de ipſius Reginae tum animi tum morum inſtabilitate. Hiſpanicae factioni addictiſſimam, muliebrem ſexum prorſus averſari, neque opera aut conſortio muliebri hactenus in Belgio uſam. Miniſtros etiam Evangelicos a ſe dimiſiſſe pridem, tanquam inutiles & ſuperfluos comites. Geſtus ſane obſervavi non nimis decoros aut bene compoſitos. Archidux *Leopoldus* palatii ſui partem excipiendae Reginae paravit; ubi hibernatura dicitur, a Legato *Pimentello* Regis nomine colenda. Reditus etiam a Suecorum Rege negari fama eſt. Et neſcio quae non; Bohemiae regina illam jam recenter inviſit Antverpiae, picturis ſpectandis intentiſſimam, a Sacris omnibus alieniſſimam, in Scenicos luſus, aliaſque nugas nimis propenſam, &

plura ejusmodi convitia jam dudum etiam apud bonos fidem invenere. De Rom: Rege eligendo, inter Reges ingens certamen. Mazarinum pro suo agere; seque in PP. locum destinare ferunt. Alii Suecorum Regem idem affectare. Reginam tamen Austriacis favere. Ego nuper Opt. Parentem tuum, Leidae cum essem, vidi: corpore animoque satis adhuc pro aetate valentem: memoria autem labili. Jubebat enim, ut te suo nomine salutarem, simulac ad te veniissem. Ante paucos dies Leidae iterum cum essem (cruris enim exulcerati causa identidem ad Christianum chirurgum remeare cogor) ex ancilla vestra intellexi, te Legati ordinarii titulo auctum. Quod si ita est, ex animo tibi gratulor. Sin minus adhuc perfecta res est, opto ut ex animi voto tamen succedat. Res publicae hic nondum satis quietae: Principe a Transisulanis in praefectum, Gulielmo Comite (qui & Princeps nunc audit) pro praefecto, creatis: quantumvis obnitentibus Daventriensibus. Gelri & Ultrajectini idem moliri dicuntur, Hollandis licet ringentibus. De gravissima Delfensium clade jam audiisse te reor: uti & Anglos Gallias infestare. *Pompejus*, Ille olim a te debellatus, sobrinam meam Waesdorpiam ante triduum duxit, improbante & adversante socero quondam suo *Rufius* heros alteram sobrinam Arseniam jamdudum frustra in matrimonium efflagitat. Haec sunt quae impraesentiarum tibi scribere potui. Vale, Reip. novum decus, & nos amare perge. Plura brevi forsan de rebus nostris intelliges ex *Wyckio* vicino pridem meo, nobili Westfalo, qui Militiae Suecicae pro militum centurione operam suam addixit; & proximo anno eo navigaturus est. Iterum atque iterum Vale, Heinsi Amicissime. Dabam Hagae Comitis, ex aedibus quondam Kinschotii nostri, cujus poemata frustra etiamnum desideramus, XXIV. Novembris CIↃ IↃCLIV.

In Elegia mea recte carpis supinitatem meam. Puto tamen me dudum correxisse *Dodonis Lysium qua tegit umbra nemus*. Vocatur *Liesboscb.* vulgo. Poëmata tua quotidie adhuc revolvo; nihilque vena tua indignum praeterea invenio. *Thysium* quondam affinem *Boxhornio* suffectum scire te existimo. *Burnius* egregie agit.

EPISTOLA XLI.

AMPLISS. & CL. V.

NICOLAO HEINSIO

JANUS VLITIUS

Novam gratulatur dignitatem.

Holmiam.

QUas tu anno jam elapso, mense Novembri ad me dedisti, Heinsi suavissime, eas hoc demum anno (quem faustum propitiumque tibi cum multo honoris amplitudinisque auctu precor) atque mense accepi. Eodem fere tempore atque argumento ad te scripsi, addita Ode ad Christinam Aug. Quae quidem interea temporis Bruxellas migravit, aulaeque in parte recepta est ab Archiduce Leopol-

do.

Digitized by Google

do. Parum abfuit, quin addiderim; *Et nunc ille Paris, cum ſemiviro comitatu* cantorum puta, quibus imprimis delectatur. Fama, cui ludibrium nimis illa debet, nuper Regi Hiſpaniarum, deinde ejus Spurio Joanni, nunc ipſi Archiduci nupturam tulit. Quod luculento iſti chirographo ſuo, quo te donavit, detraxit, id nunc in hiſtriones & pantomimos larga manu effundit. Non audeo tibi vel in aurem committere quae hîc vulgo de ea narrantur; ne injuriam faciam & tuae & meae tam recenti de Auguſtae laudibus ac virtutibus opinioni. Hoc unum animo inſedit atque inhaeret. *S. M. Eſtant demandeé, ſi elle n' avoit point des miniſtres ou preſcheurs dans ſon train, Elle reſpondit, que non; d' autant que partant de Suede elle s' eſtoit defait de tout ce que luy eſtoit inutile.* Ad te nunc redeo, mi Heinſi. Poſtridie cum ad te noviſſime, ut dixi modo, ſcripſiſſem, in *Ommerium* noſtrum forte incidi. Is mihi tum, quod ſubaudiveram, aſſeveravit te Legati titulo condecoratum, ſtipendioque quater M. Florenorum auctum: Ordines vero mirari, ſe hactenus nullas a te accepiſſe literas: Promotorem tuum fuiſſe Ampliſſimum *Beuningium*, quem, caetera hactenus ignotum, vel eo nomine plurimi facio, & data occaſione colere atque obſervare annitar. Laudo ſane conſilium tuum, quod tempori, ut ajunt, te temperaveris, fortunamque tuam melius, quam Domina, ſtabiliveris. Ubi *Voſſius* haeſitet, dudum nihil audio. Certum mihi eſt, contemptum iri. Tota enim Hiſpanis verpis addicta eſt; moderante utrimque omnia *Pimentello*. Nuper cum Leidae aliquamdiu agerem (occaſione ulcerati malleoli pedis, quem feliciter ſanavit chirurgus ille celeberrimus *Chriſtianus Regius*) optimum Parentem tuum obiter conveni; qui videbatur mei adhuc meminiſſe, jubebatque, ſimulac te acceſſiſſem, ſuo nomine plurimum ſalutarem. Caetera enim ſane mecum locutus fuerat. Adeo ut mirarer; nec minus ingemiſcerem ob injuriam aetatis. Uſus fui hoſpitio *Bornii* noſtri, qui ſane ſtrenueque philoſophatur, tui ſemper memor. Conflictum habuerat acrem cum *Heidano* caeteriſque, ob ſuffragii jus. Quod nolueram quidem. Sed tamen Curatorum patrocinio triumphavit. Mira tum temporis res acta in corrigendis erratis typographicis S. Scripturae vernaculae verſionis. Magno enim molimine atque ſumtu nihil prorſus actum. Sed jam in piſtrinum hora me vocat. Vale, Ampliſſime Heinſi, & ſi me amas, ſaepiuſcule compella Vlitium tuum. *Ruſius* ingenti ardore ſobrinam Arſeniam meam, puellam ingenioſiſſimam, me ſere conſcio, hic amaverat. Et videbatur voti compos. Sed illa Hagam ſimulac migraverat (mortuo praeſide *Arſenio* avo ſuo, cujus nunc aedes inhabito ampliſſimas ſub patruo curatore animum mutavit; qua re factum, ut heros noſter, tentatis fruſtra omnibus remediis, ſpe ſua luſus ſit. Ne pagella haec vacet, claudum addam epigrammation, a claudicante aliquo inter navigandum elapſum.

Aulam Guilelmus quam Archidux Leopoldus
Habitavit olim, fertur ipſe Chriſtinae nuper
Feciſſe vacuam, ſeque jam in Gynecaeum
Quod Iſabellae dicitur, recepiſſe;
Effeminatum nunc utrum magis dicas?

Ego interim in annalibus Bredanis concinnandis totus ſum. Vernacula omnia agam. Quod ſi Epigrammatio aliquo opellam meam condecorare dignaberis, gratiſſimum erit. Iterum Vale Heinſi ſuaviſſime, & cura Patriae noſtrae incolumis, diuque vivas. Braedae dabam pridie Kal. Februarias CIↃ IↃCLV.

EPISTOLA XLII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Stokholm.

ICk ſal by deſen een aanvangh maeken van't geene ick lange gedreyght, en ook by eenige vrienden in trayn gebracht hebbe, te weten om eenmael myn moederlycke tael wat beter en meer te oeffenen, ende de correſpondentien daer door te bath faciliteren. Ick vertrouwe dat uwe Ed: ſulx niet onaengenaem ſal weſen, dewyl Uwe Ed: ſelver nu ſich in gelycke betrachtinge vindt, waer van wy de blyckelycke proefſtucken in weeckelyke miſſiven aen haer Ho: Mo: met curieuſheid en niet ſonder verwonderen ettelycke maelen geſien hebben. Het is my van gantſer herte leedt, dat de doot van den goeden heer uwer Ed. Heer Vader het eerſte ſubjet moet zyn, waer over myn Duytſche penne haere ſchuldige plicht van condoleantie by Uwe Ed: te bekleeden heeft, hoewel ick niettemin wel verſeekert ben, dat Uwe Ed: het verlies van ſoo Weerden Vader des te geduldiger opneemt, voor ſoo veel als de Nature, in regarde van ſyner Ed: Zaliger. hooggeklommene en afgeſloofden ouderdom, haeren vollen loop gehadt heeft, en de doodt ſyn Ed: veel eer verloſt als verraſt heeft. Ick hoope de eere te hebben van myn naem mede ontrent ſyne Ed: tombe te laeten hooren, hoewel niemant weerdigh genoegh daar toe en zy, ſoo lange Uwe Ed: en ſyner Ed: papiere kinderen leven ſullen. Uwer Ed: aengenaemen van 20. der voorleden maent is my ſpoedelyck en wel geworden. Ick ſal Uwer Ed: addreſſe aen Biſdommer, *die wy in de Engelſe Ambaſſade mede gebruyckt, en leeren kennen hebben, behoorlyck en wat dickwyls waernemen. Ondertuſſchen werden my weeckelyck toegeſonden de copyen van Uwer Ed: miſſiven aen Staet.* Ex quibus ſubentiſſime perſpexi, te Sparten iſtam, quam virtute tua nactus es, pari induſtria velle ornare atque tueri. De Zelandis non eſt, quod metuas: certe ſi modo Crommoniorum partes non prorſus ſubvertantur. Si ſcirem tibi placere, mitterem Auguſtae quondam noſtrae novam *P. Pontio* artifice effigiem, cui epigramma inſcripſit *Gevartius*, & ad me miſit. Apparet inibi Pallados ritu armata, depoſita tamen mitis galea, ut loquitur ὁ θεῖος. Miri hic rumores de Suecorum auxiliaribus copiis, quas illa fertur huc in Brabantiam curare acciri, jamque in præcinctu ſtare XIV. M. hominum. Spero vanos fore hoſce rumores, ac timores ruſticorum. Certius compertum habemus, Regem Sueciae in Polonos velle movere, & ingentem parare exercitum, uti ex tuis item vidimus. Sed mentione iconis Regii habita, occurrit & meae, quae ſub Pictoris ſtilo eſt, memoria. Non lac lacti ſimilius dixeris. Si vel diſticho aliquo id condecorare dignaberis, habebo ceu non intermorituri affectus tui quotidianum & tanquam domc-

domesticum pignus. Si pluribus te exprecari anniterer, vereor ne & in pronam humanitatem tuam & in publica commoda, pariter peccarem. Vale ergo Amplissime Legate, & nonnunquam vel per otium Vlitii ἁπλως tui esto memor, qui tibi omnia fausta & propitia auguratur.

Sed cum amphora coepit
Institui, currente rota cur urceus exit?

Elegantia stili tui in novissimis tuis, quas repetebam nunc, ita subito captus raptusque fui, ut patrii sermonis pene oblitus sim. Iterum atque iterum vale. Hymen tuum Mecklenburgicum videre gestio, mittamque vicissim poëmation meum in laudem Sorghvlitii Catsiani vernaculis ryhtmis conscriptum, quod nunc sub praelo est, ut operibus ᾧ δεῖνος accedat. Καὶ σὺ μέν, κᾶρα φίλτατον τὸ τρῖτον ἔρρωσο. Breda 20. April 1655.

EPISTOLA XLIII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

ESt ita, ut scribis, mi Heinsi: imo plus etiam quam scribis, siquid judico, excellunt literae tuae Latinae. Nec ego, ut ingenue tecum agam, vernaculas praetulerim; nec scabram adhuc nostram esse linguam, tametsi invitus, diffitear. Cogitabam nihilominus non sermonis vernaculo id vitio vertendum, sed nobis, qui dum exoticas linguas excolimus, maternam & indigenam, ut ita loquar, negligimus atque incultam relinquimus. Itali jam ante saeculum fere hodiernum, quo utuntur, idioma suum ita perpolivere, ut vel minimum, meo judicio, absit a prisci Latii nitore. Hinc ille *Tasso* Maronis aemulus, *Guarini* Terentium imitatus, *Ariosto* felix Ovidii tui affectator, & reliqui non poenitendi sane vates. Galli etiamnum linguae suae elimandae studio inhaerent. Nec Angli cessant πολυγλωττίαν linguarumque, ut ita dicam, farraginem augere; quaecunque in unaquaque delicatiora sunt mutata dialecto in suam asciscendo. Nos soli masculam nostram αὐτόχθονα, nec exotici fuci egentem indignam censemus, quam exornemus. Unus mihi visus est satis feliciter id inchoasse *Catsius*. Parentem tuum proximum constituo, qui liquido usus est sermone in παρέργοις suis Belgicis. Nam reliqui (pace magnorum aliquot virorum dixerim) exasperare potius sermonem patrium, quam ut expolirent, tentavere. Haec me ratio impulerat, ut nuper Belgice ad te scriberem; ut & alios. Eo magis, quod & felicissime te hanc Sparten, quam nactus es, exornare videbam, & provinciae isti conveniens studium censebam. Quo accedit, quod dum continuis litigatorum barbarismis indies exerceor, Latii sermonis magis magisque obliviscar. Nec tamen indignum operae pretium videbatur, quod Belgae bene & praeter vulgus Belgice & loqui & scribere anniterer. Jam enim & poëmata subinde vernacule pango: quorum unum

Digitized by Google

Catſio noſtro ita placuit, ut operibus ſuis, quae in unum nunc colliguntur volumen, praefigi juſſerit. Jamque ita aſſuefactus fere ſum, ut ne ſummo quidem conatu Latine dignum aliquid efferre potuerim, quod ſ μακαρίτῃ Parentis tui Illuſtri tumulo apponere auſim. Quid, quod nec amiciſſimi *Cromonii* mei manibus, ante menſem nobis immatura ſubitaque morte intercepti, hactenus juſta reddere valuerim? Sed jam in otium me componere decrevi feriis rebuſque prolatis, ut utrique quoad poſſim, ſatisfaciam. Scribam interim Leydam, ut intelligam, an Oratio funebris, vel ſaltem vita optimi Parentis tui haberi queat. Petierat enim id quoque Eccleſiaſtes noſter Gallicus *Hulſius*, Vir non minus probus, quam doctus, praecipue in Orientalibus linguis, quarum hîc Profeſſor audit; quibus, hortatu meo, piis manibus Parentis tui, niſi nonvis, mi Heinſi, parentare promiſit. Sed ut finem hiſce imponam, agamus porro, Amicorum ſuaviſſime, tu Latina, ego utralibet, prout occaſio ſe mihi obtulerit. De *Ruſio* noſtro dudum eſt, quod nihil audiverim. Et, ut in ſinu tuo querar, videtur is, ex quo Sobrinae meae amore fruſtatus eſt, contumeliam ſuam contemtu noſtri velle ulciſci; immerito! Per me enim non ſtetit, quo minus ea potitus ſit; nec per *Catſium*: ſed avus morti vicinus interdixerat; milites ſemper, & maxime obaeratos, utpote homo opum ſtudioſiſſimus, cane pejus & angue, exoſus. Oblitus paene eram pro cultiſſimo & anguſto vere Epithalamio tuo meritas grates agere. Miror unde homo tam negotioſus tantum otii nanciſci poteris. Quod patriam reviſere cogites, probo, gaudeoque maxime. Ego interim, ut quid agam intelligas, horrendae lanienae Valdenſium miſeratione tactus, origines eorum ac ſucceſſionem Eccleſiae noſtrae ab Apoſtolorum tempore vernacula deduco. Ordines noſtri, exemplo Protectoris, vel forſan jam novi Regis an Imp. vindicias hauddubie poſcent: niſi metu advenientium huc, ut rumor fert, Suecorum ſibi potius conſulere compellantur. CXXV. cohortes turmaeque in Tranſyſalaniam deducuntur, ut limites tueantur. Galli XVIII millia equitum, peditum VII. in Arteſiam ducunt. Hiſpani ſecuri ſe praedae ſervant, nihil molientes. Mirabilis haec futura videtur aeſtas, praecipue in Germania, ubi omnes principes, etiam Palatinus, ad arma convolare dicuntur. Imaginem Reginae proxime mittam, Antverpiâ ubi venerit. Vale, Ampliſſime Heros, & nos, ut facis, amare perſevera, tui obſervantiſſimos. Dabam ex aedibus Arſenianis, quondam Soc. J. XXII. die Juny CIↃ IↃCLV.

EPISTOLA XLIV.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

EST ſane, ut ſcribis; non vere tantum, ſed & jucunde: imo jucundiſſime. Placet mihi ſic a te increpari. Placet etiam vel rixoſum me tibi videri; aut, quod

quod malim & verius est, consultus juris & actor causarum mediocris habear, modo tu rixam istam mecum habere pergas; & cum litigatoribus meis sic porro litiges. Sed quid tu illis mali tantum minaris, qui verbis tantum eminus velitaris, nec coram congrederis? apage illa terriculamenta, meraſque formidines; & in arenam: si quid audes, & vir es, descende. Hîc Rhodus, hîc saltus; Bredae inquam. Ubi, cum Apolline tuo nos serenaveris, non dubito ullus, quin continuo diffugient omnes isti adversarii nostri,

Vasta fundorum barathra, bruta legum cymbala,
Et toga tenus patroni, qua imperitiam tegant,

Ut ego olim, cum meus essem, de illis, quos nunc, pro dedecus! quotidie frequento, ut literas, dulcesque ante omnia Musas, & si quid humani paulo ante in me fuit, dediscam, & obliviscar. Id sane nupero, tametsi momentaneo, congressu nostro, Jucundissime Heinsi, intellexi, quantum mutatus essem ab isto Hercule, qui tam suaviter olim tecum vixit; & cum suavissimae memoriae *Kinschotio*. Intellexi item, quam efficax monitor, imo medicus sis, qui me brevi in integrum mihi restituere, & ad sanam mentem revocare valeas. Huc ades, ergo, bone medice, & aegrum tuum tuique amore languentem revisas. Invenies eum vel in amoenissima, quam unquam videris, diaeta, geminos quae prospicit hortos; vel in amplissimo Musaeo, quod hoc titulo cognosces, τῆς ψυχῆς ἰατρεῖον: quod sane per te nunc instructius invenies liberalissimo ἀνδιδώρῳ illo, *Haraei* Annalibus, quos avide percurri protinus. Plura adderem, nisi coram exponere malim; modo tu festines horti mei fertilitate, annique opportunitate uti. *Brunonem* post discessum tuum vel ad satiem vidi; erat enim jam mane prope satur, vinum absintiacum totus redolens Donavit me Psalmis suis, satis concinne redditis, nisi quod se Belgicae novae versionis Hebraismis nimis adstrinxerit. O imitatores servum pecus, Flaccus dicat. Me autem hora iterum in pistrinum vocat. Vale, mi Heinsi, & affectus nostri securus esto, dummodo meus esse possum.

Dabam Bredae CIↃ IↃCLVI. III. Kal. Septembres.

EPISTOLA XLV.

JANUS VLITIUS

INCOMPARABILIBUS VIRIS

NICOLAO HEINSIO ATQUE ISAACO VOSSIO.

Hagam.

QUam jucunda mihi consortii vestri & eruditorum sermonum memoria sit, carmine hoc, rudi licet Minerva deproperato, testatum vobis reddere volui, Amicissimi Viri. Non quod vobis meliora non deesse nesciam, sed quo saltem non ingratus tot antehac & recentium beneficiorum ratiocinator viderer. Melam Nasonemque vestros testor, assiduos dum grabato claudus detineor

neor comites meos, nihil mihi domum reduci prius fuisse, quam ut studia ista recolerem, & beneficia vestra in utroque auctore agnoscerem. Nam tametsi publicis negotiis plerumque districto non semper, ut olim, vacat privatis studiis animum intendere; non tamen ulla mihi dies abiit hactenus, quin dulces ante omnia Musas istas saltem velut in transitu salutaverim. Nolo verbis meis credatis, sed ipsi, amabo, huc adeste (nam ita fere promisistis abeunti) & lectos, grabatula, diaetas & cubicula mea inspicite; quorum si ulla non aliquot bonis autoribus instructa, vel ullum eorum non probe attritum & annotationibus libatum reperietis, tum vero tot prandiorum coenarumque dicam mihi scribite, quot dies illis me non dedisse judicabitis. Sin vero insontem invenietis, ut revera istius criminis conscius mihi non sum, cur pro desertore habear, causam non video. Sed quid ego haec apud vos allego, Amicissimi Heroës, quos tale quid de me suspicari, nefas sit cogitare; quique me toties beneficiorum vestrorum participem non reddidissetis, nisi ea summopere mihi grata fuisse perspectum habuissetis. liceat hîc ex Nasone inserere, *Utque ea non sperno, sic acceptissima semper Munera sunt, autor quae pretiosa facit.* Quae sane tot ac talia sunt, ut nisi ea assidua gratitudine recolam, ingratissimus & indignissimus mortalium sim. Avertat id Deus; & studia vestra propitiet atque publico bono aeternet. Valete, Nobilissimi Heroës, & amare pergite Vlitium vestrum, qui vos in oculis fert. Dabam Braedae ex grabatulo assiduus VI. Kal. Octobres CIↃ IↃCLVIII.

En nucis meae exequias addo, si per Heinsium licet Nasonianae querelae obstrepere. Oden rogo & reliqui amici, ad quos pertinet, videant. Nam, singulis eam describam, nausea impedit. Si vero censura vestra dignum judicabitis, monitus libentissime corrigam. Iterum valete, docti duo lumina mundi.

1 Carmina, quorum in hac Epistola mentio fit, non reperi inter schedas.

EPISTOLA XLVI.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

QUod insalutato te, ut & reliquis, quos Hagae habebam, amicis, huc recta contenderim, mi Heinsi, per Flaccum tuum jam excusaveram, non apud te modo, sed & caeteros ibi amicos, *Hugenios, Junium, Vossium,*

Si quis & est alius, qui memor usque mei est.

Non tempestati tamen id, quam vocas, Poëticae, sed necessitati imputatum velim, quae me inopinum domum revocavit, jam supra mensem evagantem. Ita ut nec carmen meum typis absolvere licuerit, quod alias tecum omnino communicassem; non quod tanti sit, sed quia te consulto mihi in istis semper opus

Digitized by Google

opus fuit. Quapropter etiamnum te obsecro, ut, cum Leidam excurres, impressa jam inspicias, revideas, libereque censeas, atque indices quaecunque (si non omnia) displiceant; idque quantocyus. Mihi enim eo excurrere minime nunc quidem vacat. Idcirco en tibi, quos comites mihi indixeras, Higinum atque Palladium; quibus ego binos tuos addidi libros, non omissis, quas maximas pro usu eorum debeo, gratiis. Addidi & quaedam ad Optimum *Junium* pertinentia, quae rogo ut ei cum pari gratiarum actione ac S. P. restitui cures. Addidi denique, venia cum tua, aeneam tabellam Elsevirio vel ejus institori tradendam, typographoque transmittendam; Symboli & numismatis Regii, cujus mentio fit, qualemcunque expressionem continentem, & aversae titulo pagellae imprimendam. Nasoni tuo de seria cura tua & gratulor, & libenter gratificari vellem, si quid in me esset. Sed heus, quae ista surda an absurda, quam absenti & nihil sentienti minaris, Germanica an Thrasonica vapulatio est? Aperte loquere, quidquid id est. Nihil metus est. Et quin tu potius, ut promiseras, huc excurras, ut liberiore aëre animoque defaecatiore hîc fruaris. Hoc age, mi Heinsi, & bea temet ipso Vlitium tuum. Dabam inter rabularum verbosas litigationes e Senaculo Bredano XXIII. Julii die, CIↃ IↃCLX. Quidquid est, quod *Flaccus* de Rege imprimat, velim mihi mittatur. Nisi desistat ob ineptissimum libellum nuper Dordraci ejus de Rebus impressum, ubi & tua carmina, inter meras nugas, immerito suo leguntur. *Calepinus* & *Smetius*, quem remitto, tuus, mihi pessime persuaserunt secundam in *Delibutus* posse produci, quod Flaccus revincit, Patrisque tui Hipponax hodie primum me monuit. Quid consilii? quid statuendum.

EPISTOLA XLVII.

JANUS VLITIUS

UNICO, QUI RESTAT, POETAE

Nic. Heinsio.

Regem.

QUod me pararario, Optimo Regum te notum charumque reddere volueris, grates habeo quammaximas. Adeo que Musae tuae [1] genuinum foetum protinus accuratissimo descriptum stilo, praesente, sed nihil ista, ut scis, curante *Bornio*, Regi supplex obtuli, laetissimo illum suscipienti ac continuo perlegenti vultu. De Icone nihil addere potui, quippe ignorans. Caeterum quod censuram meam expetere super Epigrammate tuo videris, id solitae humanitati tuae potius acceptum do, quam ulli merito meo datum accipio. Utinam coram tecum consilia communicare, gaudiaque jam indies non nascentia modo, sed maturitati proxima participare liceat, mi Heinsi! Utinam Op-

1 Credo duo intelligi epigrammata, primum de Caroli I. caede, lib. III. Silvar. p. 192. alterum, in effigiem Caroli II. pag. 204.

Digitized by Google

Optimo Regi te sistere velis! Veni, eja, veni, & sapientis jam saeculi commodo fruere. De Hymenaeo tuo quod scribas, non mittas, enecas me. Age & te & illum nobis praesentem siste. Quin & Icona Regiam tecum affer, si parata est. De *Brunone* misere dejecto, imo abjecto, quod jocaris, non placet. Misero enim calamitas addenda non est. Optimis Heroibus *Zulichemiis*, *Grotio*, *Junio*, *Vossio*, *Wallio*,

Si quis & est alius, qui sacra nostra colit,

officia & obsequia mea cum S. P. offero. Tibi imprimis, rerum optime, fausta omnia, litisque perniciosissimae felicem exitum precor. Vale, mi Heinsi & si quid me amas, nil mihi rescribas, at tamen, ipse veni. Dabam raptissime charta manuque bibula, iter urgente *Bornio*, qui hasce secum ferre recuset, si quid carminis inesse sciat. Quare cave canem; imo Platonem dico. Scis enim quam inimicus sit κυνικίσμω ἐν τῷ πτύειν. Αὖθις καὶ αὖθις ἔρρωσο. Bredae a. d. XXIII. Aprilis, CIↃ IↃCLX.

EPISTOLA XLVIII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

HOccine est aequi in amicum Judicis, inauditum indicta condemnare causa? Egone, ut Heinsii me oblitus videar, ab ipso condemner Heinsio; *Hoc vel Planta velit, vel si quis stultior alter*. Amicitiam nostram, Musasque tuas, dulcissima mihi numina, testor, meo te pectore semper, Semper & ore meo, noctesque diesque fuisse. Haga cum discederem, supremum tibi caeterisque simul amicis valedixisse memini; cum Braeda recta Helium peterem, qui potui? At quid criminis, quod horribilem tamen in modum exaggeras, Panegyris mea commeruit, quae ne Regiis quidem se oculis hactenus communicavit, quippe inaugurationis festo destinata, nedum ut publicitus se prostituerit. Nemini, dico atque redico tibi, ejus copia quidem me volente aut sciente huc saltem usque facta est; nisi quod me absente Magistratus nostri, qui id juris sibi vindicarunt, cum eorum auspiciis quasi illa prodierit, amanuensem eo adegerunt, ut negare iis, etiam dominis suis, id non potuerit. Quod autem in Musas tuas adeo injurius sis, ut eas cum quisquiliis meis compares, nae tu pol quidem aut merita tua ignoras, aut me ipsum non nosti. Verbo dicam, non tali me dignor honore. De Epicedio grates habeo, ut & *Earlius* pro salute, quam illi tuo dixi nomine, simulque illud obiter communicavi. Sed & ille & ego nunc maxime diversim adeo occupati atque distracti sumus, ut de Bibliotheca nihil inquisiverim, tametsi & illam cum caeteris dissipatam nullus dubitem. Nullam etiam hactenus adire per continua forensia negotia potui. Et vix unum atque alterum inter doctos in transitu salutavi, *Molinaeum*, *Pellium*, *Philippium*, *Dugdalium*. Totos dies aut Palatinum aut fori Curiaeve limen obsideo,

Digitized by Google

deo, nec quando expugnaturus ſim etiamnum video: inſtante jam quippe XX. Decembris, quo Senatus uterque diſſolvetur, ut inaugurationi, quae VII. Februarii futura creditur, melius vacari poſſit. Maximo ſumtu cuncta eo parantur. Caetera ex impreſſo cognoſces. At quid tu interim, mi Heinſi, Nunc iterum hiberno moliris ſidere iter? De munere & gaudeo & gratulor ex animo. Quid de lite tua interea temporis fiet? De qua ſecurus mihi quaſi videris, qui ea poſthabita, alienam curas. Utinam modo in tua felicior ſis, quam in ſua meus ille affinis. Atque haec quidem, mi Heinſi, partim in ipſo Senatus veſtibulo, partim in diverſorio, inter rabularum calonumque aſſiduos diſcurſus atque conſuetos clamores, prout male ſcripta vides, in chartam conjeceram, cum domum & ad me reverſus dubitavi valde, mittendane an omittenda potius forent. Miſi tamen, ut aliquid mittam, quo meum ſaltem excuſem ſilentium. Percrebuit interim fama Primicerium *Hidaeum*, Ducem Clarentiae creatum, filiam ejus cum Duce marito in S. Jacobi commoratum ire; nepotemque praeſente Rege ſacro fonte ſolemniter aſperſum. Regis conſecratio in III. Maji diem dilata; caetera impreſſa mitto. *Voſſium* huc cogitare ex *Junio* avunculo lubens intellexi; nondum appuliſſe miror. Utrique, ſi ille nondum ſolvit, S. P. dici cupio; & huic inſuper me proxime ei reſponſurum, nunc aliis occupatum *Philippium* me interim conveniſſe, & talem, qualem mihi delineaverat, prorſus inveniſſe. Nova ubi perlegeris, rogo cum iiſdem; & ſi qui praeterea me abſentem amicitia ſua dignantur, praecipue Celſo meo V. Ill. communices, qui in vicinia illic habitat. De diſceſſu tuo, ſi modo hac hyeme proficiſceris, certior fieri cupio, ut ſaltem abeuntem votis proſequar. Poſtridie Kal. Nov. Jul. Thameſin una nocte ter aeſtuaſſe neſcio an obſervatum. Appulerat tum Regina mater. Ante ſex dies navis Regia, XL. tormentis inſtructa, ad nova Guineae commercia deſtinata, ſubitae vi tempeſtatis, prope Wolwichium (Woelwyck vel Wolwyck Belgice dicas) ſubmerſa eſt. Sed jam plus ſatis nugarum habes. Vale, Muſarum ſaeclique decus, & nos amare perge. Dabam modo Londini modo Weſtmonaſterii X. XII. & XIV. Decembris die CIↃ IↃCLX.

Bruno noſter & tibi & *Bornio* S. P. D. huic ſignificans *Bellaciorum* hîc etiamnum ſupereſſe familiam trium Iridis Florum inſigni utentem, quae Lilia vulgus vocat. Nova Gallice, ut ſolent, impreſſa non ſunt. Magna conſpiratio contra Regem Regioſque detecta fertur; & dux rebellium *White* cum IV. ſociis deprehenſus. Iterum vale.

Digitized by Google

EPISTOLA XLIX.

NIC. HEINSIUS

Jano Vlitio.

Brudam.

NAE nomen tuum, mi Vliti, inter Pyladas & Oreſtas referri meretur, qui abſentis amici tam religioſe memoriam conſervas? in Britannia degentem compellavi fruſtra non ſemel: compellavi poſtea & ex hac civitate, maximoque litterarum tuarum deſiderio me flagrare ſum teſtatus, ſed aut muto aut ſurdo omnia. Ne Panegyricum quidem tuum ad me perferri paſſus es. Quam atrociſſimam noxam non niſi verboſiſſima epiſtola expiabis. Jam enim exſpecto, ut Regem pro carmine munificentiſſimum ſis expertus, utque eques ex armigero repente factus domum redieris, ſi horum nihil, at ſaltem permitte pretium a nobis ingenio tuo poni. Advolet igitur ocius huc panegyricus, aut vapulato trecentis ſcazontibus; ſatin' pro imperio? At loquor ſerius, ſed nec Naſo miſſus muneri epiſtolam extorquere tibi potuit. Dignus profecto, qui Britannos ſolos verſibus tuis plaudentes experiaris. De me quod addam, non habeo. Muſas in ſeptentrione meas ſi frigere dixero, facile inveniam, opinor, qui hoc mihi credat. Mitto tamen earum ſpecimen, & quidem unicum. Nihil enim toto jam anno carminum praeterea ſcripſi. Ajunt Gallis non diſplicuiſſe epigrammatia. Tu vale. Holmiae ſuecorum Anno CIↃ ICCLXII. a. d. XXVIII. Januar.

EPISTOLA L.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

EX quo ex Anglia redii, nulla mihi prorſus ad te ſcribendi data fuit occaſio, Heinſi ἐξοχώτατε, neque impraeſentiarum quidquam habeo, quod te dignum ſit. Panegyris mea CAROLUS REDUX tanti non eſt, ut vel eo nomine aut tu mihi ſuccenſeas, aut ego ad te mittam; quippe γλαῦκας Ἀθήναζε. Miſi tamen Amſtelodamum, ut maritimo Rex ille maris ſcilicet ad te perveniat itinere. Nunc quod addam nihil habeo. Nos enim hîc in angulo patriae latemus, ubi nihil novi affertur, quod non tritum obſoletumque ante ſit. Scis me vehementer amare exoticas, praecipue ſeptentrionales linguas, ut vernaculae origines inde haurire poſſim. Hibernas horas hiſce impendi, & jam libellum ſelectorum veterum id genus adagiorum ſub praelo habeo. Deeſt mihi tamen Suedici, ut & Danici Dictionarii copia. Iſlandicum item ſi quid praeter Biblia ea in lingua, quae omnium iſtarum puriſſi-

Digitized by Google

rissima remansit, adhuc supereſt. Oro atque obſecro te, ſuaviſſime rerum, ut, ſi aliquid ejuſmodi forſan tibi occurrat, mihi eadem via quantocyus mittas. Biblia etiam Iſlandica quovis pretio lubens excipiam. Noli credere me *Boxhornium*, aut *Becanum*, aliasve id genus Chimaeras aut Sphyngas velle imitari. Solidiora ex Gothicis Franciciſque habemus Euangeliis, quae liberaliter mecum communicavit amiciſſimus & candidiſſimus *Junius*! Is quidem ſolus haec optime praeſtare poſſit, & totus in illis eſt, ſed tam multa ſimul agit, ut vereor nihil effecturum tam provecta jam aetate. Promiſit tamen ſe jam Gothica editurum Euangelia, & characteras ad id comparaturum. Factus enim compos eſt litis contra *Straffordium* Comitem. Utinam par tua fuiſſet ſors! Quo ſtatu res illa ſit, prorſus neſcio. *Ruſium*, ne fera facta beſtia credatur, animum ad ſuos revertendi induiſſe, jamque revertiſſe, non dubito quin audiveris. *Zulichemium* etiam cum *Ludovico* filio in Galliis adhuc haerere, non bene ſuccedente legatione. Nos hîc ſub nova Domina nova diſcimus imperia pati, Anglicas delicias cum ſeveritate & auſteritate Germanica mutantes. Hagae quid fiat, tu melius, quam ego hîc, percipis. Vale Nobiliſſime & Ampliſſime Vir, & ut facis ſemper, Vlitium tuum amare perge, ejuſque in hoc ſtudia fovere atque promovere ne dedignare. Dabam Bredae VI Kal. Februarias A. S. N. CIↃ IↃCLXII. quem propitium magis tibi voveo.

Princeps noſter, conſummatis ſcilicet Leidae ſtudiis, Academiae valedixit, Hagamque rediit: brevi etiam cum Avia huc venturus creditur, ut renaſcenti Athaenaeo noſtro interſit.

EPISTOLA LI.

NIC. HEINSIUS

Jano Vlitio.

Antiquitatis utriuſque, tam barbarae quam eruditae peritiſſimo.

Bredam.

QUid ni enim ſic te compellem, amicorum ſuaviſſime? poſtquam Graecas & Latinas litteras edidiciſſe ſatis non habuiſti, ſed adjunxiſti iis Gothicas quoque ac Saxonicas inexhauſta & propemodum nimia diſcendi cupiditate. Mallem equidem, ut libere quod res eſt apud te depromam, inceptam venationis antiquae ſemitam decurreres porro, & digno elegantia ingenii tui ſtudio iſti te denuo accingeres; ſed quando aliter in fatis eſt, & civicam ambitioſe captas, ex juratis imperii Romani hoſtibus, barbariaeque aſſerendae ſedulus ac prorogandae incumbis, obſequar tibi & haec quoque ſtudia, quantum in me erit, vel invitus ac nolens fovebo. Quanquam ſperaveram Britannicum iſtud iter conatibus meis aliqua ſaltem ex parte profuturum eſſe, atque adeo fore, ut vetuſtorum nonnihil Naſonis exemplarium ex priſcis illis terrarum Bibliothecis erueres. At tu in Gothicis Saxoniciſque ita totus fuiſti, ut nec

mei, nec Naſonis ſis recordatus. Panegyrin tuam necdum vidi, nec quando viſurus ſim ſat ſcio. *Elzeviriorum* enim alter, cui *Danieli* nomen, in Gallias profectus eſt: unde tamen propediem redux a ſuis exſpectatur. Quando auguror fore, ut carmen iſtud cum aliis, quos ille Lutetiae meis uſibus collegit, ac utendos ab amicis accepit, huc confeſtim mittatur. Iſlandica biblia, ſi venalia invenero, tibi parabo; ſed liber ille perquam difficilis eſt inventu, ut ex *Scaligeri τῦ πάνυ* epiſtolis cognoſſe potuiſti. Ejus ſermonis alia complura vidi, ſed in membranis exarata, dum regiam Bibliothecam nuper hîc perluſtrabam, quae ex Dania inter praedam luculentam huc advecta dicebantur; direptis ſcriniis *Georgii Sefeldii*; ſed illa in tranſcurſu feſtinantibus alio oculis raptim ſolummodo delibavi, cum avidius me convertiſſem ad perluſtrandas Meurſianas lucubrationes, quae magno ſat numero, necdum editae, illic ſeſe offerebant. Tria praeſertim volumina antiquitates trium nobiliſſimarum inſularum complexa, Cretae videlicet, Cypri ac Rhodi: ſed haec nihil ad te, qui ad caſtra Gothorum Saxonumque jam pridem tranſiiſti. Panegyricum tuum ab ingrato Rege non bene exceptum indignor. *Voſſius* noſter, qui magnos honores ſibi in aula illa habendos fore praeſagit utinam feliciore fortuna utatur. Reginam, quam noſti, obviam habui in ipſo itinere huc adveniens. Excepit illa me curru ſuo, comiterque ac familiariter mecum eſt confabulata per horas quatuor continuas, dum vehebamur. Petierat enim in ipſo occurſu, ut mea relegerem veſtigia, ſeque ad octavum uſque miliare comitarer: cui petitioni parendum fuit. Poſtero die, dum Helmaeſtadii uterque ſubſiſtimus, ad prandium me vocavit, menſaeque ſuae admovit: denique multis & indignis laudibus apud Italos ſuos cumulatum dimiſit, additis promiſſis, omni opera ſeſe eniſuram, ut quod debere ſe mihi nummorum non ſine plurimo rubore meminiſſet, quam primum ſolveretur; idque ipſum per litteras iterata pollicitatione nuper confirmavit, ſed non ego credulus illi. Haec in aurem tibi. *Bornius* noſter ne diſcipulum ſuum magno pretio nihil ſcire doceat, vehementer metuo. Provinciam ejus de Lucretio edendo invaſit *Tanaquillus Faber*. Naſonem meum illi miſeram, ſed ille vile munuſculum faſtidioſe excepit. Certe tanti non putaverat, pro quo grates vel tribus verbis ageret. *Phaedri* editionem novam molitur Ubſaliae *Schefferus*. Conjecturas illi complures ſuggeſſi, tibi forte non improbandas, quas ille obſervationibus ſuis hîc illic inſeruit. Si quid ex ſcriniis tuis ad hanc Spartam ornandam potes conferre, nam terſiſſimum ſcriptorem praecipuis tibi in deliciis jampridem eſſe non ignoro, id ut facias, & quidem quam primum rogo. Rhemenſem codicem, *Rigaltio* laudatum, ſed negligenter evolutum, *Marquardus Gudius* ſe perlegiſſe plurimo cum fructu, & multas in eo ſibi deprehenſas lectiones praeſtantiſſimas ante annum aſſeveravit, ſed ille in Italiam nunc eſt profectus. Enitar tamen vel ſic homini diligentiſſimo extorquere, quicquid ad Phaedrum obſervavit, ut Schefferianae editioni addatur, & ornamentum qualecunque accedat. Vale, Vliti jucundiſſime, & me tui unice ſtudioſum, pari affectu complectere. Exarabam Holmiae Suecorum Anno CIↃ IↃC LXII. a. d. x. April. Gregor.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LII.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinsio.

Viro, uti Latiae Graecaeque antiquitatis indagatori ſtudioſiſſimo, ita patrii avitique ſermonis incurioſo,

Holmiam.

QUid enim minus tibi reſpondere poſſum, rerum dulciſſime, qui nuperis tuis, etſi etiam ſic mihi ſemper gratiſſimis, patriam tuam, quam olim ruſticam terram nulla impetrata venia ceciniſti, nunc etiam barbaram, imo vel ipſam barbariem vocas? An non doctiſſimus ille Romanorum Varro, ut Graecos Etymologos omittam, quos tamen & Parens olim tuus ὁ μακαρίτης. & tumet ipſe (& quis non eruditiorum?) plurimi ſemper, nec immerito, feciſtis, idem ſtudium habuit, ut vernaculae origines indagaret, atque indicaret? Quid de *Vulcanio*, *Voſſio*, *Pontano*, *Mylio*, *Scotto?* (nam *Beccanum Schrieckiumque* his accenſere nolo) quid de ipſo *Scaligero*, ipſo *Caſaubono*, qui tamen peregrini erant, dicturus ſis, expecto, idem ſtudium (quia tamen hiſce, quae nunc in manibus habemus, cimeliis deſtituti erant,) infelicius profeſſis. Nam Anglo-Saxonicae, qualem proavi noſtri hîc locuti ſunt, & Britannis devictis ante M. annos tradidere, ne γρῦ quidem, Francicae ſive veteris Teutonicae parum ſatis (Germanos omitto, Goldaſtum, Freherum, alioſque) Gothicae autem linguae vel minimum intellexerunt. Runicam & Cambricam vix fandó audiverunt. Iſlandicam autem quantopere ὁ δεῖνα expetierit, ex iiſdem, quas mihi allegas, epiſtolis ejus ipſe tumet ignorare non potes, bone Vir. Si haec tibi non ſatisfaciunt, vel Patriae linguae vindicias, vel apologiam pro meo erga illam ſtudio, quae μέγα κακὸν tibi dent, aliquando videbis Quod tamen vel invitum, ut ais, gratificaturum te mihi polliceris, accipio, gratiasque habeo. Utinam ex MSS. illis, veteribusque Runico charactere inſcriptis monumentis, vel Hiſtoriis, vel ſtatutis, aliquid mihi impetrare poſſis, digneris. Nam Iſlandica Biblia ante biduum nactus ſum, ex Bibliotheca Leidenſi, ubi fortefortuna ea deprehendi, per affinem, qui ea nuper paraverat, mutuo mihi tradita, donec Hafnia, ubi ante xv annos denuo impreſſa, (quod tu & ego neſciebamus) afferri mihi curem. Sunt tamen vitioſe valde excuſa. Deficit mihi Dictionarium ejuſdem linguae, quod ab *Ingramo Jona* editum fertur. Καὶ ταῦτα δὴ μὲν ταῦτα. *Voſſius*, ut hactenus Theologos exercuit, ita nunc Philoſophos in ſe inritavit, edito de Luce libello, acuto & laborioſo, ſed a receptis vulgo omnium ſententiis longe diſſentiente. Is nunc cum *Thuano* circum vicinas ditiones pervagatur: quo facto ὁ δεῖνα in patriam, invito, ut creditur, animo, per Brabantiam rediturus eſt, aere etſi alieno, quod plurimum hîc, ad C. uſque florenorum M. contraxit, nondum ſoluto. *Bornius* noſter promiſſis ſuis de Lucretio, quem circumforaneum ſibi ſemper habet, adhuc inhaeret; ſuccenſens omni-

omnibus, qui contra credunt fidem se non liberaturum. Is me permoverat fere, ut in Principis gratiam, *Phaedri*, receptis in textum melioribus lectionibus & conjecturis, novam, breviſſimis cum notis, editionem darem. Sed nunc ὑπέχω, donec videro quid *Schefferus* ille praeſtiturus ſit. Atque hîc quidem, uti tecum inceperam, pariter deſino. Vale, Muſarum, Veneriſque, quod nolim, nepos & me tamen tui ſtudioſiſſimum crede, & ſic amare perge. Hagae Comitis, tremula per febriculam manu, IV. Kal. Junias CIↃ IↃC LXII.

EPISTOLA LIII.

NIC. HEINSIUS.

Jano Vlitio.

Bredam.

QUantum ex Bibliopola *Elzevirio* intelligebam, proxime erat is in eo, ut ſupremam manum Claudiano meo editionis ſecundae imponeret, negabat quippe ad ſummam operis reſtare quicquam typis deſcribendum, praeter ſolam praefationem. Accipias igitur cum hiſce litteris, ni augurium me fallit, quicquid eſt iſtius libri. Mox poëmatis meis de novo edendis ſe accinget idem *Elzevirius*, quapropter, me hortatur ut huic libello patiar accedere quicquid carminum a praeclaris ingeniis eſt datum. Quibus ejus deſideriis etſi necdum ſubſcripſi, rogo te tamen obſecroque, mi Vliti, ut verſus omnes, quibus me jam olim compellare es dignatus in faſcem conjicias, & aut ad me quamprimum pervenire patiaris, aut Elzevirio tradi. Ne quid in te morae ſit, ſi conſilium de libro adoptivo poëmatis edendo cepero, quod in arena capietur, ſi capietur tamen. De novo Teſtamento Gothico quod luci adornas, jam non ſemel verba apud me fecit Illuſtriſſimus Regni hujus Cancellarius, cujus deſiderio videndi non modico ſe teneri profitebatur. Vale. Exarabam Holmiae Suecorum, manu ex morbo nupero necdum ſatis confirmata. Anno CIↃIↃCLXIV. a. d. III. Sept. Gregor.

EPISTOLA LIV.

JANUS VLITIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

GAudeo magnopere non totum me tibi, Suaviſſime Heinſi, excidiſſe, ac poſtliminio per tuas compellatum, A. D. III. Septembris menſis Holmia datas, mihi autem heri demum cum Claudiani tui nova & nitidiſſima editione redditas. Pro munere gratias primum habeo maximas: ut & ſecundo pro eo honore, quod me in iteranda poëmatum tuorum Editione nomen quoque meum in amicorum albo profiteri velis. Tametſi ſciam me graculum inter pavones,

Digitized by Google

nes, vel ut inter ſtrepit anſer olores, in pompâ iſta compariturum, non detrecto tamen, neque deero officio meo. Quae puer juveniſque luſeram non auſim ſeriis apponere. Unicam ergo Elegiam Gratio praefixam pro ſymbola conferam; ſed nonnihil a me dudum elimatam. Eam, puto, illic habes; & cum jam trimeſtre elapſum ſit temporis, ex quo tuas illas dediſti, ſpatium, ea propter non tibi, ſed Typographo mittam. Gothica Euangelia cum Gloſſario *Junii* meaque opella abſoluta ſunt. Sed accedent, quae jam quoque finem ſpectant, Doctiſſ. V. *Thomae Marſhalli*, collationes variarum interpretationum cum Gothica; eruditiſſimae aedepol Tantiſper vale, mi Heinſi. Illuſtriſſ. Comiti *Magno* (cui praemiſſa ſatis longa Elegia opus dedicavi) rogo ut gratia tua me commendes Dabam Brabantum Trinacriae. x. Septembris. CIↃ IↃC LXIV. St. Gregor. *Beuningium* Heroëm hîc indies expecto, in Gallias Legatum. Sed tu haec melius ex publicis intelliges.

EPISTOLA LV.

NIC. HEINSIUS

Jano Vlitio.

CLaudianum meum tibi ſe ſtitiſſe laetor. Quamquam in ipſis obſervatis nihil omnino ſingulari illa eruditione tua dignum occurrit, aut quod oculos tam perſpicuos paſcat. Multa praeter hoc ab operis typographicis per abſentiam meam oſcitanter & ſupine commiſta ſunt, quantum primâ fronte mihi apparuit, quae ne cenſores malignos offendant, ac exiſtimationi meae apud illos inſidientur, metuendum eſt. Nam de te, mi Vliti, tuique ſimilibus, hoc eſt Viris ingenuis pariter & eruditis, ſum omnino ſecurus. Alia nuperrime mihi erant prae manu, in Maronem praeſertim obſervationes ſatis copioſae & luculentae, niſi mihi blandior: ſed eas jam propemodum ad finem perducta abrumpit bellum Britannicum, quod ut foederatis Belgis vertat feliciter Deum opt. max. veneror, quando tam nulla de cauſa tamque perfide ac nefarie ab adverſariis noſtris eſt inchoatum. Vapulent igitur per me licet, cum lumbos habeant uſque adeo prurientes. Ego quidem adfectam inſigni injuriâ patriam [1] verſibus non paucis jam ſum ultus, quos in poëmatis meis publico expoſitos propediem forſan videbis: niſi quod libelli editionem procraſtinare pergit me invito *Elzevirius*. Omnia, quae honori meo dediſti, illic comparere omnino velim: ſunt enim te tuiſque Muſis digniſſima. Gothica Euangelia Illuſtriſſimus Regni Suedici Cancellarius avide exſpectat: ſermo mihi jam non unus cum illo fuit de tuis praeclaris in rem litterariam meritis, quae me commendatore neutiquam indigebant. Reliquum ſolummodo eſt, ut opus ipſum hic aliquando compareat. Vale, Vliti jucundiſſime, & me, quod facis, indeſinenter amare poſterum perge. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃC LXV. a. d. XIV. Kal. Mart.

1 Vide lib. IV. Eleg. 9.

ARNOLDI SLICHTENHORSTII AD NICOLAUM HEINSIUM EPISTOLAE.

EPISTOLA I.

ARN. a SLICHTENHORST

Nic. Heinſio.

Leidam.

ECce tibi promiſſos [1] verſus meos, amiciſſime Heinſi, qui ſi oſcitare tibi ac languere videbuntur, poëtae tui excuſationem obtendam, qui exemplo ſuo nos docuit, quam difficile ſit, impeditum luctu ac moerore ſpiritum, invitis Gratiis ad poëticum furorem impellere. Impetu enim, ut noſti, haec peraguntur, quem a languidis ac ſibi diſplicentibus importune exigas. Adeo ut poëtae mihi eadem quae navium conditio videatur, quas vento, ſtatove aeſtu deſtitutas, vado haerere aut Neptuno nequicquam obniti videmus. Tu vero, quas tam dudum parturis, tandem in lucem protrude, Caſtigationes Ovidianas. Literarii Senatus interierit, reſtitutum videre illum ſcriptorem, in quem tanquam metam aut idaeam omnibus numeris perfectam omnes cultores intuentur. Dum heri apud me eſſet noſter *Wittenius*, qui diuturno ex morbo ad ſalutem jam eluctatus, hac in urbe Muſis mecum operatur, ac forte, ut fit, confabulantibus, ſe verſus ille offerret:

Nil mihi reſcribas, attamen ipſe veni;

monuit, ſe ex CL. *Pontani* ore audiſſe, qui ſcindendam cenſebat voculam *attamen*, legendumque ſeparatim; *at tamen*; ut *tamen* ſic idem eſſet, quod (& locos veterum plures adducebat) tandem aut aliquando. quomodo & *Wittenius* intelligebat virgil. Eclog. 9.

——— *Sic Moeri canamus, Hic hoedos depone tamen veniemus in urbem.*

In Epiſtola Phyllidis;

Theſea devovi, quia te demittere nollet,

demittere pro *dimittere* obrepſit. Ibidem, ubi de fictis lachrymis:

Hae quoque habent artes, quaque jubentur eunt.

quum,

1 Additum erat huic Epiſtolae carmen in Ovidium cura N. Heinſii editum, quod legitur ante ejus editionem.

Digitized by Google

quumque jubentur ſcribi debere puto. Et hoc eſt, quod 3 de Arte ait: *Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.*
In Epiſtola Briſeidis:

Eſt aliquid ſolitis collum tetigiſſe lacertis,
Praeſenteiſque oculos admonuiſſe ſinu,

Poſtrema vocula neceſſario in *ſui* mutanda eſt. In Epiſtola Phoedrae verſu 8. pro *deſtitit*, melius *reſtitit* leg: poterit, ut alibi: *Semper in his apte narrantis verba reſiſtunt.* In Epiſtola Oenones, ibi: *Ardet amore tui*, & paulo poſt: *Non profecturis littora bobus aras*, gemina utrobique interrogationis nota, erigendo ſenſui, deeſt. In Epiſtola Didonis:

Et nondum nati funeris auctor erit,

res ſuadet ut *nato* ſubſtituatur. In Epiſtola Canaces:

Sic mea vibrari pallentia membra videres,

ut & quinto Triſtium Eleg. 8.

Nec mala te reddunt mitem placidumque jacenti Noſtra &c.

elegantius meo judicio ſit, ſi utroque loco *pallentis* & *jacentis* legatur, quomodo alibi: *Et fleſti noſtros vidiſti flentis ocellos.* In Hypermneſtrae Epiſtola, verſu primo & penultimo *Hypermneſtre* mallem. Vlitii quoque manifeſta illa: *Et ſubitus dextrae praepedit oſſa tremor. Orſa* enim auctoris manus fuit, quod praeter totius orationis contextum ac rem ipſam ex illo ſequenti patet: *Erigor & capio tela tremente manu.* Libro quoque Amorum tertio Eleg. 5.

Colle ſub aprico celeberrimus ilice lucus Stabat eis

creberrimus commodius reſcribi poſſe exiſtimo. Sed de his ipſe melius judicabis. Vale, nobiliſſime Heinſi, ac ſalve plurimum, a noſtro Wittenio. Illuſtri parenti ac Clariſſimo Boxhornio humillimam ſalutem nunties rogo, nec non, ſi jam reverſus ſit, amiciſſimo Hoffero, cui brevi ſcripturus ſum. Iterum Vale, ac reſcribe. Trajecti ad Rhenum propridie, niſi fallor, Nonas Octobreis. veteri dierum computatione A. C. CIↃ IↃC XXXIX.

EPISTOLA II.

ARN. SLICHTENHORSTIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

CUm veſtram per urbem in Gallias iret doctiſſimus juvenis ac utrique juxta amicus, *Rodolphus ab Ommeren*, non potui officio meo deeſſe. Maturius factum id fuiſſet, niſi putaſſem in Academia Oxonienſi te adhuc haerere. *Kinſchotius* enim noſter in ſuis noviſſimis ne verbum quidem de tuo reditu. Quo errore me nuper liberavit *Ommerenus*, a quo ut reverſionem tuam lubens accepi, ita ad morbi tui nuntium vehementer indolui. Faxit ſummum Numen, ut nobiliſſimus Parens, ac communes amici de recepta valetudine brevi tibi gratulentur. In Ovidio poſt priora quaedam notavimus, ſed modica, quae per

Digitized by Google

occasionem (nam tempus nunc non suppetit) transmittemenus. Nos Arenaci, amoenissimâ urbe, ob negotia paterna jam sex menses continuos commoramur, paucos post dies domum reversuri. Interim authoritate superiorum ac Typographi precibus immensum opus, ac nihil minus quam invidiosum, suscepimus, Historiam nimirum Gelricam *Pontani*, suâ mole laborantem, contractam Batavico habitu donare. Tres priores libros jam absolvimus, reliquos raptim cum deo adornaturi. Gloriae enim omnem usumfructum primus auctor habet, quanquam illum nec κακὰ πάθας, nec ubique sine censura sequimur. Tum & ad vulgi captum omnia scribenda sunt; cui hic labor potissimum servit. Nuper ad *Hofferum* nostrum, in Galliis adhuc ut puto agentem, literas misimus; ipsius literae ac versiculi post multos errores ac longissimam moram nondiu est, quod accepi. Interim quid tu rerum agas (neque enim studiorum amorem morbus in te extinxit) quando Poemata, quando Ovidium publico daturus, scire desidero. Nos post Lusitaniam liberam nihil praelo subjecimus, sordidis curis nimium districti. Clariss. *Boxhornius*, ut video, semper sui similis, semper in opere est, ac nominis sui splendorem quotidie in majus extendit. Nobilissime ac integerrime juvenis vale. Illustris Parens tuus, Clariss. *Boxhornius*, *Blëuius* ac *Kinschotius* plurimum meis verbis sint salutati. Raptim & aliis occupatus Arenaci Gelrorum, Nonis, ni fallor, Quintilibus A.C. CIↃIↃCXLII.

EPISTOLA III.

ARN. SLICHTENHORSTIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

VIde, mi Heinsi, quantum tuâ unius culpâ famae ac honori meo detractum sit. Nuper ad me Zirizaeâ allatae sunt *Hofferi* nostri literae, in quibus fidem meam non ambigue suggillabat, nec simplicis negligentiae insimulabat reum, addito, te ignaviae meae, si diis placet, non minus succensere, ac plane constituisse, veteris amici non amplius meminisse. Quo intellecto ad rei novitatem pene exhorrui, praesertim quod tuam ipse scabiem inusitato exemplo mihi affricare conareris. Quam enim religiosus semper in officio scribendi, ac conservandâ amicitiâ fuerim, nec ipse ignorare potes, nec opus est ambitiose pluribus hîc referre. Illud me imprimis urit, quod jam integrum ferè biennium, non sine superbiae opinione, vanâ expectatione suspensum me tenes, ac responsi omnis exsortem, pristinae humanitatis, ac communium studiorum penitus oblitus: Tantum enim temporis effluxit, quo Rudolfo Ommereno, Arenaco per Hollandiam ac Lugdunum vestrum in Gallias eunti, codicillos satis prolixos ad te commiseram, obnixe inter alia obtestatus, ut quid rerum Hofferus, & ubi locorum in Galliis tum ageret, perfunctorie significares. Caeterum surdo omnia; nec preces meae quicquam valuere. Neque hîc contentus, etiam exemplum Poëmatum Magni parentis, dudum (scis Proteu, scis ipse) pro-

promiſſum mittere ſuperſediſti: tum (quod rei caput eſt) conjunctiſſimos inter amicos malignis criminationibus diſſidium ſuſpicioneſque procurare, ac frigidam ſuffundere non es veritus. Quomodo haec bonâ cum fide ac amicitiae legibus conveniant, ipſe videris. Caeterum ne accuſare tantum videar, legibus, fortaſſe immeritum, ſcire deſidero, eruditiſſime juvenum, quibus jam ſtudiis animum oblectes, quid hoc biennio rerum novarum dederis in publicum, quid in divini Poëtae Commentatore Servio dehinc praeſtiteris, quando denique poëmata tua, quando elegantiſſimae in Ovidium lucubrationes nobis expectandae ſint. Nec enim *Wittenio* quicquam noſtro conceſſurus es, qui, ſi neſcis, Carminum ſuorum editionem ſimiliter vel molitur, vel adornat. In Ovidio tuo pauca quaedam poſtliminio hîc illîc obſervaſſe mihi viſus ſum, quae, ſi tanti aeſtimas, ubi commodum erit, communicabo. *Vincentius* quoque *Alſarius*, qui in Epiſtolam Ciceronis ad Lucejum non ineptos commentarios ſcripſit, aliud agendo loca quaedam Poëtae minus obvia noviter interpretatus eſt. Hoc eo dico, quia Scriptorem illum tibi ignotum credo. In Servio, qui pluribus mendis obſitus eſt, &, ſi quiſquam antiquorum, medicas manus deſiderat ac meretur, plura fortaſſe poſſem praeſtare, & emendationum ſylvam congerere, ſi veterum Codicum, tum & Criticorum eadem mihi eſſet, quae tibi facultas, nec ſordidioribus curis indies diſtinerer, quae ad haec amoeniora niſi rariſſime ac furtivis horis me non ſinunt reſpicere. *Fulvii* tamen *Urſini* Notae ex manu ſcripto antiquo, quae olim ex officinâ Santandreanâ prodiere, multum ſubſidii ac lucis ad doctiſſimum Grammaticum ſanandum afferre poſſent. Caeterum alia, ut dixi, negotia intentionem noſtram abrumpunt, & praecipue quod ſub manibus eſt opus Annalium Gelricorum, quod in noſtrum idioma transferre, contrahere, illuſtrare, ac pluribus locis reformare, auſpiciis Ordinum patriae meae, jam pridem ſuſcepi. Et quoniam labor ille noſter jam ad finem ſpectat, Camoenas tuas, ut inglorio per ſe operi famam aliquam concilient, implorare audeo. Hoc & irritato animo thuris loco erit, & redivivae amicitiae certiſſimum pignus. Atque audin? ne iterum fallas, aut longâ morâ occidas expectantem, non pulvere (ut olim Romanus Orator dubiae fidei Regem) ſed circulo temporis te circumſcribo, nimirum octiduo, intra quod ſpatium niſi deſiderio meo ſatisfacias, extremum hoc erit quod te alloquar. Amicos enim demereri poſſum, poſſum obſervare, faſtus modo & contumelia abſint, quae ut perpeti non poſſum, ita multo minus invitos procari. Et certe

Tempora ſi numeres, bene quae numeramus amantes,
Non venit ante ſuum noſtra querela diem.

Vale, Nobiliſſime, & niſi a te degeneras, amiciſſime Heinſi; & ſi quid praeter fas & meritum hîc objeci, audacter redargue, mone, objurga. Mitto ſimul Epithalamium, quod etiam Gallicis Rhytmis, ſed minus feliciter, a me incluſum eſt. Illuſtres viri, parens tuus ac Boxhornius plurimum ſalveant, tum & doctiſſimus Kinſchotius ſi in Academiâ iſtâ (dudum enim de candidiſſimo juvene nihil intellexi) adhuc Muſis operatur, quem etiam monebis, ut nobis paria

facturis quamprimum ſcribat, quod officium ipſe aliàs occupabo. Scribebam ad Amiſii ripam poſtridie Nonas Februarii A. C. CIↃ IↃC XLIV.

EPISTOLA IV.

ARN. SLICHTENHORSTIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

HOc nimirum mihi unice in votis ac mente erat, ut acribus remediis diuturnum utrimque lethargum expellerem, & (quod ante hac per *Hofferum* ac *Kinſchotium* internuncios, ſaepe nullo cum fructu, tentaveram) languorem tuum tandem expugnarem. Eo fine finxeram iras, ac ſuſpicionibus candorem tuum oneraveram, indignatus merito, honeſtum illum ignem tanto tempore in nobis ſopitum fuiſſe. Quanquam, uti narranti tibi fidem habeo, fortuna potius in nos peccaſſe dicenda eſt, quam uterque in fidei ac diligentiae leges. Ne vero iterum ejuſmodi nubes & parelia amori mutuo intercedant, à calamo impetrabimus, quem dehinc (paria modo praeſtes) magis exercere certum eſt. Hoc tanquam fidejuſſore adverſus diffidentiam alternam & ſuſpicionum frigus utamur, mi Heinſi. Atque utinam & anni tempus, & rerum mearum ſtatus mutuos conſpectus amplexuſque permitterent! ſi quidem & tui & urbis iſtius perpetuum & incredibile deſiderium me tenet. Illîc vivere ac conſenеſcere, in ſinu ac inter alumnos Muſarum, ſi qua Fata ſinant, procul curis ac ſtrepitu, non ſemel votis expetivi. Sed quia quod volumus non licet, proximum eſt, ut id velimus quod poſſumus. Ad rem venio. Quas in Ovidium tuum Notas promiſeram, hoc tempore (quod illarum longa eſt ſeries) ſpatiis excluſus iniquis mittere ſuperſedeo, quam primum tamen cum foenore reliquum nomen exſoluturus. Earum interim loco [1] Epigramma illud meum, hîc illîc leniter caſtigatum, in anteceſſum offero; & ſimul Excerpta quaedam; quanquam dubius, an hoc officio gratiam à te initurus ſim. Sed utcunque ea ſe habeant, fidem tamen noſtram ac ſtudium vel in minimis tibi placendi, ut ſpero, non improbabis. Vale, ſuaviſſime Heinſi, ac Slichtenhorſtium tuum ama, qui reſponſum tuum cupide expectat, & jam plus te amat, quam unquam. Amiſfurti XIV, aut fallor, Kal Mart. A. C. CIↃIↃCXLIV.

1 Nec epigramma, nec excerpta illa potui inter ſchedas repperire.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA V.

ARN. SLICHTENHORSTIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

SAepius mecum indignatus sum, cum tot ubique extent, etiam in proletarios autores, Scriptorum hujus aevi censurae ac castigationes, nullum hactenus repertum, qui ex professo ac cum judicio delicatissimum poëtam Ovidium sibi sanandum proposuerit. Adeo crassae omnibus fere paginis mendae occurrunt, quas facile ex ingenio alicubi aut membranis tollere erat, & hactenus non sublatas valde admiror. Ut jam merito post tot saecula, saeculum nostrum ac tanti poëtae manes sibi gratulari debeant, quorum causam ac vindicias sero sed serio, soli huic provinciae pares, Heinsii susceperint. Ego ut & promissis meis ac petitioni tuae magis fortasse. quam proprio honori satisfaciam, non verebor, acuendo ingenio tuo, quae in istum auctorem recens mihi observata, quasi per Satyram collecta apud te deponere, judicium tuum exploraturus.

Epist. Penelopes: *Denique, quisquis erat castris*, ea libentius legerem: *si quis erat*, ut cum sequentibus cohaereat. [Paulo post ita distinxerim: *Ausus & ô nimium, nimiumque oblite &c.* ut posterior vox sit adverbialis.] Ibid. *quae vestra libido est, Esse peregrino captus amore potes.* Gemina illa in Epist. Helen. *Quae tua nequitia est, non his contenta fuisset.* Epist. Phyllidis. nescio an prioris editiones damnandae, quae repraesentant: *in poenas non satis unus eris.* Epist. Briseidis, *Praesenteisque oculos admonuisse sinu*, Jam ante monui *sui* legendum esse. Ovid. in Halieut. princ. *Accepit mundus legem, dedit arma per omnes, Admonuitque sui.* Sed & Epist. seq. pro *destitit* virilius *restitit* scribi posse, monueram. Ita & virgil. 4. Aen. *Incipit effari, mediaque in voce resistit.* Ibid. *Et tenuis tellus audit utrumque mare.* fortasse rectius substituere possemus *Claudit* i. e. separat ac dividit. Ipse 6. Metam. *Quaeque urbes aliae bimari clauduntur ab Isthmo.* Alibi: *Quaeque maris gemini distinet Istmos aquas.* Non longe post illa me turbant: *Et fas omne facit fratre marita soror.* valde enim licenter *fratre maritam* dictum puto pro *fratri*, vel *fratris* maritam, mallemque ego, nisi a recepta lectione hoc nimium abiret, *fratris amica soror. amicam* pro conjuge ac concubina sumi, omnibus notum. Sed & Thais apud Terent. militem *amicum suum* vocat, quod non ita crebro invenias. In isto versu: *Depuduit profugusque pudor*, ea tautologia me offendit, & pro *pudor* melius *rubor*, legi posse, non dubitem. Ita Amor. 1. Eleg. 8. utraque vox conjuncta: *Erubuit. Decet alba quidem pudor ora.* In Epist. Oenones diu me torserunt ista, quae manifeste vitiosa: *Depressa est humili cana pruina casa*; tentaveramque puto, *Depressa est humilis cana ruina casae*, ad exemplum illius lib. Amor. 1. Eleg. 8. *Canescunt turpi tecta relicta situ.* Sed Parrhasium ubi post vidi *defensa* ingeniose substituisse, meam ipse conje-

conjecturam tanquam frigidam damnare coepi. Epist. Hypsipyles pro *hoc tamen ipsi hoc* id est, de hoc, vel hac re. Sed hoc leve. Ibidem pro *devicto serpente* manuscripti non male habent *devicta*, Ita Epist. Deian. *Quaeque redundabat foecundo vulnere serpens.* Epist. Med. *Utque tua serpens victa quiescat ope.* Amor. 2. Eleg. 13. *Pigraque labatur circum donaria serpens* Post: *Dos tibi lenuos erit, terra ingeniosa colenti.* & *ingeniosa* minus hic ingeniosum mihi videtur; ac puto poëtae manum fuisse *invidiosa*, uti Epist. proxima: *oenia finitimis invisiosa locis*, & in Epist. Hermiones, *arma invidiosa.* Tu judicabis. Epist. Didonis ita distinguendum scribendumque credo: *castris militet ille tuis, Aut ego, quae coepi (neque enim dedignor) amare.* *Materiam* &c. Illo versu: *Usque latet, refugitque tuas obstrusa carinas*, emendaverim vel *obstructa*, vel *obstrusa* Sed & pro *usque* priores editiones *utque* habent, quod non facile rejiciendum. Mox pro *sceptra sacrata*, libri praeferunt, *sceptraque sacra.* Suspicari lubeat, an poëta scripserit: *Inque loco regnum sceptraque sacra tene.* Paulo post: *Dum freta mitescunt, & amor dum temperat usum.* Si divinare liceat, hic legerim: *& amorem temperat usus*, vel potius, *& amor dum temperat usu.* 1. in temporis spatio. Alibi: *Intrat amor mentes usu, dediscitur usu.* 2. de Arte: *Dum novus errat amor, vires sibi colligit usu &c.* Claud. 2. in Rufin. *sensumque mali detraxerat usus.* 1. Amor. 8. *Mox recipe, ut nullum patiendi colligat usum* i.e. habitum vel consuetudinem. Epist. Hermiones, verius ac modestius est quod scripti exhibent, *vacua sedisset in aula*, quemadmodum apud Livium, *compressis manibus sedere*; nam alias repugnante metro *stertuisset* dicendum erat. In Epist. Deianirae post illa, *factis inficianda tuis* talis distinctio adhibenda, quae moneat, versus sequentes prioribus, cohaerere. Sed illa, quae sequuntur magis vitiosa sunt. *At non ille venis.* vix dubium, quin pro *venis*, uti nos conjectamus, *velit* emendandum sit, ac versu subsequente pro *non tanti*, x. libro *non satis.* *At non ille velit*, nimirum Jupiter) *cui nox, si creditur una Non satis, ut tantus conciperere, fuit* Ne amplius haesitemus, facit carmen praecedens, *Hoc velit Euryslheus, velit hoc germana Tonantis* Versu quoque illo, *Quid nisi notitia est misero quaesita pudori*, manifesta obscuritas ac repugnantia apparet, quam levi mutatione tolli posse existimo, legendumque, *Quid nisi notitia est misero quaesita pudorque. Notitia*, quemadmodum & *nobilitas*, *famosus*, ac *pudor*, ambigua verba sunt, nec raro in deteriorem partem accipiuntur. Versu quoque proximo pro *stupri nota* significantius *turpi* scriberetur. Versu illo, *Omniaque arcana nocte petita movent*, rectius alii cod. *Ominaque* repraesentant, ac fortasse pro *movent* elegantius *monent* legi poterit. *Monere* idem est, quod saepe noster alibi dicit *signa dare.* Virg. *Me patris Anchisae &c. Admonet in somnis & turbida terret imago* in Aeneid. 7. vers. 102. *monitusque silenti Nocte datos*, quos versus respexisse dici posset Ovidius; uti lib. 8. *Carmentis nymphae monita & deus auctor Apollo.* Et *monitu Deorum* ac *vatum* passim apud poëtas & nostrum, de quo videndus Richeletius in Not. ad odas P Ronsardi. Paulo post: *Teuthrantia turba furores* de hoc loco videndus Angel. Politian. in Epist adversus Georg. Merulam. Sequitur inde: *Nec te Maeonia lascivae more puellae Incingi zona dedecuisse pudet*

Digitized by Google

pudet. longe meo judicio elegantius ac expeditius ſit, ſi pro *pudet putas* ſubſtituatur. Nec longe poſt pro *eliſos faucibus* ſcripſerim *eliſis*. Eadem quoque Epiſtolâ, ut alia praeteream, cum vet. lib. legendum' eſt: *Eurytidoſque Iôles atque inſani Alcidae Turpia famoſus corpora junget Hymen.* Epiſt. Ariadnes, quanquam vulgata ſe ſatis tueri poteſt, malim tamen ex menbranis: *Utque erat è ſomno turbida, rupta coma eſt.* Ita alibi: *rupi tamen ante capillos.* &c. Epiſt. Canaces, verſus ille, *Quid mihi tunc animi &c.* adumbratus eſt ex Terent. Act. 5. Sc. 6. *nam quid illi credis animi tum fuiſſe, ubi veſtem vidit illam eſſe eum indutum pater?* Verſu ultimo: *Tu rogo projectae nimium mandata ſororis Perfer.* Imo *perfice*; non enim mandata perferenda, ſed perficienda cupiebat. Epiſt. Medeae: *Eſt aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas. Hac fruar, haec de te gaudia ſola feram.* ita alibi: *Flere licet, flendo certe diffundimus iram.* Nec tempero mihi, quin & Afri fabulatoris verba, uti a me emendata exiſtimo, hîc aſſcribam, Andr. Act. 4. Sc. 1. *Sed quid agam? adeamne ad eum, & cum eo injuriam hanc expoſtulem? Ingeram mala multa, atqui aliquis dicat, nihil promoveris multum. Moleſtus certe ei fuero, atque animo morem geſſero.* Eâdem Epiſt. in vet. legitur: *Noſtin? an exciderunt mecum loca? venimus illuc.* Valde bene. Offenderat barbaros vox *exciderunt*. Patet hoc & alibi & ex Epiſt. Didonis, ubi ſimiliter male editur: *Nec fleterant in te virque paterque meus*; pro eo quod ſcripti habent *fleterunt*. Caeterum corruptiſſimus ille locus, qui ſequitur: *Proditus eſt genitor: regnum patriamque reliqui: Munus in exilio quodlibet eſſe, tuli.* Nec vet. libri, qui *manus* & *quod licet* habent, litem dirimunt. Ego nullus dubito, quin caſtiſſimi ſcriptoris mens manuſque fuerit: *Proditus eſt genitor: regnum patriamque reliqui Funus: in exilio quidlibet eſſe tuli.* Ipſa Medea lib. 7. Metam. *prodamne ego regna parentis? Regnum patriamque funus relinquere*, eâdem notione dictum eſt, quâ Suetonius Auguſtum dixiſſe refert, *ſe Romam, quam lateritiam acceperat, marmoream relinquere.* Ita & Vellejo Varus Quintilius narratur, *provinciam, quam pauper divitem ingreſſus erat, dives pauperem reliquiſſe.* Illa autem, *quidlibet eſſe tuli*, nonne eadem ſunt cum illis, quae Didûs Epiſt. occurrunt? *Dum tua ſit Dido, quidlibet eſſe feret*, & quae in Epiſt. Oenones: *ſervo nubere Nympha tuli, i. e.* ſuſtinui nec dedignata ſum. Non Apollinis magis verum atque hoc oraculum eſt. Ibidem non longe a fine nota interrogandi ponenda eſt iſto verſu: *Dos ubi ſit quaeris?* Epiſt. Laodam. valde elumbes ac lachrymoſi iſti verſus: *Troadas invideo. quae ſic lachrymoſa ſuorum Funera conſpicient, nec procul hoſtis erit. Ipſa ſuis manibus &c.* Praeterea manifeſto in communes regulas impingunt illa *Troadas invideo*. Ego pro *Troadas*, vel *Troadis*, i. e. Troadibus, foeminis Trojanis, vel certe *Troibus* corrigendum credo, totumque locum ita conſtituendum: *Troadis invideo, quae ſi lachrymoſa ſuorum Funera conſpicient, nec procul hoſtis erit, Ipſa ſuis manibus forti nova nupta marito Imponet galeam &c.* Epiſt. Hypermn. credo legendum, *Exuit inſanae pellicis ora bovi.* non *bovis*. Carmen autem ſequens tolerari poſſe videtur, ſecus quam magno viro ſentire viſum, ut dicat; Quid in ſenectute ac ſeriori aetate me futurum eſt, quae juvenilibus annis tot moleſtiis premor? Verſus autem

isti praecedentes de Iö, vide, nobiliss. Heinsi, an Amor. 2 Eleg. 2. vel Eleg. 13. vel alibi suo loco melius infarciri possint. Epist. Sapphûs: *Accedant capiti cornua, Bacchus eris.* Faciem cornutam Baccho tribuunt veteres, vel propter truculentiam ebriorum, vel quod primus omnium boves aratro junxerit. Mihi simplicior veriorque ratio visa, Bacchum cornua sua nulli magis debere, quam Minois filiae, quam ille à Theseo prius relictam devirginatamque, optimus deorum ac Vulcano simillimus, sibi conjugio sociare non erubuit. Ibidem. *Ibimus, ô Nymphae, monstrataque saxa petemus.* Recte in prioribus legebatur: *Ibimus ô Nymphe*, casu singulari: praecessit enim: *Constitit ante oculos Naïas una meos.* Ita 2 Amor. Eleg. 17. *Nymphe mortalis*, alibi, *Thracia Bacche*, & similia. Paulo post, ubi codices variant, distinguere libeat: *Ecquid ago? precibus pectusne agreste movetur, An riget?* Sub fin. *Venus orta mari mare praestat amanti.* Nihilo deterior aliorum lectio: *mare sternit eunti. Ire* pro navigare frequentissimum auctoribus, praesertim poëtis, & huic nostro. Nec opus loca asscribere. Atque hic jam desino, mi Heinsi, reliqua proximâ occasione pertexturus, si hasce primitias tibi gratas fuisse animadvertero. Tu in carmine nostro quae lubet emenda, ac tuum vicissim jam dudum debitum transmitte. Scripsi Amisforti XIV. Kal. April. CIↃIↃCXLIV. Vale, nobilissime Heinsi, ac me ama.

Epist. Parid. *Spem facit, hoc recipi me quoque posse modo* Levi distinctione hic locus adjuvandus videtur in hunc modum: *Spem facit hoc, recipi me quoque posse modò.* Versus ille, *Nam nec tristis hyems, nec nos huc appulit error*, e Virgilii septimo desumptus: *Non errore viae, nec tempestatibus acti &c.* Pag. seq. illa: *Fas vidisse fuit, fas sit mihi visa referre*, duobus circulis includenda sunt, ne sensum suspendant. Ibi autem, *praecordiaque intima sensi Attonitus curis intonuisse novis*; pro *intonuisse*, vel *incaluisse*, vel *intepuisse*, vel similis vox substituenda videtur. Non multo post vel vulgata retinenda est, vel cum scriptis legendum: *Da modo te, Paridi quae sit &c.* Ita mox: *Da modo te facilem.* Terentius Adelph. *Da te hodie mihi, Exporge frontem.* Heaut. *sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim.* mox. *Et modo per nutum signa tegenda dabam. Tegenda* fortasse idem est quod epist. proxima *signa tecta*; vel potius *signa legenda* i. e. colligenda vel intelligenda, legendum videtur. Epist, seq. pro, *Quis prohibet, raris nomen inesse meum*, non male scribi posset, *quid prohibet?* Sub fin. cum priscis membranis scribendum: *Militia est operis altera digna tui*, & similiter 1. Amor. 3. *Proveniant causae carmina digna tuae.* notum illud, *magnorum haud unquam indignus avorum.* Epist. Leandri, lectionem manuscriptorum probo: *Illa meum, dixi, littora numen habent.* Ita Epist. Phyll. *Et quaecunque procul venientia lintea vidi, Protenus illa meos auguror esse Deos.* Amor. 2. Eleg. 11. *Primus ego aspiciam notam de littore puppim, Et dicam, nostros advehit illa Deos.* Sed ista magis in morbo cubant. *Quod mihi non esset nisi sic iterare, querebar.* Nisi multum fallor, ita restituendum est: *Quod mihi non esset nisi sic iter, ante querebar, At nunc per ventos id quoque deesse queror.* Et si praecedentia videas, scrupulum omnem dubitandi depones. Paulo post manuscriptorum fidem sequor scriboque: *Hinc est,*

eſt, *exiguum miſero contingis amanti. Hinc*, i. e. hac de cauſa, quia coelo digna es. Sub fin. *Deſine parte queri.* cenſeo mutandum in *Deſine*, *parta queri*, Epiſt. Herus ſcribo cum vett: *Corripio verbis aequora ſaepe meis.* Ita Virg. in Georg. *Increpat aeſtatem ſeram zephyroſque morantes*; & alibi. Forſan quoque pro *Seducit terras haec brevis unda duas*, legendum *ſecludit*. Epiſt. Acontii, editur, *Et viſa eſt motâ dicta tuliſſe comâ.* Omnino male. Aliud enim ſentit, & aliud dicit. Teſtem ac ſubſcriptorem ſententiae meae habeo Ovidium, cuique noti verſus, *Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent.* Emendandum itaque, *Et viſa eſt motâ ſigna tuliſſe comâ*, aut potius *dediſſe*. Ita Amor. 3. El. 2. *Annuit, & motu ſigna ſecunda dedit.* Paulo poſt *amor* & *amore* majuſculis literis ſcribi velim. Illud, *Sit modo placandae copia parva tui*, typothetis adſcribendum eſſe puto pro *placandi.* Epiſt. Cydip. *Ante fores ſedet haec: quid agamque rogantibus inter.* Scipio Gentilis volebat, *quid agamque rogantibus intus.* mox: *Sicut eram, properans verba imperfecta relinquo.* Rectius meo judicio foret, ſi legeremus: *Sicut erant, properans &c.* Sequitur non longe: *Neve mihi credas in te quoque dicere famam, Facta veneficiis pars putat iſta meis.* Imo *tuis. Quam ferus indigna labe perire ſinis.* Sc. Gentil. *labe* librarii meram labem lapſumque putat, legens *tabe*. Virg. *Et quos durus amor crudeli tabe perêdit.* Poſtea emendaverim, *Quam ſaepe heu tardis feci convitia remis*, non cum vulgatis *ut tardis. Ter mihi jam veniens poſitas Hymenaeus ad aures Fugit.* Turpis error, cui librariorum inſcitia ortum dedit, ex occaſione verſus iſtius, qui in Epiſt. Medeae ſupra occurrit: *ut ſubito noſtras Hymen cantatus ad aures Venit.* Sed diverſa utrobique ratio. Illic carmen nuptiale, hîc deus ipſe nuptiarum intelligitur. Intrepide itaque hîc correxerim: *Ter mihi jam veniens poſitas Hymenaeus ad aras, Fugit.* Illa quae ſequuntur, *Vixque manu pigra toties infuſa reſurgunt Lumina Vix moto corripit igne faces*, non capere me ingenue profiteor, niſi poſteriora ita leviter immutes: *vir moto corripit igne faces.* Et eam veram eſſe lectionem, ſequentia declarant. Caeterum illa *infuſa lumina* nihil minus quam lucernam olere arbitror, dicendum enim fuerat, oleum infuſum luminibus, vel quid ſimile; ut facile appareat, barbarorum commenta eſſe has poſteriores Epiſtolas. Haec ad Heroidas; caetera ſuo tempore expectabis.

Lib. 11. de Art. Amand. 353.

Phyllida Demophoon praeſens moderatius arſit.
Exarſit velis acrius illa datis.
Penelopen abſens ſolers torquebat Ulyſſes.

Senſum in poſtremo verſu turbat duorum iſte Epithetorum concurſus. Si non verius, concinnius certe pro τὸ *ſolers ſolam* legere poterimus. Faſtor. 1. 549.

Nulla videt quaerens taciti veſtigia furti,
Traxerat averſos Cacus in antra ferox.

Nondum prioris conjecturae, *feros* vel *feras* me poenitet. Praeter ea, quae antea allegavi, ex Varrone aliiſque, vix veriſimile eſt, poëtas vocem illam *boves* toties repetiiſſe, licet quidam manuſcripti illas habeant. Tum ipſe Ovidius ac Virgilius, ubi de hoc ipſo furto agit, bis taurorum meminit.

EPISTOLA VI.

ARN. SLICHTENHORSTIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NEſciebam profecto, clariſſime Juvenis, te tam felicem in Belgicâ Poëſi; nam carmen iſtud tuum non ſolum implevit, ſed longe ſuperavit expectationem meam. Plane in Latinis tuis major ſpiritus ac facundia non elucet, quam in iſtis. Quia tamen de omnibus judicium meum ſollicitas, non diſſimulabo, iſtum verſum, *Bemachticht heeft het land met liſtige practyck*, minus placuiſſe ob barbarae mixturam vocis, quem facili negotio ita reformari poſſe exiſtimem, *met liſtig ongelyck*. Caeterum religio mihi erit, quidquam te inconſulto in illis mutare. In meo carmine nuper tranſmiſſo repetitum illud *ingemuit* ex ſententia tua ac mea tolli velim, ſed ne ter eadem vox, nempe *dolet* & *indoluit* occurrat, prius illud diſtichon ita conſtitui: *Quiſque gemit caecae triſtia pila Deae*; exemplum illius Ovidiani. *Illa gemens patrui crimen, delictaque Martis &c.* Notas meas ad Ovidii Heroidas jam dudum tranſmiſiſſem, niſi iter tuum Dordracenum incidiſſet. Ut tam libere omnia communicarem, candor tuus impulit, orans obteſtanſque ne libertas iſta mihi fraudi ſit, atque cenſuras tuas, ſi qua tibi iſtorum minus placebunt, confeſtim mihi aperias. Jam menſis eſt & amplius, cum literas prolixas ac varii argumenti ad *Hofferum* noſtrum ſcripſi, tradideramque eas per tabellarium fratri ipſius, qui in ſcholâ Hieronymiana Trajecti Muſis operatur. Caeterum nihil dum hactenus reſponſi accepi, quod neſcio magis mirer an doleam. Amabo te, mi Heinſi, ut iſta veteri amico ſignificare velis, ne iterum violatae amicitiae me accuſet. Nec defuiſſem iterum ſcribere, ſi priores meas ad eum perveniſſe certus forem. Hanc ſine me ſpem ferre tui. Nam crimen iſtud omni crimine gravius mihi foret. Raptim Amisfordiae propridie Kal. April.

EPISTOLA VII.

ARN. SLICHTENHORSTIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

OPpido gratae mihi literae tuae fuerunt, nobiliſſime Heinſi, quibus tam candide conjecturas noſtras ad ſtateram vocas. Magis tamen mirum quod tot inter caeca ſpicula (manuſcriptis quippe omnibus deſtitutus, nullam praeter parentis tui editionem, ſi Wechelianam excipias, inſpexi) aliquot etiam ad metam pervenerint, ac alibi cum manuſcriptis, totics quoque cum ingenio ac

Digitized by Google

ac conjecturis tuis, quod fere ſupra fidem videtur, conveniant. Recte autem judicas pro *audit* minus bene a me *claudit* ſubſtitutum. Confirmandae ſententiae tuae eſt & alius locus in ipſo poëta noſtro, nimirum Amor. 3. 11. *Jam mea votiva puppis redimita coronâ Laeta tumeſcentes aequoris audit aquas.* Epiſtolâ Hypſipyles, ſi recte recordor, inter varias lectiones etiam ab interpretibus notatum erat, *devicta ſerpente*, nec alias vulgarem ſollicitaſſem. Epiſt. Dejanirae, quod lectio noſtra, *At non ille velit*, in manuſcriptis tuis patrocinium inveniat, multum gaudeo, mi Heinſi. Nec minus certum eſt, quod in verſu ſeq. eadem manuſcripta repraeſentant: *cui nox, ſi creditur, una Non ſatis, ut tantus conciperere, fuit.* Ne dubita. Ex Plauti Amphytruone ac Tragicorum fabulis nihil notius, quam Jovem eo ipſo tempore, quo cum Alcmene rem habebat, nocte una in amoribus peracta, inſequentem etiam diem, cum ſtupore totius Naturae, in noctem commutaſſe: quo ita liberius libidini vacare, ſeque totum fortiſſimo viro impendere poſſet. Breviter & argute Seneca de hac ipſa re: *In cujus ortu mundus impendit diem &c.* Redeo ad illum Medeae locum: *regnum patriamque reliqui. Munus in exilio quodlibet eſſe, tuli.* ubi certe quae notas non minus obſcura ac intricata videntur, quam quae vulgo legimus: ſed quia in manuſcriptis quibuſdam, invenitur *Et minus exilio*, viſus mihi ſum leporem tandem excitaſſe, ſervatis quantum poteſt veſtigiis iſtius ſcripturae legendo: *Et Minyis exul, quidlibet eſſe tuli*, ut hoc dicat, Et Colchis patriâ e tellure tecum profugiens, Minyiſque (unde & Minyae ſaepius apud poetam pro ipſis Argonautis) ac in Theſſaliâ exulans, quidlibet ibi eſſe ſuſtinui. Quas autem contumelias ibi paſſa fuerit, paulo poſt aperit: *Auſus es Aeſoniâ, dicere, cede domo*, & quae tam ſequuntur, quam praecedunt. In Epiſtolâ Sapphûs, ut hoc quanquam levidenſe hîc moneam, legendum ita ac interpungendum puto: *Si tam certus eras hinc ire; modeſtius iſſes, Si modo dixiſſes, Lesbi puella vale.* Scripti enim pro *ſi mihi*, habent *& modo*. Illo Leandri loco, *niſi ſic iterare, querebar*, rectum in primis videtur, quod conjeci: *niſi ſic iter, ante querebar.* uti non ſolum Gallicanus codex, ſed & ſubſequens verſus ſatis ſuperque evincunt: *At nunc* &c. Antea querebar, quod mihi non eſſet iter niſi per fluctus, at nunc quoque queror, illam ipſam viam ventorum ac maris furore mihi ademptam. Adde quod *iterare* pro ſaepius eandem viam ire rariſſime ita ſimpliciter occurret, plerumque autem cum nomine, ut apud Horat. *Cras ingens iterabimus aequor:* & utcunque haec ceſſent, comparatio tamen illa, unicum ſententiae condimentum, alias perierit. Epiſt. Herûs lectionem illam, *Corripio verbis aequora ſaepe meis* â Mycillo in textum receptam ignorabam, quemadmodum & iſtis locis, *Sicut erant, properans* &c. & *Facta veneficiis pars putat iſta tuis.* alias non moniturus. Epiſtola Cydippes verſus iſte diſtinctione tali emendandus: *Quae jurat, mens eſt: nil conjuravimus illa: Illa fidem dictis* &c. Et ita libri priores, nec aliter citat Grotius in auguſto opere de Jure belli & pacis, addens verſiculum hunc ex Euripide: *Jurata lingua eſt, mente juravi nihil.* Sed hîc fortaſſe typographi peccarunt. Conſtitueram eadem opera & quae in Amorum libris mihi obſervata ad te tranſmittere, ſed aliis impeditus

Digitized by Google

procraſtinare cogor. Interim, ſuaviſſime Heynſi, ut favente Mercurio Spadanos fontes adeas, ac propitio Apolline quam primum inde expectatus domum redeas, calide precamur. Illuſtri parenti ac celeberrimo heroi Boxhornio, cujus memoria ac merita nunquam animo meo excident, officioſam meo nomine ſalutem dicas velim. Scripſi raptim Amisforti XII. Kal. Majas A. C. CIↃIↃCXLIV.



VIN-

Digitized by Google

VINCENTII FABRICII,
ET
NICOLAI HEINSII
EPISTOLAE
MUTUAE.

EPISTOLA I.
VIN. FABRICIUS
Nic. Heinſio.

VIdi[1] epiſtolam tuam ad Gronovium clariſſimum, heſterno die miſſam, in qua ſerio utrique noſtrum iraſceris. Gronovius equidem noſter pro facilitate morum tuorum & innocentiſſima jocandi conſuetudine omnia interpretabatur: ſed mihi neſcio quomodo viſus es vero vultu ſtomachari. Contemni a nobis homines utriuſque noſtrum amantiſſimos. Alterum aedes veſtras ſtudioſe vitare, alterum etiam Urbem. Tota ea lex eſt, ut puto, horrendi carminis. Sed, hominum optime, ſi nondum ita noti tibi ſumus a candore inculpato, ut audeas etiam impingere ſcelera, plane parum laboraſti cognoſcere, quales eſſemus. Non jam loquar pro *Gronovio*, qui oratore opus non habet: in mea utique cauſsa παλινδικίαν flagito. Et puto ſatisfieri tibi poſſe, ſi animo non perturbato ad vindicandum acceſſeris. Sed amotis ambagibus affirmo tibi, mortalium ſuaviſſime, ideo me Leidam in itinere non vidiſſe, quod ob incidens frigus ſuſpicabar commoditatem Hagam commeandi intercipi, quae res valde intricatura fuerat totam itineris rationem. Denique putabam ſingulis diebus contingere mihi poſſe, ut Leidam excurrerem, & ſummum votorum meorum fructum ex honorifica conſuetudine veſtra caperem. Quod quam ſincere dicam, agnoſces inpoſterum, ſi me culpam emendare permiſeris. Dabo enim operam, ne ſi illic aliquis iracundiae tuae fomes eſt, vel exiguus eam quidem ob cauſam ſcrupulus in animo tuo relinquatur. Paucis dicam, veniam ſaepius, & efficiam ut jam iraſcaris irae tuae. Literas ſummi parentis tui, & Cl. Zuerii, impatienter deſidero. Scripſi idcirco Ultrajectum, & puto me eum faſciculum propediem habiturum. Schertlingius noſter ſerius heri huc venit. Itaque non miraberis, quod in heſternis Gronovii literis nulla de tua epiſtola men-

1 Hanc epiſtolam non reperies inter editas a nobis, ſed vid. Gronov. LXVII. & LXVIII.

Digitized by Google

mentio. Quae pro incolumitate noſtra vota ſuſcepiſti, praeſente Schertlingio, ſolemni poculo repetivimus, & ea pro vobis precati ſumus, quae pro maximis, & amiciſſimis mortalibus precari jus fasque eſt. Feliciſſime vale φίλταλον κάρα, & incomparabili Parenti me commenda. Hagae 23. Januarii. 1639.

EPISTOLA II.

NIC. HEINSIUS

Vin. Fabricio.

Hagam.

CONtubernium, quod ex tuis primum intellexi, cum *Gronovio* noſtro tuum gratulor tibi, mi Fabrici. Et quid ni inſtitutum veſtrum probem. In votis id mihi ſemper fuit, ut, quoniam coram non daretur, quam proxime ſaltem adeſſes nobis. Singulis nunc ſeptimanis, aut videbitis vos me, aut ego vos: ut & ſic felicitatem meam agnoſcam. Parentis & *Boxhornii* literas, ſi nondum accepiſti, periiſſe tibi non eſt quod dubites. Haeſuras hoſpitio veſtro putaveram. Scripſit heſterno die ad me *Cabeljavius Hagmeierum* eas abſtuliſſe ſecum. Injecta illarum forte mentio apud illum cum eſſet, nullas accepiſſe viſus eſt. Quicquid id rei ſit, a te expecto. Poëmata tua ad Bodecherum miſſa nondum ſunt, quia non fuit hactenus, qui curaret. Indignatio mea tam juſta cur offenderit te, ignoro. Concoxiſſe illam poteras, ſed, ut puto, [1] heſterna illa comeſſatiuncula ſtomachum tibi nonnihil debilitarat. Id tamen vitii agnoviſſe in me videris, quo jure non ſcio, id ſcio a menſibus jam aliquot nullum Rhenanum, nulla mihi oſtrea guſtata. Hoc aut non memineras, aut profecto, cum Horatiano Maevio, tibi ignoveras. In me ſaltem non erat cur ſaevires. Condimenta & deliciae noſtrae parcius ſi admiſſae ſunt, non miror. Hoc erat cur paucis iſtis periodis tam inclementer reſponderes. Hoc erat cur in tuis crebro occurreret, ſtomachari, iraſci, ſcelera impingere me vobis, animum praeferre perturbatum. His ſuperius jam reſpondi, audi nunc rem ipſam. *Gronovius* Leidae fuit, Leidam tu praetergreſſus es. Neuter hoc negabit. Vacavit ille popularibus ſuis, id probo. mihi non vacavit. Alloquium ſaltem, ſi nihil aliud, ejus merebar. Unum tantum diem Leidae ſe fuiſſe reſpondebit. Atqui Hagae ſic ſoleo, primus tamen fuit ſemper, quem ſalutarem. Simile commiſſum nunquam mihi impinget. Nunc ad te venio. Frigus immenſum & ſubitam glaciei cauſaris ingluviem. Aut imponere voluiſti mihi, ut puto, aut ingenium tuum exercere. Dic ſodes: ignorabas adhuc iter hoc curribus hyberno tempore confici? Vellem itaque aliam praetexuiſſes excuſationem, ea quin injuſta ſit, ne tu quidem negabis. At vero, haerendum Leidae fuiſſet tibi, ea mora propoſitum in Gallias iter tuum perturbaſſet. Vides eam ingenioſam potius eſſe, quam veram. Nunc videamus an ſola ea indignationis meae

1 Vid. Gronov. Epiſt. LXVII.

Digitized by Google

mae fuerit causa. Cum Hamburgo ante annos fere duos Coloniam cogitares nec me, qui Dordaci tunc haerebam, nec *Gronovium* conveniſti. Poſtero tamen inde die revertebar. Hagae illc tum morabatur, nec probavit conſilium tuum. *Voſſiis* ſeptimanam aut alteram dabas, nobis ne diem quidem. Multa exinde prece Ultrajecto vix tandem evocatus, per diem aut alterum divertiſti apud nos. Haga Leidam reverſus hoſpitium mutaſti, qua, quaeſo, ratione alia, quam quod aut illud, aut hoſpes tibi non probaretur: poſtremo cum *Schertlingius* noſter publice diſputaret hîc, eadem meridie Hagam tibi eundum eſſe apud *Boxhornium* & parentem meum praeferebas. Hoc quam falſum fuerit non ignorant illi, qui viderunt, Paulatim adnantem terrae & vix tuta tenentem. Praetermitto nunc quam ſaepe a parente in prandium aut caenam vocatus, abitum cauſatus ſis, amicis exinde tuis dies aliquot cum dares. Domi noſtrae canis es ad Nilum (ignoſce vero comparationi ſatis incompoſitae) ſemper fugis, apud amicos tuos ſummus procraſtinator. Stultus, hoc ſi non videam. Vide nunc an juſta ſit indignatio mea. Talem fuiſſe deprehendes, ſi & ipſam cauſam & candorem meum diligenter penſitaris. Fac interim brevi te videamus. vale. III. Id. Febr. CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA III.

VINC. FABRICIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime Heinſi, cum nuper καλὸν δαίμονα Parentem tuum, virum incomparabilem hîc vidiſſem, & te quoque una veniſſe crederem, non poteſt dici, quam aegre tulerim hac ſpe decidiſſe. At tu fortaſſis me ulciſceris, cujus peccata nuper diſertiſſima epiſtola caſtigaſti: homo nempe atrox, & ἢ μικρᾶς προφάσεως δεόμενος εἰς τὸ ὀργίζεσθαι. Sed audi me ὦ τρισμυρίστε Εἰνσιάδαι καλυτὸν εἶμι, & ne ſaevi tantopere. Plus ſatis erat objurgaſſe, & pro parvulo peccato unum ſupplicium amico ſufficiebat: ne tu verbis facta conjungeres. In mea epiſtola, quam poſtremo ad te miſi, neſcio quid fuerit, cui tu tanta ſeveritate obviam eundum putares. Putabam mihi profuturam illam ad placandum animum tuum, qui ſuccenſebas nuper mihi, quod Hagam recta potius, quam per ambages iviſſem. At an non tanti erat Heinſius, cujus cauſa paululum deflecteres? Utique tanti erat, ut ad congreſſum ipſius per Garamantas & Indos pergerem, ſi tam facile laedi potuiſſe praeſenſiſſem. At ineptam cauſſam comminiſcebaris de glacie, de ſarcinis, ἰδὲν ὑγιὲς. Video eum locum epiſtolae meae cum legeris, mortalium ſuaviſſime, iram obſtitiſſe tibi prae oculis. An inſipidus adeo eſſem, ut Gallicum iter noſtrum hac digreſſiuncula interrumpi dicere tibi auderem. Imo hoc volui: commodius ſarcinulas noſtras, quibus varias ob cauſſas adhaerere cogebamur, Harlemo Hagam vectas eſſe, & rectius uno itinere. Cum enim putarem futurum, ut ſcaphae frigore

gore attinerentur, facile videbam, quam moleſtum futurum eſſet, bis cum amicis conflictari, & reculas noſtras toties agi ferrique. Vos autem alias videre licebat tam vicinos, ut manu pene contingere liceat. An tibi jam ſatis rectum videtur, quod tam ſuperbe proxime elevabas? Nimium velim vidiſſe vultum tuum, cum ſtomachabundus ad concilium vocabas, quot modis adverſus te deliquiſſem, διαβληθεὶς μὲν, οὐκ ἐλεγχθεὶς δέ. Idque ut iracundius acerbiuſque facias, quae ante biennium facta ſunt, novis peccatis adiicis. Sed audi me; veriora ipſe tibi dicam. Cum Coloniam pergerem, id ſedulo operam dedi, ut tuto irem. Scis autem varie itinera circa illam urbem infeſtari. Praeceſſerat Legatus Regis Daniae, qui eodem tendebat, ut Pacificationis negotium una auſpicaretur, quod adhuc neſcio quo Deo iniquo trahitur, ac differtur. Cum eo ire ſi vellemus, non niſi ſex dies in Hollandia ponendi erant. Id ipſe mihi legatus Groningae praedixerat. Non totum triduum Amſtelodami fui, interea dum comes meus urbem luſtrabat, & ſupellex noſtra Colonienſi navi imponeretur. Et quaeſo te, quis iſte fuit ſubleſta lingua, qui apud te argutatus eſt, duas me ibi hebdomadas triviſſe. Pendere lingua ſua debebat, qui tum impudenter verum non dixit. *Voſſios* (ipſorum fidem teſtor) bis tantum vidi. Leidae biduum fui: quod *Gronovium* ibi exſpectarem. Sed ille ne veniret, incuria *Fr. Voſſii* fuit; qui ſerius, ac fas erat, adventum meum ipſi indicaverat. Nunc ex te rogo an tam intricato & tempore & rebus meis tibi, Dordraco advenienti, praeſtolari debuerim. Maximè, cum ſummus parens tuus de adventu tuo nihil certi haberet dicere. Et meminit is procul dubio, quae tunc ipſi de Legato Danico dixi. Quamvis autem viam corripuerim, Legatum niſi Veſaliae adſecuti non ſumus. Puto hoc ſatis jam purgatum tibi eſſe, quod jam olim oblitum oportuit. Sed tu pergis. Vix biduum in domo veſtra haerere volui, hoſpitium mutavi, denique atrocia multa. Si mitigari potes, dulciſſime hominum, recognoſce illud tempus, & videbis ſolidos dies quatuor me vobis moleſtum fuiſſe: ita diſceſſiſſe, quaſi iturus Ultrajectum: propter comitem meum mutandum conſilium fuiſſe: proximo poſt reditum die abiiſſe: denique unam me noctem obteſtanti & ſe ſperni clamitanti civi meo negare non potuiſſe. Haec tu omnia agnoſcis eſſe veriſſima & tamen iraſceris. Apud parentem tuum unquam abitum ſimulaſſe, nec diſceſſiſſe tamen non memini, & ſane nego factum. Eo die, quo *Schertlingius* diſputabat, omnino diſceſſurus fueram, licet pluſculum appotus circa veſperam. Sed commeſſantium tunc ſolenni more comitas me attinuit. Violentiam eorum cum tamen fugerem, & ideirco clanculum aedibus egrederer, ſcis quid contigerit.

O ſcripe, ſcripe laudo fortunas tuas.
Quae ſemper ſervas gloriam aritudinis.

Sed ego tibi idoneus ſum viſus, quem non videres tantum (id merebar ſane) verum cujus calamitatem in crimen vocares etiam, ἐπιπόνως καὶ θέμενος ἄγναμπτον νόον. Scio te amare adeo Fabricium tuum, ut nolis ipſum ad eum modum iterum mentiri. De vita enim periclitabar, ille tuus tibi tam dilectus. Τὸ μὴ μεθ' ὑμῶν ἀναχθῆναι, ἢ μαθεῖν πάλιν. Arbitror te jam placatum eſſe: Et malle ſane non accu-

accusasse; quam tam prolixam apologiam legere. Postremo, ne te diutius detineam, omnia erunt, nobis liquida primo congressu, quem si tu differs, ego occupabo. Vale felicissime, mea animula, meum mel. Peream, si quicquam te mihi possit esse jucundius, etiamsi millies irascaris. A. CIↃIↃCXXXIX. III. Kal. Februarii.

Jam scripseram ista, cum fasciculus tuus mihi circa vesperam allatus est. Scin autem? nunc ego irascor tibi, qui epistolam tuam combussisti, quam ego tantopere desiderabam. Si peccassem enormiter, quod non puto, tu te summi jam criminis reum fecisti. Scis quam aegre tuis caream, Vale mellitissime Heinsi, & scito me quamvis irato nihil tui esse amantius.

Tu mihi succense, sic ut cogaris amare:
Hoc pretio nondum paenitet esse reum.

EPISTOLA IV.

VINC. FABRICIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NOn erat fortassis officii mei, nobilissime Heinsi, tacere tam diu: sed nec verecundiae meae fuit otium tuum inanibus literulis, praesertim cum occurrisset nihil, quod scire magnopere velles, interpellare. Adde quod Dionysia hîc fuerunt, liberales feriae, & quae te quoque haud dubie aliquo rore adsperserunt inter sodales & amicos suaviter luxuriantem. Heros maximus de *Thienhooven* dies aliquot decubuit, ut jam timere nonnihil pro ipso inciperent domestici. Heri ad ipsum visimus *Gronovius* & ego; etsi videbatur aliquot molestiis morbi jam levatus. Itaque spero propediem ad pristina munia reversurum. Una ab ipso edentur, quae amici contulerunt ad exequias unice chari Henrici. Exspectatio Epigrammatis, quod incomparabilis parens tuus promisit, sola videtur editionem morari: itaque illud avidissime exspectat. Verum heus! nunquid vidisti prolixum Epos *Boyi?* Quale tibi visum est id mercimonium? Et tamen ille, ne erres, totam illam farraginem quinque horis effudit. Circa meridiem, cum in Aula obambularemus, indicabat ipsi *Gronovius* summopere placiturum Heroi Thienhovio si & ipse symbolam conferret. Postridie vix orto sole accurrit suffarcinatus mole carminis. Miserum, qui tanto molimine vix paucos malos versus facio! Porro, meministi tu me aliquando sive ebrium, sive sobrium coram te effutivisse, collatum esse a me totum Aeschylum, & Ammianum Marcellinum cum MS. Colonienſibus? Ego vero & nego factum, & nego dictum. Et tamen nuper aliquis amicus nescio quid tale ex te audivisse, mihi persuadere conatus. Puto me aliquando dixisse tibi, visum a me Ammianum Marcell. a *Lindenbrogio* multis locis, post primam editionem, meliorem factum: quibus conatibus jam viam interceperit editio Parisiensis nupera. An is sermo meus, vel te, vel amicum in errorem induxerit, arbitrari nequeo.

Digitized by Google

Sed istae sunt merae quisquiliae, nec quae morari te debuerant. Salve & a Gronovio nostro. Vale felicissime. Hagae Comitis. 12. Martii. 1639.

EPISTOLA V.

VINC. FABRICIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

PUto te jam resciviſſe ex *Schertlingio* noſtro, quam acerbe luerim inconſultam illam feſtinationem meam. Non dubito, quin id ſupplicii ſatis ſit tibi. Quanquam excuſatio inſit; quod quoniam comiti meo annexus ſum; non ſemper meo remigio agor. Te nihilominus & totam domum veſtram conſtanter mihi favere dubitare ipſe nequivi, & *Gronovius* inſuper in Anglia confirmavit, cum ego aliquid offenſae contractum eſſe properatione nimia crederem. Nicolae mellitiſſime, corculum meum, utinam introſpicere animi mei intima poſſes. Agnoſceres impreſſa illic veſtrorum beneficiorum veſtigia, quae deleri nulla temporum diuturnitate potuerunt. Fateor inter caetera vitia mea eſſe ſimplicitatem nimiam, qua interdum labor. Sed quoniam propius candorem id peccatum eſt, facilius me mihi excuſo, tibi quoque, qui patricias artes pro ingenuitate tua aut addiſcere noluiſti, aut iis, adverſus amicos ſaltem, non uti. Dicam paucis, unus tu mihi es omnium, a quo ſine fuco amari me intelligo, quemque effuſiſſime amare occulto quodam inſtinctu cogor. Iter ex Anglia hucuſque feliciter evenit. De Gallia, ut verum tibi fatear, multa mentitur fama. Pene omnia expectatione mea inferiora fuerunt. Nihil ſordidius incolis, nihil oppidis abjectius, aut magis deſolatum. Lutetia aliquo pacto expectationi par eſt. Sed ſi bibliothecas & eruditos viros excipias, nihil hîc quoque valde memorabile. Eruditorum exquiſita eſt humanitas, ut fingi amabilius nihil poſſit. Quanta ubique veneratio parentis tui, quantus ſit tam illuſtris nominis cultus, narrare tibi opus non eſt, quem hoc ignorare conſenſus totius orbis non ſivit. Meminiſti te rogaſſe me, ſi qua re juvari Ovidii tui editio poſſet, ut omnia ſtudioſe conquirerem. Ut ſentias non defuiſſe me tibi, ecce excerptas collationes ex Codice manuſcripto vetuſtiſſimo. Contulit & annotavit iſta manu ſua *Chriſtoforus Puteanus* Senator Regis. Filii ipſius, viri optimi & eruditiſſimi facile paſſi ſunt collationes illas tibi impetrari. Epiſtolae tantum ſunt & pauca alia: liber enim mutilus eſt. Non fuit ad manus Ovidius, itaque conferre non licuit. Non dubitant tamen *Puteani*, quin ibi multa futura ſint bonae frugis. Ante octiduum cum apud ampliſſimum Senatorem *Claudium Sarravium*, virum optimum, & amantiſſimum ſtudiorum fabularer, advenit eo *Franciſcus Pithoeus*, itidem Senator Pariſienſis, *Petri* & *Franciſci Pithoeorum*, nepos. Is inter caeteros ſermones, ut fit, oſtendit mihi locum Ovidii aſe feliciſſime emendatum. Is eſt in fine libri. x. Met ubi de flore Anemone.

Namque male haerentem, & nimia levitate caducum,

Ex-

Digitized by Google

Excutiunt iidem, qui perflant omnia, venti.

Correxit ipse, *Qui praestant nomina*. Biduo post cum ad ampliss. *Grotium* accessissem, sibi videri, dixit, emendationem illam esse jam occupatam a nostro *Gronovio*. Non otium mihi fuit, inspicere libros *Gronovii*. Tu absque dubio memineris. Si quid inposterum obveniet, quo ornari editio tua possit, non deero tibi. Poëmatum tuorum editionem quaeso accelera. Parum abfuit, quin ego eam hîc promitterem literatis. Noli diutius celare eos, quid de ingenio tuo promittere sibi debeant. Post hebdomades duas nos hinc discedemus, fortassis Aureliam, aut alio, ubi facilior addiscendae linguae erit copia. Parentem incomparabilem, & universam familiam officiosissime saluto. VV. CLL. *Scriverio* & *Boxhornio* me commenda. Felicissime valete. Non patior te ignorare, ubi inposterum futurus sim. Lutetiae Parisiorum. IV. Kal. Julias. A. CIↃIↃCXXXIX. Amicus iste meus, qui hanc tibi reddit, ex Italia nuper venit. Cupit per te commendari parenti tuo, quem unice colit. Fac quaeso, ut sentiat amicitiae meae fructum.

EPISTOLA VI.

VINC. FABRICIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NObilissime Heinsi, quas ante menses circiter quinque ad te dederam literas, eas periisse arbitrabar, quod nihil responderes. Sciebam enim fortunae exponi, quae amicis reddenda committuntur. Neque is, cui eas dederam, adeo diu mea consuetudine fuerat usus, ut insignem aliquam diligentiam ab eo expectare deberem. Ex eo tempore Galliam variis itineribus perlustravi, & nusquam diu, nisi fortasse Biturigibus duos menses, haesi. In Urbem hanc autem nuperrime redii, cum humanissime me revocarit Amplissimus *Claudius Sarravius*. Quo viro cave credas quicquam candidius & bonarum literarum amantius inveniri. Reversus ergo, sedulo id operam dedi, ut scirem, nihilne tu respondisses. Tandem ex tuis ad *Gronovium* dedici, dubitare me non debere, quin meas accepisses. Polliceris enim, te remissurum *Puteanis* excerpta Ovidiana, quae tibi ab ipsis impetraveram. Sed, quod mirabar, nulla istic mentio, nec epistolae meae, nec mei. Accedit obstinatum silentium tuum, tu plane quid cogitem, quidve suspicer non habeam. Potes scire quam in omnem partem anxius fuerim, ex eo, quod nullam mihi amicitiam religiosius conservandam semper arbitratus sum, quam tuam. A qua tamen dejectum me nunc esse, tua facta, quae dixi, me non sinebant dubitare. Ergo itaque sic ego rationes putabam. Desiit me amare Heinsius, vel exacerbatus injuria aliqua atque offensa nostra: vel ereptus mihi ab iis, qui fortassis inter nos dissidium volunt: vel denique me contemptum, seque suoque affectu indignum abjiciens. Prior sollicitudo de offensa non diu anxium me habuit, quod ab ea me tui meique

mores absolverent. Mei: nulla enim in re te laesisse certus eram, immo potius ubique praedicasse, nihil mihi in omni vita obtigisse, quo laetarer magis, quodque mihi glorioſius esse ducerem, quam domus vestrae amorem mihi conciliavisse, eique me illustria & incomparabilia beneficia debere professus sum. Hanc gloriam meam ut volens aliqua offensa corrumpere mihi voluerim nec par est, nec ulli fiet credibile. Sin vero ignorans aliqua in re offendissem (quamvis diu inquirens nihil repererim) ea te ingenuitate animi praeditum sciebam, ut condonare didicisses aliqua errata humanae imbecillitati; nemo enim sine labe notaque vivit. Saltem id sciebam aequitatem ipsam a te exigere; tuaeque esse indolis non condemnare inauditum, indefensum. Atque hoc est, quod de moribus tuis proposui. Quorum perspectus mihi candor etiam id, quod secundo loco jeci, mihi eripuit. Ut enim fortasse essent, qui nos vellent distractos, non te tamen ita mobilem sciebam, adeoque injustum, ut coram te accusatum esse, id tibi sufficeret. Restat itaque postremum, ut me merito meo, nulla re magnopere commendandum, tuoque affectu indignum, amari desiisse arbitrarer. Haec cogitatio me eo vehementius afflixit, quo justiorem ejus esse rationem videbam. Quid enim? An magnopere quisquam mirabitur negligi ab Heinsio eum, qui quod tam intime amari potuerit, merito omnibus stupendum videbitur. Nuditatem meam norunt mecum alii, quamque parum idonee honesta studia tractem (qua vobis laude conciliari oportet) jam olim fuit cognitum. Qui itaque viderunt me ad tantum favorem provectum, cum omnia perquisivissent, nihil in me te dignum repererunt, nisi fortassis simplicissimam & sine fuco, aut affectatione animi probitatem, innocentissimum ac fallere nescium candorem. His artibus si tibi conciliatus sum (neque sane alias habebam) vide ne atrocem inculpatissimis moribus tuis injuriam facias, si me ab illustri parente tuo primo tanto affectu quasi in sinum receptum, a te tanto opere amatum, tot benemeritis ornatum excultumque subito deprimas, antequam illam probitatem, illumque candorem meum mihi abesse probaveris. Quae cum in me amaveris hactenus potius quam me, nulla re amabilem, vide ne mutata sententia virtutes illas damnasse videaris. Denique, interest existimationis tuae tanto affectu inter nos cultam amicitiam subito non abrumpere: cum nemo bonus unquam fastidire amicum coeperit, nisi id ille meruisset. Quod postremum si in me cadit, saltem titulum inscriptionemque mei criminis scire debui, ut ad formulam accedens statuendum haberem, litine cedere, an contendere deberem. Non amari me cum id non merear, aegerrime quidem, sed tamen utcunque fero. Excidere autem amantibus indignissime fero, si, ut dixi, inaudito, & indefenso id contingat. Vides quam prolixum me fecerit sollicitudo mea: qua nulla mihi molestior unquam accidit. Scire inde debes, quam mihi cordi sit amicitia tua, quam maximi thesauri instar habui. Et fortassis supervacuum tot verba fundere, cum amabilissimi mores tui non permittunt tibi aliquam in me crudelitatem. Sed quoniam nimis inquietum me habuit ille amantium suspicax timor, tandem illo me exonerare volui. In hac urbe tota fortassis hyeme morabor. O si tu hic esses, quot deliciis circumflueres. Sed ea potius mea felicitas

citas foret, quam tua, qui domi plura habes quam hic invenias. Incomparabili parenti tuo & Cl. *Zuerio* me officiosissime commenda. Vale, juventutis nostrae delitiae, mellitissime Heinsi. Tuas anxie exspecto. Lutetiae Parisiorum. Prid. Kal. Januar. A. CIↃIↃCXLI. Dies sunt duodecim, quod *Gronovius* ex hac urbe Andegavum discessit.

EPISTOLA VII.

VINC. FABRICIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

DIscesseram jam Lutetia, optime mortalium, cum tuae literae eo allatae sunt. Ceperamus quidem consilium hibernandi in ea Urbe, sed id nobis eripuerunt rationes comitis mei, quem diu haerere in Urbe delitiarum omnium lena, e re non erat. Morati itaque aliquantulum sumus Aureliae, sed cum & ibi sodalitates parum gratae obtigissent, ad Bituriges nostros regressi sumus. Expertus fueram nusquam quietius aut innocentius vitam degi: quanquam non sine maerore summo a summis humanissimisque viris, qui Lutetiae sunt, divellerer. Sed alligatus sum saxo, quod cum volvo, ipse ut distrahar, voluterque necesse est. Poteras tu quidem sine incommodo tuo carere hac rerum mearum historia: sed ratio reddenda fuit, cur serius literis aureis vere, & merum amorem spirantibus respondeam. *Petreus* enim & *Elzevirius* non scire potuerunt ubi locorum essem, quod id ipsis indicare noluerim, antequam certam denuo sedem delegissem. De qua tandem certiores facti, tuas extemplo transmiserunt. Habes & causas morae, & rationes, quae efficiunt, ut de Lutetianis & hominibus & rebus nihil scribere possim. Quae ad *Iustellum* pertinebant ea jam & dixisse & effecisse *Gronovium* memini quasi per transennam. Carmina *Rutgersii* & tua apud ϑ πανυ *Grotium* vidi: qui ea describi curaverat. Et ante hebdomadas tres *Sarravius* Aureliam mihi scripsit, excerpta Ovidiana esse reddita *Puteanis*. Controversias tam acerbas in Academia vestra excitari, ita vivam, ex animo doleo. Eoque magis, quod multum publicis commodis decedere arbitror, dum viri summi digladiantur. Nosti illud: *Heu quantum terrae potuit pelagique parari*, & quae sequuntur. Deum summum obtestor, si vita mea redimi posset concordia inter incomparabilem Parentem tuum, & *Salmasium*, me eam libenter profusurum. Satiram tuam videre valde cupio: quanquam nullum utrinque telum expediri possit, quod non mihi quoque ingenti plaga pectus vulneret, & intimo doloris sensu animum exulceret. Non quidem illo in praelio ullae meae nisi spectandi partes sunt. Ita tamen spectator adsto, ut ad singulos ictus concutiar, & quo major fortitudo utriusque videri, & quibusdam oblectamento esse possit, eo vehementius utrumque aequis manibus, factaque pace ex arena discedere cupiam. Sed omittamus tam tristia, quibus fortasse tempus medebitur. Clarissimum *Boxhornium* tandem amaenitates suas,

Vene-

Veneresque omnes, quibus mille puellarum animos excantaverat, unum in locum contulisse gaudeo & gratulor. Ex animo ipsi felicem & concordem torum opto, &, in quo delitiarum conjugalium summa consistit, vegetum ac expeditum τὸ ἓξ ἄσκυ πρύχοντα πόδα. Notum illud Xenarchi apud Athenaeum.

Φθίνει δόμος ἀστύτοισι δεσποτῶν κεχρημένος
Τύχαις.

De *Bodecheri* reditu, & ingenio, de *Thysii* Professione nescio quid ad me scribitur. Cupio ex te scire quid ejus rei sit. *Dii meliora piis, erroremque hostibus illum*. Oro atque obtestor te, mellitissime Heinsi, serva illum animum, illum affectum mihi, quem tot experimentis cognitum habeo, & quem postrema epistola tam luculenter ostendis. Non eo pertinebant querelae meae, quasi diffiderem tibi, sed quod mihi. Sciebam te non deserere mores tuos, sed ego potueram te offendisse meis. Quae suspicio quoniam falsa fuit, pene mihi jam exosa est, & irascor ipsemet mihi, quod tam sinistre non tam de te, quam de me senserim. Unum hoc in ea re video, quod me oblectet, quia intempestiva licet querela incomparabilem a te epistolam elicuit. Incomparabili & illustri parenti tuo me ut commendes, oro. Vale felicissime. Avarici Biturigum. x. Kal. Martias. Anno CIↃCXL.

EPISTOLA VIII.

VINC. FABRICIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

CUm ex Gallia in patriam tenderem itineris mei rationes non permiserunt mihi, quanquam id cuperem unice, ut pertransirem Belgium, usuramque summae voluptatis, quamvis fugitivo amplexu raperem. Jam praeceperam mecum animo fabulas, sermones nostros, quam multa tu mihi de rebus vestris, quantum ego tibi de Gallicis: praeterea gustum Poëmatum tuorum, quae sub praelo fervere augurabar; denique infinitas delitias meditabar, cum his omnibus frustratum me sensi, quod nullae naves Belgicae in portu reperiebantur. Impositus itaque in aliquam nostratem, quam fortuito ibi offenderam, quatuor diebus, nec integris, ex portu Gratiae in patriam delatus sum, non sine gemitu ac lacrimis ex alto littus vestrum prospiciens, nec sine indignatione, quod nimis festinanter illius adspectus mihi eriperetur. Ex eo tempore multis intricatus districtusque hinc inde negotiis, scribendi ad te nec animum nec otium habere potui. Ne nunc quidem defunctus taediosissimis occupationibus, quibus pro moribus gentis hîc implicantur, qui peregre redeunt, quod tamen ulterius differre scribendi officium nisi flagitiose non possem, itineris mei rationem reddere qualemcumque tibi volui, uberius id diligentiusque facturus, ubi ex illis, quae nunc me sollicitant, emersero. Interea per Deum testor, constantissimo me affectu cultuque venerari virtutes indolemque tuam, sanctissimamque

que esse apud me beneficiorum incomparabilis parentis tui memoriam, cujus in me animum, favoremque quamvis erga immerentem ut tu mihi conserves alasque, summae illius tuae benevolentiae erit, cujus immortalia jam in amicitia nostra vestigia pressisti. Poëmata tua, si prodiere, avide expecto, cum epistola, quales omnes tuae sunt, amantissima, & in qua Heinsium meum, tanquam in elegantissima imagine recognoscam. Amicis omnibus quaeso me commenda, inprimis CLL. VV. *Scriverio* & *Boxhornio*. Felicissime vale. Dabam Hamburgi. VI. Kal. Febr. CIↃIↃCXLI.

EPISTOLA IX.

VINC. FABRICIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NIsi naturae tuae benignitatem nossem, crederem te negligentiae meae, quam nuper tam sollicite tibi excusabam, poenam exigere, dum nihil respondes. Tu vero mihi mansuetudinem tuam toties probasti, ut alia omnia potius, quam vindictam tuam pertimescam. Neque sane, si te offensum existimarem, denuo te adirem, antequam deferbuisses, quod celeres exitus iracundia tua habere consueverit. Ut autem tibi fidem faciam, nihil me hujusmodi de te in animum induxisse meum, ecce, pro cumulo confidentiae, nuptiis meis Epithalamium posco: ne impune feras tam prolixum silentium. Poscit hoc mecum venustula mea, quam ob mores potius & ingenii dotes mihi sponsam delegi, quam ob ea, quae alii appetunt, non tam ut utantur, quam ut possideant. Dabis puto veniam mihi, si dixero primum in animo meo locum, quem tibi hactenus religiosissime consecraveram, totum amicae meae cessisse, te nunc in secundo consistere. Sed nihil hîc peribiit tibi. Duos nunc habebis cultores virtutum tuarum, quas cum ego intelligere me putem, facile in admirationem earum pertraham virginem mihi obsequentissimam. Si nosses indolem, non paeniteret te horulae tribus quatuorve versiculis destinandae. Intra hebdomades quatuor nuptiae fient. Exiguum spatium, sed votis meis nimium, & quod Epigrammati scribendo sufficiat. Non enim sum tam inverecundus, ut Elegiam petam in tam sterili materia. Quicquid erit quod mittes, quaeso ut statim mittas. Dies enim nuptiis dictus est XV May juxta Calendarium Gregorianum. Agnoscis honestam ambitionem hominis delicati, qui diem solemnem non vult, nisi optimis carminibus insigniri. Illustrem virum parentem tuum sollicitarem, si essem paullo audacior. Sed impedior reverentia tanti nominis, neque ausim quicquam decerpere publicis commodis. Hoc unice peto, ut versus saltem duos a CLL. VV. *Scriverio* & *Zuerio* mihi impetres. Nullum mihi pignus erit certius perpetuae eorum in me benevolentiae. In omnibus istis ostende te esse Henssium, i. e. mei amantissimum, quod obsignatis tabulis, si tu negas, faciam manifestum omnibus. Experiar hac in re quantum

moribus tuis indulseris, quantum denique amicitiae nostrae dederis. Inimicorum enim susurros nihili te facere compertum habeo, quicquid blaterent sycophantae. Parenti incomparabili caeterisque omnibus officiose me commendo. Felicissime vale. 20. Aprilis. 1641. Civi meo, qui has tibi offeret, recte trades quicquid mittetur. Sed festinato opus est.

EPISTOLA X.

VINC. FABRICIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

VEni Hamburgum circa Idus May, postridie, quam tu illinc discesseras; parique fato, quo, ut meminisse potes, ante Sexennium tuus Gedano discessus meum a Thorunensi itinere seu ablegatione reditum die uno antevertit. Detestatus pene sum illud triduum, quod Lubecae exegeram iners, & nescio quibus amicorum atque affinium ineptiis obsecundans. Si enim festinassem, copia fuisset saltem per biduum fruendi amico tanto, & jucundum illud os oculosque dissuaviandi. Perspexi postea ex tuis literis ad praeclarissimum Langermannum (per menses enim fere duos illic haesi, quaedam domestica extricans) tibi aeque dividiae fuisse hunc casum ac mihi. Decreveram Hamburgo ad te scribere, idque fueram pollicitus Langermanno nostro, sed varie distractus, tum vero convivia pene quotidiana obeundo, sensi praeter spem mihi effluxisse tempus, quod ei scriptioni destinaveram. Ne enim nescias, pene me obruerunt, ne dicam occiderunt, convivali illa benignitate veteres amici. Sane tantum vini bibi hebdomadibus septem, quantum alias toto biennio bibere non soleo, homo, ut nosti, non abstemius. Sed vel Genius dulcissimae patriae, quam post annos octodecim revisebam, vel eadem illa amicorum obvia hilarisque benignitas effecit, ut nullum inde valetudinis incommodum postea senserim. In praedones incidi, cum deinde Hamburgo Lubecam reverterer, qui mihi abstulerunt Joachimicos pene ducentos; praecipua, quae habebam, quod festinarent, salva reliquerunt, neque praeterea vis ulla, aut injuria illata est. Erat is annus aetatis meae climactericus septimus, quem periculosum Astrologorum filii autumant. Et fortassis non minus periculi est in praedones, quam in morbum incidere. Perveniisse de illo meo casu famam in Sueciam ex tuis literis ad *Pelsium* intellexi, quas hodie ad me misit, teque illi, vero affectu, indoluisse. Subito itaque arripui calamum, ut quam jucunda mihi fuerit significatio veteris sincerique amoris, statim tibi ostenderem, & simul gratias agerem pro donato Ovidio, eruditionis, ingenii, atque industriae tuae immortali monumento, quod ad me & *Pastorium* recte curarunt *Elzevirii*. Utinam mihi detur copia veris rerum testimoniis demonstrandi, quantum te amem, quantumque tibi debeam. Salve ac vale feliciter. Gedani. die. 21. Decemb. 1661.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XI.

NIC. HEINSIUS

Vinc. Fabricio

Gedanum.

CUm ex literis Lucae Langermanni V. Cl. non ita nuper intelligebam, Hamburgum te adveniſſe paulo poſt meam ex illa civitate profectionem, indignatus ſum, non lentius aliquanto me feſtinaſſe, quanquam mandata publica urgebant ſupremam ſuſcepto itineri manum maturc imponi. Nuſquam alias ſic me fefellit cortina Phoebi, Vir Eximie. Nam ſi vel tantilla ſpes congreſſus tui affulſiſſet, omne ingenium advocaſſem ad cauſas cunctationis excogitandas, quas apud Proceres noſtros praetexerem. Caeterum quemadmodum invitus intellexi conſpectu hominis amiciſſimi me fraudatum eſſe, ita non minus moleſte atque indigne tuli nuncium, qui in latrones te incidiſſe poſtea ad tuos contendentem, ac ſarcinis exutum eſſe, ſubindicabat. Gaudeo tamen & ſalvum te evaſiſſe tam truculentas manus, & ſarcinas tantum fuiſſe delibatas a properantibus, cum nihil ex iis tibi relictum rumor aſſeveraſſet. Male ſit ducentis iſtis Joachimicis, per quos poëſi tuae inter latrones locus non fuit. Poteras enim coram illis captaſſe, ſi fuiſſes vacuus; ſed ut in re ſeria jocari deſinam, mihi quoque non minimum ab iſtis male feriatis furciferis in via periculum fuit, quos tamen feliciter evaſi, cum Illuſtr: *Tottius* Orator a Suecis ad Regem Chriſtianiſſimum deſtinatus, quem in Dania habebam obvium, fortunam minus propitiam ſit expertus. In tuto jam collocatus ad Scandenaviam emenſus, relicta poſt tergum Helmaeſtadio civitate, veteri patronae, Chriſtinae Heroidi, nec opimus in ipſa via occurri, quae perquam benigniter me excepit: voluitque ut ad quintum uſque miliare mea relegerem veſtigia ac ſeſe comitarer. Obſecutus ſum imperio, unumque ac alterum cum illa Helmaeſtadii diem commoratus reliquum itineris perfeci: hoc nomine plurimum gaviſus, quod ſub meum in hanc civitatem adventum cognovi Procerum Suecorum conſilia Pacem unice ſpectare. Eo in propoſito ſi perſiſtunt conſtanter, moram duiturniorem mihi hic terrarum fore trahendam praevideo, ſi quid interim aut privatis rebus tuis, aut veſtrae civitatis publicis, cui arctiſſimo hoſpitalitatis vinculo devinctum me eſſe ſemper profitebor, poteſt conſuli, ſtudia mea experiamini rogo, & animum commodis veſtris unice faventem. Naſonem meum tibi redditum eſſe laetor, ut qui maxime. Tumultuariae iſtae lucubrationes ſunt, & nova hac peregrinatione interruptae, quas per otium fortaſſis elimabo ac detexam. Ad te tamen mittendas duxi, pro teſſera luculentae benevolentiae & fiduciae, quam in tuo affectu maximam a me collocari agnoſceres. Vale, Vir Ampliſſime, & me quod facis hactenus amare perge.

Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXII. a. d. XXI. Januarii.

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

NIC. HEINSIUS

Vinc. Fabricio.

Gedanum.

CUm *Chriſtianus Daniel Findekelder*, domo Germanus Saxo, natus perquam nobili loco, peregrinationis ſtudio excitatus varias Europae noſtrae regiones jam obierit partim, partim ſit obiturus, atque in his civitatem quoque Gedanenſem ſibi perluſtrandam proponat, adhortatus illum ſum, ut tuam prae caeteris conſuetudinem apud Boruſſos ambiat, ac conciliare ſibi enitatur. Habet quippe hunc praecipuum peregrinationis ſcopum, ut viros ubivis locorum celebriores praeſtantioreſque non tantum adeat, ſed frequentet etiam, ratus quod res eſt, uberrimos hinc fructus ad ſe redundaturos eſſe. Tu quaeſo fac, ut intelligat commendationem meam aliquo apud te fuiſſe loco, nec apud te ſolummodo, ſed apud tuos quoque. *Paſtorium* maxime noſtrum ut cognoſcat, ejus intereſſe cenſeo, ad quem verboſe ſcribebam nuper, nunc multum ſalveat. Vale Holmiae CIↃIↃCLXII. XIII. Novembr.

EPISTOLA XIII.

VINC. FABRICIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

FAteor flagitium me admiſiſſe, quod literis tuis ante annum & amplius ſcriptis hactenus nihil reſpondi. Sed me miſeriae temporum, & moleſtiſſima, quibus diſtringor, negotia non ſemper officii memorem eſſe ſinunt. Quid ſi quoque lenitatis tuae atque indulgentiae fiducia ſecurius interdum peccamus, quotquot amicitia tua perfruimur? Sed plane veternum illum excuſſerunt poſtremae tuae, ſcriptae quidem, a. d. XXIII Novemb. anno ſuperiori, ſed ante dies ſex mihi demum a Nobiliſſimo *Findekelder* redditae, poſtquam is per fines Finmarchiae, Ruſſiae, Eſthoniae, Livoniae, Curlandiae ac Pruſſiae magno ambitu itinere peracto ſalvus huc tandem adveniſſet. Magnum mihi praeſtitiſti beneficium, quod notitiam viri, multis eximiis dotibus praecellentis mihi conciliaſti, cui omnia illa praeſtare officia cupio, quae a mea tenuitate proficiſci poterunt. Sed heus amice. Sunt hîc qui ſuſpicentur ſecretis illum mandatis inſtructum ex Suecia huc veniſſe, ut in Aula Polonica quaedam negotia ſine ſtrepitu procuret. Ego id non credo, immo plane falſum eſſe puto, cum & literas tuas, in quibus hominis peregrinandi inſtitutum mihi deſcribis, & illius, quod confecit, itineris rationem ac modum conſidero. Neque opinor te conjectorem tam horribile hoc arcanum fugere potuiſſe, aut, ſi quid reſciſſes, me

Digitized by Google

me id voluisse celatum. Si grave non est, velim mihi sensum tuum super hac nostrorum hominum suspicione, quam tamen ipsis eripere laboro, paucis indicari. De statu Orbis istius Sarmatici ex literis Domini *Pelsii* haut dubie plenius doceberis. Ego enim libenter abstineo a commemoratione earum rerum, quae animum meum non parum excruciant; a quarum cogitatione quoque, quantum licet, studeo me abducere. Quod ut nunc quoque faciam, narro tibi pervenisse nuper ad manus meas manuscriptum volumen satis spissum Poëmatum *Andreae Critii* Archiopiscopi Gnesnensis Regnique Poloniae Primatis, qui vixit sub Rege Sigismundo primo & Anno CIↃIↃXXXVII. Cracoviae Sexagenarius decessit, extant ad eum aliquot Erasmi epistolae. Deprehendi in eo volumina non pauca ad historiam illorum temporum pertinentia, reperiuntur quoque amatoria multa, & inter ea quaedam turpicula, ne dicam plane foeda. Non possum quin unum ex elegantioribus epigramma adscribam.

AD LYDIAM PUELLAM.

Me nive candenti petiit modo Lydia, rebar
Igne carere nivem, nix tamen ignis erat.
Quid nive frigidius? nostrum tamen urere pectus
Haec potuit manibus missa, puella, tuis.
Quis locus insidiis dabitur mihi tutus amoris,
Frigore concreta si latet ignis aqua?
Lydia sola potes nostras exstinguere flammas,
Non nive, non glacie, sed potes igne pari.

Hos tamen versus tam elegantes dubito an non alibi aliquando legerim, & puto exstare nescio in quo libro, utque verum fatear, reliqua non sunt ad eundem aeque genium comparata, quanquam multa sint, non insulsa, quaedam plane sunt inepta & frigida. Te autem appello, memoriamque tuam omnium elegantiarum promam-condam, ut, quod sine incommodo tuo fiat hoc mihi dubium explices. Liber, quem habeo, descriptus est, ut profitetur titulus A. 1568. in usum Generosi Domini Joannis Konietzki Pretzlaw de Magna Konskie, Illustrissimae Annae, Dei gratia Reginulae Poloniae, Aulici & Thesaurarii. Sed nimis te moror tam levibus ineptiis. Tu ut serio me amare pergas plurimum te rogo, Vir Nobilissime. Salve & vale feliciter. Gedani. a.d. III. Martii A. CIↃIↃCLXIII. Ignosce lituris.

EPISTOLA XIV.

NIC. HEINSIUS

Vinc. Fabricio.

Gedanum.

COlicis doloribus non ita nuper immane quantum exagitatus ita postmodum vires attenuatas sensi, ut omnis animi cura, omnis meditatio paulo intentior

tior procul fuerit habenda, dum redeo cum valetudine adversa in gratiam, Fabrici Amplissime. Hinc factum esse facile jam colligis, quod ad tuas oppido suaves & jucundas responsum hactenus distuli : quae procrastinatio mihi ipsi accidit perquam molesta. Quid enim gratius optatiusque possit obtingere, aut quod majori sit voluptati, quam tecum confabulari, homine mihi longe amicissimo, & quem in oculis tantum non assiduum sic fero, ut nunquam vel latum unguem absis, ne tunc quidem, cum multo, uti nunc fit, locorum intervallo disjungimur & separamur? Tum intestinae seditiones, quae viciniam vestram indignis modis jam nunc collisere, ut de te cogitem frequentissime, mihi quodammodo injungunt. Nunquam enim flagrantiores aut magis concitatos experiaris adfectus; quam cum sollicitudo stimulos amori subdit. Spero mox fore, ut sopito hoc motuum internorum incendio, quo nunc miserrime vexamini, securius te amem. Nobilissimum *Findekelderum* sospitem atque incolumem ad vos perveniisse, rebellium ac barbararum gentium manibus feliciter elapsum, gaudeo mehercules, ut qui maxime. Id cum ex ipsis ejus litteris, tum ex tuis quoque cognovi libentissime. Et quamquam vix est, ut certo mihi persuadeam, sedem ab illo etiamnum inter vos figi, compellandum nihilominus verbis vel tribus virum praestantem esse duxi, ut, si a vobis necdum discessit, intelligat virtutes suas constanter a me coli atque observari. Domo ac gente Saxonem esse ex ipso didicisse potuisti. Nobis tempore satis multo se indulsit, exactis in hac civitate quinis aut senis, si probe recordor, mensibus, sic tamen ut aulam regiam rarus admodum aut, nunquam accederet, caetera perquam curiosus & industrius in minimis maximisque rituum exterorum rimandis. Quod occasionem dedisse arbitror vestris hominibus suspicandi, illum occultis mandatis instructum a Suecis hanc peregrinationem suscepisse, quod est falsissimum. Cum nec Suecis operam addixerit, nec rebus aulicis multum sese immiscuerit, dum hîc haesit. Potius est, ut opinemur principis sui ac patriae utilitatem ab eo spectari, dum peregrinos mores sibi familiares reddit ac sagaciter explorat. Epigramma istud ad Lydiam puellam elegans omnino est, & quod *Andreas Critius* nullo jure sibi vindicavit. Vetusti scriptoris partum facile agnoscis; quod ut magis liqueat certiusque intelligatur, quaeri a te poterit in catalectis Petronianis, sive versibus atque epigrammatis his, quae Petroniano satyrico Petrus Pithoeus subtexuit, ex vetustis membranis descripta. Illic tamen *Julia* est *puella*, quae Critio *Lydia:* tum versus quartus hoc modo legitur *nostrum tamen urere pectus. Nix potuit manibus, Julia, missa tuis.* Vides feciisse fucum lectori bonum Arichiepiscopum, qui furti ignominiam non est subveritus & notam incurrere, dum amatorem scitum & venustum posteris se probare posset homo nugator. Utrum facinus in illo praecipue sit improbandum jure ambigas, furtine, an ineptiarum amatoriarum. Nam amatoria scripsisse potuit, cum ecclesiasticae vitae se haud dum dedisset; furtum admisisse, cum militaret, si militavit unquam. Hic terrarum satis pacate hactenus procedunt omnia: ante menses hosce tres aut duos delectus militares per hoc regnum multa cum festinatione habebantur, accedebat

debat rumor, in Ruſſos ſub aeſtatem arma fore movenda; ſed proceres hi alio cogitationem nunc videntur convertiſſe, & paci denuo ſtudere, ex quo cognoſcunt nihil praeſidii rebus ſuis fore in exercitu Polonico, quem in hoſtem communem armari unice velint, opinati hoc pacto ſucceſſus proſperos longe procliviores ſibi fore, ſi Ruſſo cum duobus adverſariis res ſit uno eodem tempore. Sed veſtri homines patriam exedere & depopulari malunt, quam ſolum hoſtium. Amicos omnes jubeo plurimum ſalvere. Vale, Ampliſſime & Amiciſſime Vir. Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXIII. XV. May menſis.

EPISTOLA XV.

NIC. HEINSIUS.

Vinc. Fabricio

Gedanum.

SUaviſſima compellatione tua nihil accidiſſe mihi potuit jucundius aut exoptatius, Vir Eximie. Quamquam enim in civitate veſtra non deſunt aliqui & literis ſuis identidem me convenire & de rerum ſuarum ſtatu certiorem facere ſoleant, neſcio quomodo tamen fit, ut ex ipſo fonte potus ſe gratiſſimum praeſtet. Ineſt enim alloquiis tuis ἑλκυστικὸν τι & detrimentum venuſtatis pleniſſimum, quod quo uberius ſe diffundit ingeritque ſitientibus, eo magis ſitim accendit atque exacuit. Valetudo mea quod ſollicitum te habet, facis peramanter, eſt tamen illa nunc loco ſatis commodo, niſi quod vulnus intempeſtive ſororis unicae optimaeque exceſſu ante menſes hoſce vicenos mihi inflictum cicatricem necdum duxit. Sed eſt ſolatii non parum in ſtudiis literaturae humanioris, ad quae frequenter deverto, cum per occupationes publicas licet. Jamque in eo ſum, ut urgente typographo novam poëmatum meorum editionem adornem. Muſis res ſuas habere pridem juſſeram, quod alia agenda minime deeſſent, ſed excuſſit mihi quodammodo veternum princeps maximus, & ad ſui commendationem non tam rerum praeclare geſtarum magnitudine; etſi hac quoque, quam luculentto ſtudii poëtici atque eruditionis amore pellexit.[1] Epigramma illi quod poſtremum offerebam, hic vides. *Findekelderi* res anguſtas miſeratus ſum ex animo; ſed quod ipſe poſtmodum Warſaviam ſe cogitare perſcripſit, auguror illi cum creditoribus jam conveniſſe. Conciliavit illum mihi Orator Danicus in hac aula ante hoc triennium, cujus in comitatu huc pervenerat. De natalibus ejus vero majora fortaſſis perſuaſa tibi volui, quod illos quoque idem Orator apud me praedicabat. Caetera ni fallor commendationi meae in illo abunde reſpondent. Eſt enim & egregia animi dote & multa rerum cognitione inſtructus. Alium neſcio quem domo Pariſinum *Pelſio* noſtro ad vos contendentem paullo poſt commendabam, obſecutus in eo precibus ac deſideriis Oratoris Gallici, qui coenaturus ad me adoleſcentem hunc cum aliis ſecum adduxit, atque illa occaſione ut commendatitiis meis illi adeſſem.

Geda-

1. Legitur lib. III. ſilvar. p. 210.

Digitized by Google

Gedanum cogitanti obſecravit. Sed mox cum literae a parente adoleſcentis Lutetia veniſſent querelarum plenae, ſuper diſſolutis ac corruptis filii moribus monente eadem oratore, *Pelſio* auctor fui ne nimium illi fideret concrederetque: metuo tamen, ut tempeſtive ſatis. Res Polonicas loco nunc eſſe non inoportuno fert rumor, quem vobis ſucceſſum diuturnum propriumque fore confido; praeſertim cum & Sueci malum non exiguum Ruſſis minari videantur. Diſceſſit hinc heſterno die Caeſarianus Orator, cui opem adverſus Turcas poſtulanti mille pedites de novo, equites quadringenti, tam alia muniendis caſtris aut urbium oppugnationi promiſſa. de poëmatum collectione jam annus eſt propemodum quod intellexi nihil. Percunctabor tamen illos, quos cura collectionis proxime ſpectat, & ut certiora cognoſcas operam dabo. Epicedium quod exequiis dediſti parentis meae, inter tua praecipuum duco, ſive id merito carminis a me datur, ſive argumento, quod non poteſt non placere multum. Opinor tamen me mihi hoc judicio minime blandiri. Vale vir ampliſſime, cum lectiſſima uxore liberiſque ac caeteris amicis. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIV. a. d. XI. Martii Gregor.

EPISTOLA XVI.

NIC. HEINSIUS

Vinc. Fabricio.

Elegiam.

ID demum eſt χάλκεα χρυσείων, uti ajebat ille, verſus optimos pro male tornatis reponi, Vir Amiciſſime. Jam vero non poenitet tam procaciter me laſciviiſſe, ut Elegiam venuſtiſſimam tibi extorquerem, ne ſemper auditor tantum eſſes. Legi & relegi oculo frequenti praeclara adhortamenta, quibus Lindanum tuum in arma concitaſti adverſum hoſtes Chriſtiani nominis infandos, multo verborum pondere, multa ſententiarum mole, & id quidem auſus elegiaco metro, quod heroi pedis argumentum erat, aemulatus hac in re Tyrtaeum illum, qui mares animos in Martia bella eodem carminis genere olim, feliciter, ut ſcis, exacuebat. Utinam tantum vividi coloris a Lindano caeteriſque pro pia cauſa militantibus conferatur in praelia, quae parant, quantum fingeretur impulſu tuo! Auderem equidem jam nunc laurum certiſſimam ſpondere noſtris partibus. Et quidni ſpondeam! Cum monitores tam facundi ſint in promptu; quos ſi miles audiet, deſperare palmam non poteſt, aut de ſucceſſu dubitare. De tuis verſibus ſic ſtatuo, impleviſſe te omnibus omnino numeris, quod nos ancipiti eventu tentabamus. Quia tamen tu tantus auctor atque auſpex ſtimulos addis, quoties per occupationes publicas licebit atque integrum erit, in Muſarum caſtra obiter excurram, & quae in ſcriniis poëticae venae non pauca mihi adfecta aſſervantur, proferam in lucem, curis prioribus incrementi loco acceſſura. ſed otium fruſtra circumſpicio hactenus, quod incepto huic utcumque par ſit. neque enim ſatis eſt procudi carmen, ni victu-

rum

Digitized by Google

rum procudatur. Comitia omnium regni Suedici ordinum, quae Calendis Mayis haberi debuissent, hesterno demum die haberi coepta sunt. Nimirum, dum nonnulla praemittuntur, quibus haud confectis ad comitia iri vix poterat, turbarum ac jurgiorum id subortum est, quod ad collidendos proceres ac plebem concitandam haud dubie videbatur spectare, ni Deus adfuisset e machina. Rex Carolus Gustavus ante quadriennium fere fatali necessitate compulsus tabulis supremis fratrem Adolphum Johannem filio suo tutorem una cum Regina Matre procerumque praecipuis, tum utriusque militiae Magistrum destinarat: improbatum tamen regis judicium in comitiis, quae post excessum ejus proxime habebantur, ac munus imperatorium Laurentio Kagge, viro rebus bellicis exercitato prae caeteris, est oblatum; sed & ille non diu honorem amplissimum gessit, morte circumventus. Cui dum successor quaeritur, Princeps Adolphus Johannes palam obtestari ordines, nunc singulos, nunc universos, rationem fraternae voluntatis ac supremi haberent mandati: suam esse provinciam illam, nec ab alio administrari posse salvo obsequio, quod Regi deberetur: minaciter etiam cum Vrangelio agere, in quem praecipue studia converti animadvertebat. Cum modus expostulandi non esset, Vrangelio jam voti compote facto, Principi custodes ex praetoriano milite adduntur. Nec facultatem impetravit abeundi quo vellet, nisi obstructa per Chirographon fide, non fore sibi posthac adspirandum ad imperatoriam dignitatem. In Vrangelii locum Archithalassus est electus Gustavus Otho Steenbockius, obniso quanquam ordine equestri, qui hominem affinitatibus ac cognatis nimium pollentem aversabantur, ducta videlicet sorore Cancellarii in uxorem, ac germana Archidapifero regni elocata. Locus praeter haec in equestri ordine assignandus nobilitati scaenicae, qui nec primo inter Comites ac Barones admittebantur, & postremum inter homines nobilitatis jure nuper donatos negabant occupari a se posse. Inter has contentiones dies in diem extractus est. Hesterno demum Steno Bielke oratione habita ordines regni edocuit, quas potissimum ob causas a Rege convocati essent; erant quidem Cancellarii hae partes, sed is valetudine adversa subito tentatus, dum orationi se accingit, ex ipso procerum ac plebis conventu aeger digressus est. Haec ominosa adflatis superstitione ingeniis nec auspicata admodum videntur. Adderem & de nupero incendio nonnulla, nisi nimius jam essem, remque, uti gesta est, exaratis ad Pelsium nostrum litteris hodie magna ex parte enarrassem. Diu est quod Itali jactarunt inventum esse in Dalmatia Petroniani satyrici luculentum fragmentum. id proximis diebus per tabellarios ad me pervenit, Patavinis typis descriptum, sed vix inspectum Ubsalienses amici abstulerunt, ut sententiam accuratam de eo ferre nequaquam possim. Ad Trimalcionis coenam, quantum video, spectant omnia. Multa mendose illic ac depravate scripta exhibentur, frigent plurima, & ad Petronii nervosam elegantiam vix adsurgunt. Nihil igitur pronuncio, sed iterandae lectioni differo judicium. Amicos jubeo salvere, *Pastorium* prae ceteris, virum eximium. Vale. Exarabam Holmiae Suecorum. CIↃIↃCLXIV. a. d. XV. Junii.

EPISTOLA XVIII.

NIC. HEINSIUS

Vinc. Fabricio.

Gedanum.

FActam tibi Poematum meorum copiam, Vir Ampliſſime, non alio magis nomine laetor, quam quod inde manifeſtum fieri, & comprobari potuit, nonnihil loci beneficiis tuis apud me fuiſſe. Quae etſi digne ſatis haudquaquam ſum remuneratus, in eo tamen placui, fateor, mihi utcumque, quod animi grati argumento, licet tenui, te virum tantum apud poſteros venerari nobis contigit. Benignitatem tuam incredibilem, quam ſaepe numero ſum expertus, nuſquam apertam magis obviamque deprehendi, quam in iis laudibus, per quas Muſam noſtram quotidianam illam, atque immerentem collo beaſti. Alibi tamen benevolos lectores me reperturum minime confido: maluiſti enim affectui totum te indulgere, qui judicium ad partes vocaſſe conſummatum illud poteras, & maxime nobis formidandum. *Coſſum* & *Santram*, quos ignotos tibi eſſe video, qui ſint, paucis accipe. Alter horum *Cornelius Boyus*, Fiſci apud nos nuper patronus, nunc fato conceſſit, verſificator in multis ridiculus, niſi quod vernaculo ſermone carmen conſcribebat interdum haud malum: Alter eſt *Franciſcus Planta* a ſacris olim Mauricio Principi Naſſaviae apud Americanos, cujus geſta poſteris parum feliciter oratione vincta tradidit. *Is* puto Bredae etiamnum verbi divini praeconem ſe profitetur. *Matrihi* nomen ſibi vindicat *Petrus Monmorus* profeſſor apud Pariſios Graecarum olim litterarum inficetus plane ac ineptus; quem *Menagius*, *Saracenus*, *Valeſii* fratres, alii certatim ſcriptis jocoſis ac mordacibus involarant. Amicus ille Batavus eſt *Hadrianus vander Walle*, ſive *Vallius*, quem prima inter Italicas compellat Elegia: Is dum curam habet, neſcio quas ob cauſſas, nomen ſuum latere voluit. Idem Eclogae, quam deſignas, auctor eſt habendus. *Gronovium* noſtrum tanto jam tempore per litteras haud egiſſe recum miror, quamquam & me compellat rariſſimus. Ultimis ſuis menſe Junio exaratis agebat gratias pro amicâ operâ. Admiſſus quippe eſt hoc anno & adſcitus a Rege Chriſtianiſſimo inter illos, quos honorario annuo auctos atque ornatos voluit Princeps munificentiſſimus Quod etſi toto jam triennio tempeſtivius confieri debuit, praeteritus tamen ac inſuper eſt habitus a Regiis Miniſtris, me per litteras continuas factum apud illos improbante, urſit igitur negotium *Capelanus*, non ſine ſucceſſu. Qui *Gronovio* perſuaſum voluit, me commendationis rationem hic praecipue habitam fuiſſe. Eodem honore quoque ſunt donati *Thomas Reineſius*, *Octavius Ferranius*, *Carolus Datus*, triga hominum mihi amiciſſimorum. *Gronovium* apud te ſpero excuſabant ſenectus & continuae lucubrationes. Haec nunc praepropere inter ſummas temporis anguſtias. Salutat te peramanter Vir Illuſtris *Johannes Isbrandius*, qui nobis hic adeſt, propediem ad ſuos rediturus. Vale Fabrici jucundiſſime, neque quo ſolebas ſtudio pergе complecti Exarabantur Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. a.d. V. Octobr. Gregor.

EZE-

Digitized by Google

EZECHIELIS SPANHEMII
ET
NICOLAI HEINSII
EPISTOLAE
MUTUAE.

EPISTOLA I.
EZEC. SPANHEMIUS
Nic. Heinſio.

Leidam.

QUum in eo eſſem, Vir Nobiliſſime, ut contractae olim in Batavia, & hîc ſingulari quodam meo fato renovatae tecum, amicitiae memoriam refricarem, tuas longe gratiſſimas accepi. Non levem utique fateor mihi ruborem incuſſere, dum ſupervacua gratiarum actione vota ſolum mea, & flagrantiſſimam bene merendi cupidinem tanquam collata beneficia compenſant. Quantum enim felicitati meae gratulatus fueram, quae tui conſpectum & eruditae conſuetudinis uſum aliquamdiu nobis praebuit, tantum me uſſit tenuitatis meae conſcientia, quae animum in ſui cultum effuſum aliter quam verbis ſignificare non paſſa eſt. Spero tamen, quod exinde ſingularis illius, qua verum Heinſianae famae & eruditionis traducem proſequor, obſervantiae magnitudinem non metieris. Lubens caeterum intellexi quam felici ſucceſſu, licet aviis & difficillimis itineribus, cruentas ruſticorum manus evaſiſtis. Sedati jam omnes illi motus, & concitores turbarum intempeſtivae rebellionis poenas dedere. Non dubito, quin tu & eruditiſſimus *Langermannus* noſter eadem felicitate in Batavium ſitis delati, gemino ſucceſſu brevi Holmiam appulſuri. Quod vero mentionem Panegyrici mei injicis, & patrocinium tuum apud Auguſtam ſpondes, non poſſum non id luculentiſſimum amoris in me tui argumentum interpretari; ſed non ita Suffenus ſum, ut neſciam tanti non eſſe, qui poſt tot exhauſtam hac in parte magnorum virorum facundiam ſtupendae Heroïnae oculos ſubeat, aut qualemcunque Regiae benevolentiae auram mihi conciliet. Impetum tamen, fateor, cohibere non potui, quin in illa applaudentium undique tam inuſitatis, & invidendis virtutibus turbâ, me quoque ſiſterem, & paterni ſpiritus reliquiis ac Reipublicae noſtrae cultum, tenui licet & agreſti ſtylo, in lucem ederem. Magni tamen beneficii

loco ducam, ſi tua opera poſſim certior fieri, utrum interceptus ſit nec ne ille, in quo exemplaria illius Panegyrici erant incluſa, faſciculus. Illuſtri Parenti tuo ut me unice commendes rogo, ut & Patronis & amicis veteribus *Vorſtio*, *Golio*, *Boxhornio*, aliiſque Lycei veſtri luminibus. Doctiſſimum *Langermannum* inprimis plurimum ſalvere jubeo, qui ingenium illius & eruditionem impenſe colo, & cui felicia omnia ex animo voveo. Eadem tibi illique apprecantur mater mea & ſorores, ac eruditi omnes noſtrates, ex utroque coetu *Pictetus*, *Colladonius*, *Tronchinus*, *Meſtrezatius* aliique, qui omnes ſe ſtrenuos tui nominis cultores venditant. Genevae IV Kalend. Jul. Anno CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA II.

NIC. HEINSIUS

Ezec. Spanhemio

Heidelbergam.

NEſcio quo iniquo fato meo jam bis evenit, ut cum maxime officia probata tibi cuperem & hunc affectum, per moleſtiſſimas tamen tricas & occupationes alio ſim avocatus, nec aliqua ſaltem ex parte praeſtiterim, quod tua merita abunde a me exigebant. Triennium jam eſt, quod iter hac non tantum faciebas, ſed aliquamdiu etiam apud nos morabaris. Neque tamen toto illo tempore, partim adverſa valetudine impeditus, partim lite importuna ac curis domeſticis diſtractus vel tantillum benevolentiae erga te meae teſtimonium aut ſpecimen dedi. Nuper quoque dum pulcherrimum tuum propoſitum mihi ſignificas de Lucano poëta ſummo in lucem emittendo ſub auſpiciis Sereniſſimi Electoris Palatini, ac peramanter me rogas, ut, ſi quid ad ornandam hanc editionem conferri a me poſſit, eo ne te tuoſque conatus defraudem: non tantum defui hactenus deſideriis tuis, nihilque ad inſtitutum tuum promovendum effeci, ſed ipſam quoque reſponſionem in menſes tres quatuorve diſtuli; non ſine ſummo pudore meo, dum indies ſpero ac confido eluctaturum me ex aeſtu ingrato negotiorum. Hinc quoque factum, ut virum Clariſſimum *Ludovicum Fabricium* vix ſemel iterumque viderim, ex cujus conſuetudine & fructum magnum & magnam alioquin voluptatem cepiſſem, nunc quoque hinc diſceſſiſſe illum ac pedem alio tranſtuliſſe invitus intelligam. Neque defuiſſem tamen officio jam diu, ſi quid penes me extitiſſet, quod conatibus tuis profuturum indicaſſem. Contuleram Lucanum olim cum quatuor aut quinque ſcriptis codicibus, & multa feliciter in eo ſcriptore caſtigaram. Petiit autem exemplar iſtud ante quadriennium a me utendum *Langermannus* noſter, cujus copiam dum amico facio, idque poſt tempus nonnullum ad me remittitur, in via periit. Ejus rei teſtis luculentus mihi poſſit eſſe noſter *Gronovius*, qui Hamburgo Daventriam uſque exemplar illud ſecum vexerat, ſed Daventria huc poſtea miſſum neutiquam comparuit. Fortaſſis enotvait

inde

inde omnia aut potiora *Langermannus*. quod tamen pro re explorata non ausim affirmare. Hoc scio eundem *Langermannum*, dum mecum peregrinatur, usum exemplaribus Lucani tribus quatuorve satis vetustis: quorum excerpta, facile ab illo impetrabuntur, ut spero. Memini preterea in Hamburgensi bibliotheca Codices me vidisse duos tresve manu exaratos ejusdem Lucani. Totidem apud *Vossium* nostrum. Quos ego tuae in spem gratiae cum vulgatis editionibus libenter committam, si moram mensis unius atque alterius editio a te adornata patitur. Unum ex iis certi jam contuli. *Scriverius* quoque, si memini, unum alterumque ejusdem poëtae exemplar possidebat, sed eo nuper e vivis sublato usus bibliothecae vix ulli patet, cum filius uterque τῦ μαχαίτυ literarum sunt plane rudes. Naso meus jam pridem sub praelo fervet. Ipse auctoris contextus jam est absolutus. nunc in Animadversionibus meis operae typographicae occupantur. Utinam hoc meum institutum foveas! Intellexi sane ex *Marquardo Gudio*, juvene literato, se vidisse in Heidelbergensi bibliotheca nonnihil codicum Mss. Ovidii. sed quicquid est, utinam breve ad tempus eorum copiam mihi impetres. & si quid ex vetustis Germaniae bibliothecis praeterea possis eruere. Maximi sane beneficii loco id ducas. Ex paucis enim Basileae & Argentorati a me inspectis facile deprehendi, codices ejus auctoris & meliores & vetustiores in Germania, quam alibi terrarum inveniri: Spirae se vidisse unum alterumque satis antiquos *Langermannus* mihi significavit. Complures Bernae in bongarsiana bibliotheca. . . . . .

EPISTOLA III.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Magnum.

NOn deprecabor hîc apud te, Vir Amplissime, diuturni silentii culpam, quam negotia varia, & frequens ab hac sede absentia sibi vindicarunt hactenus. Plura enim debeo tui in me affectus constantiae, & prono in rem nostram studio, quam ut lubens ultroque totum illius condam in pectore acerrimum alias sensum. Vel postremae tuae quantum pro meliore Lucani habitu & nitore operis & laboris velis defungi, & petitioni hac in parte nostrae annuere, luculentis certo & manifestis indiciis probarunt. Quod quam laetum mihi, tam sereniſſimo meo & litterarum Maecenati gratum accidit, cui tuum bene de excitatissimo vate & instituto nostro merendi studium significavi. Quo etiam factum, ut nominis tui & famae studiosissimum jam ante animum tibi ulterius devinxeris, & ad referendam gratiam, ubi se obtulerit occasio, pronum reddideris. In cujus etiam rei qualemcunque significationem tibi & *Vossio Gronovioque* harum litterarum Triumviris, & quorum duo postremi aut exaratos Codices, aut suas etiam observationes ad me jam transmisere, aliquam vini Baccaracensis, hoc anno praeter solitum quoque generosi, mensuram deferen-

dam juſſit. Quod ut leve ſui affectus, & praeſtandae in majoribus benevolentiae pignus accipiatis ſperat & expectat ſereniſſimus, idemque eruditorum amantiſſimus Princeps. Tuum nunc erit, Vir Ampliſſime, ſponte datam hac in parte fidem liberare, & quaecunque ad meliorem Lucani noſtri cultum & habitum opportuna videbuntur, larga manu ſubminiſtrare. In tuo etiam arbitrio poſitum aut ipſos, quos nanciſci poteris, exaratos Codices, ut conferendi moleſtia libereris, aut excerptas ex iis variantes lectiones ſuppeditare, certum quaecunque hujus generis ad nos transmiſeris optima fide tibi reſtituenda. Ampliſſ. *Grotio*, res Domini mei Hagae agenti, ſecure poterunt committi, quae curanda huc tibi videbuntur. Tres miſſos à *Voſſio* Codices jam ex parte conferre licuit. quibus addidi varias lectiones, quas ex antiquiſſimo Bibliothecae Bodleanae Oxon. MS. in mei gratiam cum vulgatis commiſſo excerptas nuperrime tranſmiſit *Thomas Barlour* illius ampliſſimae Bibliothecae ProtoBibliothecarius. Contulere etiam ſuam ſymbolam aliqui inter Gallos eruditi, & praeter alios Cadomenſis Nobilis de *Grentemenil*, miſſa eruditiſſima pro Lucano contra *Scaligeros* Apologia. ſed utinam quam à te poſcimus operam, eandem etiam in Naſonis tui gratiam praeſtare licuiſſet? Non certe hactenus lentum me hoc in paſſu aut petitionis tuae immemorem eſſe, expectes, ſi illius adimplendae aliqua ſeſe obtuliſſet facultas. ſed nequidquam hactenus omnes Bibliothecae noſtrae forulos excuſſi, ut indicata tibi ſcripta Naſonis exemplaria nanciſcerer, eademque reperta, impetrata jam hujus rei à ſereniſſimo Domino facultate, e veſtigio ad te curarem. Nulla certe talia ſe mihi aut *Bibliothecario* obtulerunt hactenus, nec ullius ferme ſcriptis id genus Codicibus Bibliotheca inſtructa, ut delatoris hac in parte fidem mirari ſubeat. Dolui certe impenſe ereptam hanc mihi Naſoni tuo & praeclaris tuis in eum conatibus gratificandi opportunitatem, qua & tuum pro Lucano noſtro ſtudium redderetur alacrius, nec in ingratum tibi collatum aliqua ratione conſtaret. Avidi caeteroquin cultiſſimum hunc vatem nitori ſuo redditum, & quaſi ab exilio ſuo rurſus in lucem protractum exſpectamus. ſi *Faber* in notis tuis vapulat, habet quod ſibi imputet, qui proterve nimis & data opera illuſtres manes ſollicitavit, & Criticam ſuam non uſque adeo felicem tanto ambitu venditat. Caeteroquin tuum novum in Sueciam deſtinatum iter, & obeundam in eam legationem, tibi ex animo gratulamur, Vir Ampliſſime, & veris ac faventibus de te Procerum veſtrorum judiciis lubentes aſſurgimus. Non dubitamus, quin ex tua & mittentium dignitate illuſtre & graviſſimum onus ſis obiturus. Dum vero tu in ſeptentionalem plagam tendis, ego in meridionalem ſereniſſimi Domini mei autoritate & imperio iter mihi brevi cum Deo ſuſcipiendum intelligo. Non poterat ſe mihi gratior, qua pridem flagravi luſtrandae Italiae, opportunitas offerri, nec felicior ad omnes Italiae aulas, urbes, Bibliothecas & χειμήλια alia introſpicienda aditus dari. Quam in rem etiam ſedem aliquamdiu in urbe domina figere, & eruditorum ibi alloquiis animum, ut ſpero, reficere & explere dabitur. Tuum erit, Vir Ampliſſime, tuis me etiam & mandatis, & ad amicos, quorum magnus tibi in illis oris proventus, com-

Digitized by Google

commendatitiis instructum dimittere, & à me omnia exigere, quae tuis commodis inservire videbuntur. Dabam raptim in Arce Heydelbergensi prid. Kal. Nov. CIↃIↃCLX. Ad Celeberrimum *Vossium*, ne molestus sim interpellator, non scribo, quem de cultu meo & grata ob transmissos Lucani codices mente persuasum cupio, quae optima fide illi redditos iri dubium esse non debet. Ab eo etiam, si quid in Italiam curandum velit, litteras & mendata lubens elicerem. Ad postremas Cl. *Gronovii* nunc respondeo.

EPISTOLA IV.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

PRolixam tuam bene de nobis & Lucano nostro bene merendi voluntatem vel postremae tuae luculenter obsignarunt. Quamvis enim eam à te publico potius, aut serenissimo meo Principi, quam mihi imputari existimare debeam, gaudeo tamen impense me hortatore te ad hanc curam traductum. Mittes itaque, Vir Amplissime, quamprimum id tibi commodum videbitur, quaecunque ad Poëtae nostri illustrationem tanto labore & sedulitate à te sunt annotata. In arbitrio tuo erit positum codices ipsos una transmittere, qui non invitis possessoribus ad nos deferri posse videbuntur. De cautela potiorem fide sereniſſimi Electoris offerre non possum, qui totum hoc beneficium in se transferet, & de restituendo idonee cavebit. Noli vero dubitare longe gratissima esse tanto Principi, quaecunque officia jam à te hanc in rem praestita sunt & in posterum praestabuntur, & quascunque referendi gratiam occasiones acceptissimas fore. Ego vero serio mihi gratulor, quam conceperam pridem de propenso tuo in conferendis id genus subsidiis animo & ampliſſima facultate, non irritam spem accidisse, immo supra vota etiam nostra adimpletam. A sereniſſimo *Augusto Brunsvicensi* Duce Codices duos scriptos & editiones aliquot antiquas exspecto, qui quamvis difficilem se in talibus praestare soleat, ubi instituti nostri per *Conringium* certior factus, sponte hoc mihi beneficium impegit. Antiquos illos exaratos & optimae notae scribit *Conringius*, qui & alterius, sed recentioris & chartacei, qui in Bibliotheca Julia asservatur, mentionem facit. Duas tamen veteribus illis editionibus, quarum indicem misit, in hujus Universitatis Bibliotheca antiquiores nactus sum, quas omnium principes auguror, unam sine anno & loco, sed tum exmendis, tum ex characteribus, meo judicio primam, alteram ex eadem expressam Venet. 1477. Utraque saltem antiquior iis, quas *Barthium* video & *Rutgersium* vestrum principes statuisse. Collectionem vero singulorum vix serio adhuc licuit aggredi; ita curae aliae tempus omne praecripiunt. Et quas iisdem horas adimere licuit, inspiciendis & ordinandis Nummis veteribus, quorum ingentem Thesaurum possidet sereniſſimus Elector, à multo tempore impendi. Vix major alibi copia, aureorum praesertim & ar-

argent eorum occurret, tum Graecorum tum Romanorum, & multorum vel inprimis, quos *Golzium*, *Urſinum*, *Occonem*, & antiquarios alios latuiſſe video. Volupe fuit imprimis, oblata tam opportuna occaſione, & Domini deſiderio & animo ſimul meo morem gerere, in excolenda & tractanda utiliſſima hac & gratiſſima veteris aevi notitia. Quo factum ut multa nos aliis indicta annotaſſe, ſuo tempore aliquando cum hoc ſereniſſ. Theſauro evulganda ſperemus. Plura ad hanc rem ſubſidia conferet iter Italicum, cujus ingrediendi tempus ſignificabo. Συγατικὰς tuas ad amicos libenter eliciam, quorum ſcio magnum tibi eſſe in oris illis proventum. ſpero etiam non defuturam iter illud feliciter conficiendi opportunitatem, ſereniſſimi Electoris litteris & mandatis ad Italiae Principes & Purpuratos quoſdam, Ei non ignotos, inſtructo. Scio tamen magnum in privatis amicorum officiis momentum poſitum, quos tua opera lubens mihi conciliabo. Neſcio tamen an Bernam aut Baſileam adeundi tam proxime ſe offeret opportunitas, quum Oenipontinam Aulam mihi primum adeundam, atque ita per Tirolim iter ſuſcipiendum intelligam. Sed videbo, Deo ita adjuvante, ut in reditu voti illius compos fiam. Bongarſianam Bibliothecam olim a me inſpectam ſed in tranſitu, & vix ad dimidiae horae ſpatium recordor, ſcio optimis illam libris tum ſcriptis tum editis foetam, ex qua & *Gothofredus* noſter olim ſuum Philoſtorgium elicuit. Moroſos alias & difficiles cuſtodes nacta eſt, & quod magis dolendum, parum harum cupediarum aut avidos aut gnaros. ſi videre aliquando contigerit, memor ero utriuſque poematis a te indicati, quae certe cultiora prodire intereſt rei litterariae. De Lucano facile tibi aſſentior, pleroſque codices, ex uno, eoque non ſatis emendato, deſcriptos. Quinque illos verſus lib. I. *Tritonem* &c. in Voſſianis abeſſe video, ut & in Oxonienſi, ac priſcis quas conſului editionibus, quo nomine etiam *Grotio* ſpurii & inſerti videbantur. Mihi ſuſpendere judicium placuit, donec plures eoſque bonae notae Codices conſuluiſſem, ex quorum conſenſu aut fide de iis erit ſtatuendum. Miror *Grotium*, qui Thuaneos inſpexit, de illis ad marginem unius adſcriptis, nullam injeciſſe mentionem. Ovidiana tua avide expecto, & *Fabri* vapulantis, quando ita voluit, non miſerebor. *Salmaſii* Antimiltoniana prodiiſſe à te primum reſcivi, ſed vos ibi traduci nihil tale meritos miror. Vereor etiam ne contumeliae & cavilla praecipuam illius operis partem ſibi vindicent. Tua ad ſereniſſ. Principem meum compellatio, quando ita ſtatuis, longe erit gratiſſima. Vini Rhenani dolia prae aquae inſolita in Rheno penurſâ nondum ad vos deferri potuere, quae parata pridem felicem exitum exſpectant. Nullum tamen periculum erit in mora. Vale, Vir Ampliſſime, & me ama. Idib. Dec. Anno CIↃIↃCLX. In Arce Heydelb. Parentis tui τὸ πάνυ in Juliani Caeſares curas fac quaeſo ut nanciſcar. Vidi quaedam opportuna in ſatyra Horatiana ab eo notata, quod in calce libri ſignificavi, & de cujus cum iis quae jam annotaveram conſenſu mihi ſum gratulatus. Illud enim opuſculum cum aliis quibuſdam illius Imp. recenſere ac Gr. ac Lat. edere jubeor. A. Cl. *Voſſio* Codicis Juliani collationem exſpecto. Caeſarum Juliani tralationem Gallicam una cum notis nuper à me ſereniſſimi

Domi-

Digitized by Google

Domini jussu & sumptibus publici juris factam cum duobus pro Vossio Gronovioque V. C. exemplaribus accepisse non dubito. Unum & novissime ad Illustrissimum Thuanum transmisi, cum debiti ob promissa Lucani exemplaria gratiarum actione, quae Hagam delata Grotio una cum tuis secure tradi poterunt. Nec enim injectam itineris mei Italici mentionem moram illis injicere optarem, quam potissimam adhuc hyemis partem hîc transigere, eandemque illis collationibus imputare decreverim. Tu vale, & me ama, & me profectionis tuae in Sueciam certiorem facere ne dedigneris.

EPISTOLA V.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

PRidem est, Vir Amplissime, quod molior hoc ad te scribendi officium. Illud enim & nominis tui reverentia, & eruditionis cultus, & illius, quae jam olim gratissimis mihi auspiciis inter nos coaluit, amicitiae sensus, a me saepe efflagitavit. Accessit & novum a Fratris, qui Belgium vestrum non ita pridem lustravit, reditu momentum, qui me de tui in me amoris constantiâ luculenter certiorem fecit. Opportune itaque ad te scribere gestientem praestantissimus harum lator *Fabricius* eo magis accendit, quo ipse acri etiam Tui compellandi desiderio flagrabat. Non poteris non in illo insignem & eruditionem & virtutem exosculari, quarum utraque inclytus in florentissimis Germaniae Galliaeque locis vixit. Scio autem quam pronus & lubens tales in tui notitam admittas, qui verum illius usum & probe intelligere & serio aestimare norunt. Ex illo autem & publicum rerum nostrarum, & tum Aulae, tum Academae statum, privatum enim meum tanti non duco, si vacat & lubet intelliges; significabit praeterea quam cupidus non veteris tuae solum benevolentiae, sed novi adhuc beneficii copiam a te efflagitare contendam. Exprimit id à me sereniissimi Domini & patroni imperium, qui invitum certe & reluctantem ad illustrandum & ornandum nova editione Lucanum pridem impellere non dubitavit. Nequidquam hactenus, tum ingenii & eruditionis penuria, tum adminiculorum, quorum beatissima hîc olim seges, inopia, tum muneris jam gravis, & curarum aliarum ac vitae aulicae crebris, & ingratissimis saepe avocamentis, hanc a me provinciam amoliri, & in validiores ac opportuniores humeros transferre sum conatus. Vicit Maximi Principis summum erga hunc Poëtam sibi pridem familiarem studium, qui novo & splendido cultu ornatum publica luce donatum cupit. Intelligis autem facile; Vir Amplissime, quam pauca, vel nulla ad hanc rem praesidia nanciscor his oris possim, quae veteribus libris & scriptis codicibus tam vacuae hodie & destitutae, quam uberes olim & beatae censebantur. Unde vel praecipua, certe reliqua mihi in hoc opere fiducia, quam in tuo in me amore, harum litterarum usu, & adminiculorum,

quae tibi ad manus prout dubio luculenta, copiam continuo repoſui. Juva itaque noſtrum hoc, vel Auguſti potius Principis, ſtudium, & vel ſcriptos codices, vel excerpta in iis, vel obſervationes tuas larga & benigna manu ſubminiſtrare non detrecta. Nemo te melius hoc me beneficio obſtringere, nemo procul dubio plura conferre, nemo promtius aut opportunius, de magno Poëta mereri vel poterit, vel non refugiet. Idem à Celeberrimis Viris *Gronovio Voſſioque* impetrare annitor, quos ad id praeterea & tuis in me officiis, & magni Principis reverentiâ exſtimulare non dedignaberis. Amicos Pariſienſes & Cadomenſes eo etiam nomine compellavi, interque eos *Capellanum* noſtrum, quo nemo aut tui obſervantior, aut bonorum omnium amicitia & cultu dignior. A *Bocharto* nudius tertius litteras accepi, quibus proximam magni operis, eamque doctiſſimo *Voſſio* parario, editionem pollicetur, ſed Ovidius tuus quando illo nitore & cultu a te inſtructus prodibit, qui ſolum hunc illi ſplendorem potes foenerari? Salmurienſis Critici nuperas aliquot ad illum emendationes legi, ſed quae an omnes probae ſint & genuinae, unus omnium optime intelligis. Magna hîc horum ſtudiorum penuria, & proterve aut opportune in Critices ſacra irrepere gens Germanorum pridem deſiit. Veſtrum eſt, tuum intelligo & *Gronovii Voſſique*, quibus ſolis ferme illa hodie patent, caligantibus nobis de veſtra tam copioſa luce mutuatitium aliquod lumen impertiri. Fac vel inprimis, Ampliſſime & Amiciſſime vir, ne vana ſit, quam in tui benevolentia, comitate & benigno in tui cultores animo, unice collocavi, fiducia. Omnes ad hanc rem opportunitates dabunt & proxime Francofurtenſes Nundinae, & praeſtantiſſimi *Fabricii*, quod mihi totum hac in parte addixit, ſtudium. Bene & feliciter vale, Vir Nobiliſſime, & me ſolito tuo amore complectere. Dabam In Arce Heydelbergenſi VI. Calend. Februar. A. M. D. CLX.

EPISTOLA VI.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NIhil mihi litteris tuis gratius, Vir Clariſſime, & ea bonarum rerum fruge, quam luculentam ex iis percipere datur. Intermiſſas ex iis non nihil tuas pro Lucano noſtro curas moleſte ferre non poſſum, dum debitas pridem Naſoni tuo impendis. Nec ille ſe poſthabitum debet indignari, dum datam jam dudum fidem liberis, nec diutius cultiſſimum vatem premis. Spero perinde te ante profectionem Suedicam telum illam pertexturum, nec ulterius gaudia noſtra aut deſideria moraturum. Ubi tum vacabit, Lucanum noſtrum ad animum revocabis, & omnem a te praeſtitam pro eodem operam nobis, ſat ſcio, non invidebis. Nemo te plura conferre in ejus egregium poterit, & ſingula bona fide & grata mente tibi acceptum feret. Facile tibi aſſentior de mendis variis,

quae

quae optimum vatem etiamnum deturpant, & quas eluere non est nisi Bacchi in his litteris tum judicii tum ingenii. Placuisse non dubitabis emendationum, quas misisti, specimen, & quae ad eliciendas plures id genus salivam mihi non leviter moverunt. Lectionem illam *Sithoniae gentes*, quam ab eruditis profectam credis, proferunt etiam aliquot scripti codices, & inter alios unus, quem possideo e Bibliotheca Ducis Augusti Brunsvicensis satis antiquum. Illud *Assurii auri* pro *Assyrii* jam notaram in ore Codicis mei, quod *Dausquejus* jam olim, & *Barthius* alicubi in Adversariis jam vidit. *Grotium* vero quod censes unicum Thuaneae Bibliothecae Codicem inspexisse, id vero aliter ex Notis ejus sese habere intelligo, ut vel in observatis ad vers. 866. l. 1. poteris colligere, ubi diserte duorum meminit. Augustus Brunsvicensium Dux novissime duos Codices una cum priscis aliquot Lucani editionibus e ditissima Bibliotheca, missis eo nomine celeribus, ad me curavit. Uterque codex in membrana satis antiquus, & unus praesertim cum vetustis & eruditis scholiis, cum Sallustii antiquissimo codice junctus, & quod doleo in lib. VI. desinens. Bongarsianae Bibliothecae, quoad Lucani qua scriptos qua editos codices, modo accepi indiculum, qui unum tantum prioris notae in membrana eumque antiquissimum, ut volunt, recenset. Videbo omni opera, quo ille ad nos possit advolare. Nec animus mihi editos omnes conferre, sed primas tantum & veteres editiones consulere, quod non sine fructu aut exemplo fieri solet ab his, qui has litteras tractant. Immo multas jam in iis lectiones observare licuit melioris notae, quam in postremis, aut quales *Grotius* ex scriptis codicibus aut ingenio etiam primus se eruisse arbitratus est, unde facile illas non visas eidem aut neglectas ab eo licet augurari. Meminit Bongarsianae Bibliothecae indiculus Apologiae cujusdam pro Lucano contra *Scaligerum* Parisiis excusae Anno 1582. quam an videris scire aveo. Luculentam ad nos misit *Grentismenileus* Cadomensis, nisi quod paullo acerbius iniqua *Scaligerorum* de Lucano judicia suggillet, eademque refellat. Monebat nuper *Capellanus* noster relatum sibi quandoque a *Rutgersio* longe aliter de Lucano *Scaligerum* filium sensisse ac Patrem, h. e. benigne admodum & honorifice. Unde tamen id conjecerit ὁ πάνυ Avunculus tuus nescio, quum certe in Epistola ad *Patissonem*, & Prolegomenis ac Notis ad Manilium mirum in modum praestantissimum hunc vatem traducat Vir Illustris, nec eadem eum alibi recantasse videam, aut adducar facile ut credam. Magni Parentis tui ad Juliani Caesaris annotata fac quaeso omni opera ut nanciscar. De illorum editione fiet tuo arbitratu, & ab Affine elicies facile aut extorquebis hunc libellum. *Cumerum* non ita feliciter, ut Vossio seniori, & plerisque aliis eruditis visum, in vertenda hac satyra versatum, & impegisse in multis in annotatis nostris jam a nobis est observatum. An felicior tamen ubique *Cantocharus*, cujus viri magna fuit alias eruditio & probitas, id vero affirmare non ausim, quum plurima etiam in elegantissimo & eruditissimo opusculo non adsecutum, ut nec postremum editorem *Pateuium* annotasse memini. Variantes horum Caesarum & Misopogonis lectiones e Codice suo exscriptas novissime ad nos misit Clariss. *Hossius*, ex quibus de iis omnibus

lentius in posterum statuendi ansa praebebitur. Tuam vero singularem circa rem nummariam peritiam jam dudum exploratam habeo, unde positam a me quoque hac in parte operam tibi venditavi. Optavi saepe ut aliquem tibi geminum consulere mihi in hoc studio liceret, dum nummos omnis generis sereniss. Electoris digero & excutio. Satis magnam illorum copiam ex eo facile colliges, quod eorum numerus prope ad novem millia excurrat, inter quos Dcccc aurei, reliqui maximam partem argentei, aenei prae illorum copia pauciores. Consularium *Ursini* vix una aut altera Familia deest, multi veri adsunt, nec ab eo, nec a *Gorlaeo* annotati, iique bonae notae. Graecorum vero vel imprimis numismatum vix major forte alibi aut selectior copia, tum personarum, tum coloniarum, & quales plurimi apud *Goltzium* non exstant. Adulterinos vero in tanta copia multos etiam observavi, & quales scio Italos vel inprimis isto & superiore seculo magno numero talium avidis & ignaris venditare. Rem vero longe gratissimam sereniss. Electori feceris, si indiculum librorum, qui de hac materia agunt, ad nos transmittere volueris, ut videam quibus careat, utcunque instructa, ejus Bibliotheca. sed de his adhuc alias, qui ex inopino scriptionem hanc tumultuariam cogor abrumpere. Vale, Vir Clarissime, & me ama. Datum In Arce Heydelbergensi 3. Febr. 1661.

EPISTOLA VII.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

POst novissimas ad te datas, Vir Amplissime, easque, si memini, bene longas, molestus iterum interpellator accedo. Causa scriptionis iter Italicum, ad quod suscipiendum brevi Domini jussa praescribunt. Et quamvis litteris ac mandatis ad omnes Italiae Principes, *Franciscum Barbarinum*, &c. eruditos aliquot *Holstenium*, *Pricaeum*, aliosque instructum dimittat, non ideo tamen minorem oblati a te beneficii rationem mihi habendam duxi. Vide itaque ut tua vel mandata, vel συγγλωσσίαι etiam ad amicos prima occasione eliciam. Patavii inprimis & Florentiae ad *Petruccios*, *Ferrarium*, *Carolum Dati*, alioque, & Romae ad *Furstenbergium* aditum mihi tua opera patere optarem. Post lustratas Mantuanam, Parmensem, Mutinensem, & Florentinam, Aulas, Romae aliarum compendio, mihi per tempus aliquod haerendum intelligo. Non poterit sc mihi opportunior aut gratior occasio offerri expetitum saepe calidissimis votis iter adimplendi, qualem sereniss. mihi suppeditavit. Videbo ut Oeniponti Gifanianas in Ovidium curas extorqueam. Patieris hic etiam, ut Clariss. Viris ac de me optime meritis *Vossio*, *Gronovioque*, plurimum salutem adscribam, suaque vel jussa vel litteras impertiri mihi non detrectent. Senecae Tragici munus sereniss. Electori erit gratissimum. Optarem enim ut post *Freinshemii* fata tantum decus huic Academiae posset inseri, de quo tamen

ramen exiguam ſpem foveo, illum poſſe a vobis avelli. Significavi id aliquoties ſereniſſimo, qui & totus in hoc propendet, modo mutationis illius ſpes aliqua poſſet affulgere. Tu libere reſcribe, quod de hoc negotio ſentias, & an deſerendi vel promovendi auctor ſis, quod & tibi adhuc in aurem dictum velim. Vale, decus noſtrum, & me ama. Dabam raptiſſime In Arce Heydelbergenſi x. Calend. Mart. CIↃIↃCLXI. Si ad amicos in Italiam ſcribis, qualiſcunque dignitatis noſtrae *Conſiliarii* ſereniſſ. Electoris memor eſſe poteris, qui alteram praefecturae Principis Electoralis nunc abdicamus, inter miniſtros ſtatus ſereniſſ. allecti.

EPISTOLA VIII.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

GEminas tuas uberes adeo & officioſas una cum συγγραμμάτων ad amicos in Italiam tuos lubens laetuſque accepi, Vir Ampliſſime. Non poteras luculentiori aut gratiori beneficio me obſtringere, nec prolixi illius tui in me affectus, & paratae comitatis praeſentius exemplum ſuppeditare. Italici itineris cum fructu juxta ac delectu inſtituendi viam mihi aperuiſti, quam tuo exemplo & monitis inſtructus calcare confidentior aggrediar. Amicos tuos Florentiae, Romae, alibique diligenter conveniam, & tui nominis fiduciâ propitium illorum uſum facile impetraturum ſpero. *Holſtenium* ad plures abiiſſe doleo, in cujus tum comitate tum eruditione non levem jam ſpem repoſueram, & quem litteris etiam ſuis in mei gratiam ſereniſſimus Elector conventum volebat. A *Petruciis*, *Schoppii* Theſaurum quovis theſauro elici poſſe unice optarem. Peritia certe hujus artis, Latine nimirum ſcribendi, omnia hujus & ſuperiorum ſeculorum ingenia provocaſſe videtur. Romam vix credo ante autumnum proximum me viſurum, quum adeundae mihi ſint primo aliae Principum Aulae, & in illa Urbe Dominâ moram per annum forte & ultra figere ſit praeſcriptum. Biennii ſpatium ad peregrinationem illam Italicam conceſſum, quo penitius noſcendi ſingula, & uſum aliquem rerum acquirendi facultas detur. Ita non tralatitiam ſpero voluptatem fore, quam ex peregrinatione illa mihi auguror, & quae, ſi pateris, mutuas has compellationes noſtras non interrumpet, ſed firmabit ulterius. *Grotio* Hagae Domini mei res agenti litteras tuas & mandata ſecure poteris committere. Illuſtriſſimo *Thuano* me & mea qualiacunque probari unice gratulor. Virum non dignatione ſolum aut adſcitica famâ, ſed ingentibus meritis & ſolida virtute illuſtrem, inter paucos colo & obſervo. Laudes ejus prolixe mihi ante dies paucos decantavit ſereniſſima Electoris ſoror, cui praefixam ante Caeſares noſtros Epiſtolam placuiſſe ſummo Viro ſcribis. Libraria tua, quae nummos ſpectat, ſupellectilis indicem ſereniſſ. lubens accepit. Ex quo non omnes ſolum te

poſſidere video, quos hanc rem illuſtraſſe noveram, ſed quoſdam etiam, qui mihi hactenus erant ignoti. Optimos & praecipuos habet ſereniſſimi Bibliotheca, unde de reliquis etiam conquirendis ſollicitum ſe oſtendit. Plane tibi aſſentior praeter *Auguſtinum*, *Goltzium*, & *Urſinum*, ſtudioſe a me & accurate jam aliquotiens tritos, eoſque tamen deficientes in multis, imparem longe eſſe hac in parte aliorum laudem & conatum. *Occonis* magna fuit diligentia, ut & *Triſtani*, quem aliquotiens in annotatis meis ad Caeſares Juliani, ſed modeſte & ita exigente materia, perſtrinxi. *Savotus* Gallus utilia & indicta aliis ſuppeditat, reliqui ferme in parte tantum aliqua hujus antiquitatis excolenda & illuſtranda verſantur. Graecorum vel inprimis nummos, qui & rariores & elegantiores ut plurimum caeteris, nemo hactenus ex profeſſo praeter *Goltzium* tractavit, & quorum an major in uno loco copia ac delectus quam apud ſereniſſ. meum occurrat vix credam. Habes hîc Indicem Conſularium, quibus caret, in quibus data occaſione conquirendis, operam tuam illi & ſtudium non illibenter, ut ſpero, addices. Tuae illi longe gratiſſimae fuerunt, nec verbis meis opus fuit, quo gratiam illis majorem & blandum apud optimum Maecenatem aditum conciliarem. Vinum tandem poſt illas ambages ad vos delatum, nec ingrati ſaporis viſum laetus accepit, ut & Epigramma elegantiſſimum, quo munuſculum illud proſequi tibi viſum eſt. *Gronovium* noſtrum ὁ πάνυ Heidelbergenſem ſpartam, de qua mihi cum ſereniſſ. noſtro ſermo fuerat, non omnino rejicere ex tuis ὡς μάλα ἀσμένως intellexi. Facile in animum induco vincula illa & compedes, quibus in oris veſtris irretitus eſt vir ſummus, & de quibus obiter injecta ab eodem in ſuis ad me litteris mentio. Poſſent & viciſſim alia momenta accedere, quae patriae ſuae decus illud reſtituendi poſſent anſam forte praebere, & Academiam hanc noſtram tanto beneficio mactare. Nihil mihi certe jucundius eſſet, quam ſpem illam fovere, quam non omnino abjiciendam innuis, & de qua ulterius alias & certius quidquam ad te ſcribendi erit locus. Adventus enim ſereniſſ. Ducis Luneburgenſis, ſororis Domini mei, poſt tuas noviſſime acceptas uberiorem de his cum ſereniſſ. agendi occaſionem mihi intervertit. Officia mea interim & cultum Magno & amiciſſimo Viro offeres, & Senecam ejus Tragicum gratiſſimum fore Domino munus ſignificabis. Optarem ſerio ut ante iter Italicum, ad quod jam ſarcinas colligere jubeor, intra dies forte non multos incipiendum, inſpiciendi ejuſdem & aſſumendi itineris comitem mihi facultas daretur. Bongarſianae Bibliothecae miſſus ad me indiculus nihil praeter Lucani ſcriptos aut editos codices continebat. Naſonis tui memor ero, ubi Auguſtae, aut alibi in Germania in ſcriptos ejus libros incidero. Habes hîc pagellas duas, quae in transmiſſo ad te Caeſarum Juliani libello deerant. Tuae ad *Fabricium* noſtrum recte curatae ſunt. Ampliſſimo & de me optime merito *Voſſio* ſalutem hîc officioſiſſimam a me adſcribi non detrectabis. Vale, noſter ac litterarum amor. Dabam ὡς τάχιστα inter occupationes varias IX Mart. A. CIↃIↃCLXI. In Arce Heydelbergenſi. Reſcribit tibi hodie & Cl. *Voſſio* ſereniſſ. Elector, & pro communicatis Lucani Codicibus ac oblata a te opera gratias utrique agit.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA IX.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

POstremis tuis, Vir Amplissime, jam praeterita hebdomade satisfactum a me fuisset, ni interversa id praestandi fuisset occasio. Spero tamen has te adhuc in Belgio nacturum, quamvis de festinando in Sueciam itinere certiorem feceris. Opto ex animo, ut tibi ex dignitate publica juxta & privata succedat, quod utrumque votum egregia tua merita facile adimplebunt. Habeo jam in Suecia sororem Genevae a te visam, & Nobili Sueco à *Falkenberg*, Magni Regni Thesaurarii *Bond* ex sorore Nepoti, & praeclaris aliis *Oxenstiern* & aliorum id genus Procerum affinitatibus innixo, nuptam. Gaudebo si te offendat, & si eosdem cura tua non indignos censeam. De Lucano statues ipse pro arbitrio, & in quos incides Codices, eos, prout negotia tua patientur, a tuis oculis non submovebis. Idem serio me in Nasone tuo facturum polliceor, ubi ejus rei aliqua se offeret opportunitas. *Emerici Bigotii* nomen & eruditio mihi jam aliunde constabat, & credo eum visum a me ante triennium in bibliopolio Francofurtensi, tempore Comitiorum praeteritorum. Lubenter quam poscis operam illi addicam, ubi Augustam venero, & si ejus rei facultas adhuc detur. Gaudebo quoque unice, si illum Venetiis offendero, & de Italicis rebus luculentam ab eo notitiam possim haurire. Mediolanum enim in reditu me demum visurum credo, quum ante Parmensis, Mantuana, Mutinensis, Florentina, Aulae mihi sint adeundae, & deinde Romam migrandum. In reditu Genuam, Mediolanum, Turinum lustrabo, si Deus felicem exitum largiatur. Adventum sereniss. Ducis Luneburgensis aliquam itineri meo moram injecit, sed quod prima jam die me aggressurum confido, compositis jam ad illud iter reculis meis. Mitto Consularium, qui desunt sereniss. Electori, nummorum Catalogum a me nuper omissum. Rem illi gratissimam feceris, si operam tuam hac in re possis illi praestare. Plura jam non addam, nisi ut me amore tuo, quo me beasti, complecti in posterum constanter pergas. Vale, Vir Amplissime, & feliciter rem gere. Dabam In Arce Heydelbergensi VI Kalend. April. Anno CIↃIↃCLXI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA X.

NIC. HEINSIUS

Ezec. Spanhemio.

Heydelbergam.

SAlvum te ſoſpitemque in Italiam perveniſſe unice ſpero. Nec nuncio acceptiore conveniri poſſum, quam qui confecti a te itineris certiorem me facturus eſt. Auguror enim ac certe perſuaſum habeo fore, ut plus emolumenti ex hac peregrinatione ad te redundet, plus etiam voluptatis, quam aut ipſe ſperaras, aut nos amici tibi eramus polliciti. In *Holſtenii* tamen morte magnam jacturam feciſti, nec minorem in digreſſu *Furſtenbergii* ab aeterna urbe, inque ejus ad ſuos reditu: quem Principibus Germaniae adſcriptum, ac luculento Paterbornenſium Epiſcopatu auctum eſſe jamdudum, credo, intellexiſti. Invenies tamen ejus loco alios complures Romae viros inſignes. Imprimis conveniendus eſt tibi *Carolus Antonius Puteus*, celeberrimi illius *Caſſiani* germanus frater, in quo fraternae comitatis ac ſuadae multum reliquum eſt, gener quoque ejus *Nicolaus Rondininius*, *Natalis* viri elegantiſſimi frater, cum quo arcta mihi neceſſitudo interceſſit, dum in vivis eſſet. Conveniendus quoque Illuſtriſſimus Vir *Octavius Falconerius*, mei amantiſſimus, & *Alexander Pollinus*, & *Leo Allatius*, & *Auguſtinus Favoritus*, quos omnes notos jampridem habeo. Quorum agmen ducit eminentiſſimus Princeps *Franciſcus Barberinus*, cujus eximiae comitati me devinctum ſemper profitebor. *Bigotium* ſuaviſſimae indolis Virum utinam in itinere obvium habeas! utinam & *Marquardum Gudium*, non enim dubito, quin horum conſilia in multis inſtituto tuo praelucere poſſint. Illud vero ſcire vehementer exopto, an Oeniponti incideris in filium *Oberti Giphanii*, tum quid de Naſone cum priſcis membranis collato ſit ſperandum. Romam ubi perveneris, fac, quaeſo, ex te diſcam, quando novum veterum inſcriptionum volumen viſuri ſimus, quod *Carolus Moronus* juſſu Eminentiſſimi *Barberini* jam pridem luci parat? flagro enim ardentiſſima ſiti pervolvendi tam deſiderati operis, fac etiam cognoſcam, an *Famiani Nardini* Roma antiqua jam praelo commiſſa ſit. Plurimum enim delector lectione ſcriptorum rem Antiquariam Illuſtrantium. ſi quid praeterea hujus argumenti apud Italos luci adornetur, intellectu erit mihi per quam gratum. *A Carolo Dato*, Viro Amiciſſimo, nullas literas multo jam tempore accepi, quae res ſollicitum me reddidit, ne valetudo male illi procedat. Illuſtriſſimus *Thuanus*, cum in procinctu ſtarem, ſe literarum nonnihil ad te velle dare, quo gratias tibi acturus eſſet pro Juliani Caeſaribus, promittebat. Spero promiſſi memorem fuiſſe. Praefationem tuam miris laudibus extollebat. Nam opus integrum nec dum perlegerat, ut eſt graviſſimis negotiis plerumque obnoxius. Graecos nummos complures poſſidet *Franciſcus Gothofredus*, eques Romanus. Nec ſcio an alibi ſelectiores inventurus ſis. Gemmas antiquas *Franciſcus Gualdus* magna

Digitized by Google

na copia: sed quas Regi Christianissimo supremis jam tabulis legavit, quod mihi significare non es gravatus, quid in serie consularium nummorum serenissimo Electori desit, rem gratissimam fecisti. Perspiciam brevi meos omnes, &, si quid augmenti inde maximi Principis suppellectili antiquariae possit accedere, felicem me arbitrabor. Vinum, quod munificentia ejus ad me pervenit, optimi mehercules saporis est, nunquam id labris admoveo, quin vota concipiam pro incolumitate Herois incomparabilis. *Gronovius* postremis suis significabat Senecae suo necdum colophonem a Typographis impositum esse, quod satis mirari non possum. Praefationem longe elegantissimam huic operi praefixit. In Nobilissimam Matronam sororem tuam diligenter inquisivi, inquiram adhuc diligentius, sed intelligo ruri illam cum Marito morari. Gratulor interim tibi tam splendidam affinitatem, nec deero salutationis officio, ubi cognovero illam in civitate esse. Lucanum in ipso itinere trivi non incuriosa manu, jamque cum xx. & pluribus scriptis codicibus contuli: sed quorum omnium instar sit unus Vossianus. Adeo nullum praestantis notae praeter hunc unum offendi. Naso meus lucem jam videt. Ejus exemplar ut meo nomine ad serenissimum Electorem mitterent, typographis jussi. Hodierno die literas ad ipsum Principem mitto, quibus operam in hac aula meam Celsitudini ejus offero. Vale, Vir Amplissime. Dabam Holmiae Suecorum. A. CIƆIƆCLXI. XXVII. Augusti. Ad Silium Italicum non pauca notavi: sed desunt multa exemplaria, quae aut nulla aut perpauca inveniuntur antiqua. Recentiora nonnulla vidi in Vaticana & Medicea Bibliothecis, quae omnia ex uno eodemque descripta esse opinor, nec certus tamen scio, si quod a vetustis membranis subsidium affulgeret: auderem fortassis aliquando hunc scriptorem serenissimo Electori inscribere a me recensitum ac castigatum.

EPISTOLA XI.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

EX non unis tuis ad *Falconerium* nostrum litteris intellixi, succensere te mihi non leviter ob praeteriti silentii culpam. Id vero eo molestius accidisse non diffiteor, quod vix ullam veniae spem mihi apud te relictam viderem. Ea enim adferebas, quae & suboffensum animum tuum arguebant, & amicorum me non minus ac litterarum desertorem non obscure traducebant, ἔπος δὲ ποῖον φύγεν ἕρκος ὀδόντων, Mi Heinsi? neque tamen credas velim, a me turpem hanc notam ita velle amoliri, ut si tecum componar, utramque jure mihi inustam non diffitear, sed non par hîc sumus bene compositum. Ego forte uno litterarum amore & cultu sustentare me possum & efferre, tu vero juvandi easdem & illustrandi frui meritissima laude. In colendis vero amicitiis, ea soles versari sedulitate, ut negligentes merito dicendi veniant, qui tecum iis-

dem officiis sperent contendere. Ego vero ut non unum expertus sum minus hac in parte sedulum, ita hanc veniam illis haud illibenter indulgere soleo, & alii cuivis obtentui, quam violati amicitiae crimini, intermissa id genus officia continuo imputare. Idemque eo libentius facio, ubi experimentis aliis perspecta mihi eorum voluntas & fides, & vel locorum intervalla, vel alia rerum momenta, aliquem veniae locum relinquunt. Sed haec forte prolixius, ne gravissimae tuae accusationis nullam mihi rationem habitam putes. Illud vero statuas, velim, defuisse me quidem huic litterarum officio, nulli autem erga te studio & fidei, qui utrumque & privatim apud amicos, & publice etiam constanter sum professus. Dum enim herili mandato statio mea in his oris producitur; dum tui e Suedia discessus incertus pendeo; dum *Falkenerius* noster eorum, quae te scire intererat, certiorem facit, omissa mihi ad te scribendi occasio. Neque vero plenius aut certius, quam ab amico nostro cupiditatem tuam expleri posse existimabam, & supervacuam fore apud te in eadem sublevanda sollicitudinem meam, haud vane mihi videbar augurare. Rerum autem mearum statum, quem a te non alienum putas, eadem opera constare tibi quodammodo arbitrabar, protracta nempe mihi praeter exspectationem mora in hac terrarum parte, cui proximus mensis finem, ut auguror, imponet. Confecto itinere Neapolitano, Siculo, & Melitensi, in urbe aeterna praecipua mihi fuit hactenus sedes. Parva vero accessio mihi ex illo itinere obtigit, praeter illam voluptatem, quam inspecti celebrium locorum situs, & reliqua adhuc vestigia suppeditarunt. In exitu vero hujus Italicae peregrinationis, Genevam, Mediolanum, Taurinum & Helvetiam lustrandam dabit instituendi itineris ratio. Fructum vero, si quaeras, quem collegerim ex diuturna illa in his oris mora, perexiguum illum oppido fatear, non locorum culpâ, ant opportunitatum penuria, sed mei vel ignavia vel inscitia. Vestrum est, & tui similium, *Bigotii*, *Gudii*, singula temporum momenta in litterarum compendium vertere. Ne tamen abjeciisse me plane illas vere existimes. Lucano, Juliano, aliisque quibusdam luculentis scriptoribus operam aliquam addixi. Lucani quidem Codices varios Vaticana, Farnesiana, & novissime Augustae Christinae Bibliothecae suppeditarunt, paucos tamen bonae frugis, & Vossiano Codice aetate ac bonitate inferiores. Neque tamen periisse plane censeo operam a me positam in iis conferendis, qui illam a me exigere videbantur. Juliani Caesares & Misopogonem haud perfunctorie a me recensitos & illustratos, cum accessione Epistolarum aliquot ἀνεκδότων, proxima foetura dabimus. Meum vero circa rem nummariam studium, non levia hîc vel incrementa vel subsidia nactum est. Aliquod ejus specimen expresserunt hîc mihi cum amicorum desideria, tum jussa sereniissimae Reginae, quibus factum ut Dissertationem prolixam & verbosam de *Praestantia & usu Numismatum antiquorum* evulgarem. Acquievi eo libentius huic instituto, ut aliqua otii mei in his oris ratio mihi aliisque constaret. Exemplar illius operis ad te curavi per *Datum* nostrum, de quo ita statues, ut veniam festinato labori haud difficulter tis largiturus. Neque enim mihi blandior, ob benigna lectorum, quos

hîc

hîc paſſim experitur, judicia. Plura & meliora alias dabimus, qui & locupletem Theſaurum Numiſmatum ἀνεκδότων adornavimus & ad ornandum ac illuſtrandum hoc ſtudium plurima nova nec ingrata videmur nobis annotaſſe. Multos hîc video hujus mercis avidos, ſed paucos, qui in ea aeſtimanda verum pretium ponant, aut ultra valorem & τὸ ἀνίσβδηλον nummorum declarandum aſſurgant. Graecos Reginae nummos aureos & argenteos praeterita hyeme in ſuas claſſes digeſſimus, ut ea parte *Gottefredum* talium minus peritum ſublevaremus. Valet adhuc optimus ſenex, & Reginae Antiquarii partibus ac officio fungitur, poſtquam omnis ejus ſupellex nummariae gazae ejuſdem Auguſtae acceſſit. *Chiffletius* junior eidem Reginae a ſacris, parat illuſtrationem aliquot Nummorum, & retractationem ſententiae ſuae olim vulgatae de nummis aereis Othonis, dum aereum & Graecum Caeſaris illius nummum ex *Gottefredi* & aliorum antiquariorum fide genuinum aſſerit, qui Gazam ejuſdem Reginae exornat. Adiunget alia, quae nomine meo voluit inſcribere. De rebus aliis litterariis plura & meliora te docebit *Falconerius* noſter, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Fervet opus *Allatii* contra *Chreygthonum*, editorem Concilii Florentini, ubi in vertendis Graecis ejus vel audaciam vel inſcitiam traducere aggreditur. *Pallavicini* Cardinalis Hiſtoria Concilii Tridentini vernaculo idiomate conſcripta noviſſime prodiit, ex ſecundis ejuſdem curis. Latine eadem prodibit, in qua recenſenda bonas horas perdere cogitur amicus noſter. Pachymerius *Poſſini* cura & Cardinalis *Barberini* munificentia brevi hîc typis committetur. Spes aliqua adfulget Stephanum *Holſtenii* aliquando proditurum, qui ejuſdem Cardinalis cura, Graeco amanuenſi ad deſcribendum ante paucos dies datus eſt. Non exiguos ſtimulos addidi *Benedicto Mellino* cuſtodi Bibliothecae ſereniſſimae Reginae, ut praeclarum illud opus eidem Auguſtae creditum, non ulterius moraretur eruditorum deſideria. Verſatur nunc vir optimus in diſponenda Bibliotheca ſuae curae credita, quae hactenus cum tineis & blattis luctabatur, & quam publico uſu deſtinavit Regina. Petronianum fragmentum varia hîc experitur hominum judicia, in quo certe πολλὰ μὲν ἰσθλὰ, πολλὰ δὲ λυγρὰ. *Schefferi* Tactica & alia opuſcula avide exſpecto, qui litterarum dignitatem egregie tuetur in illis oris; ubi regnabat olim barbaries. Hoc de me judicium, licet infra viri eruditionem & diligentiam, eidem per te cupio innoteſcere, qui & propiorem amicitiae illius uſum oblatum mihi iri non deſpero. Profectionis illius in Sueciam meae, cujus in noviſſimis tuis ad *Falconerium* meminiſti, injecta mihi mentio, a cujus nutu pendeo. Quae futura mihi tamen ſit ſedes poſt reditum meum in Aulam optimi Principis, nondum certo poſſum definire, quamvis vix ſtabilem illam videar mihi augurari, in hac negotiorum, quae hodie ingruunt, mole. Illud credas velim, tuo complexu nihil mihi gratius aut jucundius fore. Placandum enim te mihi haud difficulter ſpero, & frigus illud, ſi quod tibi in illis oris adverſum me obrepſit, aeſtu cultus & amoris in te mei omnino diſcuſſurum. Vale, Vir Ampliſſime, & prolixae confabulationi ignoſce. Dabam Romae xv Auguſti CIↃIↃCLXI. *Falconerius* noſter mittet ad te fragmentum Gr. ex Vaticana depromptum. Illud una cum litteris

meis commode & secure ad te per *Grotium* curari posse censui. Expectatio hujus fasciculi in causa fuit, ut receptiores a Falconerio litteras sis habiturus meis jam septimana praeterita exaratis. Si rescribere non dedignaris, tuae optime per *Grotium*, res Hagae agentem sereniſſimi Electoris, in Aulam nostram curabuntur, quae me ubicunque sim terrarum, offendent. Has ad sororem litteras tuae fidei commendo.

EPISTOLA XII.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

DIci non potest, quam jucundae mihi fuerint tuae, quas curante *Fabricio* nostro ante dies paucos accepi. Id unum me sollicitum habuit, me in eo a te officio praeventum, cujus mihi primae erant partes occupandae. Id enim non affectus solum in me tui merebatur constantia, & beneficiorum magnitudo, sed loci vel inprimis illius, quo per menses aliquot avidissime fruor, genius. Aequum enim erat, ut quem blandum ac jucundum fueras pollicitus, quem commendatitiis ac monitis tuis conciliasti propitium, eum gratum erga te & memorem tibi quodammodo praestarem. Vides jam ex iis, Vir Amicissime, quam optimum ego te vatem praedicem, qui tot mihi Italici *itineris* commoda & delicias, non inani spe aut fallacibus verbis es auguratus. Utinam ea singula possim tibi recensere, & confectae ad hunc diem peregrinationis jucundissimam apud te historiam plene retexere? Augustinam Bibliothecam, quantum properanti licuit, in diligentissimi *Bigotii* commodum, χρυσοῤῥήμονος ornamentum, te monente, inspexi. Neque tamen operae illius fructum retuli, ut Divi illius operum expetitum Judicem assequerer, quem accuratiori indagine investigandum Bibliothecae illius custodi commisi. Oenipontinam Aulam, herili mandato instructus, conveni, per plures etiam dies in angusto alias loco singulari Principis comitate detentus. Quae de propenso tuo in sereniſſimum Electorem studio & cultu nunciasti, eidem & longe accepta. Totidem verbis retuli, quamvis luculentius tua ad eundem Epistola id praestiterit. Inclusa, ad affinem & sororem tibi committere audeo, & quae vel tu vel illi rescribetis ad D. *Grotium* Hagam poterunt transmitti, qui eadem suis ad seren. Electorem litteris includat, ita secure & citra ambages deferentur. *Carolum Antonium Puteum* aliquoties, sed frustra conveni, litteris a Dato. nostro ad eum instructus. De *Oberti Gisanii* filio, sedula mihi fuit inquisitio, in eo tamen infelix, quod Domini mandata hominem, paucis ante adventum meum diebus, ad peragendum aliquid in districtus illius praefectura officium ablegaverant. Commisi tamen homini noto, & in illis partibus gratioso, expetiti Ovidiani Codicis curam, quam explere in se receperat. Conveni eum non ita pridem, ut datam fidem liberaret, & proximis litteris praestitae a me aut ab eodem operae cer-

tior

tior tibi nuntius constabit. Venetiis per dies non ita multos commoratus Proceres aliquot, eruditos ferme, nullos salutavi. *Franciscus Loredanus* ab urbe aberat, & *Nicolaus Crassus* pridem rebus humanis exemtus est. Patavii *Octavio Ferrario* tuas obtuli, & prolixa ab eo, tum comitatis, tum benevolentiae officia intra dies paucos expertus sum. Eadem mihi voluit absenti constare, & contractae alicujus inter nos necessitudinis mihi gratissimam fidem praestare. *Petruccium* avarum Thesauri Schoppiani custodem adire, sed non emungere in publicos usus licuit, qui illum, ut Pici aurum suum, defossum tenet, nonnisi grandi aere ab intento & vigili custode eliciendum. Mantuae, Parmae & Mutinae nulla mihi litterarii profectus, multa Principum & Aulicorum comitatis argumenta contigerunt. Nisi quod in primam illam classem lubet revocare, probatam mihi Mutinae, singularem Comitis *Girolami Gratiani*, Poëtarum hodie Italicorum Principis, & a discessu meo saepius mihi obsignatam benevolentiam. Florentiae potissimam aestatis, & autumni partem exegi, idque, quod vel me tacente intelliges, incredibili cum voluptate. Nec tam illam mihi nuptiarum solemnia, & aetatum omnium ad ea visenda confluxus, quam urbis ipsius illecebrae, loci genius, incolarum suavitas, Bibliothecarum usus, eruditorum denique & elegantiorum hominum consuetudo conciliarunt. Quid tibi jam singulos commemorem, quos omnes notos jam pridem habes & unice tibi addictos, *Carolum Dati*, *Valerium Chimentelli*, *Ferdinandum del Maestro*, *Carolum Strozzi*, *Capponi*, *Marucelli*, *Erminii*, *Cavalcanti*, *Coltellini*, *Leffini*, *Ruccellai*, *Borelli*. Ut praeteream alios, *Franciscum Redi* Magni Etruriae Ducis Medicum, Graecis & Latinis litteris eruditissimum, *Luigi Strozzi*, *Laurentium Magelotti*, *Antonium Magliabechi*, & plures alios, qui a tuo, ex Italia discessu ingenio & eruditione, ac insigni vel inprimis comitate, florentissimae urbis secessum gratiorem adhuc effecerunt. Taceo effusam Principum humanitatem, sereniſſimi inprimis *Leopoldi*, quam mihi immerenti luculentis voluit documentis constare. Laurentianam & reliquas Urbis Bibliothecas, quantum per occupationes alias licuit, excussi, scriptis illam eximiis & Graecis vel inprimis codicibus facile licuit vel primo obtutu augurari. Juliani Caesaris quaedam contuli, & scriptoris veteris Christiani eruditum contra Manichaeos ineditum opusculum exscripsi. Lucanum cum scriptis aliquot libris commisi, sed non admodum a vetustate aut bona in iis fruge meo judicio commendandis. Plura ad eum, ut spero, conferet diuturnior in hac urbe & reliqua Italiae mora, quam, Deo dante, ad minimum ultra annum adhuc producere dabitur. Meum vero circa nummos veterum studium plurimum jam ad hanc diem juvit Italica profectio. Patavii plures lustravi; Mutinae Graecos & Romanos magna copia mihi dedit inspiciendos sereniſſimus Princeps horum studiosissimus, vetus Ferrariae Ducum peculium. Florentiae praeter *Gaddianos* & *Marchionis Nicollini* non contemnendos nummos, totam eorum Magni Ducis gazam singulari Principis *Leopoldi* comitate inspicere & excutere propius licuit. Immo majori adhuc felicitate praeter Graecos complures, ultra mille & quinquentos ineditos Imperatorum nummos in schedas meas mihi

referre contigit. Adeo ut copia ac delectu ineditorum & rariorum aereorum vel inprimis nummorum anteferendum hoc reliquis omnibus Europae Musaeis facile credam. Farnesianum etiam Thesaurum obiter his diebus inspexi, ad quem alias reconditum serenissimi Ducis Parmae litterae mihi aditum fecere. Pescennii in eo Nigri Medaglionem, ut vocant, aeneum magnum & in Europa, ut fertur, unicum, ac spintriarum & libidinum Tiberii in sex aut septem aereis vestigia deprehendi. Ottonem aeneum genuinum Ducis Mutinae Musaeum jactat, sed de quo, utut alias eximio, sententiam adhuc suspendo. Alias Romanorum thecas hoc peculio insignes, *Barbarini* Cardinalis, *Gottefredi* & plures brevi cum Deo avidis oculis lustrabo. Ex quo enim ante septimanas aliquot in aeternam Urbem appuli, plura, ut auguraris facile, novum & curiosum advenam detinuerunt. Insignem Purpuratorum aliquot Patrum, & Cardinalis vel inprimis *Barbarini* comitatem, ac eruditorum aliquot, *Alexandri Pollini*, *Leonis Allatii*, Abbatis *Gradi*, Patris *Athanasii Kircheri*, & *Vicarii* generalis Societatis Paduae olim sum expertus; sed omnium instar mihi *Octavius Falconerius*, genere, ingenio, & eruditione & ingentibus erga me meritis omnem meam praedicationem jam supergressus. Contractam cum illo felicibus auspiciiis ante menses aliquot Florentiae necessitudinem, ferme individuam constringere indies meo commodo non cessat. Tibi vero & *Cappellano* nostro primam virtutis illius notitiam adscriptam grato animo fero. Ille etiam in te colendo assiduus Ovidium tuum avidissime exspectat. *Datus* noster Florentiae vivus & sospes exemplaria illius aliquot se nuperrime accepisse significavit. Vale, Vir Nobilissime, & me ama. Romae XXIII. Decembris CIƆIƆCLXI. Ab Illustrissimo *Thuano* nihil litterarum accepi, abunde mihi satisfactum, affectum ejus & favoris de meis in Julianum curis judicium a te rescire. De libris, quos postulas, de iis se scripturum recipit *Falconerius* noster. *Octavius Ferrarius* meditatur philologicas in Plinium seniorem curas, & historiam rerum hoc seculo in Italia gestarum. *Val. Chimentellius* parat opus affectum de *re donaria veterum*. *Leo Allatius* Historiam Concilii Florentini e *Vossii* Musaeo depromptam falsi convincere aggreditur. Silii tui Italici si aliquid occurrit probae notae memor ero duplici nomine tui, & Patroni, quem vis illi adsciscere. Festinationi ignosces & de rebus tuis fac nos certiores.

EPISTOLA XIII.

NIC. HEINSIUS

Ezec. Spanhemio.

Romam.

VIduari tanto tempore suavissimis alloquiis, Vir eximie, equidem impatienter atque indigne fero. Scripsisse tamen te, ex quo Alpes transgressus esses, & *Ludovicus Fabricius* & *Carolus Datus* mihi persuasum cupiunt. At ego sancte affirmo, nec tuas me vidisse ullas, ex quo Aprili mense anni proxime elapsi

elapsi ex patria emigravi, nec de te intellexisse quicquam, nisi quod amici duo illi nostri nuper admodum significabant & valere te, & in aeterna urbe aetatem nunc agere. Vide igitur, quarum opera utaris in curandis tuis, quas imposterum ad me dabis: nam quicunque tandem sunt, ad quos hactenus a te itum est, nae illi parum sese sedulos in hoc negotio praestitere! Lucani tui me meminisse, quem cum pluribus vetustis exemplaribus jam contulerim, ex ultimis meis credo cognovisti; cujus antiquum codicem ex Galliis postea sum nactus a *Menagio* mihi donatum. Nasonem meum vicissim tibi commendo; Giphanianum exemplar an Oeniponti etiamnum exstet, uti sperare jussus eram, cupio doceri. Curae priores in scriptorem illum jam pridem luci commissae sunt. Earum exemplar si a *Carolo Dato*, Viro Clarissimo, non feres, ego tibi servabo. Nunc Claudianum curis secundis recenseo. Postea aut Silio Italico, aut Valerio Flacco manus admovebo. Scriptor uterque etiamnum mendosissimus est, & dignus tamen meliori fato. Alterutrum sereniss. Electoris nomini inscriptum ac dedicatum velim, si vetustum aliunde codicem indagare possum, cujus opera aut hic aut ille emendatiores prodeant. Valerii exemplaria Vaticana *Langermannus* meae in spem gratiae excussit, quorum unum valde antiquum, nec magnae tamen id rei. Silii vetusta nusquam inveniuntur, quod sciam, ut ad recentiora sit confugiendum, quae non parvo numero in Medicaea ac Vaticana Bibliothecis servantur. Si propositum hoc pro spe atque expectatione haud cesserit, de L. Apulejo a me cogitabitur, scriptore ut perquam eleganti ac erudito, sic a librariis pessime affecto. Veterrimum ejus exemplar in Vaticana exstare *Jacobi Sirmundi*, Viri doctissimi, ad Sidonium Apollinarem observationes me docuerunt. Utinam sit, qui ejus evolvendi & cum vulgatis libris conferendi molestiam non subterfugiat, sed minimas etiam lectionum discrepantias, atque adeo ipsos vitiosae scripturae naevos accurate enotari necesse est. Plurima ex conjecturis in illo castigavi: quibus si vetusti codicis subsidium accesserit, auguror fore, ut dicar non male meritus esse de tanto scriptore. Lutetia scribitur *Guidonis Patini* filium cogitare de nova editione adornanda Familiarum *Fulvii Ursini*, quibus luculentum veterum numismatum auctuarium sit additurus. Vale, Vir Eximie, & me ut, hactenus, constanter perge amare. Holmiae Suecorum A. CIↃIↃCLXII. a. d. IV. Febr. Gregor.

EPISTOLA XIV.

NIC. HEINSIUS

Ezec. Spanhemio.

Romae.

IRascebar, fateor, tibi, sed quantum amantes solent, quod cum in ipso itineris Italici procinctu, si meministi, frequenter te mihi scripturum esse, pollicitus, vix tamen scriberes, ex quo in Italiam sedem fixisses. Nam qui assidua com-

compellatione ex Germania me dignatus eras etiam tunc, cum nullum ſcriptionis argumentum occurrebat, videbaris equidem multum a te ipſo degeneraſſe, ac mutatus eſſe, qui Harpocrati litabas, illic locorum poſitus atque conſtitutus, ubi, quod ſcribas, nuncquam deſit. Quippe ut jam demus, nihil egiſſe, nihil molitos eſſe homines per Italiam tot litteratos tanto tempore, quo illic haeſiſti; at ipſe regionis longe amantiſſimae Genius, ipſa oblectamenta tua, voluptas ipſa numquid ſuppeditare abunde poterant, quo ad priſtinum neceſſitudinis uſum excitareris? Videbas non deeſſe illic Viros eruditione & natalium ſplendore praeſtantes, qui poſt tanta temporis ac locorum intervalla mei etiamnum frequenter meminiſſent, idque ſtudium ſuum per litteras haud raro teſtarentur. Id exemplum tibi imitandum erat, ſi te ipſum imitari nolebas. ſed mecum facile in gratiam rediiſti, ſuaviſſime Spanhemi. Utinam & ſororem tuam, matronam lectiſſimam tam placatam experiaris! miratur illa & concoquere non poteſt, toto biennio, ne quid plus dicam, ſe alloquiis tuis fraudatam fuiſſe: idque ſilentium tam pertinax multo cum ſui contemtu conjunctum eſſe quiritatur: ſuſcepi quidem cauſſam qualemcumque agendam, ſed nullo cum ſucceſſu. Ad tuam igitur facundiam tuumque patrocinium tibi confugiendum eſt, ſi abſolvi cupis. Mihi, ne actum agam, aliud inpoſterum erit agendum. Commentarios tuos de uſu & praeſtantia vetuſtorum numiſmatum nec vidi hactenus, nec quando ſim viſurus, exploratum ſatis habeo. Negabat quippe *Datus* noſter nuperrime fuiſſe hactenus praeſto opportunitatem, qua libellus ad me tuto perferretur. Gaudeo interim ſatis feciſſe te hoc ſcripto Viris in urbe praeſtantibus, cum gloriae tuae inter praecipuos egregie ſtudeam. Ex Italia ſi jam in aulam ſereniſſimi Electoris rediiſti, quid de profectione ad nos tua ſperandum ſit, cupio doceri: eam enim ni maturabis, vix complexus tuos & jucundiſſimum adſpectum hîc terrarum, quo frui unice tamen velim, dabitur mihi praeſtolari. In Sicilia locupletes Bibliothecas exſtare ſaepe numero audivi probeque codicibus, tam Graecis, quam Latinis manu exaratis inſtructas: nam mihi inſulae illius perluſtrandae facultas non eſt data: Quapropter aveo ex te cognoſcere, an famae res ipſa reſpondeat. Nam apud Melitenſes nihil tale adſervari opinor, aut in Neopolitano regno. Si urbem Principem excipimus, in qua moram trimeſtrem traxi, excuſſis omnibus propemodum vetuſtorum codicum ſcriniis, quotquot illic commendantur. De Juliani ſatyris edendis ſi cogitare pergis, auctor tibi ſum orationes nonnullas ſcriptoris ejuſdem ineditas, quae in Britannia aſſervantur, & quorum copia per *Patricium Junium*, *Dionyſio Petavio*, poſt Juliani editionem ab illo curatam, fuerat facta, nanciſci contendas. Chriſtinam Auguſtam de promovenda re litteraria etiamnum cogitare vehementer laetor; quod rumor publicus ſpargebat negligi & contemni ab illa eruditionis nomen, quamquam ultimo congreſſu talem omnino ſeſe mihi ſiſtebat, qualis a te deſcribitur. *Scheffero* jam te conciliavi. Edidit Vir optimus nuper praeter commentarium de Pythagorico Italorum dogmate, auctores duos Graecos ineditos, rem militarem ſpectantes Arrianum nempe & Mauricium tacticos, hactenus ineditos. Nunc ſub

praelo

praelo habet libellum de ſtylo, cui ſubjuncturus eſt Petronii fragmentum illud nuper inventum, una cum animadverſis ſuis. Nihil praeterea ex his regionibus nunciare poſſum. Illud anxie, atque unice te rogo, ut ſereniſſimo Electori perſuadeas, nihil me in rerum naturâ eſſe ejus virtutibus addictius. Vale, mi Spanhemi. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXV. a. d. XVIII. Kal. Februarii.

EPISTOLA XV.

NIC. HEINSIUS

Ezec. Spanhemio.

Holmiam.

NOn hic ego operoſe diluam, Vir Ampliſſime, longi & pertinacis quidem ſilentii culpam. Illud unum haud ſubleſtae vel incompertae fidei dicam; ea nempe ex Italia reducem excepiſſe tempora, quae a colendis neceſſitudinibus meis vel invitum plane avocarunt. Noſti aliunde procul dubio, qui apud nos aeſtus animorum repente exorti, & quam proterve ab aliquo tempore in nos graſſata ſit male fauſta Infulatorum e vicinia ſocietas. Hinc crebra mihi locorum mutatio, dum optimo Principi placuit interioribus conſiliis ſuis admotum, aut componendis, ſi fieri potuiſſet, ingratiſſimis litibus, aut apud exteros cauſſae noſtrae adſerendae incubare. Unde mihi cum Muſis noſtris non ſolum, ſed cum ſuaviſſimis praeſtantiſſimiſque earum vel cultoribus vel alumnis, continua ferme divortia, nec ea animorum, ſed locorum aut temporum avocamentis. Illud enim unice velim fixum tibi immotumque, nihil unquam animo meo deceſſiſſe, aut deceſſurum in poſterum de priſtinae conſuetudinis tuae jucunda ſemper ac duratura recordatione. Ejus ego rei teſtes advoco quotquot in Italia, Gallia, aliiſque cultioribus terrarum locis ſingularis tua virtus, eruditio, & in colendis amicitiis ſedulitas tibi paſſim conciliarunt. Quod itaque ſemel inter nos tranſactum cupio, patere ut ego conſtantem debitumque tui cultum tibi etiam poſſim approbare, quamvis minus frequenter, quam decuit, ſcriptis ad te litteris teſtatum conſignatumque. Id enim & ſanctiſſimae amicitiae leges poſtulant, & avita neceſſitudinum jura, litterariis hiſce officiis firmiora longe & ſanctiora. Sed de his hactenus. Quid ab aliquot annis Muſae tuae parturiant, cupio inprimis a te ipſo edoceri. An praeterea diuturnus adhuc hoſpes futurus ſis in ultimo illo ſeptentrione, cui Romanae omnis elegantiae ac eruditionis domicilium vel ſolus multos jam annos praebuiſti. Quid agit *Schefferus* veſter, aliique, quos patrocinio ibi tuo & exemplo ad meliorum litterarum cultum excitaſti. De Italiae, & maxime aeternae urbis elegantioribus viris ſuperſedeo ad te ſcribere, qui ſciam noſtros *Falconerium* ac *Dati* abunde & ſollicite haec omnia ad te perferre. *Nardini* Romam a priore vulgatam nondum nactus ſum; longae enim ambages, antequam ſedulitatis illorum fructus ad nos perveniant incolumes. *Chiffletius* junior, Romanus hoſpes

& Christinae Augustae a sacris, novissime aliquot Epistolas ad me transmisit, quibus novem aut decem selectorum Numismatum explicationem complexus est: quam vellet appendicis loco Dissertationi meae annecti. Vix enim ex Italia reversum compellavit Typographus noster, ut recudendae ejusdem copiam illi facerem. Neque illibenter fum adsensus, qui auctiorem eandem, & ipsis rarissimorum aliquot Numismatum iconibus ornatam, prodire denuo in publicum cupiebam. Aliud enim ferme agenti, & inter alia meditamenta exciderat mihi prior editio Romana, vel in ea tenuitate benignos & plaudentes praeter spem omnem lectores nacta. Inde mihi orta quoque fiducia, secundas demum curas nostras eruditis tuis oculis subjiciendi; quod jam pridem adimpletum foret, si per continua temporum & negotiorum nostrorum avocamenta licuisset. Spero moram illam mihi omnium maxime ingratam, varietate rerum & argumenti, ac inprimis contemplatione praestantissimorum id genus monumentorum, iri compensatam. Neque enim defuerunt aut desunt Proceres & amici Galli Italique, ex reconditis suis Cimeliis ea subministrare, quae identidem ab iis ad ornamentum & commendationem hujus memoriae soleo etiam efflagitare. In quo censu Christinam Augustam, Medicaeos Proceres, aliosque id genus cum meritissimae laudis praefatione recenseo. Novissime etiam mea ad Christianissimum Regem ablegatio, mihi acceptissimam opportunitatem praebuit, excutiendi quidquid in hoc genere monumentorum, Regium, *Colberti*, *Sevii*, *Seguini*, *Patini*, aliaque Cimelia recondunt. Adeo ut vix credam hodie exstare, qui aut plura hujus notae inspexerit, aut ad illustrandum aliquando omne litterarum genus in usus suos reposuerit. Inde nata mihi etiam *de Consecratione Veterum* Commentatio, quam ex interiori juxta Gentilium & Christianorum antiquitate eruere & illustrare sum adgressus. Multa enim, immo longe potissima indicta hactenus, quae ob nobilissimi argumenti dignitatem & praestantiam omnino expendi merebantur. Adfecta etiam quaedam alia habemus inter schedas nostras de *Primatu Urbium*, & *Philologicas ad Leges aliquot veterum Jurisconsultorum* observationes. Vides ut praefiscine otii mei qualiscunque rationem constare tibi cupiam, ne me litterarum omnem amorem & curam, quod videbaris mihi aliquando ominari, plane credas abjeciisse. *Patinus* noster, quid monere antea debueram, Caesareos nummos e Lominiano Thesauro, cujus hodie possessor est, depromtos & perpetuis Commentariis illustratos brevi in lucem emittet. Multus mihi de te cum illo, & praestantissimis amicis nostris *Capellano*, *Menagio*, *Bigotio*, aliisque sermo, intra exigui illius temporis moram, quod in principe illa litterarum urbe novissime transegi. Vale, Amplissime & amicissime Vir, ac vel silentem ama. Dabam In Arce Heydelbergensi xx. Augusti CIↃIↃCLXVI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XVI.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

UBi terrarum mihi quaerendus eſſes diu eſt, quod ignoravi, Vir Ampliſſime. Nec ſatis exploratum id habebam nuper, cum Poëmatum meorum recens editio munus a me mitteretur ſereniſſimo Electori. Miſiſſem enim & ad te ſub nundinas Francofurtenſes libelli exemplar per *Elſevirios*: nunc quidem id ipſum praeſtare juſſi ſunt, neſcio tamen an ſatis tempeſtive. Poteram fortaſſe non nihil reſciviſſe de te ac rebus tuis ex Cl. *Blomio*, qui ſereniſſimi Electoris res in hac aula nuper agebat. Verum is conſuetudinem meam quodammodo ſubterfugit, ſive partibus Britannicis plus aequo ſtudens, ſive vitae civilis parum hac in parte intelligens. Nam cum moris per aulas ſit recepti, ut qui ex publicis Principum exterorum miniſtris recentes eo adventent, adventus ſui certiores alios ejuſdem ordinis ibidem locorum degentes per ſuorum non neminem faciant, nec aliter a Cl. *Blumio* factum didiciſſem apud Britannicum & Brandenburgicum miniſtros, quos etiam ultro prior convenit, apud me nihil horum ille praeſtitiſſet; nec ignorarem ego quid quantumque obſervantiae a me ſereniſſimo Electori deberetur, miſi ex meis non neminem, qui & adventum illi gratularetur, & officia mea operamque in omnibus offerret, tum ſignificaret ſimul cum morbo mihi negotium eſſe, atque hac de cauſſa fieri, quod ipſe ſalutatione haudquaquam defungi poſſem: per menſem enim ſolidum ſub illam tempeſtatem lecto haerebam adfixus, cum morbo diuturno luctatus graviter. Exſpectavi, fateor, ut ad aegrum ventitaret ipſe, quem amicum mihi veterem credebam, uti Orator Gallicus caeterique publicis negotiis admoti faciebant haud infrequenter, praeter internuntium Britannicum, eumque ſolum: aut ſi id nollet, paribus ſaltem officiis certaret mecum, ac valetudo mihi quo loco eſſet per ſuos curaret inquiri. In utroque mea me fruſtrata eſt exſpectatio; hinc ſubortum inter nos frigus & conſuetudo omnis interrupta. Verboſius paullo rem haud magni momenti ſum narrando proſecutus, ut eſſet apud vos, qui cauſſam meam ageret, ſi neglecti officii fortaſſis apud ſereniſſimum Electorem inſimularer, cujus ſumma aequitas abunde mihi eſt perſpecta. Similem fere controverſiam memini fuiſſe agitatam apud nos jam ante ſeptennium *Johannem Friquetum* inter & *Petrum Grotium*, quibus utebar ſatis familiariter. *Friquetus* cum ſignificaſſet mihi, ſe conciliari velle per me *Grotio*, quas ego partes in me recipiebam, conqueſtus eſt *Grotius*, negligentius ſe habitum a *Friqueto*, qui ſub adventum in Haganam aulam ſuum, clam habuiſſet rem omnem, nec ſibi ſignificari curaſſet, nec opinor quicquam conſuetudinis cum altero interceſſiſſe, etſi ſereniſſimo Electori cum Caeſare ſic ſatis conveniebat. Nunc ad privata reveniendum. Quae tu de utilitate veterum numiſmatum ex

commentatus laudari scio a plurimis. Ipsum hunc commentarium tuum non vidi, quem curae secundae ornatiorem propediem, sic fama fert, dabunt. Ego post Claudianum a me in lucem datum, quem munus accepisse debuisti meo nomine, in Nasonem curas alteras fere paratas habeo. Tum in Maronem, Silium, Valerium Flaccum, Prudentium observata, sed difficultati horum temporum nimis convenientia, per quam fit, ne suprema iis manus a me imponatur. Nam ad Lucanum quae annotavi haud pauca, in ordinem justum nondum sunt digesta. Tibi tranquilliorem, quam obtigit mihi, vitam exopto, & in commodum posteris cessuram. *Schefferus* post missos in publicum commentarios de Upsaliâ antiqua, deque secta Pythagorica, ac fragmento Petronii Dalmatico, nunc rem veterem navalem, ac fabellas Phaedri curis secundis illustrat. Plura nuntianda nunc non succurrunt. Vale, Vir Amplissime, & summi Principis favorem conciliare, ut solebas, mihi perge. Exarabantur Holmiae Suecorum VII. Octob. CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA XVII.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

DIci non potest, Vir Amplissime, quam sincero me gaudio perfuderit ea, qua me beasti exeunte Autumno anni modo elapsi, Epistola. Inde enim nihil amori erga me tuo, quod subverebar, decessisse, & contractum, si quod fuit, ex praeterito meo silentio friguisculum, etiam glaciali sub ursa discussum omne ac depulsum facile intellexi. Quo certe nihil mihi jucundius potuit contingere, qui veterem necessitudinem nostram in hac terrarum, quae nos disjungunt, intercapedine sartam tectamque unice semper optavi, & si non litterarum frequentia, saltem grata tui memoria, & crebro de te cum amicis communi sermone, eandem haud perfunctorie colui. Ea scilicet ab annis aliquot fuerunt mea tempora, quae tum perpetuis ferme peregrinationibus, tum alienis quam maxime ab omni Musarum consuetudine avocamentis, exemtum districtumque habuere. Hinc, ut ad noviſsima veniam, exacta mihi Heilbrunae hyems praeterita, ubi plenipotentiarii, quas vocant partes, nomine clementissimi Heri sustinui, in caussa, quae illi ab annis aliquot cum vicinis vertitur, & quae duorum, quod non ignoras, Regum arbitrio veniebat decidenda. Eum vero huic negotio successum benigne indulsit ὁ ἐπὶ πᾶσι, ut & potior caussa victrix evaserit, & cum avitis sereniſsimae Domus juribus, tum universo huic tractui, lux & salus restituta videantur. Venies tu quoque, sat scio, Vir Amplissime, & si id etiamnum pateris, amiciſsime, in partem hujus voluptatis, qui insitum rerum nostrarum studium, & serium maximi ejusdemque tui amantiſsimi Principis cultum nondum deposuisti. Illud enim fixum tibi ac persuasum cupit, nihil detractum de propenso illo, quo in te fertur, animo, & ingenii ac monumentorum,

Digitized by Google

torum, quae subinde illi communicas, candidissimo aestimatore. Quae de Cl. *Blumio*, & neglectis tecum officiis amice querebaris, sereniſſimo Electori non reticenda credidi, missa ad eum, (quum alibi tum agerem) quam ad me eo nomine dederas, Epistola. Unde quum tenor ejusdem Cl. *Blumio* innotuisset, longa ille data ad me Epistola, omnem hujus & rei culpam a se amovendam, & in te nescio quibus argumentis transferendam fategit. Neque tamen ita vel mihi vel aliis hac in re satisfecit. Novi enim te in colendis amicitiis inter paucos sedulum ac officiosum, & eorum, quae vitae civilis usum & consuetudinem spectant, gnarum inprimis ac peritum. Neque etiam tibi reticebo, (quod nec longius adhuc vellem emanare) eum, de quo querebaris, amicum nostrum, herili gratia, a tempore non ita multo excidisse, & de transferendis alio fortunis ac rebus suis cogitare. Agnosces saltem non defuisse me caussae tuae, etiam cum eorum, quos arguebat, neque male alias de me meritorum, offensione suscipiendae. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Poëmata tua, nova & luculenta accessione locupletata, & nuper ad seremissimum Electorem tuo nomine transmissa, non sine magna voluptate tractavi. Illa vero & te in bicipitis jugi fastigio, & cum ambigua inter te & Nasonem tuum palma, nobis non solum, sed post futuris etiam aetatibus ostendent. Beatum te illis felicissimi ingenii opibus, quas ad amicorum laudes in remotissima saecula transfundendas copiose adeo profers ac libenter. Eorum vero Poëmatum simul & Claudiani tui, quae spondes exemplaria, gratâ manu, uti voles, excipiam. Quae ad reliquos, quos memoras, Poetas commentatus es, vellem per tua tempora brevi liceret in lucem & manus elegantiorum hominum devenire. Ubi meas Lucano dabitur admovere, quas ab annis aliquot habui, tum exactor veniam eorum, quae ad praestantissimi vatis ornamentum solus mihi videris conferre posse, & quorum pridem fidem tuam obstrinxisti. Commentaria mea de Nummis antiquis priori copiosior longe & ornatior, non tam absentiae & temporum nostrorum fatis, quam sculptorum, quibus ducenta circiter aera cudenda tradidi, ignavia moras trahit. Quod si jam requiescere aliquantum ab aliis curis, aut stabilem aliquamdiu sedem hîc dabitur figere, videbo ut negotium illud brevi confectum reddam. Spero certe ea commentatione, me aliquid lumen litteris nostris & venerandae antiquitatis monumentis adlaturum. Sequuntur postea, de quibus nuper ad te scribere memini, non unius argumenti Tractatus quidam singulares, quos profanae juxta & Christianae, quam ab annis aliquot excolui, antiquitati illustrandae destinavi. Sed nimis magnifice videbor tibi de studiis aut conatibus meis sentire, qui alias tenuitatis meae ac in litteris infantiae mihi omnium optime sum conscius. Quid illi novi in Italia aut Gallia parturiant, non reticuere tibi procul dubio amici communes. Accepi praeteritis diebus ab optimo & eruditissimo Principe Etruriae *Leopoldo* gratissimum munus, *Valerii* nempe *Chimentellii* de Honore Bisellii commentationem. Instituta illa ad explicationem Marmoris cujusdam Pisani, in quo mentio occurrit illius ἐπιγραφῆς, & eadem occasione insertum de Veterum sellis Parergon, advocatis Lapidum Nummorumque veterum subsidiis. Magnam diligentiae & variae eruditionis

laudem in tractatione illius argumenti consequutus est, & majorem meo judicio obtinuisset, si in recentiorum, non usque adeo celebrium, nominibus & libris etiam ignobilioribus commendandis parcior paullo ac temperatior fuisset. Eodem ferme tempore, quo ille primus & solus credit se honorem cum Biscllii eruisse, video *Thomam Reinesium* in Scholiis suis ad Dalmaticum Petronii Fragmentum nonnulla ejusdem argumenti adnotasse. Accepi illa non ita pridem ab eruditissimo sene, pro ἀντιδώρῳ quinquaginta circiter Inscriptionum ineditarum, quas maximam partem e *Ligorii* schedis Romae descripseram. Neque adhuc certi quidquam scribit, quando Gruteriani operis supplementum, in quo tot jam annos versatur, & cujus desiderium mihi crescit in horas, publica luce donabitur. Novissimae *Falconerii* nostri datae 19 Februarii nuntiabant, ab eo prodiisse de nummo quodam Phillippi, Romae haud ita pridem reperto, & de quo suam ad me sententiam vir utrique nostrum amicissimus jam ante annum, & quod excurrit, perscripserat. Auctore & impulsore *Seguinio*, in Italia, quod non ignoras, a mensibus aliquot agente, ad eandem evulgandam se pertractum refert. Non dubito ingenio & solertiae Auctoris scriptionem illam responsuram. *Possinus* Jesuita versatur adhuc in secunda parte Pachimerii evulgandi. Romam *Nardini* pridem ad me transmissam non licuit adhuc, per incuriam eorum, quibus id negotii injunctum, avidis oculis lustrare. Et haec hactenus. Otium enim scribendi nactus, non tam leviter illud mihi abjiciendum credidi. Vale, Vir Amplissime, & me vel silentem, vel scribentem ama. Dabam In Arce Heydelbergensi IV. Martis CIↃIↃCLXVII. En aliquot Epigrammata in successum Causae Palatinae, quorum prius mihi ferme aliud agenti excidit. Tuum esset, felicem illius exitum Gratiis Musisque plaudentibus celebrare. Cl. *Schefferum* meo nomine salutes velim. Iterum vale, decus nostrum. Vidisti opinor quae cum *Tanaquil Faber*, tum Frisius quidam juvenis *Isaacus Scepperus*, ad Nasonem & praecipue Metamorphoses non ita pridem adnotarunt, & quae in altera parte Epistolarum ejusdem Fabri leguntur cum crebra tui mentione.

EPISTOLA XVIII.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

MUlta mihi in limine hîc essent adferenda, Vir Amplissime, quibus praeteriti silentii culpam diluerem. Sed malo supervacuum apud te omnem hanc operam statuere, neque de mutua utriusque nostrum voluntate inde judicium ferri. Sit constans illa inter nos ac immota, etiamsi aut longa nos terrarum spatia disjungant, aut negotiorum vel itinerum momenta a mutuis alloquiis avocent. Equidem dum ego te, post nuperum meum e Batavia reditum, in ultimum septentrionem profectum credidi, mihi autem novum in Gal-

Gallium iter fuit suscipiendum, injecta huic officio mora, quo defungi apud te debuerim. Dici enim non potest, quam jucunda mihi fuerit recordatio temporis vobiscum in Batavia superiori anno exacti, & quod tu integrum in conferendis in me beneficiis, ego in suscipiendis iisdem collocabamus. Utinam & has mihi vices prosperior aliqua fortuna largiretur, quibus mihi liceret eadem tibi, etsi non ἀντὶ τῶ μέτρω, rependere. Caeterum quid jam parturiant tuae Musae, & an diuturniorem hospitem te habitura sit plaga Arctica scire inprimis aveo. Prudentium tuum apud nostrates Bibliopolas nactus, magna eundem voluptate nec minori fructu evolvi. Ovidium tuum audio rursus sub praelo sudare, in quem dubito an potueris nova beneficia conferre, post immensa illa, quibus tibi devinctus est. An principem vatum proxima foetura jam a te exspectabimus, dignum utique, qui curis tuis ornatior lectorum oculos in se denuo convertat! De me aut rebus meis, si quid vicissim rescire cupis, scias ea esse nostra tempora, quae omne ferme cum Musis commercium tollunt. Reversum e Gallica Legatione nomine Collegii Electoralis suscepta, cui semestre impendi, exortae rursus in vicinia cum Lotharingis turbae ad alia cogunt animum & studia deflectere. Jucundum illud fuit, communes amicos nostros Parisienses, occasione praeteriti itineris salutasse, & novos subinde dignitate aut meritis insignes sibi conciliasse. Referre possem in hunc censum *Montmorii* Ducem, qui ultro me omni comitatis genere prosequi non est dedignatus, & qui unus ferme mihi visus inter Gallorum Proceres litterarum amorem simul ac peritiam conjunxisse. Resciviſti procul dubio, idque lubentissime, novam dignitatem, quam in eum inter tot ambientium vota, Rex Christianissimus contulit. Divione salutavi viros tibi amicissimos mihique de facie hactenus ignotos, *Lantinium*, *de la Mare*, cum quo postremo crebro litteras olim commutaveram. Juvit etiam vidisse ibidem loci luculentam *Bohirii* supellectilem libris ac nummis antiquis egregie instructam. Unus mihi Parisiis defuit *Bigotius*, qui illud tempus, quo ibi vixi, in Neustria sua transegit. Ab *Huetio* praeteritis diebus accepi Origenis Commentaria, utraque lingua nunc primum edita, magnum & praeclarum opus. Magna est hodie illius ingenii in Gallia laus & existimatio, & quam certe jure optimo videtur consequutus. Ne quid vero te rerum nostrarum lateat, scias opus nostrum de Nummis antiquis tandem sub praelo *Elzeviriano* sudare. Exsurget illud satis in magnam molem, dum ex mora huic editioni per alias curas suborta, novae semper & luculentae, ut spero, accessionis occasio & argumentum occurrit. Hinc pro una dissertatione plures conscriptae, in quas divisum opus pro materiae & argumenti varietate. Illud certe possum praefiscine jactare, multa nova in hoc genere a me primum erута & observata, ac ni fallor aliquod lumen his studiis nostris adtulisse. Hinc variae etiam utriusque linguae auctorum explicationes aut emendationes nobis tentatae, & per omne antiquitatis genus diffusa tractatio. Sed haec apud te nimis magnifice, & praeter tenuitatis meae conscientiam. Quid agat *Gudius* noster, an secessum Vorburgianum adhuc colat, aut quo terrarum se contulerit, juxta cum ignarissimis scio.

Vale,

Vale, Vir Ampliſſime, & me vel immerentem ama. Dabam Heydelbergae Kal. Novembris CIↃIↃCLXVIII. Illud ferme praeterieram, non mea certe culpa ſed aliorum opera effigiem noſtram aere celatam, quo operi meo de Nummis comes adjungatur. Verſus pro more efflagitant, qui eandem exornent. Hoc vero beneficium a te expoſcere, vix permittit tenuitatis meae ſenſus. Si hoc vero non meritis, ſed amori in me tuo velis indulgere, novum quendam & eximium in me honorem collocatum putabo.

EPISTOLA XIX.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

SPero recte ad te curatas, Vir Ampliſſime, quas ante ſeptimanas haud ita multas, conſtantis mei erga te cultus interpretes literas tranſmiſi. Quod jam occupo denuo ſcribendi officium, herili mandato mihi praeſcriptum ſcias. Quum enim hoc muneris mihi inter alia ſit injunctum, rerum noſtrarum ſtatum, ad varios Regum Ordinumve Miniſtros in exteris aulis degentes, hebdomadatim, quod ajunt, perſcribere. Tu in eam quoque claſſem, juxta Illuſtriſſimum *Grotium* adſcriptus es. Si inde quid moleſtiae tibi accidat, eam diluet ſpero fiducia, quam ſereniſſimus Elector de tuo erga ſe ac res ſuas ſtudio concepit. Non exſpectas vero, ut ab alto hîc repetam diſſidii cauſas & momenta, quod nobis cum Lotharingiae Duce vertitur. Erupit denuo illud, quod non ignoras, a menſibus aliquot in apertam contentionem. Eo vero eventu utrinque res geſta, ut hinc Arces aliquot Imperii, praeter fas a Lotharingo detentas, ſicut Landſthull & Hohenrick, ac noviſſime Caſtrum Falkenſtein, copiae noſtrae feliciter oppugnarint; illinc hoſtilis exercitus Palatinatum infeſtare voluerit, ſed qui re infecta & citra laureas ſit domum regreſſus. Interim nova mandata Caeſarea, quae vulgo vocant Inhibitoria & Avocatoria, utrique parti, ante dies haud ita multos, indicta; quibus vetatur ulterior hoſtilium continuatio, abductio autem & exauctoratio militum praeſcribitur. Delata illa in Aulam noſtram per ablegatos Marchionum Badenſis & Durlacenſis, qui Commiſſarii Caeſarei ad componendam hanc litem erant jam ante deſignati. Datum iis reſponſum nomine ſereniſſimi Electoris, ſub dato 4. hujus menſis, quo ſe in inducias ex reverentia erga Caeſarem conſentire profitetur. Hinc altera etiam die publicae eaedem factae, juxta ſolita ſolemnia. Ea ſpe ſcilicet, iturum in eaſdem conditiones Lotharingum, aut alias ſolutum fore viciſſim ea lege ſereniſſimum Electorem, quam ſibi ſub intuitu boni publici, indixit. Ea vero nota adverſarii, & ſemper infeſta tranquillitati publicae, indoles, ut omnia tuta etiam ab eo timenda ſint, & in excubiis vigilandum. Quae ſecutura ſit rerum facies, proxime ſuo loco perſcribetur. Alterius generis quae jam addam non occurrunt; amoeniora nempe, & quae animum aliquam-

quamdiu ad jucunda utriusque nostrum studia revocent. Neque si occurrerent, liceret jam per alia negotia, & litterarum, quae scribendae mihi restant, multitudinem, in eadem me diffundere. Vale, decus nostrum & me ama. Dabam Heydelbergae XII. Decembris Anno CIↃIↃCLXVIII. Excusabis si aliena manu ad te, & ea, qua ad Proceres alioque de rebus nostris, scribo. Neque enim mea sufficeret tot exarandis litteris.

EPISTOLA XX.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

EN me tibi denuo sisto, Vir Amplissime, ut partes eas ulterius peragam, quas mihi in posterum suscipiendas prioribus significavi. Tu vero boni consule, & impositam officii legem, & in eadem adimplenda jucundam & prolixam voluntatem. Ille vero jam est rerum nostrarum status. Prodiit a Lotharingo novissima Declaratio data Nanciae 15. Decembris, quam Comissariis Caesareis, occasione postremi mandati, ut vocant, Inhibitorii, consignavit. Tota in eo est, ut a se praeteritorum culpam amoliatur, quam in nos derivet, suum pacifici animi & concordiae cum vicinis tuendae studium extollat; Imperatoris & Imperii contra nos opem imploret; conditiones pacis nobiscum ineundae aut iniquas aut insidiosas proponat; ac tandem, in quo rei cardo versabatur, sex septimanarum inducias offerat, praevia tamen ea lege, ut quae a revocatis copiis sint a parte nostra admissa, in priorem statum restituantur. Haec autem postrema satis aliena ab illo obsequio, quod alias erga Caesarem & Imperium eodem scripto contestatur; dum Inducias illas, in quas sereniſſimus Elector indefinitas & citra conditiones annexas consenserat, ipse ad exiguum tempus restringit non solum, sed clausulis id genus adjunctis irritas reddit. Adeo ut exigua spes adfulgeret sedandorum horum motuum, ni intercedant Potentiorum officia, qui hortari non solum possunt, sed coërcere novaturientem, & vicinorum saluti semper infestum. Neque leve, ut opinor, hac in re momentum habitura est Illustrimi Comitis a *Königsmarck* in aulam nostram legatio, nomine Coronae Suecicae susceptа, & quae vergit in eundem scopum, ne latius serpat hoc incendium. Et haec sunt, quae jam occurrebant de rebus nostris. Tu vero bene & feliciter vale, nostrum ac Musarum decus. Dabam Heydelberga 26. Decembris 1668.

Digitized by Google

EPISTOLA XXI.

NIC. HEINSIUS

Ezec. Spanhemio.

Heydelbergam.

JAm pridem, verbis etsi pauciſſimis, cauſatus ſum per litteras valetudinem graviter adfectam, quae me ab exarandis ad amicos Epiſtolis, non avocaret ſolum, ſed omni quoque negotio, qua publico, qua privato menſem jam quartum excluderet prohiberetque, cubiculo aſſidue plerumque & lecto affixum. Cauſa morbi ex hepate ac liene, vehementer obſtructis, originem trahit: cui malo etsi poſt diligentem curam a medicis nonnihil eſt proſpectum, debellari tamen fons ac radix valetudinis omnino vix poteſt, hîc praeſertim, tam incommoda anni tempeſtate. Nos enim in hoc ſeptemtrione adhuc hibernamus, nec remiſit frigus, menſe tantum non quarto continuatum. In veris adventum meliora jubeor ſperare a noſtris Aeſculapiis: ſin minus, ad acidulas Germanas aeſtate proxima erit confugiendum: ſed vires penitus dejectas attritaſque jam recolligo paullatim, & hic fundus, bono medicorum augurio, neſcio quam certus. Interim plurima cum voluptate didici ſimultates ſereniſſimum inter Electorem Palatinum & Lotaringiae ducem eſſe aut compoſitas plane, aut certe ſopitas. Faxit deus Opt. Max. Ut Princeps, vita tranquilla omnique rerum proſperarum ſucceſſu digniſſimus, hoc otio diuturnus perfruatur. Ad quem diu eſt, quod litterarum nil omnino dedi, ſubveritus partim, ne ſuperfluus atque inopportunus accederem, eum ſcirem miniſtrum illi eſſe in hac aula rerum ſuarum ſatagentem: partim poſt paullo evocatus ipſe in patriam, ubi, ut ſcis, per annum integrum, & quod excurrit temporis, ſum commoratus. Huc revertentem valetudo dubia excepit, quae in apertum graviſſimumque morbum erupit tandem, ut jam audiviſti. Quod ſi mora ulterior in hoc terrarum tractu, ut mandatis partibus defungar, requiretur, revertar ad intermiſſum officium propediem. Holmiam ſimul atque adveni, perculit me nuntius de ſororis tuae, matronae lectiſſimae, intempeſtiva morte. Sed cicatricem jam obductam praeſtat non reſcindere. Verſus imagini tuae ſubſcriptos, quos flagitaſti, hîc habes, ſed quales ab aegrotantibus ſcribuntur, ne tu magnifici ſplendidique quid exſpectes. Editionem operis tui opinor vix promoveri, quod in Gallias profectus *Elzevirius* Typographus urgere non poſſit. *Gudium* ſcribendis Epiſtolis noſti rarum atque infrequentem vacare. Ego certe nullas ab eo accepi, ex quo Haga ſum digreſſus. Prudentius vix tanti mihi viſus, qui ad te mitteretur. Miſiſſem tamen, ſi ſciviſſem, ubi locorum quaerendus eſſes. Gratificatus ſum opera illa tumultuaria non mihimet ipſi, ſed Praeſuli, litterarum amantiſſimo callentiſſimoque. Ex illo adeo per valetudinem non licuit mihi de muſis cogitare, ut etiam coactus ſim a me amoliri demandatam provinciam ſuper pace Suecos inter & Moſchos inſtauranda. De te exſpecto

ſpecto nuntios optatos. vale. Holmiae Suecorum Prid. Non April 1669.

Viva pollicitus ſub imagine reddere pictor
Quod priſcae veneris Roma, quod Atthis habet.
Promiſſam nec dextra fidem miranda fefellit:
Hic qui Spanhemium cernis, utramque vides.

EPISTOLA XXII.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

NEſcio quo fato factum ſit, ut eodem ferme tempore haud diſſimili, quantum ex noviſſimis tuis colligo, morbi genere uterque noſtrum ſit conflictatus. Quartus enim menſis excurrit, ex quo moleſta & pertinaci angina infeſtor, cui ab obſtructionibus & hypocondriacis adfectibus cauſam & alimenta praeberi augurantur Medicorum filii. Hinc mihi ab eo tempore, & a ſtudiis, & ab iis, quae muneris ratio exigebat, officiis impoſita requies, quae & tecum aliiſque inſtitutum litterarum commercium importune abrupit. Praeſcriptus ibidem mihi Acidularum Schwalbacenſium uſus, quas hîc habemus in vicinia, & ad quas intra dies haud ita multos proficiſci conſtitutum ſedet. Utinam vero ea mihi felicitas obtingeret, quae te compotatorem nobis daret. Nulla equidem lubentius mactari vellem, neque praeteriti doloris ſenſum ſalubriori aliquo remedio expelli poſſe arbitrarer. Quum enim mutua inter amicos conſuetudine nihil in vita jucundius dari poſſe ſemper exiſtimarim, tum certe id locum habet potiſſimum, quo arctiora ſunt illa neceſſitudinis vincula, morum puta & ſtudiorum communiones, aliiſque probatae pridem fidei ac in retinendis colendisve amicitiis conſtantiae argumentis. Qua in re quam tua ſit omnibus perſpecta, & mihi dudum explorata, ſedulitas & religio quaedam ſingularis, ita illud ſtatuas velim, nihil mihi gratius poſſe obtingere, quam ut ea laude, non ita longo a te intervallo ſuperari, tibi aliisque videar. De Epigrammate ad me tranſmiſſo imagini noſtrae ſubſcribendo, quas gratias tibi referam, haud facile explicatu. Nimis tu quidem officioſus, Vir Amiciſſime, qui petitionis haud ita verecundae eam tibi rationem habendam cenſuiſti, ut & eidem continuo annueres, & amicum longe elegantiſſimis neque alio dignis Apolline verſibus aeternitati conſecrares. Erexiſti utique animum, ut quam a tenuitate ingenii ſperare non poteram, eam ab Heinſianae Muſae fama ac veneratione ſpondere mihi auſim, & aliquo apud poſteros in pretio haberi, qui ſe illis tam luculento ornatus a te elogio in poſterum ſiſtet. Inſidebit vero mihi aeterna tanti beneficii memoria, & qui in te colendo nulli videbar mihi palmam concedere, eam certe novis hiſce nominibus tibi obſtricto neminem mihi ambiguam facturum reor. Opus meum de Numiſmatibus antiquis, ut vere auguratus es, per *Elzevirii* in Galliis abſentiam jacuit ab operis typo-

Digitized by Google

graphicis neglectum. Idem vero ab ejus reditu serio urgetur, sicut *Elzevirius* ipse litteris, quas ante dies paucos accepi, contestatur. Cogitat vero de eodem in duas partes dividendo, dum praeter exspectationem crevit ipsius operis moles, quae vereor ne lectori fastidium sit creatura. Neque valde incommode nobis accidit illa typographicorum operarum mora. Restat enim adhuc nobis tertia ferme pars operis, quam adfectam habemus, in mundum rediganda; quod negotium pridem a nobis confectum foret, si per adversam valetudinem, qua & jam hyeme praeterita fuimus conflictati, id nobis licuisset. Caeterum quid de eruditorum ad te, quae prodierunt aut exspectantur, monimentis scribam, quae jam tibi non aliunde abunde sint explorata. Socratis & Sozomeni Historiam Ecclesiasticam a *Valesio* versione & Notis illustratam jam manibus verso. A *Philiberto de la Mare*, Senatore Divionensi, nactus sum haud ita pridem *Salmasii* Praefationem in librum de Homonymis Hyles Iatrices, quam ipse cum *Lantino* publici juris fieri curavit, quo adliceret typographos ad opus ipsum de Plantis evulgandum. Adjunctum est illi Praefationi de Plinio judicium, ubi imperitiam ejus graviter perstringit. Mirum vero & novum mihi visum, quod contra communem eruditorum sententiam, & argumenta, ut videbantur, satis perspicua, Dioscoridem a Plinio visum neget. In ea, quam praefixerunt Editores, Praefatione, plura ejusdem *Salmasii* opera lucem visura pollicentur, ac inter alia absolutum ejus de Militia Romana Commentarium lingua Gallica conscriptum. Recordor autem petiisse a me eundem *D. de la Mare*, ubinam terrarum ageres, quo illius Praefationis Exemplar ad te curaret. Rescripsi, & de loco, ubi ageres, certiorem feci. Vale. Amicorum & litterarum decus. IV. Kal. Jul. CIↃIↃCLXIX. Haud aliud mihi in hac Aula munus, quam Sereniſſimi Electoris a Consiliis, ut vocant, status. Secretarii officium per se honoratissimum, & in Aulis Italicis & Anglicis primae dignationis, in Aulis Germanicis vulgo inferioris ordinis habetur.

EPISTOLA XXIII.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

QUod salvus nuper & sospes ex foeda illa barbarie evaseris, Vir Amplissime, tibi, patriae, amicis, Musis denique tuis, optimisque artibus sum animitus gratulatus. Neque certe tamdiu intimos gaudii illius sensus declarare tibi distulissem, ni de tuo, quem parabas, in patriam reditu, rumor ad nos dimanasset. Qua de re cum communes amicos essem per litteras scisciatus, neque certi quidpiam referrent, malui omnino nimium diligentis, quam officii immemoris notam subire. Quantum enim in te praesidium habeant interiores litterae; quantam in te jucunditatem, fidem, constantiam amici; quum ego in me benevolam meaeque laudis, si quae est, studiosam mentem sim experper-

pertus, nolo jam pluribus commemorare. Ergo liberaſti nos eo metu, quo ſuſpenſos ac ſollicitos tenuit tua apud inficetos illos Ruthenos habitatio, & perlati de tua invalctudine nuntii, oppido iniucundi & moleſti. Quid tibi animi fuit & ſolatii elegantiarum omnium promo condo, in illis ſordibus locorum & colluvie hominum verſanti? & quam mite tibi procul dubio, quam invidendum videbatur Naſonis tui apud Graecorum traduces & colonos exilium? Tu quidem patriae ac Suecis navabas operam, in qua haud leve rerum ſuarum & communium temporum momentum vertebatur, quam ille in inerti otio aut ſolis querelis nobilitato conſumpſit. Quamquam haud dubitem in illa barbariae Regia, iiſque gravioribus curis, genio te amoribuſque tuis indulſiſſe, neque venuſtos minus aut ignobiles Muſarum partus edidiſſe. Ardeo certe haud mediocri cupiditate de iis aliiſque praeclaris cogitationibus tuis, ſed vel potiſſimum de proſpero tuae valetudinis ſtatu, quando tibi per otium licebit, edoceri. Me quod attinet, (abſit enim ut me animo tuo excidiſſe metuam) annum ferme hîc ago herili juſſu, quo rerum ſuarum hîc loci obeundarum procurationem mihi demandavit. Neque pauca ſunt, quae in hac ſtatione me delectant; ſeu urbis celebritatem & frequentiam; ſeu temperiem coeli; ſeu opportunitatem ſitus; ſeu viciniae, in quam facilis excurſus, annonae, aliorumque id genus commodorum rationem reputem. Frater meus Heydelbergenſem ſeceſſum cum Lugdunenſi commutavit, repetitis eo & ſollicitis Procerum hortatibus, quamquam diu reluctans, traductus. Iterum ſub incudem revocat Hiſtoriam Jobi, jam ante annum & quod excurrit editam, in qua Herois illius patriam, natales, inſtitutum aliaque, quae de eo tradi poſſunt aut erui, haud indiligenter eſt perſequutus. In Italia aut Gallia quid parturiant litterae ſeu potius communes amici, vix equidem novi; niſi quod *Capellanus* alteram poëmatis ſui partem, in eo etiam ſenio plenam, ut ajunt, vi ignea, edere cogitat; *Falconerius* autem, ut poſtremis ſuis referebat, ad illuſtrandas antiquitates Eccleſiaſticas animum & curas convertit. Earum etiam ſpecimen parat, editionem nempe aliquot ſcriptorum veterum, qui adverſus Manichaeos ſcripſere, & quibus novam Haereſeos illius hiſtoriam praemittere molitur. Unum ex iis & *Mani* ferme coaevum, *Alexandrum Lycopolitam* deſcripſeram olim Florentiae ex antiquiſſimo Codice Mediceo, in lucem aliquando cum aliis quibuſdam id genus lucubrationibus emittendum. Sed hanc lampadem lubenter ei trado, ea indole in iiſque locis verſanti, ubi omnia ad hanc provinciam obeundam ei adfatim ſuppetunt. Illud vero tibi forte haud ingratum ſignificabo, Vir Amiciſſime, prodiiſſe tandem in lucem opus de nummis noſtrum, non mea certe, ſed temporum aut typographi culpa aliis diſtracti preſſum ſatis diu. Scripſi continuo ad eundem, ut duo Exemplaria majoris, quam vocant, chartae ad te curaret; quorum alterum tibi ſervabis; alterum per unum e tuis familiaribus Magni Suediae Cancellarii filio, ſummae indolis & harum lautitiarum cupidiſſimo, tradi haud gravatim recipies. Caeteroquin an aliquod lumen antiquitatibus litteriſque noſtris iſta mea lucubratio adtulerit, tu unus omnium optime decernes. Haud levi ſaltem nec poenitenda, ut ſpero, acceſ-

Digitized by Google

sione priorem operam a me adauctam agnoſces. Aliud opus in hoc genere, illudque luculentum exit itidem in lucem a *Carolo Patino*, in quo longa Numiſmatum Caeſarianorum, antea Lomeniani, jam Regii Muſei, ſeries cuſa, & ab eodem enarrata occurret. Neque certe leviter apud eum, qui amicitiae noſtrae aliquid tribuit, & apud nos ſedem aliquamdiu rerum ſuarum habuit, hoc egi, ut curis aliis depoſitis in eam totus incumberet. Nummi a me inſpecti procul dubio egregii ſunt & ſelecti, & ad quorum illuſtrationem plura conferre poterunt alii, quibus uberior paratus eruditionis contigit. Operis illius exemplar Argentinae, ubi auctor jam haeret, editi indies exſpecto. Mihi neque ea ad manus ſubſidia fuere, & alia omnino conſilii ratio inſedit, ubi ſcriptioni illi manus admovi. Elegantiam & diligentiam in cudendis nummis, quos ſubinde exhibet opus noſtrum, majorem praeſtare potuiſſent noſtri homines, maxime quum me abſente ac aliis diſtracto tota haec res ſit procurata. Tu de ſingulis ſtatues, ignoſces erroribus, & me, quod feciſti hactenus, amare perges. Vale, decus noſtrum. Coloniae Agrippinae x. Kalend. Mai. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA XXIV.

NIC. HEINSIUS

Ezec. Spanhemio

Coloniam.

NIſi ſubveritus fuiſſem, ne adflareris contagione foediſſimae Barbariae, in qua mihi nupero anni propemodum totius decurſu, Vir Ampl: vivendum fuit, non defuiſſem tui compellandi officio, etiam illic terrarum, quarum ne nunc quidem recordari poſſum ſine trepidatione, & offundente ſeſe ſenſibus meis profunda quadam caligine. Reverſus exinde Holmiam debui, fateor, itineris confecti certiorem te facere, ſed ferebat rumor, neſcio unde exortus, propediem fore, ut ultro nobis ipſe iſthic adeſſes. Molienti jam abitum ex aula Suecana tuas mihi litteras Illuſtriſſimus Regni Cancellarius in manum tradidit, ubi multo poſt praeſtantiſſimum opus tuum, quod nummis veteribus illuſtrandum dediſti, ad me perlatum eſt, cujus exemplar alterum, ſic ut juſſeras, filio Cancellarii oblatum ivi, atque adeo confido promiſſae illum, debitaeque gratiarum actioni non defuiſſe. De ipſo Opere quid ſentiam quaeris? perſuaſus ſum omnino, ut exiſtimem, neminem rei antiquariae hactenus ſtudioſum tot exquiſita numiſmata, tot exquiſitas numiſmatum interpretationes in unum corpus congeſſiſſe: tum a nullo ſimilis argumenti ſcriptore plura me eſſe edoctum. Quanquam omni lectione libri tanta rerum fruge abundantis necdum ſum defunctus, quem quo frequentius curatiuſque evolvo, eo majores a me profectus fieri non ſine praeſentiſſima voluptate experior. Atque hinc fit, ut reliquas diſſertationes, quas non diſſimilis argumenti habere te paratas non ita nuper ſignificabas, avidiſſimus videre geſtiam. Ut autem plenius cognoſcas

indul-

Digitized by Google

indulgenter me non loqui. En tibi, unde colligi detur me anxie indagasse, si quid carpendum in tuo illo super re nummaria commentario occurreret, nec inveniſſe niſi unicum fortaſſis ex Tragoedia veteri, quae ſub Octaviae nomine circumfertur, locum, verſ. 248. quem ego ex veſtigiis codicum antiquorum ſic caſtigandum eſſe cenſeo.

Utinam ſuorum facinorum poenas luat
Nero infitivus, Domitio genitus lare.

Domitio lare hoc eſt, gente Domitia, non *Domitio patre*, conjecturae noſtrae eſt, etſi non multum refert. *Nero infitivus* ſcriptis exemplaribus debetur, nec aliud quaerendum, quanquam in diverſa ire homines eruditos neutiquam me fugit. Tota iſta Tragoedia Octaviam meritiſſimum Neronis odium ſpirare agnoſcas, ut *Divum* Domitium Neronis patrem, praeter morem antiquitatis, hominem ſcilicet a Caeſarea familia alienum, nec ad culmen reipubl. evectum, nuncupare haudquaquam potuerit. Vocatur tamen Trajani pater in nummis *Divus*, fateor, ſed ne ea propter evincas idem a Nerone factitatum, & ſi maxime factitatum eſſet, tamen Octaviae partes in hac tragoedia ſuſtinentem id neutiquam deceret. Claudiam gentem patriciam, Domitiam plebejam fuiſſe haud ignoras. Hinc contentim de Nerone loquendi occaſio captata Octaviae hoc loco. ſic alibi ipſa de eodem, *Odit genitos Sanguine claro.* ſed haec, & ſi quae plura ſunt ejuſdem notae, tu per te facile indagabis. Caeterum, Vir Ampliſſime, ea in civitate ſedem nunc fixiſti, in qua, ſi quid famae credendum, egregia antiquitatis monumenta quotidie eruuntur, marmora praeſertim, quorum ſi nobis interdum copiam fieri permiſeris, beaveris profecto hominem tui ſtudioſiſſimum. de nummis etiam addunt, ea frequentiora a foſſoribus erui; quibus rumoribus quantum ſit tribuendum, tu omnium optime nos docebis. Nec dubito Bibliothecas veteres, quae in civitate ampliſſima deeſſe non poſſunt, a te per otium multa cum cura evolvi, atque exemplaria manu exarata pro caetera tua curioſitate abs te ſtudioſe conquiri. Vides uberrimam argumenti Epiſtolaris meſſem tibi propoſitam, ut ego, ſi enarrare nunc tibi inſtituam, quantum moleſtiarum taediique devorandum mihi fuerit, dum ex caeno barbarico eluctor atque emergo, jam te obtundam, certus ſcio, atque enecem, tantum faſtidii frigoriſque tibi ſit ſuboriturum, ex inſulſiſſimis narrationibus. Vellem nihilominus confabulationis pomoeria latius extendere, niſi quod morbus in itinere me oppreſſit, a quo nunc aegre reſpiro. Adeſt hac tempeſtate nobis *Pantiatichus* Abbas, elegantiſſimi vir ingenii, & Italici nominis elegantia digniſſimus. *Patinum* in Britannias excurſum paraviſſe audio; ſed propediem inde rediturum ad nos: *Gudium* dux Holſatiae nobis abſtulit, quem ſibi a conſiliis & Bibliotheca eſſe voluit. Vale. Hagae Comit. XXVI. Aug. 1671.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXV.

NIC. HEINSIUS

Ezec. Spanhemio.

Coloniam.

DUm immenſa publicae calamitatis moles patriam infelicem premit, quaeſiturus ego dolori juſtiſſimo ſolatium & medelam valetudini adflictae qualemcunque, in vicinam me Germaniam proripui, delituique per binos ferme jam menſes in ſinu Celſiſſimi *Ferdinandi*, adhibitis medicatis agri Paderani fontibus: qui quod ob imbres continuos, & intempeſtos Autumni vergentis dies, multum ſoliti vigoris amiſiſſe videbantur, thermarum quoque, in agro Moguntino celebrium ſatis, explorandam mihi opem, ſi ſummam pedum debilitatem horum beneficio profligare poſſem, propoſui: eaque propter *Francofurtum* me contuli: ſed ecce praeter opinionem meam cum maxime evenit, ut & hîc bella eadem, tam inviſa, tam funeſta, & ad quorum cogitationem totus horreo, me ſint ſecuta, per quae vix liceat propoſitum tenere, niſi alio propediem ſe convertant armatae manus. Interim te Muſarum ocellum e vicinia ſalutandum duxi: tuumque conſulendum oraculum, ſi opineris tutos dari per Brabantiam ad larem paternum mihi Colonienſi via egreſſus. Quod equidem velim, tum ut coram complectar, tuaque praeſentia longe deſideratiſſima paſcam oculos atque oblectem, tum ne per ingratas itinerum ambages relegenda mihi ſint mea veſtigia per Bremenſem ac Mindanum, quo huc delatus, tractum. Rogaveram *Langermannum*, *Gudium*, *Elzevirium*, ut aditum pararent hîc mihi ad homines eruditione praeſtantes potiſſimum, ſed neſcio quo fato maligno illi hactenus me fruſtrantur, ad preces meas quaſi ex compacto nil reſpondentes. Quid quod turbarum tantum excitatur hac in civitate per inconditam militis male feriati, & de noſtro unguenta olentis manum, ut alio in viciniam libenter me ſim tranſlaturus, meaſque ſarcinas, ſi aut Bibliothecas in propinquo inſigniores, aut hominum litteratorum conſuetudines haberem exploratas, per quas fallendi temporis ſpes adfulgeret non vana. Interim ex tanta patriae calamitate hunc fero fructum, ne omni ex parte ſim infeliciſſimus, quod Amicorum conſanguineorumque praecipui clandeſtinis factionibus jam pridem exagitati, nunc emergant denuo; & multae in republica ſint auctoritatis. Sed de hiſce coram melius, ſi dabitur fortaſſis. Opus tuum de praeſtantia veterum numiſmatum ſingulare prorſus conſummatumque adeo me cepit, ut ad intermiſſa jam pridem ſtudia rei nummariae nunc poſtliminio ſim reverſus, ac diligenter conquiram, ſi quid monetae veteris hinc inde erui e latebris poſſit. Etſi deſideriis meis eventus parum reſpondet. Obtigiſſe tibi matrimonium plane fortunatum audio & laetor. Nec eſſe, quod ad formam Virginis, aut ad mores deſideretur: vixque dubito, Divam monetam, de qua tam bene meruiſti, propitiam nuptiis tuis arriſiſſe. Hoc unum eſt, quod toto anno de rebus tuis cognoſſe nobis contigit. Pro munere operis praeclari & gra-

Digitized by Google

gratias diu est quod egi, & ago nunc iterum. Vale, Spanhemi elegantissime. Exarabantur Francofurti ad Moenum CIƆIƆCLXXII. a. d. XIX. Octob. Gregor. Ecce versiculos, quos Princeps litteratissimus luce publica donandos censuit.

EPISTOLA XXVI.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Francofurtum.

QUamquam scribendis hodie litteris praeter solitum etiam obrutus, quas officii mei ac temporum ratio, neque unica heri mandata omnino exigunt, non potui tamen dissimulare tibi diutius intimum illum gaudii sensum, quo me Tuae hesterna die ad nos delatae nihil tale exspectantem perfuderunt. Ea vis scilicet amoris illius & cultus, qui de te rebusque tuis in hac patriae tuae calamitate pridem sollicitum tenuere, nunc tam optato viciniae tuae nuntio haud mediocriter exultant. Sed de his alias, ubi plus otii dabitur, & forte etiam coram. Neque enim adeo de iniquitate aut infelicitate temporum mihi querendum aut tibi metuendum reor, quin hac tuum ad patrios lares reditum, citra tam longas Bremensis viae ambages, possis omnino instituere, idque vel tuto per Brabantiam aditu, vel salvi etiam conductus litteris a vicinis Gallorum Praefectis haud difficulter, ut opinor, impetrandis. Qua in re operam meam qualemcumque, immo totum me tibi addictum devotumque nosti; neque adeo ut praesentissimo Musarum numini, quam ut amicorum principi. Thermarum usum propitium interea ac salutarem, si iis uti per haec tempora liceat, animitus voveo; quae te, si non πόδας ὠκέα cum Achille, certe valentem reddant. Qui caeteroquin homines eruditionis ac ingenii fama celebres iis in oris, in quibus versaris, consulendi tibi veniant, vix equidem novi; nisi Heydelbergam ad notum tibi litterarum Numen, tuaque praesentia, ut opinor omnino, recreandum excurrere cogites. *Tanaquillus Faber* ad docendas ibi humaniores litteras lauto sic satis, pro loci ratione, fuerat evocatus stipendio. Sed dum colligit sarcinas & abitum parat, longiorem viam emensus est, unde negant redire quemquam. Quum vero ad me itum esset, quem eo loco & statione dignum crederem, & *Graevium* nostrum indicassem, jussus sum continuo viri ea in re sensum sciscitari. Quod a me factum novissime, & responsum adhuc exspectatur. Existimabam enim hoc rerum & urbis suae statu fieri haud difficulter posse, ut alio sedem suam tranferre haud gravatim reciperet. Neque alius sane dignior occurrebat, qui illam spartam obire felicius posset. Quod si ille vota nostra frustretur, & alium noris parem aut supparem huic obeundae provinciae, eum quaeso indica. Unum ferme excidebat, consulendum tibi ante alios in illo terrarum tractu *Baronem Boineburgium* Moguntii commorantem, virum praeter alia decora,

quod procul dubio haud ignoras, Germanicae nobilitatis decus, & omnium praestantium ingeniorum fautorem & aestimatorem summum. Nae ille vero in magnae felicitatis parte reputet, tuo beari conspectu. Ego certe has quamquam occupatissimus effudi, quas ei, si visum est, trades; & quo nomine gratiam ejus insigniter demereri sum certus. Vale, nostrum & Musarum decus. Colon. Ubior. XXIII. Octob. CIↃIↃCLXII. Pro elegantissimis, teque ac Ferdinando, primis Musarum Antistibus, dignissimis versibus gratias ago immortales. Illud adhuc dissimulare non possum, nescire me quidem quae nobis impendunt, quamdiu sub ictum quasi vicini militis sumus constituti, sperare tamen meliora, & brevi tota de re liquidius constiturum.

EPISTOLA XXVII.

NIC. HEINSIUS.

Ezec. Spanhemio.

Colonia.

MEas tibi redditas esse, tum spem adfulgere de itinere per Colonienſem agrum tuto instituendo laetor, me hercules ut qui maxime. Ingruens enim tempestas hiberna quodammodo requirit, ut viarum compendia captentur, ne diuturnis incommodis ac coelo intempesto exponar temere, & si ratio alia non esset in promptu, quae institutum hoc meum foveret, te videre in via, te complecti longis itinerum ambagibus pensandum medius fidius foret, cum Bremensis atque Embdanus tractus nihil tibi aequandum praestare jam nobis possit. Tibi igitur me permittam totum, te auctore dubium iter sum suscepturus, sed post usum Thermarum Wisbadensium, quibus dies ad minimum XIV erunt dandi. Hactenus enim ne adhibuerim eas, miles populator vicini ruris est in caussa, qui nihil agendo mirifice pertinacem se praebet, nostri aerarii non minimo cum damno. Credis illum publicis foederati Belgii impensis ferias sibi, magno nobis constituras, indixisse. Igitur, dum ad thermas aditus haudquaquam patet, Moguntia brevem excursum sum molitus Heydelbergam versus, ut Principalis fastigii singulare ornamentum, Electorem sereniſſimum, coram venerer. Et quanquam ea incidebat hoc iter nostrum in tempora, quae parum opportuna videbantur ob exspectatum in ipso Palatinatu militem hunc, quem dicebam modo de hibernis, ut ferebat rumor, sibimet illic prospecturum, non sine ingenti aulae totius trepidatione, votis sum tamen usque ad invidiam potitus felicibus. Et haec quidem hactenus. Nam quanquam sunt in prompta complura, de quibus tecum nunc actum cupiam, e re tamen erit communi in congressum nostrum ea differri, ne desit confabulationis argumentum, aut longe quaeratur, cum ad partes vocandum erit utrimque. Tu interim si demereri plenius me cupis, excogita, quaeso, viam quamcumque, qua me meis illaesum atque incolumen sistas. Ego de discessu hinc meo ante ipsam profectionem certior ut fias, operam dabo. Si quid viciſſim interea ad me voles

les, Moguntiam id mittas erit neceſſe ad diverſorium, quod pro inſigni anchoram praefert: ita enim fiet, ut quantumvis abſenti tradantur tuae. De *Graevio* Heydelbergam evocando cogitare ſereniſſimum Electorem eſt cur gaudeam, qui hominem ob ſuaviſſimos moros & eruditionem perpolitam amo tenerrime, ſed cum laute ſatis habeatur ab Ultrajectinis, ac ſtipendio fruatur largo, amplectendam ab illo fore conditionem oblatam dubitari poſſit, ni publicae fortaſſis calamitati hoc dandum exiſtimet vir quietis amantiſſimus. D. *Boineburgium* ſemel iterumque Francofurti jam ſum allocutus. Vale, Vir Ampliſſime, & inter meos haberi patere in poſterum. Moguntiae IV Novemb. CIↃIↃCLXXIII. Etſi Caeſarianus miles ac Brandenburgicus bona tandem fide abituri videntur, poſtquam agrum hunc omnem exederunt, ſubverendum tamen eſt, ne Gallus illis mox ſuccedat, micaſque ac relliquias omnes, pridiana coena ab illis projectas, frugaliter cum pulviſculo converrat, quod ſi fit, de Thermis Wisbadenſibus cogitatio omnis erit abrumpenda mihi. Iterum vale.

EPISTOLA XXVIII.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinſio.

Moguntiae.

HAud mediocri me gaudio perfuderunt tuae poſtremae, quae proximi tui ad nos adventus ſpem haud indubiam faciunt. Felicem eum, immo felicissimum animitus voveo; quo ſplendidiſſima haec Domus Auguſtae Colonia mirifice exultet, cui veram ac unicam propemodum Auguſtaei aevi ſpectantem imaginem, intra moenium ſuorum ambitum, intueri & agnoſcere quaſi poſtliminio dabitur. Dum vero ego me blandae illius voluptatis contemplatione oblecto, en tibi a *Graevio* noſtro litteras, ante dies circiter octo traditas, quarum exſpectatione fruſtrari te diutius nolui. Neque enim eaſdem transmittere citius licuit, dum incertus pendeo, an priores meae recte ad te curatae, aut an abjecto omni tuae ad nos profectionis conſilio ad patrios lares reditum per alios terrarum tractus paraſſes. Salubrem tibi interea thermarum uſum, ejuſque datum tibi tandem Germanici Exercitus abitu facultatem haud vane jam licet augurari. *Auriacus* interim valido equitatu ſtipatus ſigna ſua ex Eburonibus in vicinum hunc agrum tranſjecit, mutatis rerum vicibus, Gallum inde profugum militem ſubſequitur, cui hinc *Turenius*, illinc *Luxemburgicus* ſuppetias laturi feruntur. Sed de his, totoque tui reditus conſilio coram. Neque enim jam, quod unice tamen vellem, confabulari tecum diutius licet. Dabam raptim Coloniae Ubiorum XXIV Novemb. CIↃIↃCLXXII. Aedes meae, nec hîc in quaerendo ſtabulo longius oberres, in loco dicto *Kinckenpoël* ſitae, quae praeſentis tui numinis conſpectu beari, medius fidius, exoptant.

EPISTOLA XXIX.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinſio.

Coloniam.

CUm in procinctu jam ſint exercitus foederati uterque, tandem aliquando licebit mihi, ut opinor, adire thermas in vicinia hujus civitatis, quibus crure tenus immergar, parce enim utendas eas praeſcribunt nobis Medicorum filii. Litteras ſalvi conductus, ut vocant, Gallicanas unde ſim impetraturus, haud ſane habeo compertum. Nam & mihi cauſae ſunt juſtiſſimae, cur eas flagitare nolim ab amicis, quos fortaſſe nonnullos privatim numerare poſſem in ea gente, quam foederati Belgae nunc infenſiſſimam experiuntur, & deſunt hîc terrarum mihi, per quos precario id beneficium obtineam. Eaque propter ne poſt uſum thermarum, quibus reliquum menſis hujus dabitur, mea mihi veſtigia in patriam abituro per Caſſellanum ac Bremenſem tractum ſint relegenda, itinere perquam incommodo, videtur prorſus metuendum. Illuſtrem *Boineborgium* ſub adventum haſce in regiones meum Francofurti bis compellare mihi contigit. In hac civitate tentato non ſemel aditu ad eundem dictus eſt in aliis occupari. Ego autem & rarus omnino in publicum procedo, ob moleſtam pedis utriuſque debilitatem, & ſalutationes meas tanti vendito haudquaquam, ut homines negotioſos, & curis publicis aſſidue vacantes, a rebus ſeriis per eas avocandos auſim mihi proponere. Tuae tamen litterae ad illum probe ſunt curatae, ob quas plurimum te amo. Sed & poſtremas tuas una cum Graevianis, ad quas reſponſi hîc nonnihil vides, illius beneficio jam nunc ſum conſecutus, dum itineri accingor. Nolui tamen hoc ex oppido moliri pedem, non actis tibi gratiis ob ſingularem diligentiam, qui hominis amiciſſimi epiſtolam tam gnaviter ad me perferendam curaris. Jam opinor me ſignificaſſe, eſſe mihi hoſpitium Moguntiae, quod inſigne anchorae auratae praeferat. Illuc quicquid perlatum erit me abſente, ut in manus perferatur meas opera dabitur. Tu vale, Vir Nobiliſſime, & perfunctoriam hanc ac properatam ſcriptionem aequi bonique conſule. Moguntiae XVII. Novemb. CIↃIↃCLXXII.

EPI-

EPISTOLA XXX.

NIC. HEINSIUS

Exec. Spanhemio.

Coloniam.

SPargi rumorem late de *Octavio Falconerio* Bruxellas propediem adventuro Roma, ex publicis noſtratium nuntiis ſum edoctus. Quae res cum plurima, uti debet, me perfuderit voluptate, nec tamen an plenam mereatur fidem, mihi ſit compertum penitus, ſufflaminandum laetitiae ſingularis impetum utcunque duxi; dum, conſulto tuo oraculo, omnia habeantur, quam nunc apud me exploratiora. Neque enim praeterire me poteſt, iis te ac *Octavium* mutuae neceſſitudinis vinculis adſtrictos teneri, ut profectionis ab urbe hac ſuae, ſi non imponit nobis rumor, te haudquaquam ignarum eſſe ſit paſſurus. Effectum igitur da, quaeſo, vel tribus verbis, ut aut ſolide ego gaudeam voluptatis tantae ſecurus, aut certe, ut abrumpam tempeſtive, quicquid ex rumore lubrico inconſultae ſpei conceperam. Audio *Boineborgium* e vivis exceſſiſſe, cum valetudine luctatum aliquamdiu minus proſpera. Difficiliorem aliquanto ejus aditum Moguntiae eram nuper expertus, uti per poſtremas meas tibi a me ſignificatum recordor. Rejecit ipſe cautus hujuſce rei in eam, quae jam tum nutabat, valetudinem. Ego autem quod alios ſalutantes minus difficulter is admitteret, ſuſpicabar, fateor, nec fruſtra id fortaſſe, Gallicanis hoc ab illo partibus dari, quibus obnoxium plane fuiſſe, apud pleroſque conſtans eſt opinio. Et haec quidem hactenus. Thermis Wisbadenſibus non ea animi tranquillitate me dedi hactenus, quam ex praeſcripto medicorum adhiberi oportuit; interpellante nos frequentius militari aſſultu, & timorem incolis oppiduli hujus tantum non continuum incutiente. Emigravit jam miles ex hoc terrarum tractu quidem non infauſta, ſi rumori credendum, ave. Feruntur & laetiora de Batavis noſtris, quos redituros tandem ad bonam frugem, ac relecturos veſtigia avorum, confido. De meo ad vos excurſu jam fere cogitationem cunctam ſepoſui, quod iter illud diſcriminis plenum perhibeatur a nonnullis; nec diplomate ullo ſim munitus, quo me tuear ab hoſte. Quas ego proxime mittebam tibi, ad *Graevium* noſtrum curandas litteras, eas recte curatas eſſe a caetera tua diligentia mihi promitto. Sub Nonas Januarias Jul. Moguntiam hinc cogito, de profectione ad paternum larem inſtituenda, deque via, quam inſiſti oporteat, in arena conſilium capturus. Urgetur enim acrius meus in patriam recurſus per aſſiduas Amicorum litteras, rebus ad haec meis privatis non ferentibus, ut diutius domo abſim. Vale, Vir Eximie, & me tuis annumerare perge. Wisbadae in agro Moguntino. CIↃIↃCLXXII. XX. Decembr.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXI.

EZEC. SPANHEMIUS

Nic. Heinsio.

Wisbadam.

IN summa temporis angustia hoc unum mihi non praetermittendum duxi, ut certior continuo fieres ante duos demum dies redditas mihi, quas XX Decembris Wisbadi ad me exarasti. Sepositum ferme de tuo ad nos excursu consilium valde illibenter ex iis percepi. Quamquam si res adhuc integra, longe majori, ut mihi videtur, temporis & viae compendio, & minori etiam, quam non auguraris, discrimine tuum ad patrios lares reditum potuisses per hunc terrarum tractum instituere. De diplomate etiam cum in finem impetrando jam cum hîc loci compellaveram, qui res Gallorum Regis hîc procurat, tuique nominis & famae juxta alios elegantiores gentiles suos studiosissimus vivit, *Verjus* nomine, & cujus fratri, Doctori Sorbonico, olim parentasti. Ut mittam patere hinc tibi, per Brabantiam haud intutam, prout ferunt tempora, ad tuos Batavos profectionem. De his omnibus statues quidem pro arbitrio; ita tamen ne omissam a me omnem rerum tuam cogitationem putes, aut inconsultum illud omnino, quo mirifice flagrabam, te hîc in transitu compellandi consilium. Plura addere jam non sinit praestanda haud unis herilibus *mandatis* diligentia ac fides. *Falconerius* noster, de quo te sollicitum ostendis, designatus in Brabantiam Pontificius Internuntius, res suas ad eam profectionem adornare, & vasa colligere ferebatur. Gratulatus sum ei & nobis per litteras illam provinciam, & ut cunctationem omnem, in qua versari antea dicebatur, omnino abrumperet, serio hortatus. Responsum adhuc exspecto. Tu vale, Musarum decus, & me ama. Coloniae Ubior. XXVI. Decemb. 1672. v. Jan. 1673.

EPISTOLA XXXII.

NIC. HEINSIUS

Exc. Spanhemio.

Colonium.

SI ad ostentationem ingenio comparatus essem, non sine multa verborum ambage exaggerari deberet, quamquam ne sic quidem fari posset, immensus & minime fucatus dolor ille, quem in animo meo excitarit nuper nuntius perquam funestus de sublatis e vita sub idem fere tempus binis tibi liberis, hoc est spe patris omni. Sancte interim profiteor, & ut paucis, sic vere, hanc tuam orbitatem inflixisse mihi vulnus altissimum, & quod ipsa penetrarit vitalia. Citius, fateor, ad haec solatia praestanda debui accurrere, sed fretus tua singulari sapientia, summaque animi moderatione, quas ego deesse mihi virtutes pulchre

chire intelligo, subverebar, ne rem ambitiosam ac intempestivam aggrederer, si solator adessem serus, atque eas, de expugnando luctu, in te desiderarem virtutes, quae a meme praestari haudquaquam possent. Nunc spero obductam vulneri cicatricem quodammodo, quae ne fomentis tam tarde adhibitis rescindatur unice est cavendum mihi. Cum illustrissimo Marchione *de Grana* quin necessitudo tibi literaria etiamnum intercedat nullus dubito. Mirae, ut quod res est dicam, voluptati mihi fuit nuntius de adversario ejus, suis artibus eluso captoque, post ludificationes indignas, quae in auctoris caput probrose nunc resultant. Potes enim meminisse illius histrionicae, quam boni fratres exercebant, cum ego vobis adessem. Gratulatus jam essem ipsi Marchioni pulcherrimos successus, nisi cum aliunde, tum ex *Laurentio Magelotto* nostro cognovissem plene nullum vindictae vestigium in generoso viri illustrissimi pectore potuisse deprehendi, post rem feliciter laudabiliterque gestam. Vere heroicum mihi visum est in causa tam justa affectus omnes sic potuisse cohiberi, sic redactos in ordinem ad nutum imperantis. Si occasio feret, rogo etiam atque etiam, ne graveris Heroi illustrissimo significare quantam sui venerationem apud me excitarit hoc facinus, quantoque nexu obligatum me teneat prorsus singulari illa benignitate, quam praesenti praesens omnibus absolutam numeris exhibebat in Ubiis. *Johannem Capelanum* amisi nuper, amicum sane incomparabilem. De *Thevenoto* addunt nonnulli, sed dubiis rumoribus. Vale, vir nobilissime, & mihi favere, ut solebas, perge. Hagae Com. CIↃIↃCLXXIV. XXVI. Martii.

EPISTOLA XXXIII.

EZEC. SPANHEMIUS,

Nic. Heinsio.

Hagam.

QUum pridem aliquam occasionem, Vir Nobilissime, tacitus circumspicerem, qua fretus culpam silentii nimis equidem diuturni si non diluere omnino, lenire tamen possem utcumque, en jam commode mihi obtulit hominis mihique tibique etiam jam familiaris, opportunus ad vos discessus. Is est Abbas *Pacichellus*, mutuis jam inter vos contractae litterariae necessitudinis officiis, quod impense illi gratulor, carus tibi & acceptus. Unde quum ille, qua flagrabat pridem Britanniae ac Bataviae inprimis vestrae lustrandae cupiditate, comitem se Britannicis Oratoribus adjunxerit, nihil consultius rebus meis futurum censui, quam si illius conspectu & collocutione, te mihi, si forte subiratus, ut merebar, fuisses, placatum propitiumque facilius redderem. Quamquam illud fixum semel immotumque inter nos velim optemque quam maxime, ut de meo ergo te cultu antiquo illo & plane singulari, omnique ea, qua tibi tot nominibus devinctus teneor, necessitudine, non ex litterarum mearum frequentia judicium feras; sintque alii

etiam

etiam me silente perpetuae hujusve meae voluntatis obsides ac interruntii. Quid enim mihi vel ad laudem praeclarius vel ad voluptatem gratius, vel ad fidem opportunius, quam ut tuam mihi benevolentiam ac in me resque meas propensionem longo usu ac illustribus documentis probatam testatamque, non amittere mea culpa, sed tueri & augere indies potius liceat? Equidem ea fuit hactenus a tuo a nobis discessu temporum meorum ratio, ut quamquam sedandorum publicorum motuum aut fundandae pacis onus his certe humeris meis non incumberet, iis tamen obruerer ut plurimum curis, quae a colendis necessitudinibus meis mutuisque reddendis officiis me haud parum avocarent. Accessit luctus domesticus, isque intra dies haud ita multos geminatus, qui mihi utrumque gaudiorum nostrorum pignus fato immiti & acerbo abstulit, ac tristem infelicibus parentibus orbitatem reliquit. Quod tam amice vero, tam blande mei doloris non conscius solum ac testis, sed socius quodammodo esse volueris, in eo utique & vim amoris erga me tui singularem & humanitatem mirificam complecti mihi abunde licuit. Quamquam in his angustiis temporum, ac fatali quadam rerum omnium conversione, non deesse aliunde solatia haud omnino diffitear, quae hujusce jacturae sensum si non tollere funditus, minuere tamen plurimum, & ad fortiora consilia sedatioresque cogitationes animum convertere haud mediocriter valeant. Quae spes caeteroquin de claudendo Jani templo ac pace hîc loci fundanda stabiliendave plane decollavit, ubi locorum obsequentem fortunam reperiet, una augurari amplius licet. Erupit quoque ad nostratem Nicrum Rhenumque ex inopino ea, qua propemodum estis ambusti, belli flamma, infausto illorum studio, qui gentis Germanicae libertatem procerumque dignitatem & jura proculcare, suaeque libidini ancillari unice cupiunt ac tentant. Fecit tamen generosus fortissimi Principis animus, ut jugum illud cervicibus suis imminens subire non solum detrectarit, sed ut exemplo etiam suo simul & periculo gentiles suos ad heroicum hoc & salutare consilium amplectendum fovendumque novissime excitaret. Sed quando redibunt ea tempora, ubi non alia, nisi de praeclaris litterarum studiis & laboriosis doctorum virorum curis & lucubrationibus, inter nos differendi occurret materia? Aveo tamen scire, quando Maronem aut Flaccum tua singulari industria ac doctrina cultiores nitidioresque haud illotis manibus versare nobis tandem licebit. Josephus in Anglia ad editionem paratus, cui ornandae subsidia undequaque quaerunt & conferunt eruditi illi Oxonienses, qui hoc onus in se receperunt. Qua de re etiam illorum rogatu ad *Andream Bosium* in eandem curam strenue, ut dicunt, incumbentem haud ita pridem scripsi. An vero nundinae istae Francofurtenses aliquos bonae frugis ac mentis foetus, in hac temporum calamitate, sint nobis adlaturae haud equidem scio. Sed de his alias. Vale, Vir Nobilissime, & amorem erga me tuum etiam silenti ac immerenti sartum ac inviolatum serva. Dabam Coloniae apud Ubios VIII Kal. Mai. CIↃIↃCLXXIV. Pro transmisso elegantissimo carmine immortales ago gratias. Tuas postremas mecum Bonnam post diem unum vel alterum ad Illustrissimum Marchionem de Grana feram.

HADRI-

Digitized by Google

HADRIANI WALLII
ET
NICOLAI HEINSII
EPISTOLAE
MUTUAE.

EPISTOLA I.
HADR. VANDER WALLIUS
Nic. Heinſio.

Aquis Grani.

QUamquam mihi praeſagiret animus, inclyte Heinſi, has ad te vix perventuras, malui tamen verborum aliquot facere periculum, quam naufragium benevolae tuae de me opinionis, ſi omnino non fuiſſem conatus tibi reſpondere. Conatus, inquam: non enim amplius poſſunt meae vires, utcunque demum tu ſentias, & nuperis iſtis totus effundaris in amici tui (alio nomine ne mihi fas ſit me appellare, gratiſſimam jam olim impoſuiſti neceſſitatem) laudes. Eas etiam ipſas cur non exoſculer, quae non debentur meritis meis ullis, ſed ſanctiſſimo amori tuo. Nimirum, ut, quorum regius morbus aurigine oculos ſuffudit, lutea vident cuncta, ita quicunque animus efficacis hujus affectus veneno haud ſemper noxio imbutus, omnia, in quae intuetur, aut invenit pulchra, aut facit. Ne exſpecta, ut nunc vicem reddam ego, qui, quoties te, quoties ampliſſimum virum parentem tuum circumſpicio, cogor, quod ſolent, quorum mentes ingens admiratio occupavit, aliquandiu ſilere. Illas, quas ad *Kinſchotium* noſtrum volebas, poſtridie ejus diei, quo tuae ad me fuerunt delatae, curavi. Speraveram hiſce aliquid iterum novi me tibi de Herpe iſto nunciaturum: ea ſpes induxit, ut ſcriptionem differrem, ſed fefellit. Aliud tamen eſt, operae pretium quod narrem, ac rideas forſan omnibus cachinnis tu.

Et quantum eſt hominum venuſtiorum.

Non ignoras ut, te monitore, emendationem choliambi alicujus apud Martialem e notis ſuis ad Gratium eraſerit [1] amicus noſter. De ea re nunc ipſe plurimum dolet, docere paratus admitti in ſecunda ſcazontis ſede ſpondaeum. Ita-

1 *Janus Vlitius.*

Itaque in notis ad Nemesianum obiter expendationem quam repetet haud sine sale, quo aspersurus est contra sentientes, homines procul dubio insulsos. Jurisconsultus *Boyus* libellum vulgavit, cui titulus est, *Theantropologia*. Sunt aliquot de servatore nostro elegiae, sacrae, magnificae, characteris ante hac inusitati. Nam neque liberas, in quibus frequentes Graeci inventiones, hisque proprios numeros adhibet (quales felicissime Catullus expressit, ac incomparabilis, ut ubique, in monobiblo pater tuus) & vix unquam sensum disticho absolvit; verum in sequentem hexametrum producit, ubi fere semper in penthemimeri Claudianaea conquiescit. Heroi *Zuilichemio*, quem in inscriptione illustrissimum vocat, dedicavit. Eum, postquam se *umbrosum vatem* dixit, sic alloquitur.

Illustra me luce tua illustrissime.

Ex ungne leonem. Plures elegantias ejuscemodi haec charta non capit. Cura ut valeas, ô decus nostrum; &, nisi intra paucos dies huc cogites, quid agas sciamus. dabam Delphis nostris. Prid. Non. Sextil. CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA II.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinsio.

Parisios.

FRigus hoc tam diutinum & acre non modo summam mihi strinxisse cutem, sed altius quoque in ipsas, tenerrimorum affectuum sedem, medullas penetrasse vereor, ne coegerim isto literarum, ita liceat loqui, justitio te tibi persuadere, nobilissime Heinsi. Ab eo tamen metu securum esse jubent nuperae tuae elegantiarum plenae & humanitatis, quibus adeo praeclare de me sentis, ut nonnunquam deesse officio impune mihi fore confidam. Ingenue fatebor; quo tempore tuas accepi, teque in procinctu stare, ut Lutetia moveres, docebar, apud animum meum constitueram non antea respondere, quam de itinere tuo aliquid certi sciremus, gnarus quam saepe litterae pereant in via, quamquam earum facilis sit jactura. Nunc autem tanto alacrius animum appuli ad scribendum, quod eo loci sis reversus, quo cogitatione retrogredi multo mihi jucundissimum accidit. Quae enim aliis in urbibus frequens vagatio taedium parit, ea tibi saepe me abripuit invitum, & fere semper otioso etiam nihil agendi imposuit necessitatem. Et profecto quem non utcunque occupatum eliciant nunc delitiae fontium & honorum, nunc palatiorum splendor & varietas templorum, nunc amoenissimus propter Sequanam subter fluentem prospectus ab illo ponte.

Ubi perenni Magnus Erricus suis
In aere restans civibus,
Acris caballi rector emirantibus
Occurrit advenis eques,

Et

Et quantus instar Martis imperterriti
Terrentum obvii praelia.
Et qualis urbem intravit augustam, hostibus
Caesis, fugatis inclytus,

Quomodo olim scripsisse memini in carmine ad *Kinschotium* nostrum, vicinae insulae tunc forte habitatorem; cujus peractae rei memoria, quamquam dulcis, aliquam tamen tristitiam creat; quod nobis tam felicibus esse jam non licet, ut herois illius praesentia fruamur. Utinam aliquando vos reduces ambos detur amplecti, & audire diversa memorantes! ita dii viales, ita sospitales velint, quod ego volo, mi Heinsi, quod vos vultis. Dabam die 26 Februarii CIↃIↃCXLVI. Hagae raptim, cum Delphis redeuns visissem ad *Vlitium* nostrum, quem suis scribendis occupatum oppressi: proximis plura, postquam contigerit tua videre, quae avide exspectamus, ô magnum patris incrementum.

EPISTOLA III.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio

Hagam.

COgitationibus ac votis adsum tibi frequentissimus sane: quo magis cupiam coram alienum te esse ab epistolari officio. Per me quidem non stabit, quominus identidem colloquamur. Enitendum nempe est omni utrimque contentione, ne locorum intervallis, quibus distinemur, aliquid in nos videatur licuisse. *Heymannum* ad plures abiisse intelligo. De Bibliotheca sua quid supremis tabulis statuerit, tu me docebis. Literas hodierno die ad *Gevartium* ac *Wallium Jacobum* dedi, utrumque in vivis etiamnum esse auguror. De Negotio Neoburgico ad litem meam pertinente, quod discedens tibi commendaram, quid factum sit, scire desidero. Nasonem meum si necdum tradidere *Elzevirii*, exemplar ab iis postules ipse par esto. sed *Kinschotianas* Musas quando videbimus? Noli, quaeso, injurius esse in existimationem hominis ingeniosissimi, qui, dum vivebat, in oculis te tulit assiduum. Da hoc ejus meritis, da nostris precibus, da tuae gloriae. Commentarios Caesaris ex editione *Jungermanni* Francofurtana, quibus cum notae diversorum, tum Maximi Planudis versio graeca accedunt, furto nescio quis mihi abstulit. Aliud exemplar apud vos si venale mihi inveneris, pretium fide optima restituetur. Vale. Exarabam Holmiae Sueconum CIↃIↃCLXII. XXVIII. Januarii.

EPISTOLA IV.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

TU quoque non modo in cogitatione admodum mihi creber es, ſed etiam in ore, praeſertim apud eos, quos ego, cum ſe tibi amicos dicant, mallem ut eſſent. De affectu quidem meo nihil deteret aut temporis aut loci intervallum: tamen Epiſtolare, quod poſtulas, officium exhibere, licet maxime velim, vereor ut poſſim, ita infrequens Hagae & in vicinia proximam per aeſtatem ſum futurus, ſicuti & magnam elapſae hyemis partem egi in Hollandia Borea. *Weymannus* ſine teſtatis ullis tabulis deceſſit, ventrem haeredem linquens; neque dum de uxoris partu quidquam inaudivi. Bibliothecae ejus deſcribitur catalogus, typis excudendus, neſcio ſub auctione, an aliter vendendae. Dicitur repertus licitator, qui offerat imperialium tria millia nummûm. *Kinſchotii* immemorem ne me putes; eccum effigiem, quam me abſente ſculptor effinxit pro veteri, quam dederam reformandam: an feliciter, tuum eſto cenſere, cui pectore infixum credo amiciſſimi capitis vultum. Muſae illius bene ſe habent: quod eas prodire necdum ſinam, hoc ipſum eſt, quia nolo injurius eſſe in exiſtimationem hominis unice cari: fuiſſem maturando, ut abunde mihi poſtea compertum, quare haud poenitet morarum, animoque ſedet non ponere rumores ante ſalutem. Si autem vel minimo indicio reſciviſſem, ambiviſſe te, ut Naſo tuus in publico appareret phaleratus, nihil obſtitiſſet propoſitum meum, quo minus potuiſſem e *Kinſchotianis* depromſiſſe carmen unum aut alterum pretii non vilioris ac ſunt ea, quae vidi praefixa, cum *Elzeviriorum* cura politiſſimum munus accepi; pro quo tibi gratias ago. Ovidius, qui, te hinc profecturo, Lugduni noſtrae ſub praelo erat, dudum editus eſt, & Holmiae procul dubio jam viſus, cum pulcro, ſcilicet, epigrammate, ſubſcripto imagini poetae, quae eſt in limine libri, *tractent fabrilia fabri*. Et ille *Faber*, tam laute a te exceptus, pridem dictus obiiſſe, revixit; quod tibi latere haud putem; uti neque eum emiſiſſe in lucem Bibliothecam Apollodori; parare Lucretium, quem ſic fortaſſe ſervabit Apollo. Commentariorum Caeſaris exemplar, quale petis, curabo ut ematur, prima, quae dabitur, occaſione. Quas ad *Gevartium* & *Jacobum Wallium* literas dediſti, te non fruſtra dediſſe autumo; quamquam diu ſit quod Antwerpia nihil ego acceperim literarum. Super Neoburgico negotio, ad res tuas ſpectante, conveni *Heſſingium*, qui mihi retulit, illa a te ipſi commiſſa ὑπομνήματα Duſſeldorpium eſſe miſſa; & inde Dortmundam, ſed hinc nihil apparuiſſe reſponſi; igitur ut denuo ea mitteret rogavi, & ſpopondit ſe facturum. Vale. Scribebam Hagae Batavor. CIↃIↃCLXII. Martii VII.

EPI-

EPISTOLA V.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

THomae a Kempis libellum de imitatione Chriſti *Theod. Graſwinckelius* carmine a ſe redditum mihi commiſerat ad te mittendum, quem ego admodum feſtinus tradideram heri *Pluymero*, ut ille porro curaret, mandaramque una ut breviter ſignificaret, unde veniret, cum mihi non ſuppeteret otium ſcribendi; ſed, ubi me vidi fruſtatum occaſione abeundi, placuit hac in urbe pernoctare. Eſt mecum hîc eodem in diverſorio Clariſſ. *Voſſius*, cui expoſui, quae tu ultimis tuis (quae mihi Hagae reddebantur nudius tertius ſimul ac reverſus eo forem, iterumque abirem) petieras, de codicibus Rufi Feſti Avieni, & Virgilii, quem unicum, (ut noſti) poëtam, unice commendo diligentiae tuae, neque ipſi minus bene eſſe velis, quam Ovidio, quem praeclare a faſtidio quorumdam delicatulorum vindicaſti. Labori tuo & tibi propitium gratulor *Tanaquill. Fabrum*, cujus brevi prodibit Lucretius, dum moratur alter. Gaudeo etiam de curis ſecundis tuis in Naſonem, quae ſi in juſtum commentarium excreverint, paratum ſe *Blaeuvius* ſaepe mihi dixit, opus illud excudere auguſtiori forma, communi approbatione haud cariturum, niſi, eorum, qui communi ſenſu plane carent, certe prioribus jam curis meae exſpectationi non modo ſatis feciſti; ſed eam longe ſuperaſti. Exemplar non habuiſſe ſe *Graſwinckelius* conquerebatur, cui ego meum ultro conceſſi, tuo tamen nomine, quem ita voluiſſe ajebam, eſſe in culpa, quo minus id ante fuerit factum, *Elzevirios*, a quibus ego aliud eſſem petiturus pro occaſione, qua nunc (reor te non invito) utar. De *Furſtenburgio* audiveram jam, neſcio an tu de editione quorumdam poëmatum ejus, Antwerpiae ſcilicet; titulus libelli eſt, ſeptem (ni fallor) illuſtrium virorum poëmata, ſunt etiam inter ea, quaedam *Natalis Rondinini*; ut ex praefationibus conjicio, editor eſt *Jacobus Wallius*, qui Iperis degit, ſaeculumque eſt quod de ipſo nihil ſciam per ipſum. De cariſſimae tuae ſororis fato indolui tua cauſſa; ſed in poſterum amici erunt tibi & ſoror & fratres. Vale & ſalve, mi Heinſi. Scribebam raptim Amſtelodami; die XXIII Junii CIↃIↃCLXII. Neſcio cur literas mihi inſcribas, I.V.D. falleris neſcio quomodo in titulis ſemper, nec enim iſtum quidem ego unquam aut emi aut ſumpſi. Saepius ſubmonui; ſimplicitate nihil peccabis.

Digitized by Google

EPISTOLA VI.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio

Amstelodamum.

GRaſwinkelianum de imitatione Chriſti Poëma recte curatum eſt jam pridem, mi Walli. Ἀνάθημα quod repoſuiſti Naſonem meum, nihil praeter ordinem a te factum eſt. Jamque *Elzevirio Danieli* in mandatis dedi, ut aliud Naſonis exemplar ad te perferendum curaret, ſi negligit officium pro imperio poſtula, quod tibi debetur jure optimo. Virgilium plurimis locis caſtigatum jam ad typographos edendum hinc ablegavi. De animadverſionibus tamen res paulo lentior videtur fore: quas ne una miſerim fecerunt amicorum pollicitationes, ſpem facientium de majore veterum membranarum copia mox ſuppeditanda. Tres ex Gallia Maronis Codices jam accepi, praeter eos, quos poſſideo ipſe, Duos Monaſterio à *Rottendorphio*, totidem a *Langermanno* jubeor exſpectare Hamburgo. Quinque *Moretus* apud *Elzevirium* depoſuit, quos ſub hanc anni tempeſtatem maris periculo exponi conſultum non videtur. Alii aliunde mox aderunt. Solus *Voſſius* noſter inter haec auxilia auxiliantium undique amicorum ſuos codices huc perferri non patitur; ſed fruatur ingenio ſuo, quando ſe ſolum praelucere omnibus caecutientibus arbitratur. Interim detexam proximis feriis, quae ad Valer. Flaccum non pauca obſervavi. Silius & Lucanus poſtea ſequentur. Quamquam de Lucano nihildum ſtatui, quod illa provincia *Spanhemio*, ut ſcis, jam pridem deſtinata ſit. *A. Furſtenbergio* literas non ita pridem habui, addito Poëmatum munere. Vir ille dignisſimus eſt tanto fortunae faſtigio, quem inter amicorum potiſſimos ſemper numeravi, ex quo Romae contubernalem habui. Sorori unicae a me parentatum eſt, & eadem quoque opera amiciſſimo *Schelio*. Verſus funebres, ſi tanti eos putabis eſſe, apud *Gronovium* noſtrum licet videas, ad quem miſſi ſunt. Familiae Romanae *Fulvii Urſini* additis de novo plurimis numiſmatis per *Carolum Patinum* Lutetiae prodierunt. Exemplar necdum nactus ſum, quod is, qui id ad me laturus eſt, negotiator Gallus, dicitur in morbum Amſtelaedami incidiſſe. Vale, mi Walli, & me, quod facis, ama conſtanter. Prodibunt hîc brevi fabellae Phaedri commentariis illuſtratae per *Johannem Scheffervm*. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXII. a. d. v. Decemb.

EPI-

EPISTOLA VII.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

NAE ego te constanter amo, mi Heinsi, cui tuae tum ingenii tum animi virtutes admodum sunt perspectae, iisque faveo tantum, quantum plures (quos illud quoque deceret) favere opto, qui nescio in quos rumusculos intenti multa de te non amice scisitabantur. Hagae cum essem, litterasque tuas ibi forte aperirem redux, intelligeremque una latam super tuo negotio & pronuntiatam sententiam, quam & talem & festinatam aegre maudivi. Laetabar tamen postea quam hîc Amstelodami a *Plumero* rescivi rumusculos istos vanos esse, & manere tibi mentem, quam discedens mihi indicabas, firmam contra haec adversa, cauturumque, ne cogare ad quidpiam te indignum. Unde & est quod gratuler tibi prospectum de potentibus amicis, & in his, quem commendas, *Furstenbergium*, qui praesidio esse possint, si quid forte iniquius inimici moliantur favente (quod abominor) Fortuna. Ego iterum maximam aestatis partem Hagae me abfuturum credo; Uti & *Christianus Hugenius*, qui (ni fallor) Lutetiam Parisiorum jam abiyit, non nisi sub autumnum rediturus, ego tamen multo antea, & per intervalla crebrius; itaque si quid officii praestitum tibi velis, non errabunt litterae tuae illuc destinatae, nisi forsan longius me detinuerit Brabantia, quam cogito. Laetum habui nuncium de curis tuis in tot veteres Poëtas; sed Lucretium omissum nolim, quem, a *Fabro* promissum e Gallia nondum contigit videre. Illud enim rogo, ut commatum distinctionis & interpunctionum rationem accuratiorem habere jubeas, quam vulgo fiat, praesertim quando iis sensus verborum illustrior evadit: sicut illud Lucretii, in tertio, sic interpungunt:

Sponte sua leto caput obtulit obvius ipse:
Ipse Epicurus obit, &c.

At quanto melius foret, ita, uti jam monui nostratem editorem:

Sponte sua leto caput obvius obtulit. ipse,
Ipse Epicurus obit. &c.

Apud Virgilium eclogâ Prima, sic distinguitur in vulgatis:

Impius haec tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quels consevimus agros!

malim ego,

Impius haec tam culta novalia miles habebit
Barbarus? has segetes? en queis &c.

Et si quae talia plura occurrent alibi, quae equidem judicii tui sunto. Aliud Nasonis tui exemplar nondum ab *Elzeviriq* accepi, sed quando iterum hac transibo, aut Hagae illud mihi redderur, tibique pro munere gratias ago, idem

idem jam bis debiturus. Cum primo oblatum fuit, raptim pervolvi totum, & etiam mei mentionem (quod minime fuerat opus in re tantilla) amice factam notavi; aliaque nonnulla postmodum majori otio, quae mitterem, si chartulae eae in promtu forent, quamvis exigui momenti. Carmen, quo unciae sorori & amicissimo *Schelio* parentasti, apud *Gronovium* non vidi, qui illud missum narrabat ad *Graevium*, ab eo una cum pluribus edendum cum parentalibus ϑ μακαρίτυ. Petebat etiam a nobis aliquid; sed post abitum tuum nondum videmur cum Musis in gratiam rediisse. Interim addixi poëma [1] *Kinschotii*, *Schelio* olim inscriptum, de Virgilii Maronis natali, in quo & tui honorifice meminit, nescio an tempori adfuturum; jam enim fere mensis elapsus, cum promisi. Scriveriana Bibliotheca hîc sub auctione vendita est, at non licuit mihi auctioni interesse: Weimannianae me adfuturum saltem ex parte non diffido, cras enim aut perendie Hagam revertar, ibidem paucis diebus moraturus. Catalogos utriusque vidisti puto. Weimannianos certe haeredes & *Leffenium* praesidem auctionis futurae monueram, catalogum tibi mittendum ut curarent, & per absentiam meam aut *Bisdommero* Hagae, aut *Plumero* traderent Amstelodami; quid fuerit praestitum ex ipso non quaesivi ante has obsignatas. Salve & Vale, mi Heinsi. Dabam Amstelodami, die XXI Aprilis, Anni CIↃIↃCLXIII.

1 Legitur lib. 1. Poëmat. Kinschotii pag. 31.

EPISTOLA VIII.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio.

Amstelodamum.

TArdius paullo, quam oportebat fieri, tuae mihi sunt redditae, ut mirari non debeas, mi *Walli*, si lentius procedit responsionis officium. Quid quod aestatem hanc domo abfore te minabaris? ut frustra viderer scripturus, si scriberem. Nunc quoque vix promitto mihi sperandum esse, ut hae in manum tuam perveniant. Jacienda tamen fuit alea, ne mihi ipsi inviderem voluptatem longe maximam, quam ex tua consuetudine cepi hactenus. Ad Lucretium & Maronem, quae in tuis illis observas, habui, ut tua omnia, perquam accepta. In Marone castigando, quantum licet per occupationes publicas, sum assiduus, codices divini poëtae jam evolvi aut evolvendos teneo vicenos circiter, quarum major pars e manibus jam pridem dimissa. Mense unico opus est etiamnum, ut hac opera defungar penitus, sed & hoc ago, ut quicquid a vetustis scriptoribus, praesertim Grammaticis, ex Marone profertur locorum, cum vulgatis editionibus committam. Unde membranarum discrepantiis plurimum subinde auctoritatis & praesidii accedit, sed paucorum dierum non est hoc negotium. Auguror tamen praelo typographico ante hyemem proximam parari omnia posse. Ad Silium Italicum & Valerium Flaccum castiga-

ſtigationes jam deſcriptae ſunt. Sed exſpecto ex Germania Belgioque noſtro nonnihil etiamnum ſubſidii, quo uterque ſcriptor ornamenti quid capiat. Leviore manu has lucubrationes detexui. Interim & poëmatum meorum editionem novam flagitant Bibliopolae *Elzevirii*. Cui curae vacare etiam poſt alias jam coepi. Suadent nonnulli ex amicis, ut praeſtantium hac tempeſtate virorum ad me ſcripta carmina; in libellos duos adoptivos diviſa, meis verſibus addam, quorum prior exterorum muſas, alter Belgarum noſtrorum foetus complectatur. Et ſunt ſane in illis non pauca, quae legi publice mereantur, ſed non eſt frontis meae meas laudes lectori obtrudere & palam venditare. Tu quid cenſeas hîc, doceri & commonefieri opto. Claudianus meus ſecundae editionis jam, ni fallor, eſt ſub praelo. Pluribus tecum agam, cum docebis me, ubi locorum ſis compellandus. De *Jacobo Wallio* deque *Caſpare Gevartio* diu eſt, quod nihil prorſus intelligo. Antwerpiam ſi perluſtraſti hac aeſtate, non potes ignorare, quid de poſtremis *Rubenii* opuſculis ſit exſpectandum. Vale, Vir Amiciſſime. Scribebam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIII. a. d. XIIX. Sextilis Gregoriani.

EPISTOLA IX.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

NIhil mihi gratius potuit reddi tuis litteris, nobiliſſime Heinſi, quae me Hagae jam reducem invenerunt, non tamen ex Brabantia; quam viſere hac aeſtate (ut bene conjicis) non niſi minatus fui, comite, quocum ire ſtatueram, aliorſum viam ingreſſo. De poſtumis autem *Rubenii* opuſculis jam antea dudum ad me perſcriptum erat, ea apud *Moretum* ſub praelo eſſe; ſcilicet, de re veſtiaria libellum, & gemmarum explicationes. Quae ad Maronem & Lucretium monueram obſervanda, monueram tantum: ſcio enim ut plura, ita & minuta haec per tenet ipſum te ſapere, teſtimonioque eſſe vel ſecundum verſiculum Ovidii e tua editione.

Nil mihi reſcribas attamen: ipſe veni.

Qui recte ſic interpunctus, contra quam in vulgatis. Neque nunc, dum in eo es, ut Maronis loca, a vetuſtis ſcriptoribus, Grammaticis praeſertim, prolata, cum vulgatis committis, neceſſarium puto monere de delectu in diverſis apud Virgilium lectionibus adhibendo: qua de re ſcediaſma *Henricus Stephanus* conſcripſit, qui quam ſit feliciter verſatus in iis expendendis jam tuum erit expendere. Minus auſpicate exordiri hanc telam poteſt videri, qui primum ſpecimen ſuae induſtriae exhibiturus; in hoc verſu, qui eſt ſub finem ſecundi Aeneidos.

Collectam exilio pubem, miſerabile vulgus.

Servii quam Donati lectionem judicat potiorem. Donatus, meliores (ut

Digitized by Google

reor) codices secutus, legit, *ex Ilio*. Servius obloquitur, quasi contra metrum peccaretur. Suffragatur *Henricus Stephanus* acumine plus quam Grammatico eandem ob causam, &, quasi aeque commodus foret sensus; quod certe verum non est, nec dum enim.

Diversa exilia, atque alienis quaerere terras

Divûm auguriis agebantur. Lucretium *Tanaquilli Fabri* vidisti, credo, & una, vix quidquam factum esse ejus opera, quo minus eandem quoque provinciam tu tibi existimes capessendam. Quantumvis nitida editio, & doctum opus, exspectationi meae, quoad restitutionem textus, satisfacit parum. Intellexeris procul dubio in adornando Plauto *Gronovium* esse, in cujus Livio lente typographi procedunt. Alteram tuam Claudiani editionem videbo lubens; uti & poëmatum, quibus, ad te scripta carmina, in libellos duos adoptivos divisa, ut adjicias, nihil impedire arbitror, quam scribis, rationem, quasi tuas laudes palam ipse venditaturus; & obtrusurus lectori: ea enim invidia facile leniri queat modesta praefatiuncula, occasionemque patefaciente quae te moverit, quare ad hoc faciendum hoc tempore animum appuleris tuum: neque vane persuadeor, nullas in illis tantas laudes futuras, quin majores oppido merearis. Unicam tantum cautionem suaserim adhibendam, nihil quidpiam ulterius edere, auctore non probante. *Lipsi* querelas in hoc negotio tibi haud ignotas puto, qui ipse, hinc doctior, deinde in aliorum epistolis edendis parcior fuit, neque id postea, scriptoribus inconsultis, fecit. *Ubi*, quid constitueris certi de adoptivis libellis, cognovero, atque, num aliqua *Kinschotii*, meaque, & quaenam, apud te quae servas carmina, in istis velis comparere, ego de meis & *Kinschotianis* sententiam feram, & quomodo cum ipsis agi optem, rescribam. Magno meo gaudio inaudivi, illis te ingeniis annumeratum, quae suam experiri liberalitatem rex Christianissimus digna judicavit; audiam majore, te gaudere; & bene rem gerere. Salve, mi Heinsi, & Vale. Dabam Hagae Batavor. die XVII Septembr. CIↃIↃCXXIIL

EPISTOLA X.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio.

Hagae.

INvitus intellexi turbatum esse in *Flitianis* aedibus, quas sibi funestas hospes jam non unus expertus est. Miratus etiam sum frontem Philosophi nostri ferream, qui toties praemonitus de hospitio alibi quaerendo, ejici foras maluit quam abire, quod per hospitem illi licebat. Quia tamen turbatum est me molente, & uterque fabula jam per civitatem facti sunt, haud invitus exitum histrioniae hujus videbo: & si quid praeterea scriptis est descriptum hospitalis hujus rixae, id ut quamprimum ad me perferri cures, unice te rogo obsecroque. Virgilium typis minimis descriptum ex recensione nostra jam accepi.

Multa

Multa mihi post has curas subnata sunt, quae secundae editioni eadem proditura forma, qua Nasonem *Elzevirii* dederunt, reservantur. Notas tertia editio sibi vindicabit. Claudiani specimen jam vidi: typi arrident, nitidi. plane, ut optime mecum hîc agi sim arbitraturus, si emendate omnia in lucem proferentur. *Henrici Stephani* ad Maronem annotata inspexi quidem, sed non perlegi, quod tamen a me fiet, ubi mea in ordinem jam redegero. De Silio, Valerio Flacco, poëmatis meis lentum est negotium, quod publicae occupationes frequenter inde me avertant, spero tamen ante proximam aestatem & illa praelo fore committenda. Petronii in Dalmatia inventum codicem vetustum libris vulgatis multo auctiorem an intellexeris haud scio: Romae nunc exemplar illud asservatur, & spem faciunt amici fore, ut publici juris mox id fiat. Nunciatur ex Galliis *Cardani* opera denis voluminibus apud Lugdunenses prodiisse. Phaedrum *Schefferi* commentariis illustratum hîc terrarum publico datum vidisti credo. De libello carminum adoptivorum poëmatis meis subtexendo consilium necdum cepi; ipsis poëmatis accedent fortasse nonnulla ex Saturnalium libello excerpta, quem tamen mutilum possideo, cum ejus, quod penes me est, exemplaris in fine nonnullae paginae mihi nescio quo fato perierint. Tu vide an damnum istud ex tuis schedis possit resarciri. Commentaria Caesaris ex editione *Jungermanni* cum venalia occurrent in auctione quavis, mei rationem uti habeas enixe peto: Nummi, quos expendes, ab *Elzevirio* tibi restituentur. Ipse *Elzevirius* negat venalem apud se prostare hanc editionem, qua tamen mihi nunc est opus, consulta. Quid *Vossius*, pergitne de Brittanico itinere cogitare? De Livio ac Plauto *Gronovii* plurimum mihi promitto; solus propemodum vir ille Majestatem literarum ab interitu vindicat ac tuetur hac tempestate. Habes hîc nonnihil lusus poëtici. Erant plura, sed metui ne odiosus essem, si omnia tibi apponerem. Vale, mi Walli. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIII. a. d. XVII. Octobr. Ajunt *Plantam* versibus insulsis ausum nuper insultare *Vossio* in gratiam [1] Professoris nescio cujus Bredani, unius videlicet ex antagonistis Vossianis, si ita res se habet, nihil obstat opinor, quo minus nugator in meis poëmatis mox vapulet. Cum *Ludovicum Hugenium* forte convenies, percunctare illum, quaeso, quosnam Nasonis codices, & cujus notae in Escuriali Bibliotheca invenerit. Audio enim offendisse illum inter alios poëtae nostri codices vetustissimum Metamorphoseôn exemplar.

1 *Antonii Hulsii.*

EPISTOLA XI.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

PEr abſentiam meam (poſt ultimas enim meas iterum in Nort-Hollandiam abieram, ubi huc uſque haeſi) reſcire non licuit, an novi aliquid de hoſpitali rixa typis deſcriptum exierit foras. indagabo tamen, & ſi operae pretium fuerit, curabo ad te perferri. Virgilium tuum Amſtelodami promiſerat mihi *Elzevirius* tradendum in reditu meo, ſed tunc, cum feſtinarem, non inveni paratum, neque tantiſper morari permittebatur, dum folia colligerentur; itaque mihi exſpectandum erit, uſque dum huc Hagam mittatur. De tuis in Lucretium curis mihil addis, de quibus equidem quid ſit futurum, aveo ſcire. De auctiore Petronii codice in Dalmatia invento audieram pridem, & modo eum nunc Romae brevi lucem viſurum. Phaedrum *Schefferi* commentariis illuſtratum, & *Cardani* opera denis voluminibus noviter typis excuſa vidi, inque illis plurima hactenus ἀνέκδοτα. Commentaria Caeſaris ex editione *Jungermanni* fruſtra adhuc quaeſivi, neque inter Libros Weimannianae Bibliothecae reperiebantur. Neſciebam adeo illis tibi opus eſſe; alioquin dudum tibi miſiſſem meum exemplar, quod jam ad *Elzevirium* eſt perlatum, una cum Saturnalium libello, ut ad te deferri curet; de pretio ne ſollicitus ſis; plura debeo liberalitati tuae. De itinere Britannico pergit *Voſſius* cogitare, illudque inceptabit, quam primum prodierit libellus, quo reſpondit ſuis adverſariis, ſqui de auctoritate LXX. interpretum illi negotium faceſſiverunt, inter quos eſt profeſſor ille Bredanus, in cujus gratiam verſibus inſulſis *Planta* longum poſt temporis intervallum iram Muſarum denuo provocavit. *Ludovicus Hugenius* abeſt Haga. cum redierit, monebo ut ipſe ad te ſcribat de iſtis codicibus Naſonis, quos in Hiſpania vidit. frater ejus *Chriſtianus* e Britanniis in Gallias iterum eſt reverſus, & illic, ut audio, hibernabit. Luſus tui poëtici digni, qui tanti regis munificentiam iterum experiantur. in quo omine finio, mi Heinſi, & jubeo te multum valere. Scribebam Hagae in Batavis die XX. Novembris CIↃIↃCLXIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio.

Hagam.

DE commentariis Caesaris, quae tandem ad nos perlata sunt, pudorem meum plane oneraſti, mi Walli. Imploraveram ego diligentiam tuam, qua mihi opus erat, in conquirenda editionis Jungermannianae farragine; tu vero munificentiam ad partes vocaſti, & domum ad me pervenire voluiſti, quod ego aere meo redemptum unice cupiebam. Unde fit, ne auſim in poſterum parem tibi moleſtiam exhibere, deterritus ab hoc propoſito prodiga illa tua comitate & nimium obvia. Hoſpitalis iſta rixa ne in Lapitharum pugnam vertat aliquando videtur metuendum, ſed quid agas? ſpectemus igitur nos, & faveamus vapulantibus, quando id utrique litigantium eſt ingenium, ii mores, ut jam pridem nihil tranquilli ac pacati prae ſe ferant. De *Voſſio* ex quo in Britanniam emigravit nihil audio, ne hoc quidem an ſalvus eo pervenerit. Narrant amici Pariſini, a *Petito* vindicias in illum parari. *Schefferus* Mauritii & Arriani Tactica hactenus inedita commiſit praelo typographico, quod jam alias ſignificaſſe me vobis opinor. Virgilius meus parum ex animi ſententia in lucem protractus eſt, editionem ejus longe magis accuratam cum annotatis uberibus aeſtate proxima, ut auguror, habebo paratam cum poëmatis meis, Valerio Flacco ac Silio Italico, ad haec Naſone curis iteratis illuſtrato. Nam Claudianus operas typographicas jam nunc experitur. Comitia habebuntur ſub Kalendas Majas in hac civitate, & in menſem tertium aut quartum fortaſſis extendentur. quod ego tempus cum a publicis negotiis vacuum ſim habiturus, ſupremam interea manum, ni fallor, potero imponere iis lucubrationibus, quas propemodum adfectas in ſcriniis jam nunc ſervo; Petronii Satyricon auctius praelo Patavino jam prodiiſſe autumo; prodierunt & alia Romae, ſed rem Theologicam potiſſimum ſpectantia, in his acta paſſionis B. Perpetuae & Felicitatis, inſigne antiquitatis monumentum. Habes hîc epigramma, quod poſtremum Regi Galliarum inſcripſi. *Ludovicus Hugenius* utinam mei juris faciat, quae Naſoniana collegit in Hiſpaniis, utinam & *Gudius* quae conquiſivit per Italiam, ſed uterque cunctantur, & moram lentiſſimi trahunt. Vale, mi Walli. Exarabam propere Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXIV. a. d. XI. Martii Gregoriani.

Digitized by Google

EPISTOLA XIII.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinſio.

Helmiam.

ANte tres, & quod excurrit, menſes ad ultimas tuas litteras reſpondi, addideramque quicquid praeterea hoſpitalis rixae poſtea typis excuſum eſſet, & meas iſtas *Biſdommero* tradidi curandas porro Holmiam: iiſdemque indicabam eodem me tempore inſtitori *Elzeviriano* exemplar meum (quoniam aliud non reperiebam) Caeſaris commentariorum ex editione *Jungermanni* commiſiſſe deferendum *Elzevirio*, ut ad te mitteret prima occaſione oblata, quod factum antequam Amſtelodamo diſcederet; rediit ille idem mihi affirmavit, neſcio tamen, an recte acceperis, quia praeter morem tuum ſiles, niſi forte me nondum huc rediiſſe arbitreris. Libro commentariorum Caeſaris addideram Therianthropologiam cum ſuis appendicibus, ut poſtulaſti: Pullus iſte Muſarum, in quem ſcripta eſt, magno earum dolore, credo, jam dudum in morbo cubat, qui nunc quidem aliquantulum remiſit, periculo tamen aeger nondum eſt liberatus; ſi moriatur, epicedium para, & Apollini Paeana. Meliori auſpicio convaluit *Ludovicus Hugenius*, quem monueram, ut de codibus Naſonianis in Eſcuriali Bibliotheca viſis ad te perſcriberet, an fecerit, neſcio, nec enim poſtea eum ſum allocutus. *Chriſtianus* frater in Galliis etiamnum haeret, uti *Voſſius* in Britannia Londini, ut ex ipſo ſciveris, reor. *Gronovii* Plautus lucem vidit. At Virgilius tuus, quando? quando Claudianus? De Lucretio ſcripſeram, an non cogitaris. certe meretur tuam curam, nam de [1] ſponſore ejus, quid dicam? quid ſentiam noſti. cohortatus ſum nuperrime (cum mihi textum jam paratum narraret, de commentario multa cauſſaretur) ut ſaltem textum ederet, emendatum uti in commentario exponere cogitaret, hinc noſcendum, velut leonem ex ungue. Exemplo eſſe Ovidium tuum primae editionis. reſpondit: magis curandum eſſe de ipſis rebus & argumento, quod hactenus nemo digne praeſtitiſſet quam de criticis minutiis, quae multae ſatis in iſtum poëtam jam prodiiſſent. Vale, o politiorum literarum decus, & Caeſaris commentarios miſſos an acceperis ſi nondum reſcripſiſti, reſcribe: ego, ut minimum ad medium uſque Aprilem, hic aut in vicinia affuturus. Dabam Hagae, IV. Non. Martias. CIↃIↃCLXIV.

1 *Bernio.* vid. *Plinii* Ep. 17. & 21.

EPI-

EPISTOLA XIV.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio.

Hagam.

MEnse Martio, si recordor probe, postremum te compellabam, mi *Walli*; gratiasque pro commentariis Caesaris agebam. Ex illo ad me perlatae sunt tuae IV. Nonas Martias exaratae. *Ludovicus Hugenius* de Nasonis exemplaribus Hispanis omnia ignorare me patitur, fratrem ejus *Constantium* si quando obviam habebis, mone quaeso, ut paret, si quid in duabus Elegiis mihi jam olim inscriptis mutatum cupit. pergit enim *Ekzevirius* urgere non poëmata solummodo mea, sed libellos quoque adoptivos, quos poëmatis addi velit. Ego etsi ea de re necdum deliberavi satis, tamen rem gratam feceris, si quae tu, quae *Kinschotius* noster ὁ μακαρίτης honori meo quondam elucubratis, in promtu habeas, aut ad me mittas, ne quid morae hinc injiciatur festinanti typographo. Hoc igitur age. Nunc Claudianum meum iteratae editionis accipies: quem si vacabit tibi evolvere, invenies de novo additam Lactantii de Phoenice elegiam, & in eam animadversiones nostras tuo nomini inscriptas. Virgiliani de novo Codices nonnulli notae praestantis ad me pervenere. Observationes meae in molem excrescunt magnam, quas hyeme proxima, si Deus vitam concesserit, detexam. In Therianthropologos quae olim lusi juvenilibus meis inserta cuperem, sed metuo ne hominibus nostris maledicus videar, qui & *Alastorem*, & alios illic exagitandos mihi proponam. Vale, *Walli* suavissime, & brevitati harum ignosce, necdum enim ex morbo nupero satis convalui. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIV. a. d. III. Septembr. Gregor.

EPISTOLA XV.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

ET priores tuas, mense Martio exaratas, & Septembri ultimas accepi admodum nuper, mi Heinsi, cum tuo Claudiano iteratae editionis, inscriptoque mihi commentario ad Lactantii elegiam de Phoenice. Novo itaque & beneficio & munere mactus, quid expostulationi tuae super misso a me tibi Julio Caesare *Jungermanni* respondeam, nisi quod jam olim feci, plurium me debitorem esse, & felicem futurum, si aliquando queam reddere, non dico, paria, sed testimonium saltem animi grati. Quare si quid sit, quod ego in his oris tuae voluntati praestare possim, indicio tantum est opus, faciam lubenter.

Judi-

Digitized by Google

Judicium meum de novis lucubrationibus tuis ad elegantiſſimum poëtam non magnopere requiris, puto; tale certe, ut perſcribere erubeſcam, ne tibi videar adulari, etiam cum promſerim minus juſto. Utinam & Naſonem curis ſecundis, & quae caetera habes parata, brevi videamus! De *Alaſtore* & Therianthropologis exagitatis quid ſollicitus ſis; magna nomina, quae in ſimilibus, ut noſti, praciverunt ſequeris, neque verſus tantum, ſed & ille proſa oratione ſcriptus luſus Saturnalitius, ornamento fuerit juvenilibus tuis. Ad libellos tuos adoptivos ego & mea & ὃ μακαρίτης *Kinſchotii* in promtu habebo, aut mittam, ſi velis. Monere item ne negligas, an *Kinſchotianis* cupias additam Cygneam cantionem ad *Schelium*, in qua & tui mentio amica, & viri maximi parentis tui admodum honorifica, pluribus verſibus decurrens, neque commode ab orationis filo eximi poteſt, & ſeorſum dari, ut mihi quidem videtur. Ante annum, & quod excedit, petierat illam a me *Gronovius*, cum mea in eam ad *Schelium* praefatione excudendam, & *Schelianis* elogiis, tunc, ut ajebat, praelo paratis, inſerendam, quae dudum ſperavimus: ſed ea ſpes fefellit; ab ipſo repetere parvi erit laboris, & forſan etiam hoc *Schelio* tribuendum non abs re fore putabis, ut & ipſe tibi junctus inter tuos conſpiciatur. *Conſtantinum* item *Hugenium* de ſuis monebo; bis enim aut ter jam fruſtra eum quaeſivi, eadem opera *Ludovicum* moniturus, ne diutius te quidquam de Naſonis exemplaribus Hiſpanis ignorare patiatur: *Chriſtianus* dudum redux Ordinibus Bataviae in comitiis obtulit ante paucos dies longitudinum terreſtrium & marinarum a ſe inventam apodixin, poſitumque illi reperto praemium poſtulavit, quo ſucceſſu brevi audiemus. Memini eadem de re aliquando ad te e Dania ſcripſiſſe *Langium*, tanquam a ſe quoque ad optatum exitum perducenda: opto ſcire, poſteane intellexeris quid ibi fuerit effectum. Ad *Rottendorfium* cum ſcribes, inquire quid de *Malincrotii* ſcriptis actum aut agetur, & an ſpes ſit ut in lucem protrahatur operoſa apologia pro *Eraſmo* noſtro pertexta ab illo viro, quae operae pretium foret ut praemitteretur novae operum Eraſmiorum editioni, quam in Gallia Lugdunenſes typographi moliri dicuntur, dum Roterodamenſes ceſſant, acternum, ut videtur, ceſſaturi. *Voſſius* in Galliis haeret, tamen propediem exſpectatur, niſi eum detenturus Ampliſſ. *Beuningius*, eodem Reipublicae cauſſa nuper profectus. cura ut valeas, amiciſſime Heinſi, huncque & mox initurum annum, uti & ordine caeteros ſecuturos, auſpiratum tibi precor. Hagae die XXIII. Decembr. Anno CIↃIↃCLXIV. De novo cometa varii hîc ſermones; nos utcunque valemus.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XVI.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio.

Lugd.

CLaudiani mei iteratam editionem non improbari a te, mi *Walli*, homine harum rerum egregie perito, plurimum laetor. Invitus tamen & indignabundus agnoſco ex paucis pagellis, quas oculo feſtinante & alibi occupato percenſere hactenus eſt datum, mendas hîc illic irrepſiſſe, cum plures, tum majores, quam par erat. Adeo vix tutum eſt, abſentibus nobis operas typographicas exercere. In meis ad Maronem animadverſis pauca detexenda reſtant, eaque librum Aeneidos poſtremum ſpectantia, ſed cum in diverſis ac variantibus ſcripturis veterum exemplarium examinandis hae lucubrationes deſudent potiſſimum, Grammaticorumque priſcorum auctoritas ſuper dubiis lectionibus frequenter ad partes ſit vocanda, quorum partem potiſſimam hac de cauſſa jam perſpexi, cum ſolis fore Maronianis interpretibus, Servio, Donato, Probo, Philargyrio ſupereſt mihi negotium ad quos propendendos opportunitas nunc non datur, alio converſis cogitationibus, ob bellum Britannicum, quod maxima, ut ſcis, mole patriae noſtrae nunc incumbit. De poëmatis meis vix auſim quicquam polliceri, cum ea praelo ſeſe ſubjecturum de die in diem polliceatur *Elzevirius*, nec ſubjiciat tamen. Ajunt oratorem ex patria in hanc aulam propediem eſſe venturum. Quod ſi ſit, aut mihi excurſus ad vos diu captatus concedetur, aut certe in publicis negotiis minus occupabor. Nugas Saturnalitias an poëmatis reliquis ſim additurus nec dum ſatis deliberatum eſt. Tua & *Kinſchotiana*, quae honori meo dediſtis, in penu tua habeantur velim, dum ſuprema poëmatis meis a typographo imponatur manus, tunc enim omnium optime arbitrari potero, quid addi, quidve demi verſibus adoptivis debeat, ne in compagem modica majorem liber excreſcat, neve nimis exilem ſe lectori ſiſtat. Quem ſucceſſum apodixis illa, quam narrabas proxime, *Chriſtiani Hugenii* habuerit aveo doceri. Juſſus eſt jam pridem *Elzevirius*, Claudianum meum illi mittere; quem mandato paruiſſe confido. Cometa ille, qui ſeſe Europae univerſae, ni fallor, oſtentat, poſtquam noctes latuiſſet pluſculas, denuo nuper apparuit. Quamquam ex Mathematicis non deſunt, qui diverſum hunc a priore ſtatuant. Sunt & qui argutentur tertium Cometam incepiſſe apparere. De *Langio* non ſatis memini. Niſi quod illum a me per Daniam iter faciente, cum huc contendebam, ſalutatum recordor monuiſſe, impenſas privatis fortunis majores requiri ad periculum rei iſtius faciendum. De Apologia pro *Eraſmo* Malincrotiana ſi paullo tempeſtivius rem in memoriam mihi revocaſſes, jam ſcires, quid de illa ſpei ſuperſit. Litteras enim ad *Rottendorphium* non ita nuper dedi. Compellaturus illum denuo, ubi reſponſi nonnihil comparuerit. Vale, *Walli* jucundiſſime, & amicos communes,

nes, ni moleſtum eſt, ſalvere plurimum meis verbis jube. Exarabam Holmiae Suecorum. CIↃIↃCLXV. a. d. XXIV. Febr: Graegor.

EPISTOLA XVII.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ALiquid funeſtum accidiſſe mihi cerae iſtius indicio cognoſcere te puto, mi Heinſi. Obiit ante menſem aut paullo amplius optima mater mea, quae Alckmariae voluit ſuum corpus humari, quo & funus deduximus. Inde mihi reduci aliud non laetum occurrit Hagae. Audiebam enim nuptiarum veterum denuntiationem ſive (ut vocant) proclamationem primam publice factam fuiſſe, ex ambone in duabus aedibus ſacris, Lutheranorum altera idque ob ſponſae religionem: & altera Monaſterienſi, uti hîc dicitur, quae olim Dominicanorum fuit. Id tuo juſſu, & abſentis nomine fieri per hominem fiduciarium, intellexiſſe primo videbar; quae mihi ut res mira, ita nec credenda putabatur: ſed errore detecto mirari deſinebam. De hac enim molitione jam antea inaudiveram. Nempe egregiam illam ſcilicet ſperatam tuam, egiſſe apud judices, & petiiſſe, ut, quod tu damnatus nolles exſequi per contumaciam; id auctoritate judicum fieret ab alio, qui in hac re partes tuas referret, eumque jam eſſe Curiae, quem appellant, apparitorem: unde cum hic homo in aede Monaſterienſi praeſens adeſſet, feſtive a non nemine quaerebatur; etiamne hoc ſolatii ſponſae indulgeretur, ut in lecto tuas eſſet partes acturus. Rem ridiculam operae pretium viſum ut ſcias. Nudius tertius ſecundo denunciatum. Ipſa matrimonii ſolemnitas non in aliqua aedium ſacrarum: non in judicialium curiarum aliqua, ſed in curia oppidi Hagenſis, dicitur patranda. Poſt quam peractam nupta nova vetus munita literis commendatitiis creditur Holmiam navigatura, & ibi tuas in aedes irruptura, uti olim Amſtelodami. Itaque niſi prius caveris tibi & tuis rebus, multum moleſtiarum exhibebit. Si tibi animus, qui fuit, manet, & memor ſis multorum, quae te monui aliquando, omnibus facile obviam ibis, ut puto. Res ſeria agitur, quare etiam atque etiam vide, ut te & tua colloees in tuto, ac amicos veros a fictis diſcernere operam uti des velim. Illud maxime mihi aegre eſt, quod huc te venire non erit tutum, quocum tamen ſperaveram hac aeſtate praeſens ſermonem commutare, occaſione quam in tuis perſcripſiſti: quibus jam antea dudum reſpondiſſem, niſi jam antea etiam meae matris cauſſa haeſiſſem diutius in Nort-Hollandia, & tempus triviſſem viſendo plus vice ſimplici claſſem noſtram in anchoris ſtantem; & exſpectans itidem dum in altum illa ſolveret; quae tamen ſpem meam fefellit, cum enim aliquoties ventos ſecundos habuiſſet, non niſi poſt meum abitum illa exiit malo alite. Amſtelodami poëmata tua excudi coepta vidi. ſed lentum negotium ajebat *Elzevirius*, quia tibi ſingula folia mittenda ut corrigas. In

ele-

elegiam, quam olim mihi inscribere tibi placuit, incidebam. Emendationis curam adverti. Faxo ut similem in *Kinschotianis* & meis non desideres, si quid eorum inter adoptiva tua visum exhibere. Quare ne quid his inseras illorum, ut apud te jam extant, peto; *Kinschotianorum* praesertim; haec enim semel male evulgata, post ego pene frustra melius evulgem. Neque scio an Eclogam Thyrsin habeas a secunda ejus manu, ut eam, valde tamen obiter emendavit. Id scies, si in ea se ipsum *Corydonem* vocet an *Jolam*. *Corydon* enim est a prima manu, quem demum mutavit in *Jolam*. Hendecasyllabon, & elegias duas, non aliter habere potes quam a prima manu, quas ego tales, si meae forent, nollem vulgari. In poëmatum libellis, quae editioni pararat, e quibus tamen multa tollenda monuit, non comparet nisi ecloga; ego eis derelictis assumsi hendecasyllabon, & elegiam, qua ut tua poëmata edas, hortatur. Si plura velis, in quibus vel tui mentio, vel patris tui, colligam prout ipse voles, & mittam petenti, aut parata servabo. Virgilium tuum minori forma excusum, viae comitem abducebam. Placuit interim dum adornas meliorem, uti memini a te scriptum antehac. Hunc tamen dum pervolvo incidi in notissimum locum Georg. Primo. 218. *& adverso cedens canis occidit astro:* Video tibi placuisse lectionem quae ponit, *averso*; quam tolerabilem puto, si quoque legas, *incedens*, uti puto eosdem codd. habere. Aliter omnino retinendum Τὸ *adverso*; neque tamen in interpretatione *Salmasii* acquiesco, qui solum se hîc oculos habere putat; quare etiam ob hoc alibi a *Petavio* vapulat; quam juste non bene recordor, neque jam libros inspicere vacat. Alias, si tanti hoc putaveris, latius de hoc agam. Vale, meum decus, & salve. Scribebam, ut vides, praefestine, unde nec de successu negotii Hugeniani & caeteris amicis quicquam addo, in quibus fuisse spero, qui te de rebus tuis jam ante me monuerit diligentius, neque enim ego potui, aut etiamnum possum spatiis exclusus iniquis tam temporis quam loci. Die IV. Augusti CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA XVIII.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinsio.

Helmiam.

JAm ante aliquot dies ad tuas respondere avebam, sed omnia sese mihi incerta offerebant. Inaudiveram enim causae tuae cognitores datos ab Ordinibus Hollandiae Syndicos Leidensem, Amstelodamensem, & Roterodamensem, ab illisque nihil dum fuisse relatum de ea re ad Ordinum consessum, cum iste ultimo ante mensem Septembrem desineret haberi; itaque sufflaminatam rem credebam certo, neque quidquam peragendum antequam aliquid redintegratis Ordinum comitiis ad eos relatum foret. Sed etiam Lugduni Batavorum trinas denuntiationes sive proclamationes, quas vocant, fuisse factas quidam narrabat, & Amstelodami; hîcque ultimum fabulae actum absolutum; ubi in camera,

quae dicitur Scabinorum poſt tertiam denuntiationem, tua illa nec virgo, nec bona, nec bono alite nupſit. Haec qui narrabat, adfuiſſe dicebat, cum ipſa redux Hagae veniret ad Senatorem aliquem gratias actura pro officiis praeſtitis, & togatus iſte viciſſim novae nuptae congratularetur. Alius tamen referebat praeſentem ſe aſtitiſſe ante aliquot hebdommadas forte in aedibus coci cujuſdam cum tua adverſaria, quae de nuptialibus obſoniis parandis agebat, incerta prandione an caenae illius diei: unde conjiciebat potius Hagae ſolemnia peracta eſſe, uti etiam ab aliis nunc ſum edoctus, & plura tu fortaſſe ac certiora: ſi tamen certiora. Nam quem ſcribis ſcortatorem notiſſimum, moechum cum cano capite hiſtrioniae iſti perſonam commodaſſe, jam dudum obiit diem ſuum & Proſerpinae, credo, delicias facit. Filius ejuſdem fuit bellatulus iſte ſponſus, qui patri in munere ſucceſſit. Ex hoc ipſo ut geſta res omnis anquireretur juſſi, ſed cui hanc provinciam dederam, nondum me convenit. *Salmaſium* quo jure quave injuria corripuerit *Petavius*, reperies ejuſdem *Petavii* diſſertationum Vranologio ſubjunctarum libro 7. cap. 3. *Salmaſium* ipſum conſulere queas in Solinianis pag. 433. quem in editione Virgilii Commeliniana *Screvelius* more ſuo mutilavit. Codicum manuſcriptorum ſi vel tantus ſit conſenſus, vel auctoritas, ut omnino judices legendum eſſe, *averſo aſtro*, alia & commodior interpretatio quaerenda eſt huic loco, quam dederint illi, qui hactenus mihi noti in eum commentati ſunt, & τὸ *averſo* approbarunt. Interpretationes enim iſtae ad trutinam expenſae, aut ſecum ipſis pugnare inveniuntur, aut a poëtae mente palam alienae, longeque petitae; a quibus ne *illam* quidem exceperim, quae τὸ *averſo* jungeret τὸ *incedens*; quae in eodem codice juncta reperit *Pierius*, & ſenſum quidem conſtituunt aptum lectioni, ſed non menti Poëtae & procul nimis petitum. Omnium ſententias ſingulatim excutere & oſtendere incommoda nimis longum foret, etiam eorum, qui retinent τὸ *adverſo*, ſed explicant perverſe. Ego, quam rectam puto, indicabo paucis. Cum in eo omnes conveniant, & ita intelligi pene ſit neceſſarium, agi hîc de occaſu heliaco ſideris, quod Canem vocant, convenientiſſime *adverſum aſtrum* erit ipſe ſol, obvio motu Cani appropinquans, eundemque illuſtriori lumine obrutum intra ſuos radios abſorbens; cui proinde obvianti & adverſum eunti, ut majori minor, cedit Canis, poſtea non amplius ſpectabilis, quod eſt occidere heliace: de quo occaſu locus intelligi commode non poteſt, ſi legas, *averſo*; neque (hoc de occaſu cum intelligis) locus commode explicari, niſi dicamus *adverſum aſtrum* eſſe ſolem adverſo motu obviam euntem Cani, qui & ipſe tum contra ſolem ore obverſo conſiſtit. Haec mihi interpretatio optima videtur ac plana, omnes ineptias, quibus reliquae laborant, arcens a ſublimitate Maronis, praeſertim ſi meminerimus, uti frequenter *ſidus*, pariter quoque *aſtrum* de ſole ἁπλῶς poſſe dici. Manu ducere ad hanc nos videtur Macrobius Saturnaliorum lib. 1. cap. 18. Neſcio an ab illo hauſerint, qui ita locum interpretati ſunt, aliquot aſtronomiae conſulti. Inter quos primus (ut eos recenſeam ordine quos eorum ſcripta prodierunt in lucem) *Georgius Heniſchius* commentario pag. 238. in ſphaeram Procli: *Joannes Keplerus* in epi-

epitome pag. 391. aſtronomiae Copernicanae: *Joſephus Blancunus* in ſphaera mundi, lib. 17. cap. 10. ſeu coſmographia. *Joannes Baptiſta Ricciolus* in Almageſto pag. 471. & 472. novo. Plures forte & vetuſtiores, quos ego ignoro. De adoptivis poëmatum tuorum libellis mone quae lubet: ego omnia parata habebo, & jam correcta. De morte *Boji*, dudum eſt credo quod certior ſis factus; & de *Brunonis*, ipſe, ni fallor, aliquando ſcripſi; effigies ejus aeri inſculpta hîc proſtare juſſa; & carmen epicedium ſatis prolixum ab Hornano poëta ſcriptum ſervo; ſi cupias videre, indica mittendi modum, & deſiderio tuo ut ſatisfiat curabo. Vale, noſtrum decus. Hagae x. Kalend. Octobr. A. CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA XIX.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio.

Hagam.

DUbius haerebam & incertus animi, quid de libellis adoptivis tandem ſtatuendum eſſet, cum nec verſus illos meis laudibus datos ut in publicum proferrem, etſi meritos legi, a pudore meo impetrare poſſem, nec ſine injuria aliqua ſupprimendi fere videbantur. Jam tamen verecundiae manum dederam, cum ab eximio viro *Johanne Capellano* litteras accipio, quibus ille non tantum, qua eſt facundia, perſuadet, ut publico permittam, quicquam carminum a praeſtantibus ingeniis meo nomine inſcriptum penes me ſervabatur. Sed addit quoque preci huic efficaciſſimae epigramma, quod *Montozerius* Heros, quem de fama noſti, ni fallor, ad me jam olim ſcripſerat, quodque meis in ſcriniis fruſtra quaerebam. Tandem igitur jacta alea eſt; nunc in ſchedis meis excutiendis ſim totus, unde ſparſa carmina colligantur. Etſi nonnulla ex his feliciter ſatis exarata haud compareant me nolente; nonnulla vix tanti ſint, ut lucem videant, etſi a viris magni nominis conſcripta. Libelli erunt adoptivi duo, quorum prior Gallorum, Italorum, Germanorum; Alter Belgarum noſtrorum complectetur carmina. Ex Gallis *Montozerii* Ducis, Comitis *Brienni*, *Balzaci Menagii*, *Colleteti*, *Mori*, Italorum & Germanorum complura ſunt. Teneo elegiam Praeſulis Paderbornenſis luculentam, quam tamen ignaro auctore non auſim publico dare. Scripſi quidem ad *Rottendorphium* jam dudum ſuper ea re, ſed nihil is reſcripſit, quod me de viri Principis aſſenſu ſecurum poſſit reddere. Tua & *Kinſchotiana* velim in promtu habeas, & ſi parata ſunt, ad *Elzevirium* mittas. Scripſerat non pauca ad me *Henricus Bruno*, quorum tamen nihil apparet hactenus in ſcriniis meis, praeter jambum *Chriſtiano Hugenio* inſcriptum, qui de me agit. Nec ſcio unde cetera conquiri poſſint. Sunt etiam in *Petri Strateni* & *Laurentii Nyendalii* Poëmatis epigrammata meo honori data, quae ad manum non ſunt. Sed de his alias fortaſſe. *Paganini Gaudentii* inveni Epigrammata plurima tam Etruſca, quam Latina, quae etſi non

Digitized by Google

sunt magnae rei, facit tamen celeberrimum auctoris nomen, ut nonnulla ex iis sim promturus, & haec quidem hactenus. Caeterum cum intelligam longae procrastinationis rem fore, si pagellae omnes carminum adoptivorum ad me corrigendae mittantur, nec satis fidam operarum *Elzevirianarum* correctori, obsecratum te volo, ut hanc operam mihi praestare ne graveris; qui te vicissim occasione quavis sum demeriturus: ita enim fiet, ut editio voluminis egregie maturetur, utque omnia quam emendatissime publico donentur. Si non detrectas molestiam, fac *Elzevirium* ejus rei gnarum, quaeso, quam primum: per proximum enim tabellarium, quae mittenda restant, is a me accipiet. *Adverso astro* non placet in Virgilio mutari. & hoc bene vidit *Salmasius*. Sed de Tauro interpretationem ejus non fero. *Aversum astrum* canis ipse, qui heliace tunc occidit. Plura his nos ad ipsum locum. Si mihi sub aestatem excursus dabitur in patriam feram mecum, quae ad illum Poetam ac alios complures observavi typis describenda. Vale, mi *Walli*, & properae scriptioni ignosce. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. VI Januar. qui annus uti tibi tuisque fortunatus decurrat Deum veneror.

EPISTOLA XX.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

Literas tuas nudius tertius accepi, & illico ad *Elzevirium* scripsi, me opellam, quam postulas, non detrectare. *Niendalii* & *Strateni* poëmata penes me non sunt, sed credo illa etiamnum repperiri in tabernis Bibliopolarum, & ab *Elzevirio* haberi posse, si quid inde excerptum velis, indicio tantum opus erit. Si me contingat Alcmariam ire, dum libelli adoptivi sub praelo sunt, expiscabor de carminibus *Henrici Brunonis* quid comparari queat. Illic enim loci habitat soror ejus, & fratrem habet in vicino pago Egmunda patrii muneris successorem. A praesule Paderbornensi nihil si inaudias, quo de assensu ejus sis securus, vide an hanc ego tibi sollicitudinem demere possim, [1] praefatiuncula ad illam elegiam, in qua mentio fiat tuae circa eam rem religionis, & culpa editionis in me transferatur, cui indignum visum etiam hoc *Germanici* coeli decus non comparere inter totsidera haud quaquam postremi honoris. *Aversum astrum* quoniam retinendum putas, non potest aliter, quam de ipso Cane intelligi, & qui aliter fecerunt, meras ineptias moliti sunt: omnis in eo labor erit ut cum heliaco occasu convenire facias interpretationem, quod cum alii praestare nequirent, in salebras compulsi sunt. Utinam sub aestatem excurrere in patriam detur, modo provideas, ut id tuto tibi liceat per adversariam tuam, & cavcas

1 Vid praefat. ad paralipomena carminum adoptivorum N. *Heinsii* pag. 87. quae est nostri *Wallii*: Et Amici Batavi elegia & reliqua carmina quae pag. 129. & seqq. leguntur, eundem auctorem habent, nam pleraque *Wallii* manu scripta inter Schedas Heinsianas repperi.

Digitized by Google

veas a dolis: in quo felici voto, mi Heinsi, finio, & taliter vertens tibi finiatur annus, precor. Dabam Hagae Anno CIↃIↃCLXVI. die XXVI. Januar. raptim.

EPISTOLA XXI.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio

Hagam.

QUod cauturum te polliceris, nequid gravius peccetur ab operis typographicis, dum reliqua poëmatum meorum praelo committentur, exosculor & amplector ambabus ulnis tam obviam, mi *Walli*, facilitatem. De *Niendalii* & *Strateni* versibus omitte curam: jam enim illos a me accepit *Elzevirius*, etsi procul haberi poterant. *Brunonis* tria aut quatuor epigrammata in schedis meis fortuito inveni, & adoptivis jam addidi, plura fuisse scio, quae tu per otium ab heredibus aliquando impetrabis: nam nunc propter haec pusilla procrastinari poëmatum editionem nolim. *Furstenbergium* conveniam in itinere, si mihi per patres integrum erit hac aestate in patriam excurrere. Operamque tunc dabo, ut Elegiam ab illo castigatiorem paullo nanciscar: etsi enim eleganter pleraque illic ac nitide dicuntur, sunt tamen nonnulla, quae limam qualemcumque videantur requirere. Poterunt tunc illa per te cum praefatiuncula latius in publicum proferri. Nunc, quaeso, telam inchoatam properanter detexamus. Vale Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXVI. a. d. XXVII. Febr. Gregor.

EPISTOLA XXII.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

ANte mensem ad penultimas tuas festine satis rescripsi, & monui ut insidias caveres, si tibi mens esset in Bataviam venire; nisi forte cogi ames, ut rata habeas quae hîc contra te acta sunt; adversus quae potius, (si tibi animus, qui fuit, manet) protestandum (ut vocant) a te jam dudum fuerat. Tuo nomine id quidem feciſſe *Goesium* Senatorem audivi; sed id factum a te probari singulariter oportuit, & etiamnum oportet; atque ad eundem ut denuo formulam protestationis mittas, consultum immo fere necessarium putant, qui tibi bene volunt; & postea dispiciendum, quo tutiore modo hîc aliquando sistere praesentem te queas. Ultimae tuae itidem bene mihi redditae sunt; & praefationem tuam ad *Capellanum Elzevirius* dum exspectat, adoptivorum libellos cum tuis poëmatis recentis editionis ad me, qui hoc petieram, ut inspicerem, misit; quod bene vertit. Sic enim orthographiae rationem, quam es secu-

Digitized by Google

ſecutus, licuit mihi certo cognoſcere, ne quid in hoc temere operis imputarem, & in reliquis, quid fueris ſectatus, vidi; ita ut cum viderem inſeruiſſe te etiam adoptivis quaedam de tuo patre, viro ſummo, & matre; crediderim mihi quoque licere in *Kinſchotii* elegiis ad te duabus, Ecloga, & hendecaſyllabo: carmen ejuſdem non poenitendum, quod inſcribitur votum pro ſalute *Dan: Heinſii*, & ſermonem ad *Schelium* ſuper natali Maronis, de quo memini aliquando ſcripſiſſe, ut ſit multus in tui patris laudibus, nec oblitus tuarum: ſicut etiam in quadam ad me ſcripta Ecloga, ſed ea eſt longiuſcula, & quia tantum verſu uno aut altero tui mentio fit, fortaſſis ea nimium aliena videri queat, ut & ſimilis mea ad *Kinſchotium*. Sed de meis quid dicam? poſtea quam felicem tuam diligentiam in expoliendo vidi, mallem certe, de alienis ſecurus, mea inter Camaenas tam cultas non apparere, comparata futura deformiora. Ode, (quia tibi probatur) & ecloga Thyrſis tolerabiles videri queant; elegiae non item; quia tamen & eas poſcis, videbo an honeſtam eis faciem dare poſſim. Oblectare te vellem potius lectione eclogae cujuſdam, quam ſcripſi anno ſuperiore ad *Chriſtianum Hugenium*, occaſione tunc conſpicui Cometae, in qua mythologiam aſtricam ſum complexus facientem ad ſidera, quae nomen habent a ruſticis & nauticis rebus, ipſiusque *Hugenii* inventa celebravi. Sed quia prolixior eſt, quales Theocriti nonnullae, & piget exſcribere, neque ſatis commode tabellariis committenda. Frater ejus *Ludovicus* certiorem te de Laurentianis in Hiſpania manuſcriptis Ovidianis ſi non fecerit, faciet propediem, uti nuper mihi addixit. *Conſtantinum* monui, ut curam itidem haberet elegiae alterius ante annos xx. ad te conſcriptae, ſed id ipſe videtur neglecturus. Juſſi etiam conquiri *Niendalii* & *Strateni* poëmata ab *Elzevirio*; item ut ſcriberet ad fratrem *Brunonis*, ſi quid ipſe forte ſubminiſtrare queat addendum adoptivis, quae ante duas hebdommades, altero, quo acceperam, die remiſi feſtinanter inſpecta, ne quid a me morarum injiceretur, & nihildum mihi reſponſum eſt; credo praefationem ad *Capellanum*, quae exſpectabatur, nondum adveniſſe. Si cum ea ſimul non miſeris elegiam *Furſtenbergii*, poteſt ea etiamnum mitti, ſaltem uti appendix ad primum adoptivorum ſubjungenda ad operis calcem, & ei, ut appendicem libri ſecundi, tunc poſtponenda reſervabo *Kinſchotiana* & mea, loci parum ambitioſus, jamque hoc indicavi *Elzevirio*, ne quid & illud ipſum moraretur. In carmine Graeco primi adoptivorum ultimo Britanni cujuſdam, *Odoardi*, puto, *Perſii*, memini vocem ultimam cum litura exaratam, vixque legi poſſe; eam in reſponſoriis ad has denuo perſcribe, ſi forte in tempore advenerint, ſin minus, aut diligentius inſpectam aſſequemur, aut parum errabimus convenientem ſubſtituendo. *Vlitii* Gothica, reor, jam in Sueciam appulerint; ipſe tandem publice divortium cum uxore fecit; ut audio; nam ſaeculum eſt ex quo hominem non conſpexi. [1]Proſaicam metaphraſin Ixeuticorum Oppiani nihil de aucupii iſtius genere, cujus apud Propertium mentio, prodere *Voſſius* arbitratur, a quo *Vlitius* habuit exemplar, ut curaret edendum, unicumque eſt tantum. Si quid ad me velis per *Elzevirium* id cura.

Ille

1 Vide ad *Voſſii* Epiſt. LXXXII.

Digitized by Google

Ille enim ſciet ubi ego degam, hîcne an in vicina ipſi Nort-Hollandia. Salve & Vale, mi Heinſi. Scribebam Hagae die 11. Martii CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA XXIII.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio

Hagam.

DE inſidiis quod monebas nuper, unice eas mihi cavendas eſſe tecum ſentio, mi Walli, nec ad eos ſum excurſurus, niſi munitus probe adverſus omnem adverſariorum inſultum. Quia jam dudum praevidi hanc, quam noſti, rem me abſente urgendam omni conatu, aut potius praecipitem dandam fore ab inimicis hominibus. Annus jam eſt, & quod excurrit, cum me tempeſtive ſatis in eventum quemcunque armavi, miſſo ad procuratorem libello per *Goeſios*, patrem filiumque, qualem conſulti juris noſtrates non judici tantum exhiberi, ſi res forte trahi non poſſet ultra, ſed actis etiam publicis inſeri oportere cenſebant. Id ſi factum non eſt, culpa penes *Goeſios* ſtetit, & procuratorem, a quibus etiam monendi fuerunt, ſi quid reſtaret per me faciendum. Noverunt enim illi per Procuratorem meum, utcumque laute hactenus & munifice a me habitum, rem totam ſupine tractari, ſed in eo patriſſat quod per litteras me compellat rariſſimas. Age cum ipſo, quaeſo, ſi fortaſſis obvium habebis, & ſciſcitare, ſi quid jam actis reſtet ſuperaddendum. Id enim ſi ex re mea eſt, mitti ad me oportet formulam verbis ſolemnibus conceptam, quae judici exhibeatur de novo. Venio nunc ad poëmata mea, quibus ſupremam ab *Elzevirio* manum jam pridem eſſe impoſitam rebar. Quia tamen cunctari illum video, mittendam duxi *Furſtenbergii* Elegiam, quam non ſemel petiiſti, ſi addendam forte caeteris adoptivis judicas. Quod ſine praefatione tua fieri haud oportet, ne facti invidia in me redundet, ſi vir Illuſtriſſimus hoc inſtitutum non probarit. Ex illo enim in ſcribendis verſibus non parum profecit, uti vel ex epigrammate brevi, quod eam in rem mitto, poteris judicare. *Furſtenbergianae* elegiae & *Keckianam* addo, quae aut aliis ejus verſibus ſubjungatur, aut in libelli fine appareat. Si id ſerum jam eſt, utramque Elegiam remittas peto, occaſioni magis opportunae ſervandam. Venere id genus complura non ita nuper mihi in manum, Italorum praeſertim: ſed quia poëtice magis, quam Latine videbantur loqui, in cenſum non admiſi. Tuis & *Kinſchotianis* quis locus eſſet aſſignandus docui jam pridem *Elzevirium*. *Conſtantinus Hugenius* nimium ingenii ſui ſeverus ac moroſus exactor eſt. Verſus enim, qui ab illo damnantur, ſunt concinni ſatis, dummodo ab adoleſcente conſcriptos eſſe lectorem ne lateat. Litem hanc noſtram tui facio arbitrii, ac proinde verſus ipſos ad te mitto, ut te cenſore aut ſtent aut cadant. In meis praeter mentem meam nonnihil hic illic per operas typographicas eſt peccatum. Errores praecipuas vix corrigi poſſe, niſi duae aut

Digitized by Google

tres pagellae recudantur, sum opinatus; idque faciendum in se recepit *Elzevirius*. Gothica *Vlitii* prodisse in publicum, ac horum exemplar magno Regni hujus cancellario jam esse traditum intellexi. Prodierant hic terrarum, & in vicina Danica nuper duo aut tres libelli historici, veteri Islandica conscripti lingua, additis & observationibus haud insciis, sed ego Barbara ejuscemodi vix moror. Magis sum laetatus, cum didici Budanam Bibliothecam *Matthiae Corvini*, in qua scriptores antiqui non pauci hactenus inediti lateant, partem potissimam Graeci, Caesari dono datam a Turcis: utinam non imponat nobis hic rumor, sed jam nimius sum. Vale, *Walli* jucundissime, Holmiae Suecorum a. d. XXIV. Martii Gregor. Anno CIↃIↃCLXVI. De aucupii illo genere alias agam.

EPISTOLA XXIV.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

AD plures tuas jam dudum oportuerat responsum esse, mi Heinsi, sed differebam, sperans una cum absolutis adoptivorum libellis, id commode fieri potuisse, quae res ut perfiat, apud typographum instabo, neque sinam, ut occasionem differendi longius captet, vel ex perlatis huc ad me heri Illustrissimi *Furstenbergii* litteris: adurgeboque ut secundum adoptivorum libellum aggrediatur, primo jam ante mensem ad finem perducto, neque aliud caussatur, quam citius nequiisse expediri praela: cum itaque Amstelodami in transitu jam ante dies octo viderem necdum aliquid secundi libri inchoatum, suasi, ut elegias duas virorum Germanorum primum potius libellum sequi faceret, eumque in finem postridie hinc misi praefatiunculam tumultuario satis opere, (ne quid ego in mora essem) si forte ita fieri placuisset; nam ipse videbatur malle appendicem post totius opusculi finem. Quid fecerit nescio; neque quidquam indicat iis in litteris, quibus inclusae *Furstenbergii*, heri ad me perlatis. Hodie ad Illustrissimum Principem rescribo, rem integram esse; jubeat ut volet, vel elegiam emendatam exspectari posse, vel totam omitti; neque enim quod inscio ipso nobis liberum videbatur, aequum esset ut faceremus invito. *Elzevirium* tamen rogavi, ut excusatiuneulam meam sive jam formis expressam, sive manu exaratam (ego enim apographum non servavi) ad Illustriss. mittat, una cum tua praefatione, quae est ad *Capellanum*; unde patere queat, quid potissimum simus secuti, & captaveram occasionem, qua commendatum epigramma super restitutis Arminii trophaeis praemitteretur elegiae. Ego hic in vicinia *Brunonis* fratrem conveniam, & petam, si quid nobis deest. Libros ejus duos farraginis vernaculorum & Latinorum sine ullo delectu ediderunt Lugduni Batavor. in quibus nihil quod nos juvet, quaedam etiam tam sordida, ut pigeat meminisse; multa interfuerat nesciri; conqueritur frater clam se factum.

Vlitii

Vlitii & *Gevartii* obitum jam fueris edoctus, credo; uti & quod *Goesius* monueram, de tuis rebus quid fieri opus foret ad te perſcriberent. Certe eſſet mihi aegre, ſi inimicis hominibus eſſet, quare tibi inſultare poſſent. *Chriſtianus Hugenius* ante ferias Paſchales in Galliam abivit; fratres eum Bruxellas uſque ſunt comitati: *Conſtantinus* verſus ſuos damnare pergebat; ſed ad *Elzevirium* jam miſſos ajebam, & quae vellet, mutaret, ſuaſi; quod audio eum feciſſe. Si *Elzevirius Furſtenbergii* & *Keckii* elegias eſſe velit pro appendice libelli primi; ego *Caſparis Kinſchotii* & mea ſervabo pro appendice libri ſecundi, & his etiam non meum nomen, ſed amici Batavi praeſcripſi, ſublatum eodem conſilio ex praefatione ad *Capelanum*. Auſus ſum etiam ex Montoſeriano auferre copulativam &, ubi eſt, *Cenſuram & doctae rigidam &c.* quia minus concinnum videbatur efficere verſum; & ſenſum etiam obſcuriorem propter adhibitas copulativas diſticho ſequenti. In *Balthas. Bonifacii* epigrammate ſcriptum erat, *Caſſa vetuſtatem*, manifeſto errore; reſcripſi *Caſia*, *&c.* facili conjectura. [1] Graecum epigramma multum ridebat *Voſſius*, plurima non ferenda dicebat; praeſertim ῥόοσι pro ῥόαισι vel (variata dilecto) ῥόησι, & hoc uſitatius ajebat, quare unum mutari paſſus ſum, reliqua ad apographi tui fidem exhiberi volui. Operae alioquin ſatis diligenter in ſua arte verſati viſi ſunt, neque opus plus unica mea correctione, & me ſecurum eſſe jubebat *Elzevirius*, etiamſi non inſpicerem, ſecundo formas jam praelo committendas. Vale, mi Heinſi, ſcribebam Alkmariae apud Friſiabones, praefeſtine die v. Maji CIↃIↃCLXVI.

1 *Edwardi Perſii*, in Adoptivis pag. 47.

EPISTOLA XXV.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio.

Alcmariam.

DE *Vlitii* & *Gevartii* exceſſu, quae ſignificabas proxime nova omnino atque inaudita hactenus aures meas contigerunt, ſed nec de *Chriſtiani Hugenii* profectione Gallica quicquam compertum habebam. Adeo apud vos vix quisquam eſt, qui de rebus privatis vel tantillum ad me perſcribat. Ipſe *Vlitius*, qui ſolebat hoc in officio ſatis ſedulum ſe praeſtare, neſcio, quomodo tardior factus eſt, ex quo antiquitatem Barbaram ſectari coepit. Itaque non nunc primum is mihi periit. De poëmatis meis doleo, & indignor tam lentum eſſe negotium: praeſertim cum jam menſe Februario per litteras apud ducem *Montoſerium* profeſſus ſim, ſupremam libello manum eſſe impoſitam: qui me mendacem nunc aliena culpa deprehendit. Nomen tuum cur in hac farrigine unus inter tam multos cupias latere, cauſſam comminiſci non poſſum, niſi quod de rebus divinis non eadem fortaſſis omnia ſentimus. Sunt tamen illic plures hoc genus alii, & nemo invitus, ſponte omnes ſybolam iſtue contulerunt.

Perſii Britannici carmen Graecum jure reprehendit *Voſſius*, & omitti potuit, imo debuit. Malo tamen Britannum hominem ridiculum ſe praebuiſſe, quam aut noſtratem, aut alium cujuſcumque gentis. Hunc quod mireris, ut Graecae litteraturae peritum apud me laudarunt olim *Lucas Holſtenius* & *Leo Allatius*. Nec meum fuit errores ejus emendare. Mitto αὐτόγραφον carmen, ut videas, ſi manus fortaſſe mea inter ſummam feſtinationem alicubi aberravit, quod tamen vix opinor. Si majore cum cura id perlegiſſem damnari potuit. Poſtea ad manum venere *Matthaei Bruſtoni* epigrammata tria aut quatuor, ſi non bona, Perſianis ſaltem meliora. Erat enim is natione ac domo Graecus. In *Furſtenbergio* nolui moram eſſe. Elegiam *Hugenii* emendatam operi acceſſuram eſſe nequaquam invitus audio, metuo tamen, ne alteram ſive ipſius *Hugenii*, ſive patris *Conſtantini* tollat ac premat *Elzevirius*, nam & hanc a patre conſcriptam *Elzevirius* videtur opinari. Vale, *Walli* amiciſſime, Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. XXVI. Maii. In autographo Bonifacii *Caſca*, non *Caſſa* legebatur.

EPISTOLA XXVI.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

IN *Furſtenbergio* mora nulla fuit; ante enim finitum ab operis typographicis librum adoptivorum ſecundum, elegiam ex animi ſui ſententia emendatam remiſit, cum epigrammatis aliquot nuperis ſuis, quae quia mei ipſe faciebat juris, ego publici facienda duxi, librique primi adoptivorum paralipomenis praemiſi, & verbulo mentionem ejus rei feci in praefatiuncula, quae manſit, & in ea excuſatio, quaſi inſcio *Furſtenbergio* editio fiat, nec enim aliam ſubſtitui *Elzevirii* feſtinatio ſinebat. Querimoniam de mora tuam cauſſabatur: ita ei ego reus mendacii fui factus. Dum in ſecundo libro moratur *Elzevirius*, ſuaſi, ut, quoniam unicum *Francii* epigramma poſt *Brunonia* ſequeretur, hoc iſtis praeponeret potius, ut ordinatius ſubjicerentur, ſi quae *Brunonianis* accederent a fratre promiſſa, quae impetravi paucula, & quae forte jam videris ab *Elzevirio* miſſa; uti quoque Elegiam *Hugenii* non emendatam, in quo me feſellit *Elzevirius*, niſi jam excuſam, ſed nondum praelo ſubjectam miſerit auctori inſpiciendam, uti jusſeram ego. *Perſii* Britanni autographon remitto, in eo video exaratum ῥόοισι, quomodo ſi fuiſſet in apographo, potuiſſet non mutari fortaſſis, nunc ex ῥόοισι factum eſt ῥόησι (quoniam ita malebat *Voſſius*) potius quam ῥόωσι. Quoad caetera nihil commemorare poſſum, nec apographum nec ullum exemplar penes me eſt. De nomine meo in iſta farragine diſſimulato cauſam comminiſci quod nequeas facile credo: illam enim eſſe, quam es commentus, fuge ſuſpicari. Si elegia, olim libello Heſiano aſcripta, non fecerit te jam diu iſtius ſecurum, ne feras aegre uti

uti nunc id faciam tribus verbis. De rebus divinis qui recte volumus ſentire, ſentiamus oportet, Deum eſſe, Optimum Maximumque, ita neque ejus beneficiis, neque potentiae ponitur limes, quem ponunt perverſe homines quidam novi, antiquos malos male imitati. Hinc liquido apparere reor, quinam in his diffidiis ſint ſequendi, quos etiam ſibi ſequendos tandem duxerat [1] *Kinſchotius ὁ μακαρίτης*. De nominis tamen mei iſta diſſimulatione ne omnia te celem (nam rationes ſunt plures) ſcito, multum me ambigere, an nominis mentionem ullam mei faciendam ſim paſſurus, quando *Kinſchotii* poëmata in lucem ſunt proditura, & an aequum eſt hanc tanto ante mihi eripi libertatem? adde quod, cum de perfectione ſui poëmatii leviter emendati nuper *Furſtenbergius* conquereretur, ſcriberetque, malle ſe hac in re gloriae ſuae deeſſe, quam amicorum voluntati, & ſuo in illos officio; reſcripſerim ego, parum me ſollicitum de gloria, non acquirenda homini, qui optimum putaret bene vivere & latere; reperiſſe tamen, quo nec meae nec amicorum voluntati deeſſem; ſcilicet curando ut mei verſus, non nomen, palam exſtarent. In meis autem publico dandis quam non fuerim parcus videbis, quando extra adoptiva cernes additam Daphnin eclogam, ſive Sidera, ad *Chriſtianum Hugenium*, de qua pridem ſcripſi; quamquam enim nihil haberet, cur adoptivis accenſeretur, monui eſſe Heinſiani amici ad Heinſii amicum; & praeoccupandum putavi *Hugenium*, ne eam cum meo nomine faciat prodire, uti quondam Thyrſin meam fecerunt Hamburgi. Reperies etiam inter *Kinſchotiana* Eclogam ſolam in obitum *Kinſchotii*, in qua tamen mentio tui ſub Thyrſidis perſona. Neſcio an memineris eam olim tibi praelectam, & ad te, *Scheliumve*, an *Gevartium* deſtinatam, nunc paululum refictam, reginae *Chriſtianae Alexandrae* inſcripſi, & de hoc inſtituto aliquid in praefatiuncula Kinſchotianorum leges. Neſcio an ultimis meis te fecerim certiorem, de jam in lucem emiſſo *Rubenii* libello ſuper re veſtiaria, & ad me Delphos curato, ſed quem nondum vidi, dum in his locis haereo. Hodie penultimum appendicis folium ad *Elzevirium* remitto; non niſi unicum aut dimidium reſtat, quod cras aut perendie ad me deferetur. Ita paucos poſt dies poëmatum tuorum negotium tandem fuerit finitum, niſi forte titulus aeneae lâminae incidendus, aut generalis aliqua praefatio reſtet. Litteras, ſi quas in poſterum mittes, commodiſſime *Elzevirio* mandabis, ſi forte ſpa-

1 Hinc colligere liceret *Kinſchotium*, a *Wallio* perſuaſum, ſacra Romanenſis Eccleſiae probaſſe, quod apertius Epiſt. XXXII. ſcribit *Heinſio*. Ex epiſtola tamen, quam mortis *Kinſchotii* nuntiam *Jacobus Gronovius* praemiſit poëmatibus ejus, apparet illum Hagae in domo Patris obiiſſe, ſano judicio & Chriſtiana fide uſque ad extremum vitae ſpiritum, praeſentibus amicis omnibus & concionatore *Stermontio*, cui in omnibus ſatisfecit, ut *Heinſio* ſcripſit R. *Kinſchotius* ejus cognatus. Quare, ſi jam a *Wallio* corruptus fuerit, aut nimis hic credulus ex amici non ſatis cauti ſermonibus ſpem aliquam de ejus ad Romanenſes tranſitu conceperit, credendum eſt, poenituiſſe, & errore agnito in prioris diſciplinae profeſſione vitae exceſſiſſe. Quî enim aliter *Stermontio* ſatisfacere potuiſſet, non video. *Heinſium* etiam ſollicitat hîc *Wallius*, quod & *Jacobum Wallium*, & alios ex eorum literis deprehendo feciſſe, irrito conatu. Hinc vero diſcere licet, quam caute uti diverſa ſentientibus amicis deceat, & quam illi infamiam ſaepe memoriae mortuorum inurant.

Spadam ſim abiturus, aut in Brabantiam ſaltem. Vale, Amiciſſime Heinſi & ſalve. Dabam Alkmariae, IX die Junii Anno CIↃIↃCLXVI. cum vidi paucos ante dies ſolutam exiiſſe Batavam claſſem meliori alite, ſpero, quam idem fere ſub tempus anno proxime elapſo.

EPISTOLA XXVII.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio.

Alcmariam.

POëmatum meorum volumen tandem ad finem productum eſſe gaudeo, idque tua ſollerti ac fida opera, mi *Walli*. Horum copiam ut tibi faciat quamprimum Bibliopola, jam in mandatis habet. Si unum tantum exemplar accipies ab illo, & plura voles inter tuos fortaſſe circumferri, meo nomine ab illo petas, auferaſque licet. Sum enim in aere tuo, cum multas alias ob cauſas, tum ob curatam libelli hujus editionem. Quae tuae venae addidiſti, ea mirum in modum mihi placuerunt omnia, uti & *Kinſchotiana*. In quibus tamen Elegiam de obſidione Leidenſi omiſſam video, tum pleraque alia ſic immutata, & ſic diſcrepantia ab iis, quae penes me ſunt, quantum aliud agenti in tranſcurſu licuit animadvertere, ut prorſus alia videantur. In *Hugenii* junioris elegia peccatur, ni fallor, in leges metricas, dum producit priorem ſyllabam in *idem*, *idem fatum*. Tua ad *Chriſtianum* ecloga, inſigni & erudita *Aether* habet, poſteriore in *Aether* correpta, me neſcio an auctoritatem & exemplum ejus rei habeas in promtu. Nam apud Graecos per ῆτα, ut ſcis, effertur αἰθήρ. *Brunonis* pleraque ſatis frigida ſunt, quae per fratrem acceſſerunt. Ut de *Gevartii*, & *Vlitii* morte ex tuis primum cognovi, ſic tibi nunc debeo, quod de *Rubenii* re veſtiaria in lucem emiſſa me docuiſti ignarum. Nos Reginam *Chriſtinam* hîc exſpectamus: qua praeſente licebit nonnunquam de Muſis deque litteris ſermones inſtituere, praeſertim cum & adſit nobis *Arnoldus Pomponius* Orator Gallicanus, vir ingenii mire elegantis. Nec expers eruditionis eſt noſter *Isbrandius*. Caeteroquin nullus hîc terrarum, cum quo dabatur agere de litteris: paucis Suecorum hac cognitione inſtructis, & illis etiam, qui inde cenſeri poterant, faſtidientibus quodammodo, ne mali politici videantur, credo, litteras humaniores, quas ſub primam adoleſcentiam hauſere. Vale, mi *Walli*, & me ama. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. a.d. III. Quinctilis Gregoriani. Quae in ultimis tuis ominaris de claſſe noſtra, rata fore auguror. Certe ipſa pugnae navalis initia ſucceſſus optatos habuere, de quibus rumor late eſt ditus, parem eventum par eſt ſperare, de quo nuntios impatienter exſpectamus.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXVIII.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

APud fontes Spadanos aeſtatem exegi, mi Heinſi; quemadmodum ultimis meis, ut puto, te feceram certiorem, eo me cogitare: & tandem e Brabantia reverſus, editorum poëmatum tuorum exemplar jam Delphos reperi delatum, &, quoniam huc rurſus properandum erat, in via obiter pervolvi; dum enim diligentiori lectioni me pararem, abſtulit a me illud *Brunonis* frater, qui nullum ſibi ab *Elzevirio* miſſum ajebat, quod tamen oportuerat factum, & petenti ego hinc abiturus promiſeram pro ſua opera, ſeque curaturum *Elzevirius* receperat, quem & moniturus ſum, ut alterum *Graswinckelio* dari mandet, qui nondum ſe vidiſſe ullum ajebat, quando Bruxellis aliquamdiu cum ipſo eſſem: neque dubito, quin tu id aut volucris jam, aut ſaltem velis: auferre plura neſcio an auſim, & abuti tua liberalitate; novi tamen nonnullos, apud quos nomen tuum admodum optem in pretio eſſe; ſique munuſculo tali id commode fieri queat, non deero pro occaſione partibus proxenetae. Elegia de obſidione Leidenſi non erat in promtu emendata pro animi mei ſententia, & ut digna videretur *Kinſchotio*, eſtque in derelictorum numero, neque vacabat nunc eandem illi operam impendere, quam aliis quibuſdam impendi. In poëmatis amici noſtri ingenium nuſquam deſideres, alibi tamen curam & limam, praeſertim in iis, quae habuit pro derelictis; in quibus advertas quandam tautologiam epithetorum, & phraſium; quae res in iis elimandis negotium mihi faceſſere ſolita, occaſionem dedit immutandi quandoque multa, auctoris tamen mente & ſcopo ſervatis: quemadmodum in elegia ſuper editione tuorum poematum factum vides, quae ſi operae pretium foret, ſingula enarrarem, & quae etiam eadem alibi in ſcriptis illius iterate reperiantur; & in eadem ipſe, qualis penes te exſtat, videbis. Illud tamen unum precor, ut compares; & me libere moneas, quid de ſucceſſu hujus audaciae meae judices: ſi enim minus felicem in ea re me arbitreris, omittam potius omnia derelicta, neque edam unquam, aut hoc jure parcius utar, quemadmodum in Ecloga feci, ubi licebat: neque enim in ea tam frequens reperi illud, quod modo dixi inconcinnum: ſublato tamen aliquando verſu, aliquando ſubſtituto ſententiam juvare viſum. De poſteriore in *Aether* quod mones, recte mones, & gratias habeo; neque auctoritas occurrit, niſi alicujus recentioris pariter decepti ratione terminationis, credo, & incrementi. Utinam monuiſſes in erratis & emendandis; ſubſtituiſſeſque quod placitum foret; velut *Aethra tenet*. &c. Mallem tamen legi, *Fert radians aether, vultus, formasque natantum*. & ita, ſi quandoque recudenda ſit, edi velim, ejuſque rei *Hugenium* quandoque non inſcium eſſe ſinam, quem hac occaſione praevenire bonum factum judicavi, ne ederet cum nomine meo factum, qui haud aliunde, quam

quam a tua approbatione, plauſum merere dignus haberi debet. In eadem ecloga video excuſum *In thalamos ſic ut illa tuos* &c. ubi tamen memini operarum negligentiam emendaſſe, & annotaſſe, *ſit*, imo & *Elzevirium* rogaſſe, ut ad talia juberet vigilantes eſſe; cum interpunctionum, & orthographiae, praeſertim dubiae, ipſe forſan negligentior eſſem: ut in mea Thyrſi excuſum, *Nec reperiſtis apes conſueti* &c. cum interpungendum foret, *Nec reperiſtis, apes, conſueti* &c. In orthographia peccatum reperies ſaepe: nempe τὸ *fraenum, caetera, auxilio, exutae, zephyri, auſtro, Thyrrenus, lachrymas*, & talia plura, aut non magni aeſtimanda, aut ab lectore aequo facile condonanda. Optarem tamen non praeteriiſſe, *Idumei*, pro *Idumaei*, in ecloga Jola, ad Reginam *Chriſtinam Alexandram*; quacum ſeu praeſente de litteris, ſeu abſente per litteras tibi ſermo inſtituatur, o te beatum ter quaterque, quia notus & cum bona gratia id facis; ego auſus aliquid ignotus, neſciuſque an temeritati ſit veniae locus; quem tu, (ſi id forte commodum) Majeſtati ejus indicabis a clementiae titulo me ſperare. De ſolitudine litterarum quod conquereris, idem ego conqueri merito poſſum, per ſex totos menſes, quibus abfui Haga; illud item moleſte ferens, quod per abſentiam hanc nihil poterim reſcire de molitione adverſariae tuae, quam audio interim in Sueciam iviſſe. Spero aliunde ad te ejuſce rei nuntium perveniſſe, ita ut non improviſe oppreſſerit, nil forſan ab illa metuentem. Paucos poſt dies iterum aut Hagae aut Delphis ſum futurus, & tu quaeſo de te tuiſque rebus per *Elzevirium* me doceto. Vale, mi Heinſi, & ſalve. Scribebam Alkmariae admodum feſtine, a. d. XII. Octobris. Gregor. CIↃIↃCLXVI. Ignoſce quaeſo lituris ex characteribus male exaratis, immo ſemibarbarae Epiſtolae in loco, ubi de litteris, non dicam loqui, ſed vix cogitare tutum.

EPISTOLA XXIX.

NIC. HEINSIUS

Hadr. Wallio.

Alcmariam.

GAudeo equidem, ut qui maxime, a fontibus Spadanis ſoſpitem te rediiſſe. Poëmatum meorum bina exemplaria juſſus per me eſt tibi ſuppeditare *Elzevirius* hodierno die, quorum alterum tibi habebis, alterum, cui libebit, amicorum, trades. Nam de *Graſwinkelio*, quem virum fata jam ſubduxerant, nequicquam cogitabam. Plura tibi cuperem oblata: ſed in hac editione minus mihi ſatisfacio, quam alia caſtigatior propediem excipiet. Si lectores liber & emtores inventurus eſt, ſin minus probabitur, & plauſu carebit, non eſt quod mea nimis officioſa opera nolentibus obtrudatur. Certe cum viginti & plura exemplaria jam dividenda inter Batavos Amicos curarim, vix tres quatuorve levi gratiarum actione hactenus ſunt defuncti, reliquis teſtari gravatis librum in manus ſuas deveniſſe. Grates ſe praeſtiterunt *Petrus Grotius*,

Digitized by Google

tius, *Johanne Georgius Graevius*, *Isaacus Gruterus*, Officium insuper hactenus habent tres *Hugenii*, *Ommerenus*, *Witsius*, *Slinglandius*, *Goesii* pater & filius, *Vossius*, *Gronovius*, *Gudius*, *duo Junii*, *Colinius*, *Piso*, alii. Tum, quod miror maxime, *Blyenburgius*, & *Beuningius*, caetera officiosissimi homines. At gratias agere non est dedignata Regina *Alexandra*. Amici etiam, qua Hamburgenses, qua Dantiscani. Nam ex Gallia Italiaque necdum constat, eo librum devenisse: significabat *Bigotius* duodeviginta libri hujus exemplaria ad se perlata esse, quae Lutetiam mittenda, ac amicis communibus offerenda quamprimum esset curaturus. De *Goesiis* nil miror: qui toto anno vix semel scribunt. Filio tribus litteris continuis nuper res meas commendabam, ne quid mihi detrimenti pareretur ab illa, quam scis. Magnos enim strepitus per hanc aulam excitavit, nec minores, puto, excitabit apud Proceres nostros, nimio rerum suarum successu elata, & repulsae, quam apud me experitur, impatiens. Ut hac molestia me expediam, denuo fieri flagitabo potestatem mihi ad meos excurrendi sub hybernam tempestatem. Quod si impetro, Bibliothecam & supellectilis pretiosiora deponam apud illos, qui Reginae res in hac civitate agunt. Id enim hi in mandatis ab Augusta principe jam habent, quam Hamburgi in transitu mulier putidissima salutare voluit. Excursum in patriam vel eo magis urgeo, quod rebus infectis hinc propediem sit discessurus Illustrissimus *Isbrandius*, post quem Roscium frustra in hac scena saltavero. Bremenses turbae nisi mature componuntur, mea opera rei publicae nostrae hîc terrarum omnino erit inutilis. Unde tamen id emolumenti ad me fortassis redundabit (nam nil pro certo adfirmare possum, quamdiu facultas profectionis haud datur) ut te coram complectar, utque de studiis communibus operose colloquamur. Vale; Walli jucundissime, & me ut hactenus ama. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. a. d. XV. Novembr.

EPISTOLA XXX.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

EGo certe gratum animum testari usque non desinam pro insigni tua munificentia, qua jam antea fui usus, ut duobus prostremis exemplaribus non sit opus, quae denuo offers, nisi forte non cogitaris de *Joanne Baptista Steenbergio*, cujus inter adoptiva carmen comparet, si idem est, quem ego Parlamenti Methliniensis assessorem audio esse, virum humanitate insigni, & qui nuper, illic cum forem, summopere familiaritatem mecum inire optaverat, nisi temporis illius fortuna invidisset. *Blyenburgius* ante paucos dies Haghae mihi fuit conquestus litteras suas rarissime ad te perferri; auctor ipsi eram, ut eas in posterum committeret *Bisdommero*; itaque vix dubito, quin de grato quoque animo ipsius jam testem epistolam acceperis; uti & plurimo-

rum aliorum, quibus aut occasio defuerit, aut forte ad quos tuum munus nondum devenerit; de *Furstenbergio* miror, quod sileas, neque enim ego hunc etiam crediderim numerari inter inofficiosos. Ego hîc etiamnum haereo fere in media Barbarie procul a libellis, & forte diutius moraturus sum, interim tuas ad *Elzevirium* semper tuto curare poteris. De adventu tuo admodum laetarer, accideretque ille mihi gratissimus, modo absque tuo periculo foret; in has enim terras pedem vix intuleris, quin tui sit potitura illa, quam novimus, & cogeris facere invitus, quod sponte noles; qua de re puto jam antea saepissime monui, & videris aut non meminisse, aut negligere, cum minime sit negligenda. Ego circumspicere coeperam an non alibi in Brabantia quiete & jucunde aetatem degere posthac possem: sed instantium bellorum metus & tricae novae hereditatis cujusdam adeundae, nescio an repudiandae, quae mihi hîc nectuntur, vetant de secessu isto ulterius cogitare. Poematis tuis & eumores & lectores & plausum opto; in meis omnem, quae melior videbitur, mutationem pro libitu ut adhibeas non tantum concedo, sed etiam precor, ut facias. *Duo* tamen pro *duas*, alibi extare videor meminisse. De caeteris alias. Interim salve & vale, mi Heinsi, tibique sit, qui instat, annus admodum auspicatus. Alkmariae Idibus Decembribus stylo Gregor. CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA XXXI.

H. ADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

AD ultimas meas responsum exspectaveram, sed credo te distulisse ob profectionem tuam in has oras, quam aliunde inaudivi, ubi praesentia tua frui opto quidem tantum quantum quis alius, modo illud, quemadmodum monui semper, tuto fieri queat, quod ad te quidem attinet. Nam nupere Hagam reversus, quid in ordinum comitiis de caussa tua actum esset intelligens, non omnino te securum, & fidere litteris in eam rem ad te datis, judicavi; unde officii mei putavi esse hoc saltem monere & suadere, ut in proximo subsistas iis in locis, in quibus sententiae Senatus Batavi non solent executioni mandari; quod in Gelriae solo commodissime fiet; nec enim aut Trajectensis provincia aut Frisia te tutum praestent ab insidiis adversariae tuae aut eorum, quibus ipsa curae est. Ubi autem citra periculum eris, facile despiciemus quomodo aliter impetrari securitas possit. Haec admodum festine, & ignosce si rationes non addam, quae plures & longioris epistolae forent. Scribebam Hagae raptim die XXVII Martii CIↃIↃCLXVI.

EPI-

EPISTOLA XXXII.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinsio.

Regem.

KAlendis Martiis, amiciſſime Heinſi, ad me cum tuis litteris fuit perlatus Prudentius tuus. Officii mei fuerat illico reſcribere, ſed ipſe venire moliebar & molientem mala febris oppreſſit, ita ut nunc ego hîc in morbo cubem: qui ſi hinc abeundo vitari potuiſſet, utinam jam dudum (prout animus fuit) Hagham properaſſem, ſtudio videndi reducem Tuſcum Principem hereditarium, patronum Muſarum, quarum nomine gratulatoriam conceperam oden, inſerta honorifica tui mentione. Quid enim minus tibi pro tot beneficiis rependam, aliunde non ſolvendo, quam tui toties meminiſſe, quoties occaſio offertur? De aucto ſtipendio tuo inaudieram aliquid, & *Bornius* narrarat, qui hîc fuit, quaſi non fuiſſet: quod ſi maneat ſalvum, de cetero nihil eſt, puto, quod conqueraris, & tuo voto ſervit aemulatio minus bene volentium, ipſis aut neſcientibus aut invitis. Gratiſſimum prae reliquis habeo munus tuum Prudentium, vel ſola (ut aliae deforent) cauſa egregiae erga Deum & religionem pietatis: in eo quam multa advertas, quae erudire queant hominem, quiſquis audire vult & eſſe Chriſtianus? nunquid autem & nobis, mi Heinſi, ad hoc aetatis jam provectis, minime negligenter habenda praefatio, quam ſcribis non ad Cathemerina oportere referri peculiariter, ſed ad univerſum Prudentii opus poëticum? perplacent quae obſervas ad illius praefationis verſum 22; ſubdubito tamen, an non eo loci aptius retinendum ſit vulgatum *Τὸ volans.* Praefationem vero, quae nunc ante librum περὶ στεφάνων legitur, (in qua jambos & ſuos trochaeos tantum recenſet poëta) arbitror illic recte collocatam, niſi malles poſt finem libri ejuſdem legi, aut potius Καθημερίνων, quod ego magis probem, quoniam in ea martyrum nulla mentio, multa autem comparatio e rebus quotidianis petita. Quod ad Hymni quarti Cathemerinôn verſum 59. in addendis notas, poſſe colligi non uſum Clementem ſacrae Scripturae Latina illa, quam nunc habemus, verſione, vide an conciliari queat cum Hymni tertii verſu 127. & ſeqq. item 147. & ſeqq. lib. cod. ubi diſertiſſime expreſſum habes famigeratum illud, *ipſa conteret caput tuum*; aut fuerit exiſtimandum (ut quidam exiſtimant) etiam ita olim habuiſſe Graecam (nam ex Hebraeo nihil certi colligas) τῶν LXX verſionem, quandoquidem & Graecorum Patrum nonnulli ſic explicent iſtum locum, mutuis hodie diſſentientium inimicitiis vexatum tantis, quantae ſunt poſitae inter Serpentem & Mulierem, quas ex omnium piorum animis exeſſe precor; ut curis tuis in Prudentium ſecundis omnia fauſta, mi Heinſi, & ut non verborum tantum ac ſyllabarum, ſed inprimis rationem habeas rerum; monitiſque utare, quae ſunt in D. Hippolyti hymno verſu 30. & ſeqq. ut fruare voto tui vatis, quod in hymno

Sancti Romani penultimo & ultimo verſu. Sed haec tibi in aurem, haeſique diu, an eam tibi vellerem, velli tamen, quamquam praeter morem meum, qui ſciam hanc non eſſe rem mei aut optantis aut volentis, ſed Dei miſerantis, qui hoc indulſit amiciſſimo utrique noſtrum [1] *Kinſchotio*, tibi extremis verbis etiam optima quaeque apprecanti, cum eximie commendaret ſincerum animi tui candorem, & ſingularem indolis bonitatem, cui quam nequiter ſaepe ego audivi illudentes homines improbos, infortunioque & malis tuis gaudentes; ſed adverſus horum inſultus, eaque ipſa mala, utiliſſimum fuerit attente pervolviſſe Sancti Proſperi ſententias Aldinae Prudentii editioni (ejus tibi ſi copia eſt) adjunctas ex D. Auguſtino, cujus Confeſſionum aureolum libellum itidem operae pretium fuerit in eundem finem bene ruminari, a *Franciſco Petrarcha* jam ſene alibi admodum laudatum verbis, quae utinam ita meminiſſem, ut tibi referre poſſim. Sed deſino, ne nimius videar. Salve, mi Heinſi, & vale melius, quam ego. Alckmariae. CIↃIↃCLXVIII. VI. Martii.

1 Vid. ad Epiſt. XXVII.

EPISTOLA XXXIII.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EPiſtola tua, quae die nono hujus menſis ad me ſcripta, heri demum mihi reddita fuit; mi Heinſi. Valetudo quidem mea meliori loco eſſe, nondum tamen omnino reſtituta videtur, ita ut aperto frigidoque aëri non me credere audeam. Oden meam, prout petis, prima occaſione ut habeas, faxo. Oblitus fueram monere de hymno D. Laurentii verſ. 567, ubi notas in omnibus tuis libb. Altinio excepto, eſſe, *jocantur*, & noluiſſe te contra ire, non ſatis me capere, quid illic iſtud verbi ſit; viderique potius e veſtigiis cod. Altini in quo, *letantur*, formandum, *levantur*. De Aldina editione ſecunda, cujus meminit *Giſelinus*, eſt item quod dicam, me putare illum habuiſſe pro ſecunda, vetuſtam quandam [1] editionem ſine loco & nomine typographi, cui praefixa Aldi praefatio ad *Danielem Clarium*, habetque praeter carmina Proſperi etiam adjuncta quaedam Joannis Damaſceni, Coſmi Hieroſolymitani, Marci epiſcopi Idrontis, & Theophanis e Graeco verſa: eſt penes me ea editio, & ſi quid e typorum formis conjecturae dandum, Baſileenſem credam. Orthographiae quoque rationem, quam potiſſimum fueris ſecutus, optem ſcire, codicumne ſaeculi Prudentiani exprimentium morem, an vetuſtioris, recentioriſve, aut ex omnibus mixtam, quemadmodum mihi appa-

1 Hanc editionem eſſe unicam puto, & nullam eſſe Baſileenſem tam antiquam, ſed hanc eſſe partem Poetarum Chriſtianorum, quos *Aldus* Anno 1501. vel ut alii 1502. edidit. vide *Fabric.* Bibl. Graec. t. x. pag. 332. & *Mettair.* Annal. Typog. t. II. part. I. p. 148. nam poſt Prudentii carmina *Aldi* nomen legitur, & Venetiis Anno 1501. edita dicitur, quod forte latuit *Wallio*.

Digitized by Google

apparet. De operarum mendis in altera editione cavendis ſuperfluum fuerit addere, quamvis aliquas inſigniores notaſſem, ſed ſcedula non eſt in promptu. Vale, Heinſi amiciſſime. Alckmariae die 15. Martii CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA XXXIV.

HADR. VANDER WALLIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NUdius tertius tuas Amſtelaedamo accepi; avebam quidem illico reſpondere, mi Heinſi, ſed dum eſſem in eo, neſcio, quod taedium ſcribendi me capiebat, ita ut vix par eſſem effingendo exemplari nitidiuſcule deſcripto meae odes, quod tamen, ut petieras, hîc habes, cum praefixa excuſatione ad Sereniſſimum principem Coſmum. In tuos uſus alterum hîc ſubjeci. Vale, mi Heinſi, & bene rem gere. Alkmariae die XVII. Martii CIↃIↃCLXVIII.

ODE

Super Sereniſſimi Etruriae Principis

COSMI

in Batavos adventu, bello Britannico ſecundo finito.

Diro fugata cum comitum grege
Noſtris Enyo finibus, impii
Oſtenta belli poſt cometas
Auſpicio meliore fulget
Terrae benignum ſidus Etruriae,
Princeps juvandis Aoniſin gerens
Fatale nomen, nil vetuſto
Progenies minor ipſe Coſmo;
Tot derelictis urbibus Italûm,
Arni querelas neve morans ſui,
Dignatus extremos Batavos
Viſere magnificus viator.
Utcunque parvam grandibus inſolens
Aptare rebus, Melpomene, chelyn,
Aſſurge; dic heroa tantum
Oceanoque patrique Rheno
Veniſſe gratum, praecipue tibi;
Rurſum jacebis quae citharam tenens
Fago ſub alta populove
Abſque metu: neque dehinc repente
Unquam, minaci territa claſſico,
Voces, tumultu non ſine civium,
Ad arma, clamantes, ad arma
Aure bibes pavida per atras
Noctis tenebras, pulſaque denſius
Rauci ſonoris tympana, tum cavo
Ex aere diſploſum tonitru
Indomitumque ratis fragorem
Flamma crematae, quo ſimul ardua
Ictu domorum tecta gravi, ſimul
Concuſſa fundamenta late
Ima ſolo tremuere circum.

Non jam in remotis nubibus aetheris
Caliginosi, mentis imaginum
Lymphata spectro, praeliantium
Agmina vi super irruentem,
Saevis recenti tabe fluentia
Calcanda dantem membra jugalibus,
Vidisse Bellonam putabis,
Sanguineo horribilem flagello;
Quam pone totis emineat rotis
Thorace Mars indutus aheneo;
Iramque dein Discordiamque
Ac pariter Rabiem volantes.

Cessere nimbi. laetitiae jubar
Tuscis ab undis sol tuus advehit.
Plectro sonaturas resumto
Arte nova bene temperatas
Intende chordas. materies lyrâ
Cosmus minori, sin tamen altior,
Et celsa virtus Heinsianum
Poscat epos potius tubamque,
Impar voluntas non quoque gratia
Vilis carebit. carmina nobilis,
Vecti peregrinas ad oras,
Hospitis haec monumenta sunto.



Digitized by Google

ERRATA In Tom. III.

Pag. 4. *lin.* 22. MDLIXIX. *lege* MDLXIX.
9. *l.* 26. tuis *leg.* tuus
21. *l.* 11. ſenis *leg.* ſentis
35. *l.* 25. graviter *leg.* gnaviter
37. *l.* 25. obſervante *leg.* obſervantes
48. *l.* 21. eſſem *leg.* eſſent
70. *l.* 23. verus *leg.* verſus
71. *l.* 2. Frabicii libro Janſenius *leg.* Fabricii l. Janſonius
73. *l.* autep. Fratrem *leg.* Frates
81. *l.* 25. Moroni *leg.* Morioni
84. *l.* penul. Criſpinis *leg.* Criſpini
101. *l.* 13. Dalogitum *leg.* Dialogiſtam, & mox Dialogiſta
102. *l.* 6. occupationem *leg.* occupationum
107. *l.* 6. M. Lino *leg.* M. Livio
113. *l.* 33. lectionem *leg.* lectione
131. *l.* 25. Hyacenthinis *leg.* Hyacinthinus
164. *l.* 9. Gemblacenſis *leg.* Gemblacenſi
207. *l.* 15. Jannigio *leg.* Jarrigio
209. *l.* 16. Janigios *leg.* Jarrigios
224. *l.* 4. *Daventriam leg. Leidam*
230. *l.* 5. ille *leg.* illa
239. *l.* 7. Kal. Jan. *leg.* Kal. Jun.
246. *l.* 7. profiſci *leg.* proficiſci
206. *l.* 32. omnes *l.* delendum
270. *l.* pen. ſcribat *leg.* ſcribax
279. *l.* 12. illum *leg.* illa
l. 21. noſtro *leg.* noſtros
292. *l.* 35. ter *leg.* per
294. *l.* 10. ab *leg.* ab
311. *l.* 27. Borharti *leg.* Bocharti
317. *l.* 25. Roſentagio *leg.* Roſenhagio
l. 28. cognitus *leg.* cognatus
339. *l.* 6. illum *leg.* illam
345. *l.* 7. Piſeae *leg.* Piſae
347. *l.* 13. ſui *leg.* ſuis
375. *l.* penul. ſibi *leg.* tibi
376. *l.* 15. Superſunt *leg.* Superſint
415. *l.* 6. tum nobilem &c. *leg.* tam. n. u. venam
471. *l.* 23. deſerendum *leg.* deſerendam
472. *l.* 1. viſu *leg.* ciſu
493. *l.* 33. profectum *leg.* profectam
508. *l.* 16. anguis *leg.* angues
510. *l.* 11. patrum *leg.* patrem
513. *l.* 17. vocamus *leg.* vacamus
l. 27. eam *leg.* ea

Pag. 516. *l.* 23. mecum *leg.* meum
557. *l.* 17. Plinium *leg.* Plinio
558. *l.* 18. Iſaac. Voſſius *leg.* Is. Voſſio
576. *l.* pen. fuerit *leg.* fueris
629. *l.* 14. Leidam *leg.* Pariſios
630. *l.* 4. Leidam *leg.* Pariſios
633. *l.* 18. *N. Heinſius J. Voſſio. leg. Iſaac. Voſſius Nic. Heinſio.*
661. *l.* in notis. Paraphraſis Proſaica *leg.* Paraphraſin Proſaicam
667. *l.* 4. *Venetias leg. Amſtelaedamum*
706. not. *l.* 1. ſparſum *leg.* ſpurium
710. *l.* 21. benerte *leg.* bene te
715. *l.* 24. quae pluribus *leg.* quod
727. *l.* 12. nec aream iſta in ſtantibus *leg.* ne carcam iſta inſtantibus
729. *l.* 34. Plana *leg.* Planta
732. *l.* 36. ἰρυσιάκτην *leg.* ἰρυσιάκτων
739. *l.* 28. inum *leg.* in um
740. *l.* 23. Principali *leg.* Principalis
745. *l.* 26. ergo *leg.* erga
753. *l.* 16. Lyaei *leg.* Lycei
762. *l.* 19. anguſto *leg.* auguſto
l. 21. poteris *leg.* potueris
789. *l.* 25. μικρῶς *leg.* μικρῆς & mox Τριομυγίσι
790. *l.* 39. videres *leg.* rideres
799. *l.* 23. opimus *leg.* opinus
805. *l.* 19. obſtructa *leg.* obſtricta
806. *l.* 11. collo *leg.* coelo
l. 33. me *leg.* meae
809. *l.* 8. certi *leg.* certe
810. *l.* 13. Barlour *leg.* Barlouv
813. *l.* 3. debiti *leg.* debita
817. *l.* 37. libraria tua *leg.* librariae tuae
822. *l.* 3. violatſ *leg.* violatae
829. *l.* 8. *Nic. Heinſius.* leg. *Ez. Sphanhemius Nic. Heinſio.*
831. *l.* 2. *Ezec. Spanhemius.* leg. *Nic. Heinſius Ez. Spanhemio. Haidelbergam*
841. *l.* 5. Typographicorum *leg.* Typographicarum
851. *l.* 17. cautus *leg.* cauſas
804. *l.* 5. alienis *leg.* alienas
867. *l.* 7. domum *leg.* donum
871. *l.* 15. propendendas *leg.* perpendendos
874. *l.* 3. Hagae *leg.* Haga
l. penul. quos *leg.* quo
876. *l.* 9. adverſo *leg.* averſo
883. *l.* 24. Chriſtianae *leg.* Chriſtinae

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google


Digitized by Google